2995

55
25

P. M. F. BARTHOLOMÆI DE LOS

RIOS ET ALARCON

HORIZON MARIANVS.

P. M. F. BARTHOLOMÆI DE LOS

RIOS ET ALARCON

HORIZON

MARIANUS.

HORIZON MARIANVS

SIVE

DE EXCELLENTIA ET VIRTVTIBVS B. MARIÆ VIRGINIS

TRACTATVS NOVEM:

SVPER TOTIDEM EIVS FESTA INTRA ANNI CIRCVLVM AB ECCLESIA CELEBRARI SOLITA.

AVCTORE

R.^do admodum & Eximio Patre Magistro FR. BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS ET ALARCON, Ordinis Eremitarum S. AVGVSTINI Religioso, S. Theol. Doctore, ac Regis Catholici in sacellis Regijs Burgundiæ & Castellæ Concionatore.

Adiectus est ob argumenti similitudinem eiusdem Auctoris

TRACTATVS DE NOMINE MARIÆ.

ANTVERPIÆ

Apud GVILIELMVM LESTEENIVM via (vulgo) Hoochstraet dicta, sub Pellicano aureo.

Anno M. DC. XLVII.

Cum gratia & Priuilegio.

HORIZON MARIANVS

SIVE

DE EXCELLENTIA ET VIRTVTIBVS

B. MARIÆ VIRGINIS

TRACTATVS NOVEM:

SVPER TOTIDEM EIVS FESTA INTRA

ANNI CIRCVLVM AB ECCLESIA

CELEBRARI SOLITA.

AVCTORE

R. admodum & Eximio Patre Magistro D. BARTHOLOMEO DE LOS RIOS ET ALARCON Ordinis Eremitarum S. AVGVSTINI Religioso, S. Theol. Doctore, ac Regis Catholici in sacellis Regijs Burgundiæ & Castellæ Concionatore.

Adiectus est ob argumenti similitudinem eiusdem auctoris

TRACTATVS DE NOMINE MARIÆ.

ANTVERPIÆ

Apud GVILIELMVM LESTEENCVM via (vulgo) Hoochstraet dicta, sub Pellicano aureo.

Anno M. DC. XLVII.

Cum gratia & Privilegio.

VITÆ REPARATRICI,

GRATIÆ DISPENSATRICI,

HOSTIS TARTAREI DEBELLATRICI

MARIÆ

DEI MATRI

DEO SIMILLIMÆ:

VIRGINI INTER OMNES FOECVNDÆ, AC VIRGINITATIS

MAGISTRÆ:

REGVM AC SACERDOTVM STIRPI INCLYTÆ:

MONTI IN VERTICE MONTIVM:

GRATIARVM OMNIVM PELAGO,

MIRACVLORVM MAXIMO,

VNIVERSI COMPLEMENTO:

CÆLITVM TRIVMPHO, INFERORVM FORMIDINI,

HOMINVM SPEI AC SOLATIO:

Fr. BARTHOLOMÆVS DE LOS RIOS

MANCIPIORVM EIVS MINIMVM

HVNC E LAVDVM MARIANARVM IMMENSO MARI

QVALEMCVMQVE RIVVLVM,

SEQVE, AC SVA OMNIA

ÆTERNVM

DAT, DICAT, CONSECRATQVE.

DEDICATIO.

AVGVSTISSIMA CÆLI TERRARVMQVE REGINA, Ante pedes illos, quibus caput noxij serpentis contriuisti, quibus famulari obsequio se Luna substernit, decerptam vndique è SS. Patrum violarijs hanc laudum Tuarum corollam supplex ac venerabundus depono: quando tanta est magnitudinis Tuæ immensitas, vt ad tam sacri capitis verticem sine flagitio sors non queat aspirare mortalis. Et quâ tandem fronte breues ac temporarios flosculos illi fronti destinare præsumam, quam lucidissimis & nunquam perituris ignibus stellæ coronant? Ante pedes igitur Tuos purissimos illos ac nullâ vnquam peccati labe infectos, nullis terrenarum affectionum sordibus vel leuiter aspersos, hoc quidquid est opellæ meæ, mancipiorum Tuorum vltimum defero. Sed quâ fiduciâ huc accedere audeo? Tu vnicum cæli decus: ego vilissimus terræ vermiculus. Tu Thronus Salomonis auro atque ebore resplendens: ego vitiorum omnium sentina. Tu pacifici Regis Templum, in quod ille quidquid est artis, quidquid opum, transtulit; ego mortalium abiectissimus. Tu auro, gemmis, Sole denique ipso vestita cælestes orbes obambulas: ego lacer, pannosus, pudore plenus in hâc vmbrosâ valle nuditati meæ latebras quæro. Tibi se Apostolorum dignitas, Angelorum felicitas, omnium denique cæli procerum celsitudo submittit; Tibi Pontificius apex, & Imperatoria maiestas nudatum inclinat verticem: ego omnium pedibus calcari dignus. Et tamen, O REGINA, audet vilis hic seruus, seu mediastinus, seu ergastularius (vtcumque eum

vocare

vocare voles) audet, inquam, maiestatis Tuæ thronum, cælestis aulæ primatibus verendum, propiùs accedere, ac munusculo etiam leuidenso honorare omnium rerum copiâ affluentem: animos suggerente illâ ipsâ quâ creaturarum omnium perfectionem longo excedis interuallo, quâquè terreri debuerat, præcellentiâ. Non enim ignorat eandem bonitatis Tuæ & magnitudinis esse mensuram: quæquè potentissima es, eandem esse & benignissimam. Scit Reginam Te esse; sed & matrem: ad Filij dexteram supra omnium Angelorum ordines exaltatam; sed ne miseris illîc mortalibus deesset aduocata: dotibus omnibus ac gratijs superfusam; sed vt in nostram redundarent inanitatem: Deo simillimam; nempè qui vti Maximus, ita & Optimus omnium gentium quaquauersum præconio celebratur: quiquè sub carnis à Te sumptæ tegumento inter homines degens, non solùm Magorum munera non despexit, sed & pauperculæ viduæ quadrantem boni consuluit. Atque hinc potissimùm se animo fiducia ingerit, non aspernaturam Te thuris hanc micam, hoc rusticum libum, quo ad aras clementiæ Tuæ famulorum Tuorum minimus litare desiderat. Sed hamata sunt hæc munera; fateor, O VIRGO: dantur, vt auferant; offeruntur, vt recipiant; verùm non aliud, quàm quòd Tu Filiusque Tuus & rogari maximè, & dare, exoptatis. Sed quid tandem tam ambitioso præloquio, quid vilis hic vermiculus à Te contendit, O Domina? Amare Te, an amari à Te? Et hoc, & illud, O Virgo. Aut si immodestum est hoc votum, da saltem amare Te: da hunc amorem prompto ac fideli obsequio, velut scintillis ab illo igne, testatum facere. Fuere olim, scio, quos Amicos, quos Sponsos, quos Filios tuos appellare dignata es: verùm hos titulos vilitatis meæ conscientia non admittit. Satis mihi erit,

abundè

abundè erit, imò nimium etiam erit, in imâ Mancipiorum tuorum classe censeri. Non inauratos torques, non argento ductas armillas; sed compedes, & catenas ambio. Compedes dico, quibus astrictus mei me iuris facere aut in deterioris heri seruitutem addicere, prohibear: Catenas, quibus ita Tibi Filioque tuo illigatus & obnoxius viuam, vt ne vitam quidem ipsam aut vllā vitalem respirationem velim numerare inter mea; sed quantus quantus sum, vester sim: quidquid de credito mihi talento fortasse lucri exsculpsero, vobis accedat: quidquid à vobis in me proficiscetur donorum & gratiæ, in vos redundet: in illum quidem, tanquam bonorum omnium primum largitorem; in Te, tanquam parariam & thesaurorum cælestium dispensatricem. Scio enim dictum ac verè dictum à seruo quodam Tuo: Nihil nos Deum voluisse habere, quod per MARIÆ manus non transiret. Igitur sicut oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ, ita oculi mei ad Te, ô Domina. Omnia potes, quæ Omnipotentem visceribus tuis concluſisti: Benignam Te esse conuenit, quæ thesauris bonitatis infinitæ præfecta es. Da ergò, da Tibi ac Filio tuo dignè deseruire: da Mancipij Tui titulum non solùm nomine circumferre, sed & factis exprimere: Da quod peto, O Virgo, ac tum demum, quod voles, iube.

PRÆ-

PRÆFATIO
AD BENEVOLVM LECTOREM.

BI primùm maiorum inuitatus exemplo, ac diuino fretus auxilio exiguam hanc ingenij cymbam immenſo laudis Marianæ pelago committere conſtitui; eos imitandos duxi, quos olim hodieque animoſa inceſsit cupido terrarum hunc orbem circumnauigandi. Sicut enim illi claſſe iam paratâ, nihil præter opportunum tollendis anchoris ventum expectantes, non vno ſimul obtutu immenſam elementi tam latè porrecti vaſtitatem, innumeroſque ac longiſsimè à ſe quaquauersùm diſtantes ſinus animo concipiunt; ſed primùm certos ſibi portus præfigunt, quos vbi contigerint, ad vlteriores porrò, alios poſt alios, aſsequendos curſum dirigant: itaego cùm aliquot abhinc annis in excellentiæ Marianæ abyſſum & omnia complectentem Oceanum diu timida, mox cæleſtis auxilij fiduciâ aſpirante tumida vela immittere occœpi; per partes, veluti portus quoſdam, eius magnitudinem ſi non circumnauigare, aliquouſque tamen prouehendo cognoſcere, atque aliis me enarrare poſſe quæ ibidem cognoueram, ſperare auſus ſum. Ac primus quidem, quem mihi præfexi, portus is fuit, qui MARIÆ in omnia creata dominium complectebatur. Quem poſtquàm velis remiſq; adnixus tandem aliquando contigi, vel ominis causâ HIERARCHIAM indigetaui: vt hinc velut à Bonæ ſpei capite ſoluenti mihi ipſe animum adderem ad maris huius vlteriores ſinus inueſtigandos, quoties mentis oculos ad eam conuerterem quæ cùm in cætera omnia, tum præcipuum quoddam in mare imperium habet: quod & Hebræi viderunt interpretes qui eius nomen Stellam maris explicant; & ſcito planè emblemate expreſsit Apocalypſeos ſcriptor dum Lunam (vaſti huius elementi præcipuam motricem) Marianis pedibus ſubiecit.

Hoc portu digreſſus, oculis in tabulam Hydrographicam coniectis, nobilem ſed diſsitam longè terram conſpicio: quam tandem poſt multos diuturnosque labores aſsecutus cur HORIZONTEM appellauerim, paucis hic Lectorem meum docere operæ pretium duxi.

Quia, vt ſuprà inſinuaui, Mariæ excellentiam & vno ſimul obtutu intueri ingenij mei horrebat exiguitas, nec ore aut calamo exprimere humanæ vitæ patiuntur anguſtiæ: per partes eam veluti limitando, in breuiores gyros ac facultati meæ pares (quamuis nec ſic pares) conſtringere volui: vt qui totum ſimul corpus non poſſem, aliqua eius membra deſcribendo modum ſaltem aliquem ſubminiſtrarem de Coloſſi magnitudine ex aliquo eius pollice iudicandi. Itaque poſt Hierarchiam Marianam à me editam in eorum

præci-

præcipuè gratiam qui tantæ Dominæ nobilissimo mancipatui se addicere statuissent; bonum factum iudicaui si in gratiam Concionatorum, alteram Marianæ excellentiæ partem ad Virginis Festa quæ per anni circulum Ecclesia Sacris cantibus ac panegyricis ad populum orationibus celebrat, alligarem. Cur autem hoc quidquid est opellæ nostræ, HORIZONTEM *appellauerim; variè, necsanè (vt mihi quidem videtur) pœnitendæ fuêre atque etiamnum manent rationes.*

Ac primò, HORIZON *circulus est in Sphæra Geographicâ, qui conspicuam mundi partem ab eâ quæ non est conspicua dirimit; Latinis, quòd aspectum nostrum definit,* Finitor *dictus. Quod optimè huic Libro nostro conuenire existimo, qui Festis diebus ab Ecclesiâ Deiparæ consecratis ita Marianæ excellentiæ Sphæram definit atque oculis spectandam subiicit, vt tamen fateatur longè maximam eius partem se intactam & abysso suâ inuolutam reliquisse: vtpote humani ingenij viribus impenetrabilem, atque vni Diuinæ menti conspicuam. Quidquid enim humana potest ac desudat industria, finitum sit necesse est: Virginis verò magnitudo immensa, ac nullis infra Deum terminis circumscripta; siue Maternitatis in eâ dignitatem siue gratiarum spectes abundantiam.* Hoc enim solum (*inquit Anselmus de excell. Virg.*) quod Mater Dei est, excedit omnem altitudinem quæ post Deum dici vel prædicari potest. *Iam verò si, D. Thomâ teste,* in matre Dei fuit Gratia tali dignitati proportionata; *quæ mensura hanc poterit immensitatem adæquare, quod eloquium creatum enuntiare, quæ mentis acies penetrare?* Et fortassè (*inquit Bernardus Homil. 4. super Missus*) propter hoc maximè dictum est, Spiritus S. obumbrabit tibi, quia res nimirum in sacramento erat: & quod sola per se Trinitas in solâ & cum solâ voluit operari, soli datum est nosse cui soli datum est experiri. *Quin immò nec illi ipsi cui tot prærogatiuæ datæ sunt, magnitudinem suam explicare datum fuisse, sed vni Deo illarum auctori reseruatum, pronuntiare non dubitat summus eius admirator P. N. Augustinus:* Audacter pronuntio, *inquiens,* quòd nec ipsa planè potuit explicare, quæ capere potuit.

D. Th. 3. p. qu. 7. art. 11.

Tom 9. super Magnificat.

Deinde, HORIZONTIS *illius qui sensibus nostris expositus est (qui alius est ab eo qui solo intellectu percipitur atque ad decimam sphæram pertinet) dimetientem lineam non amplius 360. stadia continere communiter Philosophi asserunt: vnde colligunt hominis in diametri medio constituti aciem, quocumque oculos patente in campo circumduxerit, non vltra 180. stadia extendi. Non quòd omnium acies eo pertingat, sed quòd perspicacissimi cuiusque vltra tendere non possit: quidquid de* * *Lynceo & Strabone narret antiquitas. Atque ob hanc rationem &* HORIZONTIS *nomen huic operi inscribere placuit: vt palam profiterer quidquid ex iis quæ de Virgine cognosci possunt à me tractatum est, non ex rei dignitate aut cognoscibilitate, sed pro ingenij mei modulo me tractasse: eis libenter concedens, qui*

* V. Plin. l. 7. c. 21. & Cic. l. 4. Acad.

se

se in hoc campo Lynceos aut Strabones profitentur. Mihi placet cum humilitatis Christianæ magistro Augustino his verbis tantam maiestatem adorare: Quid dicam pauper ingenio? cùm de te quidquid dixero, minor laus est quàm tua dignitas meretur. *aut cum D. Anselmo.* Immensitatem Gratiæ & Gloriæ tuæ considerare cupienti, O Virgo, sensus deficit, lingua fatiscit. *Serm. 37. ex Sanctis.*

Tertio denique placuit Horizontis *nomen, quòd quæ hîc tractamus Deiparæ Festa, numero* nouem *sint: Octo scilicet quæ ad Ecclesiæ Romæ exemplum per totum Orbem Christianum celebrantur, ac nonum denique* Expectationis, *quod in Deiparæ cultu uulli regioni cedens Hispania publico consensu colendum susceperit, & iam per alias mundi partes propagari cœpit, in Belgium certè multis locis operâ nostra introductum est. Porrò numerus Nouenarius ab occultæ Theologiæ mystis inter alia nomina olim etiam* * HORIZON *dictus est; quia vt hic visum nostrum finit ac terminat, ita* Nouenarius *numerorum finis est ac complementum: ad illum enim cum peruentum est, iterum ad vnitatem regredimur. Atque hinc Nouenarius, quamuis numerorum perfectissimus (quippe qui ex Ternario in se triplicato exoritur) quia tamen finitam in se perfectionem continet, creaturæ conuenit; sicut Decas creatori, quæ Nicetæ in Nazianz. orat. 42. dicitur* vnitas perfecta, & Genitrix perfectionis, *ac Trismegisto Mercurio* Animæ genitor: *quæ omnia Deo conueniunt. Et hinc fortasse Exodi 22. decimas & primitias Deo offerri præceptum, nouem verò partes retineri.* * *Photius in excerpt. è Nicomacho.*

Iam vero quam aptè Nouenarius *Deiparæ prærogatiuas ac summam infra Deum perfectionem (quam Horizonte nostro adumbrare conati sumus) exprimat, non incommodum duxi breuiter hic exponere.*

1. *Nouenarius, vt dixi, numerorum est perfectissimus, quia ex Ternario (in quo sunt omnia) in se triplicato exoritur, siue, vt loquitur Anonymus in Theologumenis,* reuoluit omnia intra se ipsum. *Virgo autem Deipara & omnium habuit creaturarum perfectiones, & perfectissimo habendi modo.* Quidquid enim (*inquit S. Bonauentura*) post Deum pulchrius, quidquid dulcius, quidquid iucundius est in gloriâ, hoc MARIA, hoc in MARIA, hoc per MARIAM est. *Vis & alium ternarium in se multiplicatum, id est, planè perfectum? S. Gregorius in cap. Reg appellat Virginem* Montem in vertice montium. *Tria autem in monte admiranda, nempe altitudo, latitudo, & molis totius firmitas. Audi iam S. Bernardinum Tom. 3, Serm. 11.* Mons domûs Domini eleuatur super omnes colles: quia Virginis altitudo sublimissima est super summos, & latissima super cunctos, & firma atque inconcussa vt moueri non possit. *Addamus & tertium Ternarium, vt Nouenarium hunc compleamus. Tres sunt effectus præcipui Gratiæ sanctificantis tribus in Trinitate personis correspondentes. Per eam enim nos Pater adoptat in filios, iuxta illud,* Ac-

 cepistis

cepistis spiritum adoptionis filiorum in quo clamamus, Abba pater: *Filius nos in fratres & cohæredes assumit: Spiritus S. animas sibi nostras despondet. At* MARIA *tria hæc perfectiori quodam modo obtinuit: eam Pater elegit in filiam ante omnem creaturam, conferens ei tamquam primogenitæ innocentiæ originalis stabilem possessionem: à Filio non solum in sororem sed & in matrem; à Spiritu S. in sponsam præ omnibus electa, ac dotalibus ornamentis exornata. Vnde ad illam hæ voces singularis gratiæ ac perfectionis indices*: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Vna est columba mea; perfecta mea &c.

II. Nouenarius, *teste Anonymo suprà, Græcis quoque* Hecaërgus *i. e. procul arcens dicitur, quia prohibeat ne longius procedat numerus: item* Telesphorus *i. e. finem ferens. Quis id* MARIÆ *conuenire non videat, in quâ omnis Dei in creaturas benignitas & gratiarum abundantia finem accipit: vt supra Mariæ gratiam nec Angelis ipsis progredi concessum sit eiusq; magnitudo solo Deo se inferiorem agnoscat.* Quid grandius Virgine Mariâ, (*exclamat Petrus Damianus*) quę magnitudinem summę Diuinitatis intra sui ventris conclusit arcanum? Attende Seraphim, & in illius superioris naturæ superuola dignitatem: & videbis, quidquid maius est, minus Virgine; solumque opificem opus illud supergredi.

Serm. de Nat. B. Mariæ.

III. Nouenarius *Decadi proximus est, vt nihil inter vtrumque intercedat*; MARIA, *Deo: nempe creaturarum perfectissima, perfectionis omnis auctori: expressissima Dei imago, suo prototypo. Atque huc facit quod tradit Anonymus iam citatus, Enneadem siue Nouenarium dictum esse* Iouis sororem & coniugem, propter coniunctionem cum vnitate. *Ad Mariam sub sponsi nomine exclamat Deus Filius, exclamat Spiritus sanctus*: Pulchra es amica mea. *quod scitè vertit ad rem nostram Origenes*: Pulchra es proxima mea. *Vis scire quam pulchra, quàm Deo proxima? Regulam sequere ab Areopagita Dionysio traditam, quæ sic habet:* Liquet igitur, naturas istas esse proximas Diuinitati, quæ multipliciter eam participarunt. *At quis magis participauit Mariâ, quæ cum* vas *esset capacissimum atque* (*vt S. Bonauentura loquitur*) immensissimum, ex quo illum qui cælo maior fuit continere potuit; *ab Angelo paranympho* Plena gratiâ *de prædicatur. Quis Deo similior illâ,* cui (*Bernardo teste*) Pater potentiam, Filius sapientiam, Spiritus S. omnium virtutum gratiam exhibuit? *Vt iam nihil verear Patris mei Augustini breui, sed fœcundo laudis elogio illam alloqui*: *O Virgo,* Si formam Dei te appellem, digna existis.

Cælest. Hier. cap. 4.

In Spec. c. 4.

Serm. de Assumpt. Tom. 10.

Quis verò iam dubitet, Sorti an Diuinæ planè prouidentiæ adscribendum sit, quod MARIÆ Nomen, *ex Rabbinorum calculo, numerum continet 999. i. e. nongenta nonaginta nouem? vno scilicet minùs Denario, Centenario ac Millenario: siue Nouenarium per tres numerandi classes deductum. Non potuere tanta mysteria alium, quàm Deum, habere auctorem qui vti solus Virginis magnitudinem ac supra creata omnia excellentiam nosse*

poterat,

poterat, ita soli competebat conueniens tanto Operi nomen imponere: siquidem ex Platonis sententiâ nomen rei adæquari decet. Et sanè diuino iussu MARIÆ *nomen per Angeli ministerium Ioachimo parenti fuisse indicatum, narrat S. Hieronymus Hist. de Ortu Virginis: & indicat verbis maiestate plenis Petrus Damianus Serm. de Annunt.* Init, *inquit*, Deus de redemptione hominum consilium, & statim de thesauro Diuinitatis MARIÆ NOMEN euoluitur. *Nec dubitandum quin idem qui tantam Gratiæ plenitudinem, tot prærogatiuas, tantam virtutum abundantiam in electam ab omni æternitate Virginem contulerat; intra eius Nominis periodum innumera mysteria ac perfectionum thesauros concluserit. Quos cùm olim SS. Patrum ductu, velut Virgulâ diuinâ, detegere atque in lucem protrahere conatus essem; placuit in vnum Tractatum quidquid hoc studio profeceram coniicere: & quanto iure ac merito hoc Sacratissimum* Nomen *S. Petrus Chrysologus* sanctitatis collegium *appellet, laudis* Marianæ *studiosis ostendere. Vt autem hanc veluti mantissam* HORIZONTI *huic nostro subnecterem, suasit argumenti similitudo: tum Philonis dictum, quod* Semper Nomen rem, velut vmbra corpus, sequitur. *Tu conatus vtrobique nostros, Lector, æqui boni consule, ac Virginis laudes deuotumq; ac debitum illi Mancipatum vnà mecum promouere stude. Vale.*

INDEX TRACTATVVM ET CAPITVM.

TRACTATVS I.

DE IMMACVLATA Concepione B. Mariæ Virginis. pag. 1.

CAP. I. CVR dies immaculatæ Conceptionis B. Mariæ Virginis celebretur, & à quibus. 1.

II. *B. Maria virgo est Liber, in quo scripta sunt omnia Euangelij arcana.* 4

III. *Liber iste, qui Maria, optimè Flos sanctorum inscribitur.* 6

IV. *Maria Virgo est Liber bellorum Domini; item volumen noui testamenti.* 8

V. *Ostenditur ex peccati originalis fœdiquàm indignum fuisset, si Virgo eo fuisset contaminata.* 11

VI. *Probatur immaculata Conceptio ex recitatâ in Euangelio Christi genealogiâ.* 13

VII. *Virgo Deipara est imago Dei perfectissima, proindeq; immunis à peccato originali.* 16

VIII. *Ex Prophetâ Dauid probatur immaculata Conceptio.* 19

IX. *Ad perfectionem vniuersi, requisitam fuisse immaculatam Conceptionem B. Mariæ Virginis.* 25

X. *Rursùm varijs argumentis probatur B. Mariæ Virginis immunitas à peccato originali.* 22

XI. *Ex varijs B. Virginis titulis immaculata eius conceptio probatur.* 24

XII. *Imperium in Angelos, quod habet virgo Deipara, fundatur in immaculatâ Conceptione.* 27

XIII. *Ex eo quod Aduocata generalis totius humani generis sit Virgo, probatur eius immaculata conceptio.* 28

XIV. *A personâ Filij Mariæ sumuntur argumenta pro immaculata eius Conceptione.* 30

XV. *Alia infamia, quæ redundasset in Deum ex Mariæ peccato.* 33

XVI. *Ignominiâ Matris nudæ à gratiâ comparentis in orbe terrarum, non sustinuisset Filius, proindè eam iustitiâ originali præuenit.* 36

XVII. *Non videretur Christus Filius Dei, si Mater esset contaminata peccato originali.* 38

XVIII. *Totius SS. Trinitatis opus erat Conceptio Mariæ; ideo fuit à peccato præseruanda.* 40

XIX. *Maria est porta, primùm aperta à SS. Trinitate: hinc magis Gratiæ filia, quàm Naturæ.* 43

XV. *Immaculata Virginis Conceptio est tertius murus ciuitatis Ierusalem; item Terra noua, recenter inuenta.* 45

XXI. *Montes sancti, in quibus fundatur Conceptio immaculata, sunt tres personæ SS. Trinitatis.* 48

XXII. *Mons sanctus, in quo fundatur immaculata*

maculata Conceptio, est Ecclesiæ authoritas. 50

XXIII. *Montes sancti, in quibus fundatur immaculata Conceptio, sunt Angeli & Apostoli.* 54

XXIV. *Montes sancti rursùm sunt Scriptura, Prædicatores, & Doctores Ecclesiæ.* 56

XXV. *Mons sanctus item rationes Theologicæ.* 59

XXVI. *Mons est communis Ecclesiæ consensus & miracula.* 62

XXVII. *Vita B. Mariæ virginis vel momento superstes probat immaculatam eius Conceptionem.* 67

XXVIII. *Ex eo quod humana natura præcedat Angelicam gratiæ dignitate, probatur immaculata virginis Conceptio.* 69

XXIX. *Immaculata Conceptio probatur virginis ipsius & Dei Iudicis testimonio.* 72

XXX. *Aliud Christi & virginis testimonium, vnde colligitur immaculata virginis Conceptio.* 76

XXXI. *Quid vtilitatis creaturæ acceperint per immaculatam virginis Conceptionem?* 77

XXXII. *Quid vtilitatis acceperit Dei Ecclesia per immaculatam virginis Conceptionem?* 80

XXXIII. *Non solùm non tollere Christo Redemptoris titulum immaculatam Conceptionem virginis Mariæ, sed eum sine hac non satis gloriosè existere.* 82

XXXIV. *Singularem fuisse virginis Deiparæ præ cæteris mortalibus redemptionem.* 84

XXXV. *Non comprehenditur virgo Maria propositionibus generalibus omnes obligantibus ad peccatum.* 89

XXXVI. *Vtrum doctrina asserens immaculatam Conceptionem Deiparæ Virginis, possit ab Ecclesiâ definiri?* 88

TRACTATVS II.
DE NATIVITATE
B. Mariæ Virginis. pag. 92.

CAP. I. *Litterarum & Librorum mirabilis & vtilis inuentio; sed mirabiliores & vtiliores libri quos Deus scripsit, qui sunt, primò Liber prædestinationis & idearum diuinarum, 2. Liber creaturarum, 3. Scripturarum, 4. Liber exempli.* 94

II. *Non absurdè, sed bonâ allegoriâ per Librum generationis intelligi B. Mariam virginem, authoritate & ratione probatur.* 101

III. *Ostenditur quod in D. Virgine habeamus omnia, quæ libri ab omnibus scripti suppeditant: vel enim sunt historia, vel doctrinæ, vel catalogi: quæ omnia virgini conueniunt.* 103

IV. *Virgo Deipara est liber vitæ.* 107

V. *Secundus liber à Deo factus, est mundus. Ostenditur Virginem mundum esse.* 108

VI. *Maria Scriptura est, & idea vitæ Christi.* 112

VII. *D. Virginem esse nouum librum, seu tabulas nouas, inducto veteri debitorum nostrorum chirographo.* 115

VIII. *Varij ex Scriptura discursus & similitudines, quibus virginis Deiparæ natiuitas illustratur.* 117

IX. *Arbores genealogicas & omnia superbiæ fundamenta perire: humilitatem verò à Deo exaltari.* 130

X. *Quid generis nobilitas ad laudem Virginis contulerit.* 134

XI. *B. Maria Virgo vltima rerum creatarum linea, per quam optimè eius quasi infinitudo explicatur; & pulchritudo eius laudatur.* 137

XII. *Ad creaturas omnes, etiam inanimatas, gaudium peruenit ex natiuitate B. Mariæ virginis. Ad verba:* Natiuitas tua Dei genitrix virgo, gaudium annunciauit vniuerso mundo. 141

TRACTATVS III.

DE PRÆSENTATIONE

B. Mariæ Virginis in Templo. pag. 146.

CAP. I. *Confirmatur & narratur Præsentationis historia.* 146
II. *Contra hæreticos ostenditur non refutata à Christo laus, quam mulier Euangelica tribuit Deiparæ, sed intensa. Probaturq;, Virginem Mariam magis laudandam ob Præsentationem, quàm ob partum diuinum.* 149
III. *Laudatur breuiter Euangelica hæc mulier. Deinde responsio Christi per locum Canticorum:* Quàm pulchri sunt gressus tui &c. *explicatur.* 151
IV. *Pergitur in eodem discursu, & quidam affectus à virgine Deipara in hoc mysterio exerciti attinguntur.* 153
V. *Virgo Deipara fuit prima virginitatis fundatrix.* 156
VI. *Quare Virgo Deipara ad templum fuerit deducta, in eoq; educata?* 158
VII. *Beata virgo Maria fuit templum Dei, & omnem gloriam templi Salomonis ad se transtulit.* 160
VIII. *Prosecutio eiusdem discursus, quo virgo Deipara templo comparatur.* 193
IX. *Quid in templo egerit virgo Deipara?* 165
X. *Quid Mariæ ad virginitatem contulerit educatio in templo, & solitudo?* 167

TRACTATVS IV.

DE ANNVNTIATIONE

B. Mariæ Virginis. pag. 169.

CAP. I. *Aduitui Dei comparatur Incarnationis mysterium.* 170
II. *Incarnationem antonomasticè dici* Opus Dei, *quod ille vtrâque manu Misericordiæ & Potentiæ elaborauit. Hîc de dexterâ Misericordiæ.* 172
III. *Quomodo Deus in Incarnatione, sinistræ, id est, Potentiæ artem ostenderit.* 174
IV. *Exponitur secundùm litteram prophetia Malachiæ 3. de festo Annuntiationis & Incarnationis mysterio.* 176
V. *Virgo Deipara est templum sanctum, ad quod per Incarnationem diuertit Dominator Dominus.* 176
VI. *Virgo Deipara est Ciuitas Dei glorioſissima.* 183
VII. *Maria, est Ciuitas Solis.* 187
VIII. *Deus hodiernâ die fecit ex mendacio veritatem, ex peccato virtutem, ex ignominiâ gloriam.* 188
IX. *Præcipuam Mariæ laudem consistere in virginitate: ideo omissis omnibus Deiparæ*

Deiparæ titulus, Angelus dicitur missus ad Virginem. 190
X. *Christus Dominus præcipuè humilitatis est filius.* 192
XI. Turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. 194
XII. *Constans Mariæ in virginitate propositum non est rebellio, sed conformatio suæ cum diuinâ voluntate. Ad verba:* Virum non cognosco. 195
XIII. *Animi tranquillitate est opus, vt recipiatur Dominus. Ad verba,* Ne timeas Maria. 196

TRACTATVS V.

DE VISITATIONE

B. Mariæ Virginis. pag. 198.

CAP. I. *Licet tanta fuerint Mariæ gaudia in Incarnatione Filij, quanta non sunt Beatorum: non tamen ijs absorbetur, sed exurgit ad gaudia accidentalia percipienda.* 199
II. *Obedientiæ celeritatem docet Maria in Visitatione.* 200
III. *Incertum quâ viâ & ad quam Ciuitatem se Virgo contulerit: sed certum est eam ferri celerrimè ad omnes qui eam concupiscunt.* 202
IV. *Duplex visitatio Dei, quâ homines visitat, exponitur.* 203
V. *Visitationes mundi, diuinis prorsùs contrariæ, non sunt admittendæ, neque voces eius audiendæ.* 206
VII. *Præcepta Dei grauia non sunt, sed peccata grauant: hinc iusti festinant ad bona: peccatores tardant conuerti,* 208
VII. *Visitatio & salutatio virginis fuit in Ioanne causa sanctificationis. Humilitas in titulis, signum salutis aduenientis,* 209
VIII. *Magna in domo Zachariæ fuit lætitia ob S. Ioannis Baptistæ liberationem à peccato, ita vt videantur institutæ fuisse solemnes choreæ,* 212
IX. *Per visitationem B. Mariæ virginis, Iustitia & Pax conciliatæ sunt.* 213
X. *In verba:* Exclamauit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres. 215
XI. *Et ait Maria:* Magnificat anima mea Dominum, *&c. Cantici istius præstantia, & interpretatio.* 218

TRACTATVS VI.

DE EXSPECTATIONE

B. Mariæ Virginis. pag. 220.

CAP. I. *Desiderare, est proprium solis pauperibus. Hinc duo inferuntur paradoxa: B. Mariam virginem rerum temporalium ditissimam; spiritualium verò pauperrimam fuisse. Discrimen inter paupertatem spiritûs, & vulgarem inopiam.* 221
II. *Definitio diuitiarum & paupertatis: hæc consistit in desideriis, quod proprium*

est

est hominis peculium. Ars illud bene impendendi. 224

III. *Desiderium motus est, perinde tendit ad centrum: non sunt illud diuitiæ, honor, aut voluptas, quia hominem nequeunt conseruare.* 229

IV. *Centri est quietem præbere, & appetitum satiare: non faciunt hoc mundi bona, sed habita vilescunt. quod confirmatur Amnonis & Amani exemplis.* 233

V. *Cælestia desiderantur cum delectatione: terrenorum desideria cruciant. Cælestia item nemo potest inuito auferre.* 238

VI. *Omnium optima desideria fuerunt B. Mariæ virginis, maximè ea quibus Messiam expetijt.* 243

VII. *Solum Deum desiderauit Maria tam feruenter, vt eum ad se pertraxerit: omnium antiquorum in eo desideria superauit, incipiendo à primo Conceptionis momento vsque ad ipsam Incarnationem.* 246

VIII. *Post Incarnationem maiora Virginis desideria.* 252

TRACTATVS VII.
DE PVRIFICATIONE
B. Mariæ Virginis. pag. 252.

CAP. I. *TRibus legibus obedit Maria, quibus minimè tenebatur: tum propter verba legum; tum quòd careret mulierum infirmitate, quia virgo; virginum sterilitate, quia mater: matrum immunditiâ, quia Deipara.* 253

II. *Licet verbis suis lex non excepisset Beatam virginem, tamen non obligabatur eam adimplere. 1. quia lex illi erat obseruatu impossibilis, 2. quia in ipsâ causa & finis legis, 3. quia sponsus eam dehortatur ab eius obseruatione, cui ita respondet Virgo vt persistat in proposito eam adimplendi.* 259

III. *Rationes variæ, quæ virgini Deiparæ persuaserunt ne purificationem, & sub eâ peccatricis speciem declinaret.* 261

IV. *Vt templum honoraret, id purificanda adiuit Virgo. Ex occasione dicitur in eos, qui templa fabulis inhonorant.* 265

V. *Legem præterea deficientem honorauit, & quodammodò pro eâ fideiussit Maria, dum eam in Purificatione obseruat.* 270

VI. *Exercitium virtutum in Purificatione spectabat Virgo, præcipuè Humilitatis & Obedientiæ.* 273

VII. *Iter Virginis ad templum, in eo & summum sacrificantis gaudium mox in tristitiam incomprehensibilem commutatum.* 277

VIII. *Redemit Filium suum nobis Virgo, licet tot sibi dolorum causam. Explicatur & quomodo animam eius pertransierit doloris gladius.* 280

IX. *Impleti sunt dies Purificationis Virginis: implentur etiam dies purificationis nostræ, quâ vitia deseramus, & primogenita nostra Deo offeramus.* 282

TRA-

TRACTATVS VIII.

DE ASSVMPTIONE

B. Mariæ Virginis. pag. 285.

CAP. I. *CORporis post mortem corruptio, est quasi purgatorium eius, proter rebellionem eius, quam exercuit contra spiritum: in Maria autem, vbi rebellio non fuit, nulla fuit corruptio.* 287

II. *Variè rursùm probatur Corporis Mariani incorruptio.* 290

III. *De morte B. Mariæ virginis. Eam mortuam esse, & quibus de causis mori voluerit.* 293

IV. *Quomodo, & quo morbo Virgo obierit.* 297

V. *Dolor ex morte D. Virginis, & eiusdem consolatio: sepultura corporis: Angelorum erga illud obsequia: resurrectio.* 299

VI. *Triumphi & gloriæ in Assumptione magnitudo æstimatur ex hospitalitate, quâ Virgo excepit Filium.* 305

VII. *Gloriæ, quam Virgo assecuta est, magnitudo, ad meritorum eius mensuram exigitur.* 311

VIII. *Eadem Gloriæ magnitudo triplici ratione probatur.* 215

IX. *De visione beatificâ B. Mariæ virginis.* 316

X. *Triumphus B. Mariæ virginis ascendentis in cælos.* 320

XI. *Certamen Marthæ & Mariæ. Hîc earum nomine Intellectus & Voluntas producuntur, certantq; coram Christo Iudice de præeminentiâ.* 323

XII. *Rursùm sub Marthæ & Mariæ nomine, Anima & Corpus, ac tandem Militans Ecclesia & Triumphans in arenam descendunt.* 327

TRACTATVS IX.

DE FESTIVITATE

B. Mariæ Virginis ad Niues. 331.

CAP. I. *OCcasione miraculosæ historiæ huius Festi, agitur de natura & diuisione Miraculi.* 332

II. *Festi præsentis historia, cæteraque in templo Mariæ ad Niues patrata miracula commemorantur.* 334

III. *Historia Festi & Euangelij consentiunt in extollendâ virgineâ Mariæ fœcunditate. Quomodo hæc sit per Niuem significata.* 337

IV. *Omnis laudis Marianæ compendium verbis ijs continetur*, Beatus venter qui te portauit: *quia tangunt virginalem fœcunditatem, & beatitudinem, tum eam quam Virgo in se habet, tum illam quam nobis confert;* 339

V. *Virgo Deipara non tantùm mater est Christi, sed etiam mater fidelium: id quod in ea laudat Christus Dominus in Euangelio.* 341

VI. *Nix miraculosa repræsentat Virginem, miraculorum miraculum, & miraculorum officinam.* 343

VII. *Conciliantur duo loca Prouerbiorum de niue æstiuâ; & quantâ consolatione hæc Ioannem Patricium affecerit ostenditur.* 346

VIII. *Venter B. Mariæ virginis sumentibus sacram Eucharistiam est Clibanus, Nauis, Mensa, & Crater tornatilis.* 347

IX. *Beatitudo vteri Virginei comparatur beatitudini cæli.* 349

X. *Maioris consanguinitatis esse cum Christo, audire verbum Dei, quàm eum corporaliter parere. Ad verba:* Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. 352

APPENDIX: SIVE TRACTATVS DE NOMINE MARIÆ. 355.

CAP. I. *QVid ista vox* nomen *significet.* 356

II. *Vnde nominibus sit vis significandi.* 391

III. *Ad quos spectet rebus imponere nomina.* 363

IV *Quando & à quibus soleant infantibus nomina imponi.* 365

V. *Virgini Deiparæ nomen à Deo fuisse impositum.* 367

VI. *Cur Scriptura non prodat nomen Virgini Deiparæ datum esse à Deo; item cur Patres antiqui id ignorauerint.* 370

VII. *Probatur Deum imposuisse nomen Virgini Deiparæ.* 372

XI. *Sanctissimum nomen Mariæ significat omnes omninò alios Deiparæ titulos, & melius eam refert qualibet imagine: ideo super omnes venerandum.* 385

XII. *Etymologiæ variæ nominis Mariæ.* 388

XIII. *Mariæ nomen continet nomina sacrosancta Iehouah & Iesus; item significat eadem quæ vox Deus. & de prima eius ratione etymologicâ, quæ est,* Deus ex genere meo. 390

XIV. *Nomen Mariæ significat Dominam.* 393

XV. *Nomen Mariæ, illuminatam & illuminatricem significat.* 396

XVI. *Proprietates lucis Virgini Deiparæ applicatæ.* 399

XVII. *Aliæ lucis proprietates B. Mariæ virgini applicatæ.* 401

XVIII. *Non tantùm Virgo Deipara, sed etiam nomen eius, lux est & lumen.* 403

XIX. *Speculum & parelion est nomen Virginis.* 406

XX. *Nomen Virginis significat Stella maris.* 408

XXI. *Cur Beata Virgo sit stella maris.* 410

XXII. *Crebrò inuocanda Stella maris Maria.* 414

XXIII. *Nomen Virginis mare amarum exponitur.* 416

XXIV. *Maria significat pluuiam.* 419

XXV *Maria est myrrha maris.* 420

XXVI. *Quid sancti Patres de nomine Mariæ pronuntiauerint.* 423

XXVII. *Nomen B. Mariæ est prophetiæ germanum.* 425

XXVIII. *Mariæ nomen est renascentibus salutare.* 427

XXIX. *Nomen B. Mariæ est virtutis insigne.* 430

XXX. *Mariæ nomen est pudicitiæ decus.* 436

XXXI. *Mariæ nomen indicium est castitatis.* 439

XXXII. *Nomen Mariæ est Dei sacrificium.* 441

XXXIII. *Nomen Maria est virtus hospitalitatis.* 444

XXXIV. *Mariæ nomen est collegium sanctitatis.* 448

XXXV. *De triplici vi operandi quæ inest nominibus: & quid primâ, secundâq; præstet nomen Virginis.* 449

XXXVI. *De vi supernaturali nominis Mariæ.* 452

XXXVII. *Vtrum maiorem habeat efficaciam* IESV *nomen, an* MARIÆ. *Hîc potissimùm de potentia naturali.* 455

XXVIII. *Resoluitur, vtrum nomen sit absolutè potentius,* IESV *an* MARIÆ. 457

XXXIX *Quos præcipuè effectus habeat nomen* IESV. 460

XL. MARIÆ *nomen reficit lassos.* 462

XLI. MARIÆ *nomen sanat languidos.* 466

XLII. MARIÆ *nomen illuminat cæcos.* 670

XLIV. MARIAE *nomen penetrat duros.* 470

XLV. MARIAE *nomen extrudit iugum Diaboli.* 474

XLVI. *Nomen* MARIAE *resuscitat mortuos.* 476

FINIS.

ERRATA TYPOGRAPHICA.

PAg. 19. *a.* dele primum versum.
pag. 25. *b.* in marg. commuta locum *Zachar.* 2. cum *Eccli* 24.
pag. 33. *a.* vers. 43. indigaretur. l. indignaretur.
pag. 37. *a.* vers. 30. præcan tio. l. præcautio.
pag. 47. *b.* vers. 33. *Post hos Alex. Alensis.* dele. *Alex. Alensis*: & pone hoc nomen versu præcedenti, ante *Varron* &c.
pag. 88. *a.* vers. 43. sentent-iam, l. sententia iam.
ibid. b. vers. 33. denitionem, l. definitionem.
pag. 94. *a.* vers. 26. què- l. quæ,
ibid. b. vers. 45. quibusquam. l. quibusdam.
Pag. 112. vers. vlt. dedicerit l. didicerit.
pag. 169. *a.* vers. 5. concutia, l. concutiar.
pag. 190. *b.* vers. 33. fui, terræ. l. fuit terra.
ibid. vers. 40. ex viro & casta. l. ex viro & costa
ibid. vers. 41. concursa. l. concursu.
pag. 191. *b.* vers. 9. accensus. l accessus.
ibid. vers. 19. lege hâc distinctione: videbat claudi aditum omni creaturæ; desuper &c.
pag. 197. *a.* vers. 8. veteretque l. vetaretque,
ibid vers. penult. Aut sit l. Cui sit.
pag. 198. vers. antepen. Abducat l. adducat.
pag. 220. *b.* vers. 13. Iothicæ l. Gothicæ.
pag. 222. *a.* vers. 24. qui l. cui.
ibid. b. vers. 24. & fortunâ l. à fortunâ.
pag. 267. *a.* in marg. imprudentia. l. impudentia.
Pag. 274. *b.* vers. 4. à fine: *Mariæ Dei. l. Matris Dei.*
pag. 275. *a.* vers. 32. Spiritu S. l. Spiritui S.
pag. 276. *a.* vers. 45. l. expedita, integra, sine tergiuersatione.
pag. 288. *b.* vers. 33. quod corporis. l. quod de corporis.
pag. 293. *a.* vers. 28. quem l. quam.
pag. 342. *b.* vers. panopaliâ. l. panopliâ.
pag. 440. *a* in marg. Angelus l. Euangelista.

Reliqua per se corriget Benignus Lector.

SVM-

SVMMA PRIVILEGII REGII.

PHILIPPVS, Dei gratiâ, Hiſpaniarum & Indiarum Rex Archidux Auſtriæ, Dux Burgundiæ & Brabantiæ &c. Comes Flandriæ &c. diplomate ſuo ſanxit, ne quis Librum, cui titulus eſt; HORIZON MARIANVS, *ſiue de excellentiâ & virtutibus B. Mariæ Virginis*, Auctore Magiſtro FR. BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS ET ALARCON, Ordinis S. Auguſt. Religioſo, S. Theol. Doctore, & in ſacellis Regijs Burgundiæ & Caſtellæ ſuæ Maieſtatis Catholicæ Concionatore, Latinè, Gallicè, aut Flandricè, præter Authoris voluntatem intrà decem annos imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has inferioris Germaniæ ditiones importet, aut diuendat; qui ſecùs faxit, præter librorum confiſcationem, ſex florenorum Carolinorum illatione pro quoque libro mulctabitur, vt latiùs patet in litteris datis Bruxellæ 7, Februarij 1645.

Signat.

Loyens.

EGo ſupranominatus M. FR. BARTHOLOMÆVS DE LOS RIOS ET ALARCON, Regis Catholici Concionator, permitto GVILIELMO LESTEENIO Typographo Antuerpienſi, vt ſemel tantùm excudat hunc librum à me compoſitum, cuius titulus eſt, HORIZON MARIANVS, *ſiue De excellentiâ & virtutibus B. Mariæ Virginis*. Datum Bruxellæ in Conuentu S.P.N. Auguſtini, 3. Ianuarij 1647.

APPRO-

APPROBATIO

LEgi accuratè Librum, qui inscribitur HORIZON MARIANVS, siue de excellentiâ, virtutibus, & nomine B. MARIÆ Virginis, in decem Tractatus distributum, compositum à R.do admodum & Eximio Patre Magistro nostro F. BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS ET ALARCON S. Theologiæ Doctore, & suæ Maiestatis Catholicæ in Sacellis Regijs Burgundiæ & Castellæ ordinario Concionatore, Ordinis S.P.N. AVGVSTINI nuper Diffinitore, & Capituli Prouincialis Præside: vbi omnes Diuæ Virginis solemnitates mirâ eruditione explicat. Opus haustum ex ipsis S. Scripturæ visceribus, & ex Sanctorum Patrum doctrinâ mirè illustratum. Quocircà dignissimum iudico quod in lucem prodeat, ad vtilitatem interpretum Theologorum & Concionatorum, ac præcipuè ad commendandum & propagandum Diuæ Virginis MARIÆ honorem & gloriam. Datum Bruxellis in Conuentu S.P.N. Augustini, V. Maij, M.DC.XL.

Fr. Cyprianus de Lobel, Sacræ Theologiæ Doctor ac Professor, Ord. S.P. Augustini.

LICEN-

LICENTIA ORDINIS.

VT HORIZON MARIANVS, siue de excellentiâ, & virtutibus, B. MARIÆ Virginis, Tractatus nouem, vnà cum Tractatu de Nomine MARIÆ Auctore R. admodum & Eximio Patre Magistro BARTHOLOMÆO DE LOS RIOS ET ALARCON, Ordinis Eremitarum S. Augustini, S. Theol. Doctore Duacensi, &c. publico S. Scripturæ Interpretum, & verbi diuini Concionatorum bono, typis expressus in lucem prodeat, pro parte muneris nostri, facultatem concedimus. Datum Bruxellæ XXII. Februarij M.DC.XLV.

F. Ioannis Riuius, S. Theol. Doctor, Ord. Erem. S. Augustini per inferiorem Germaniam Prior Prouincialis.

CENSVRA.

SErmones Admod. R. & Eximij Patris Magistri nostri BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS, Ord. Eremit. S. Augustini, S. Theol. Doctoris, in decem Tractatatus distributi, & doctè concinnati, nonnisi maiorem Deiparæ Virginis laudem & honorem asserentes, ad augendam populi deuotionem & cultum erga eandem Deiparam promouendum vtiliter imprimentur. Antuerpiæ 2. Ian. 1647.

Christianus Voochts, S. Theol. Licent. Can & Archipresbyter, Librorum Censor Antuerpiens.

TRA-

TRACTATVS DE IMMACVLATA CONCEPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.
Matthæi 1.

CAPVT I.

Cur dies immaculatæ Conceptionis B. MARIÆ Virginis celebretur, & à quibus.

CVM mysterij, quod hodie celebramus, splendor & dignitas ex vetere contrà existimantium opinione, veluti diei serenitas ex matutinâ nebulâ intendatur; nihil contra officij mei debitum egisse videbor, si à propositâ per Ecclesiasticum controuersiâ sermonem exordiar. Petit ille Eccli. 33. capite: *Quare dies diem superat?* Non disputat, opinor, cum Astrologis: qui facilè ex flexu balthei, cælum illustri duodecim signorum varietate ambientis, atque ex cursu solis per mediam eius eclipticam contra mundi totius volutationem particulari motu tendentis rationem dabũt, cur impar dies diem excedat vel spatij longitudine, vel tempestatis amœnitate: sed potiùs, reor, cum populo more suo & ex officio agit Ecclesiasticus, peritq; cur ipse dies alium præ alio festũ habeat, modò se lætitiâ quadam singulari exhilarans, modò ad vitæ labores, tristioresque cogitationes quasi ex condicto sese conuertens. Neque hoc ita interrogatur ab eo, tamquam si difficilis esset responsio; sed vt ipsâ quæstione ad contemplandum festiuitatis, quæ celebratur, mysterium, animum nostrum aduertat.

Eccli. 33.

Nam si de conceptionum diebus quæratur, cur alius alium superet? quid pronius est, quàm respondere, eam celebrandam, in qua conceptus infans singularibus donatus est priuilegiis; eam verò infaustam esse, quæ fuerit infanti primo Conceptionis momento insigni aliquâ aduersitate infesta. Audi Iobum 3. cap. execrantem lucem illam, in quâ ipse fuerat peccati originalis labe, hoc est, tot malorum suorum origine, commaculatus: *Pereat*, inquit, *dies; in quâ natus sum & nox in quâ dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras,* Iob 3.

bras, non requirat eum Deus desuper, nec illustretur lumine, obscurent eum tenebræ & vmbra mortis, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Sit nox illa solitaria. Et merito tot dicterijs proscinditur ea lux, quæ viro tam illustri stigma peccati inusserat; quod posteà non vel tam acerbâ totius corporis prosciſſione deleri debuit. An non peiora dicenda forent in hanc noctem? an non acrioribus stimulis impetenda dies illa, quâ dictum est, concepta est Maria; si quidem illam cæli terræque Reginam, illam generis nostri gloriam, illam Dei genitricem turpissima peccati originalis macula conspurcasset? Pereat, inquam, pereat dies illa si qua sit, in quâ dici potuit, concepta est in peccato originali Maria. Dies illa vertatur in tenebras, non requirat eam Dominus, nec commemoret humilis B. Mariæ famulus: vertatur potiùs in tenebras obliuionis, ne qua existat tanti dedecoris nostri recordatio. Peioribus sanè diris deuouerem eam lucem, si qua esset conscia peccati illius, quod Christus tam facilè potuit, & tam ardenter voluit auertere à Mariâ, vt eam Deo Patri exhiberet filiam, sibi matrem, Spiritui sancto sponsam, nullam habentem maculam, neque rugam. Sed cùm nulla lex tam infesta fuerit Deo, matri Dei, Angelis, nobis, creaturisque vniuersis, quæ omnibus asperserit per commaculatam Virginis conceptionem infamiæ labem; potiùs vertendus est stylus, dicendumque, cur dies Conceptionis B. Mariæ Virginis, dies omnes Conceptionum superet? quia nimirùm tunc *habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Festum habebant Iudæi diem illum, quo Mardochæus, impetrato edicto, quo destruebatur cruentum Amani edictum, egrediebatur de palatio & de conspectu Regis, fulgens *vestibus regijs, hyacinthinis videlicet & aëreis, coronam auream portans in capite, & amictus serico pallio atque purpureo.* Tunc Scripturâ testante, *omnis ciuitas exultauit, atque lætata est. Iudæis autem noua lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium* Figura sanè, si qua alia, Festi hodierni, & ratio cur gaudere & exultare in eo oporteat. Egreditur enim hodie, non Mardochæus, pater adoptiuus Reginæ; sed Regina ipsa Virgo Maria, æterni Dei mater, de palatio, & de conspectu Regis (nam de summo cælo egressio eius) fulgens vestibus regiis, hyacynthinis videlicet & aëreis iustitiæ originalis, coronam auream innocentiæ, (quam Adamus gesserat dum omnia ei subiiciebantur) portans in capite, & amicta serico pallio atque purpureo multiplicium gratiarum, de quibus dicitur: *Astitit Regina à dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Quis non exultet & lætetur? cui non videatur lux noua oriri? quis non gaudeat & tripudians subsiliat, videns & in manibus eius edictum nouum quo destruitur in ea antiquum chirographum peccati originalis, quod latum erat contra omnes, speque aperitur quod à tali innocentiâ proditurus est desideratus cunctis gentibus, qui affiget illud Cruci, exspolians principatus & potestates contrarias nobis, & palàm triumphans eos in semetipso? Lætandum ergo est, dicendumque cum Prophetâ: *Lætentur cæli, & exultet terra ante faciam Domini, quia venit.* Stuporem mortalium arguit quod narrat Apostolus, Patrem, cùm primùm introduceret primogenitum in orbẽ terræ, dixisse: *Et adorent eum omnes Angeli eius.* Potissima erat hominibus gaudendi & adorandi occasio, procedente Filio Dei in carne nostrâ, ac portante in eâ descriptum decretum securitatis nostræ, & vltionis in inimicos nostros: sed ipsi istorum ignari & ingrati, nihilo propterea diem agebant lætiorem. Ne ergo res tanta abiret sine festiuitate, conuocat Pater cælestis Angelos, & adorare facit conceptum Saluatorem. Ne idem in nostram contingat hodiernâ die ignominiam, agendus est dies festus. Cesset ergo planctus, fugiat tristitia, illuminentur qui sedent in tenebris mortis, carceres aperiantur, quia ve-

Cur celebretur dies Conceptionis B. Mariæ Virginis.

Isaiæ 9.

Esther. 8.

Psalm. 44.

nit

nit Domina & Regina mundi, eo ſplendore & gloriâ, quam Mardochæi maieſtas adumbrauit. Lætemur & exultemus, vel propter noſmetipſos, quia venit Saluatoris noſtri mater; vel propter ipſam, quia tanta hodie accepit & tam ſingularia bona. Feſtum diē agamus, quia ab hoc die feſta omnia Dominæ ac Reginæ noſtrę accipiunt ſplendorem & lucem; hodie enim Maria accepit, vti donorum omnium primum, ita omnium cæterorum ornamentum.

Omnia feſta B. Mariæ Virginis, ab immaculatâ Conceptione accipiunt ſplēdorem.

Celebris eſt, & omnium applauſu dignus, natalis B. Mariæ Virginis, quando Aurora iſta, tam longis deſiderata noctibus, hemiſphærio noſtro caput intulit, ſeque viſendam amico cum riſu mortalibus dedit: quando nata eſt illa Dei, tam mirabili adoptionis genere filia, vt admirabiliore generationis modo eius mater efficeretur. Vide autem, an parum lucis inde habeat aurora, quòd nullâ vmquam fuerit obſcurata nube? an parum dignitatis accipiat filia gratiæ, ex eo quòd numquam fuerit iræ; quemadmodum nos fuimus per peccatum originale? Cum gaudio celebramus præmaturam Præſentationem: quia ſcimus Deum odoratum eſſe in odorem ſuauitatis iſtud ſacrificiū, quo tum temporis ſe offerebat illa Virguncula in perfectum holocauſtum: ſed quantam addebat oblationi iſti gratiam, quòd nunquam, prout cæterorum, diabolus eius deliba ſſet primitias? Veneranda eſt Annuntiationis ſolemnitas: quòd tunc ipſa dignitatem iſtam acceperit, quâ maior non poteſt à creato intellectu concipi, nec eo in genere à Deo concedi: verùm non tam digna fuiſſet Dei mater, ſi vnquam fuiſſet ancilla diaboli. In Viſitatione audiuit: *Benedicta tu inter mulieres*: quod neque tam commodè explicaremus, nec tantâ animi lætitiâ recoleremus, ſi fuiſſet in Conceptione ſuâ maledicta, cùm prima mulierum fuerit producta in benedictionibus paradiſi. Purificatio, à quâ, quòd eſſet auguſta, quòd viro intacta, quòd pura & immaculata, quòd integra & incorrupta, & tot alijs nominibus excipiebatur; ſemper celebrabitur, propter eximium documentum humilitatis, quod tum dedit ipſa, reputari volens inter immundas & peccatrices: ſed non haberet tantum ſtuporis hæc eius humiliatio, ſi ſemel re ipsâ fuiſſet inter peccatrices collocata. Denique, Aſſumptio Virginis in cælos, quando ipſa ſuit in throno glorię ſuprà omnes Angelorum Hierarchias exaltata, quantò glorioſiorem habet applauſum, quòd dici poſſit, hunc eſſe triumphum eius, quæ numquam hoſti ſuccubuit? hanc eſſe coronam, quæ numquam inter manus aduerſariorum vacillauit?

Luc. 1.

Nulla ergo Feſtiuitas huic præponenda eſt: ex qua, & per quam, omnium aliarum feſtiuitatum exorta eſt deuotio. Si quis itaque ſit Domini, iungatur mihi; ſi quis Mariæ, huc accedat, celebretque immaculatæ eius Conceptionis feſtiuitatem, dicatque: Numeretur inter feſta ſolemnia dies in qua dictum, Maria concepta eſt, & nox, in qua tanta gratia collata eſt: Sit dies iſte communis lætitiæ: nulla eum obſcuret vmbra aut nebula, quieſcant venti, nulla ſpiret aura infeſtior; nox illuſtretur ardentibus ſtellarum facibus, lunâ non denegante lumen ſuum: hæc ſit conſona omnium laudatio, quandoquidem dies Conceptionis B. Mariæ Virginis feſtum ſit omnium. Nam ij, qui diuinæ ſapientiæ ſcrutantur arcana, hîc campum inprimis habent, vbi ſubtilitatis ſuæ acumen exerceant, vindicentque ab infami ſeruitutis cauterio aſſertricem noſtræ libertatis. Habent perfecti ſpeculum ſine macula, quod Solem iuſtitiæ ſtatim ita ſuſcepit in mente, vt ſemper perfectiſſimam eius retulerit imaginem: petant ergo radios tam puræ lucis ab ea deriuari ad ſe, vt perfectum ſuum vlteriùs perficiatur. Eſt etiam cur peccatores Feſtum hoc dicant ſuum: quandoquidem peccati dominatus tam heroicè & tam gloriosè à Virgine in ipſa ſua origine deſtruitur; & ſperare poſſint fore, vt gratia, quæ tantâ co-

piâ, tamque facili negotio hodie influit in Mariam nullis præcedentibus eius meritis, etiam effluat in se, licet multa sua agnoscant demerita. Etiam Aulicorum non vulgari titulo festum est, festum Conceptionis B. Mariæ Virginis, quæ à S. Ambrosio S. Ambr. 7. epistola, *Aula Regis æterni* vocatur. Non ergo solùm humanitatis exhibendæ studium erit, sed etiam zelus retinendæ suæ dignitatis, si, quando Aula ista primùm erigitur, & in habitationem æterni Regis consecratur, frequenti adsint stipatu, vindicentque eam ab omni suspicione infamiæ & seruitutis. In quo non potest non esse studiosa voluntas considerantium, cætera quidem festa colenda esse de iure quodam & obligatione strictâ, vtpotè, quibus ea celebrentur mysteria, de quibus dubitare sit nefas sub pœnâ infidelitatis: hoc verò immaculatæ Conceptionis festum humanitatis esse erga Mariam, cùm etiamnum sine summo hæreseos sacrilegio, quamuis fortè non sine iudicio exiguæ in Virginem pietatis, dubitare quis apud animum suum possit, an satis sit vndique hæc Deigenetricis in Conceptione puritas confirmata. Cùm ergo vltrò & gratis, vt sic loquar, Virgini Deiparæ laudationem impendimus, speramus largiter ab eâ gratiam infundendam, quâ corroborata faciliùs aduersariorum vires frangat oratio, quam ab ipsâ Euangelij lectione exordiar.

CAPVT II.

B. Maria Virgo est Liber, in quo scripta sunt omnia Euangelij arcana.

VNQVAM de proposito ex vitâ B. Mariæ Virginis mysterio sermonem exordior, quin animus dubio contrariorum affectuum motu distrahatur. Nam si loci huius, ac muneris mei rationem aspicio; ad tradendũ planos quosdã de mysteriis fidei nostræ, cõceptus, ad explicationẽ doctrinæ Euangelicæ, ad tumultuosas vitiorũ reprehẽsiones me obligatũ esse intelligo: si verò affectũ sequor, rapit me ille nescio quo impetu pietatis erga Virginem Deiparam, vt, more SS. Patrum, virtutum eius præstantiam, priuilegiorum magnitudinẽ, splendorem gloriæ, dignitatis eminentiam verbis quibusdam exquisitis, & vibratis cum audaci dictionis acumine sententiis coner exprimere, ardentesque erga Virginem amoris faces mentibus Auditorum iniicere. Quæ dubitatio cùm etiam de festi huius mysterio dicere meditantem retardaret, oblatum est Euangelium, quod modum suggereret affectui, simul & obligationi satisfaciendi: nam verbis illis, *Liber generationis*, (quæ non ridiculâ, vt quidam reprehendunt, metaphorâ, sed commodâ, vt deinde patebit, explicatione de Virgine Deiparâ sumam) ostendit, quomodo propositâ Deiparæ vitâ simul Auditor ad virtutem erudiri, & simul adferri possint sublimes quædam de Virgine cogitationes, quæ in exiguam contractæ sententiam, orationibus ingentibus præbeant materiam: quod tum patebit clariùs, quando primùm *Librum* esse Deiparam confirmauerimus, tum verò statuerimus quis demùm liber ea sit, quóve titulo appellandus. Omitto sublimiora illa, quæ in Hierarchiâ Marianâ tetigimus, Librum esse Virginem Mariam ideò, quia ipsâ Verbum Patris æternum, quod mente diuinâ gestabat absconditum, ratione quadam manifestâ & sensibili receptum sit; non secùs ac verbum mentis nostræ atramento, alterive colori, vt sic loquar, incorporatum, papyroque susceptum, Liber vocatur. Qui conceptus, sancto Epiphanio serm. de S. Maria Deiparâ, S. Ioanni Damasceno orat. 1. de Natiuit. Virg. & Andreæ Cretensi orat. 2. de dormit. Virg. pulcherrimas

Liber est Virgo, in quo scriptũ Verbum Patris.

mas extorsit sententias, quibus librum,& librum generationis appellant Virginem; quas licebit, in Hierarchiâ citatas, huc reuocare. Hic planiora sectatus, ex ipso Euangelio ostendo, Librũ de corde suo effecisse Deiparam. Lucæ enim 2. dicitur: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc in corde suo.* Non opus est vt doceam verbum, quod certo auræ motu formatur, aurâ ipsâ esse fugacius, cùm de eo nemo citiùs dicere possit quod natum sit, quàm quod perierit. Hanc volubilitatem verborum aduertens humana industria, statuensque ex vsu esse, si quæ benè sapienterque prolata essent à sapientibus, diu permanerent, ac posteris etiam traderentur; modum excogitauit, quo verborum fisteret fugam, eaque litteris quibusdam irretita ac colore expressa conseruaret, instrumentaque, quibus sic verba exciperentur, Libros vocauit. Vnde facilè colligetur idem dici à S. Lucâ, quando ait, *Maria autem conseruabat omnia verba hæc in corde suo*; atque si dixisset: Liber autem generationis Iesu Christi, siue Liber Euangelicus, erat Maria, cuius in corde seruabantur omnia Euangelij generationisque Dominicæ mysteria & Sacramenta: ne cum aurâ volante, quâ exprimebantur, vel cum actione transeunte, quâ exhibebantur, & ipsa transirent. Consonat his pulcherrimè S. Ambrosius, qui sublimem, quâ Euangelistarum Aquila præstat super omnes Hagiographos, arcanorum fidei scientiam eo refert, quòd ipse libro hoc familiariter sit vsus, indeque hauserit, quæ cæteri dicere non poterant.

Liber itẽ, in quo scripta pertinentia ad Verbi incarnationẽ mysteria. *Luc. 2.*

S. Ambr. *Quid mirum*, inquit, *Ioannem præ ceteris esse bonum, cùm præstò ei esset liber Sacramentorum?* ac si diceret: Si Ioannes Euangelista suo marte scripsisset ea quæ edidit, vel suo ea excogitasset ingenio; mirandum foret hominem esse, qui tam sublimem haberet de Deo notitiam: sed cùm ei præstò fuerit liber Sacramentorum diuinorum, ipsa scilicet Virgo Maria, in quâ generationis istius inenarrandæ mysterium fuerat conscriptum, & quæ verba omnia ad id pertinentia conseruabat in corde suo; nihil mirum quòd tanta conscripserit Ioannes, qui habebat ante oculos librum, vnde infinities plura describere potuisset. Cesset nunc etiam ista admiratio stupentium, cur Ioannes, qui plura mysteria prodidit quàm ceteri Euangelistæ, solus breuitatem suã ex multitudine scribendorũ excusauerit? Nã in calce Euangelij ipsius legimus: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus; quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundũ capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* An non viderunt Euangelistæ ceteri non tradidisse se omnia, cùm tot sint ab ipsomet S. Ioanne scriptis eorum adiuncta mysteria? Scio stellam à stellâ differre claritate; & Euangelistam alterum ab altero superari, ac super omnes Aquilam volitare, eamque vidisse plura quàm ceteros: cur is, qui plura scripserat, solus breuitatem excusat? Exre gestâ, quam narrabo, tum quæstionis capietur solutio, tum etiam patebit quàm verè liber dici possit Virgo Deipara. Nam cùm singuli Euangelistæ suo marte, assistente, ne errarent, Spiritu Sancto, sua conscripsissent volumina, existimabant se iis vtcumque tradidisse præcipua de Christo Iesu mysteria, quod non haberent vnde plura desumerent, nisi particulariter ipsis à Deo reuelarentur. Itaque vel ipsi, vel Christiani alij deferunt hæc ad S. Ioannem volumina, vt de iis suum ipse proderet iudicium; qui statim inspiciens familiarem sibi, vt S. Ambrosius indicabat, librum, Virginem scilicet Mariam, tam multa in eo videbat vel in primâ eius de incarnatione paginâ, quæ in tribus Euangelistarum libris non reperiebat mysteria, vt calamum sibi assumendum putauerit, cœperitque alta ista de Verbo apud Deum existente, quod caro factum est, intonare. Quæ dum exiguo deduxisset volumine, cerneretque se nondum delibasse eam, quam cernebat in virginali libro, arcanorum infinitatem; subitò calamum deposuit, quibus dixi verbis,

Cur S. Ioannes in fine Euangelij breuitatẽ excuset.

Ioan. 21.

bis, breuitatem excusans; tanquàm si diceret: Quæ iam adiunxi tribus aliorum voluminibus, sufficient ad Ecclesiæ de Capite suo Christo Iesu instructionem, vt his quatuor libris, tanquàm solidissimis columnis insistat, vel non secùs ac quatuor rotis infallibilibus de sæculo in sæculum feratur: nam si omnia prodere velim, quæ conscripta & conseruata in Virginis Deiparæ corde aspicio, orbis terrarum implendus erit libris, nec adhuc capietur tanta mysteriorum infinitudo: ipsa enim est liber ille grandis, de quo Isaiæ 8. *Sume tibi librum grandem*; grandem non mole quantitatis sed materiæ densitate & mysteriorũ multitudine. Stylo enim prorsus diuerso scribunt Deus ac homines: hi multis pauca comprehendunt, ille verò verbis pauciſſimis dicit propemodum infinita. Exemplum est in isto verbo sibi consubstantiali, quo semel dixit omnia, & in B. Mariâ Virgine, cuius in corde exiguo conscripsit tam multa. Deniq; apud Isaiam, vti dicebam; quem iubet pauca conscribere in libro isto grandi, hæc nempe: *Velociter spolia detrahe, citò prædare*; vel vt Hebræa habent compendiosiùs, *Celera spolium*. Non solùm indicans quàm festinauerit ipse spolia (quæ sanè opima referebat aduersarius noster à singulis mortalium in primo Conceptionis instanti) ei detrahere, vt ea posset Mater sua etiam ab ipso referre, & Deo prę seruatori suo consecrare; sed etiam significans hoc mysterium, omnium cœterorum esse compendium, cùm non sit difficile ex immaculata Virginis Conceptione colligere eam, quæ sic exornetur & præseruetur, in Dei matrem præparari, vnde iam resultant omnia Sacramentorum arcana. Constat ergo quod liber sit Virgo Deipara. Restat vt exhorter vnumquemque, dignetur librum hunc diligenter inspicere, reliquos omnes de manibus deponere: exemplo Pomponij istius de quo S. Hieronymus contra Ruff. dicit, quòd nullum vnquam Authorem in manus sumeret, nisi qui esset accuratâ latinitate conscriptus, ne scilicet peregrinæ linguæ barbaries sermonis sui elegantiam vitiaret. Nihil vitij timendum in libro hoc Mariano, fidem facit S. Hieronymus: *Quidquid in Maria gestum est, totum puritas, totum veritas, totum gratia fuit.* Puritas non habet maculam; veritas caret errore; & gratia nos perducet non tantùm ad scientiam, sed etiam ad scientiæ fructum & palmam.

B. Maria Virgo est liber grandis. *Isaiæ 8.*

S. Hier.

CAPVT III.

Liber iste, qui est Maria, optimè Flos Sanctorvm inscribitur.

IAM difficile est aliquando libro titulum præfigere, qui totam eius vim & energiam verbis pauciſſimis complectatur, quàm ipsum conscribere. Vnde mirum non erit, si, qui librum esse Virginem non magno labore probauimus, iidem in assignando libri titulo diutiùs laboremus. Quamquam lectio Euangelica satis indicat, *Florem Sanctorum* dici posse librum hunc Marianum: statim enim mentionem facit Iesu Christi, ac deindè Abrahamum, Isaac cum, Iacobum, cæteroſque ex ordine Patriarchas commemorat, vt tituli istius nos recordemur, quo *Flos Sanctorum* dicitur hic liber. Imò ipsa sibi Virgo inscripsisse videtur eam epigraphen, dum Canticorum 2. ait: *Ego sum flos campi, & lilium conuallium.* Cantic. 2. Hæc enim verba, cum S. Ambrosio, Gregorio Nysseno, & tribus Patribus in eius Commentario, tanquam à Sponsâ prolata accipio: intelligoq; per florem campi, non lilium album, quod nonnisi in hortis cultis nascitur, sed lilium commune, siue violaceum, quod regiũ caput inter ceteros campi flores effert, ac per antonomasiam flos campi: quod concidit cum titulo, quo eam florem Sanctorum dicimus. In ipsâ enim est purpura cariophillorum, hoc est, sanguis Martyrum; candor liliorum, quę

est

est puritas Virginum; cæruleus rosmarini color, hoc est asperitas Confessorum; aurum Heliotropij, hoc est charitas Apostolorum. **Imò** amplius dicit in Canticis Salomon, dum pergit: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Vide an non sit flos Sanctorum, cuius comparatione ipsi spinæ reputantur? imò qui *optimus in eis est, quasi spina de sepe.* I nunc, & Patriarcharũ virtutẽ extolle: Abrahami fidem commemora, in spẽ contra spẽ connixam; quæ non tantùm montes transferendos, sed ipsam rerum naturam immutandam potiùs existimabat, quàm verbum Dei falleret. Lauda Isaaci obedientiam, vitam, totque sibi in vitâ hac chariſſima sine contradictione immolantis. Deindè ad Iosephi castitatem, ad Dauidis mansuetudinem, ad ipsam Sponsi Virginis perfectionem descende, & verbi huius veritatem reperies, *Qui optimus in eis est, quasi spina de sepe.* Omnes peccati originalis gerunt aculeũ, à quo immunem hodiernâ die fuisse contendimus, quæ sola est lilium inter spinas. Nónne vel solâ celeritate nascendi mysterium prodit? Vide rosas floresque ceteros, primùm gemmas emittunt, in tisque moram trahunt; paullatim prodeundo, sensim crescunt, & tanquam si auræ non crederent, quasi explorabundi extrema foliorum protrudunt: diu in carceribus delitescunt, non fidentes Soli ad maturitatem calore suo prouocanti: & licet tandem sese aperiant, latisque foliis gemmeam colorum varietatem ambitiosè ostentent, differendo tamen, multum sibi decoris, hominibus admirationis detraxerunt. At lilium, præcipuam à celeritate gratiam aucupatur: non hîc per tarda molimina frangitur admiratio: quidquid in isto terræ ornamento, plantarumque gloriâ stupes, ferè momento creuit: vide argenteorum foliorum striatos ordines, paullatim in latitudinem se explicantes angustias contemplare: resupina per ambitum labella aspice, delicatissima quæ interiùs sunt fila cerne, & foliorum stantia croceis auLæis capita: denique in lilio totam luxuriantis naturę expensam mirare industriam. Sed hoc maximè inter tot miranda admirare, quod flos ille tanto interuallo ceteris perfectior, tantò omnibus crescat celeriùs, vt eodem tempore nasci & perfici videatur; Symbolum nimirùm istius lilij, quod primo conceptionis momento plures ostentabat cæli fauentis delitias, quam Sancti omnes diuturno sibi labore conquisiuerunt. Facit ad hunc discursum, quod ipse Dominus noster & Magister protulit Matth. 6. dicens: *Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloriâ suâ coopertus est sicut vnum ex istis.* Quâ celeritate inter tot famulorum promptitudinem rex Salomon indueretur, facile est assequi considerando. Celeriùs, inquit, famulantibus cœli influentiis se lilium vestit, & verò ornatiùs; nunquam enim Rex ille ditissimus in tantâ regiæ fortunæ affluentiâ, & omnium deliciarum mollitie, tot exquisitis vestium coloribus radians, ad vnius lilij dignitatem assurrexit. Quid? nónne supra omne vestium artificium nos exhilarat aspectus pulcherrimorum istorum aulęorum, quæ natura, omnium architecta & parens, vbique strauit in suis latisundiis, vt admirandâ formâ & speciosâ varietate colorum, radicis, caulis, ramorum, foliorum, floris, nostros oculos pasceret ac reficeret? & tamen non est in iis, quod ad lilij pulchritudinem accedat. Licet se purpurâ suâ, tanquam imperiali trabeâ, induat cariophyllum, tosmarinus cælesti splendeat togâ, heliotropium aureum sustollat caput, reliqui flores certent inter se decore & varietate; omnes tamen lilio, tanquam florum regi, cedunt; ei decoris, maiestatis, coloriſque, ac varietatis palmam deferunt: vt ea adumbretur, quæ omnium Sanctorum in se continet dignitatem, virtutem, & gloriam. Stephanus se lapidibus sanè pretiosis coronet, Andreas decussatâ trabe superbiat, rotam Catharina sustollat, ostentet

Cant. 2. v. 2.

Mich. 7. v. 4.

Lilium est symbolum immaculatæ conceptionis.

Vt lilium florum, ità B. Virgo creaturarũ vel in ipsâ conceptione princeps. *Matth. 6.*

oſtentet pectines Vincentius, ſub crucis vmbrâ Franciſcus requieſcat, deliteſcat in antro Magdalena, quiſque ſua præferat inſignia; nihil hæc ad Mariæ ornatum: cùm dicere audeam, quod nec Salomon, in omni gloriâ ſuâ veſtitus fuerit, ſicut ipſa. Chriſti enim ornamenta ſunt Sancti ipſi, aut virtutes Sanctorum, de quo dicitur: *His omnibus velut ornamento veſtieris.* Iam non comparatur Salomon, ſed ornatus eius, cum lilio: & ſimili ratione, non conferendo Chriſtum cum Mariâ, ſed totum eius ornatum, qui ex ſanctis, eorumque virtutibus conficitur; dico quod nec Salomon in omni gloriâ ſuâ, quando glorioſiſſimè ſe Patri oſtentat, ſit veſtitus ſicut Maria: longius enim ipſa virtutum ſyrma trahit quàm Chriſtus, ſi, ſuis omiſſis, ſolas Sanctorum virtutes oſtentet; nec ſolùm de eo tempore loquor, quando tranſacto vitæ curriculo aſſumpta eſt à filio in gloriâ; ſed de ipſo conceptionis momento, quod indicatur verbis: *Non laborant neq; nent.* Reliquas enim virtutes & gratias non ſine labore & mortificatione obtinuit, quemadmodum S. Brigittæ Deipara reuelauit: at gratiam illam quam tam abundanter primo conceptionis inſtante accepit, nullis præuiis operibus fuit merita, ſed ſola dignatione diuinæ liberalitatis iis fuit donata. Hanc ergo gratiam, quam neque laborando, neque nendo acquiſiuit, dicamus omnem Salomonis gloriam ſuperaſſe, vt verè liber hic hodiernâ die primùm excuſus, dici poſſit lilium & *Flos Sanctorum.* Optandum, vt liber hic nobis ſcriptus, fructu ſuo in nobis non careat: quod fiet, ſi eum diligenter inſpiciamus, vitam noſtram ad eum conformemus, & immaculatam Virginis conceptionem immaculato corde & corde celebremus. Omnes præferimus zelum quendam ergo hoc piiſſimum myſterium: ſciendum tamen, neminem poſſe verè amare Virginis conceptionem immaculatam, niſi conetur animum ſuum peccatorum maculis expurgare; quod eſt quàm celerrimè faciendum, eius exemplo, quæ lilij adinſtar, non citiùs orta eſt, quàm fuerit ſancta & immaculata.

Iſaiæ.49.

CAPVT IV.

Maria Virgo eſt Liber bellorum Domini; item volumen noui teſtamenti.

MVLTVM deplorant Scripturæ interpretes iacturam voluminis, quod inſcriptum erat, Liber bellorum Domini: quòd in eo putent ſingulares quoſdam conflictus & inaudita Dei beneficia contenta fuiſſe; quæ iam neceſſariò nos latent, quòd non ſuperſit vnde ea diſcamus, niſi reuelatione diuina, quæ non ſolet communis omnibus fieri, niſi traditione ſacroſanctâ, aut Sacrę Scripturæ voluminibus. Fit mentio libri iſtius Numer. 21. vbi ſic habetur: *Dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet Dominus in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati ſunt &c.* Tangitur hiſtoria, non facilè aliundè, quàm ex libro iſto eruenda: tangit eam Nicolaus Liranus, aitque: Proficiſcentes Iſraelitas inter impedimenta itineris ferè immenſa, non minimum reperiſſe ſcopulos & rupes, non tantùm arduos aſcenſus & minantia cælo cacumina obiicientes, ſed etiam hoſtium inſidias cauernis ſuis abſcondentes: vt quâ deſperatione videbatur ad maris rubri littora cum vaſto illo elemento & inſequente Pharaonis exercitu depugnandum, eâdem putarent ſe iam vel ruinis ſaxorum, vel gladiis hoſtium excipiendos. Sed adfuit, qui nunquam ſuos in neceſſitate deſerit, Deus: ingenteſque ſcopulorum minas inclinauit, ſaxorum duritiem perfregit, in hoſtes ſuas conuertit inſidias, & Iſraëlitis inter abruptos hinc inde montes per plana camporum gradientibus amœniſſimum

Numer. 21.

Liran. Hiſtoria Scripturæ mirabilis.

simum simul & commodissimum iter aperuit: hoc est, *Scopuli torrentium inclinati sunt.* Confer nunc historiam, & vide an non sicut in mari rubro, sic fecerit dominus in torrentibus Arnon: non minùs stupendo potentiæ miraculo hîc saxa liquefaciens, vt aquæ adinstar diffluerent; quàm ibi aquas consolidans, vt saxorum in modum vtrimque consisterent? vtrobique inter attonitos parietes medium panditur iter: vtrobique pulcherrimo ordine Dei procedit exercitus: vtrobique temerarij sequuntur hostes; in mari aquis, quæ contra naturam steterant, in terrâ scopulis, quæ per miraculum cadebant, suffocati. Pulchra sanè & admirabilis historia: sed vbinam hanc descriptam reperies, vt accuratiùs circumstantias singulas, quod in rebus gestis maximè delectat, possis cõtemplari? *In libro*, inquit Scriptura, *Bellorum Domini.* at ille periit. periit? imò in Mariâ seruatus est verissimus liber bellorum Domini, licet prior ille, qui figura huius erat, cum bellis suis vmbraticis perierit. Batuebãt in veteri testamento Gladiatores quidam Dei, nec iis vmbraticè pugnantibus diuinum aberat auxilium, vt non tantùm pugna, quæ versis armis tempore Gratiæ erat instituẽda, sed etiam victoria præfiguraretur. Inter cætera narratio vna est insignis, quâ Deus, sicut in mari rubro fecerat, ita etiam fecit in torrentibus Arnon. Vbi autem scripta est hæc? *In libro*, inquit Scriptura, *bellorum Domini.* Quis ille sit liber, Genes. 3. declaratur: *Inimicitias ponam inter te & mulierem; ipsa conteret caput tuum.* Ecce longam seriem bellorum Domini, ipso eius ore publicatam, non alibi descriptam quàm in ipsa illa, per quam gesta sunt, muliere. Cùm enim ipsa virginem pergamenum suppeditaret, liberque, vt probauimus, pulcherrimus existeret, non erant bella hæc in alium coniicienda commentarium, cùm nemo certiùs narrare posset, quàm ea quæ gesserat. Ita Iulius Cæsar sua descripsit bella; de quo Cicero, quòd omnibus scribendi materiam præripuerit. Liber ergo bellorum Domini est Virgo Deipara. quid autem in prima eius, quæ in Conceptione aperitur, paginâ legitur? ex Numer. 21. id colliges: *Dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in mari rubro, sic faciet Dominus in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt.* Quid fecerit in mari rubro Dominus, omnium decantatur calamis & linguis; nec est qui non componat carmen Deo nostro, quòd tam gloriosè magnificatus est in vita sua, quæ tota à primo Conceptionis momento vsque ad crucis triumphum transitu maris rubri significatur. Ecce autem quomodo, priusquam procederet, iniquitatem & culpam, toto terrarum orbe vastissimi maris adinstar diffusam, (quam homines bibebant sicut aquas) cohibuerit, iusseritque stare, ne ipse pedem, quem diuinitas calceabat, iis imbueret, atque ita transiret siccus, vt dicere posset: *Quis vestrûm arguet me de peccato*; siue originali, quod hinc, siue actuali, quod inde consistebat? Hæc certa de transitu isto, &, vti dicebam, ab omnibus decantata. At ignotam magis, non minùs tamen vel certam, vel admirabilem historiam qui nosse cupit, inspiciat Librum bellorum Domini, qui est Maria; inuenietque quod non secùs factum in torrentibus Arnon, quàm in rubro mari contigerit. *Arnon* maledictionem sonat, eam scilicet, quâ percussa nostra mortalitas non citiùs lumen accipit, quàm biberit de torrente maledictionis in via quæ ducit à nihileitatis, vt sic dicam, obscuritate ad hanc essentiæ lucem. Quid autem fecit Dominus, dum ad scopulos hosce torrentis peruentura erat Mater sua? idem quod in mari rubro, per quod transiturus erat Filius suus: virgâ virtutis suæ percussit scopulos, *& scopuli torrentium*, per quos aqua ista maledictionis deuoluebatur in caput omnium concipiendorum, *inclinati sunt*; detorserunt aquas, posuerunt duritiem & inæqualitatem, hinc inde constite-

Genes. 3.

runt ſtupentes quòd Virguncula vna, pede illæſo, inter originalis actualiſque culpæ ingentes minas, ad eſſentiæ principia aſpiraret, & porrò ad vitæ metas pertingeret, canetque cum Prophetâ Regio, Pſalm. 140. *Cadent in retiaculo eius peccatores: ſingulariter ſum ego donec tranſeam.* In tranſitu enim hoc, nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem, creaturam ſcilicet, quæ non niſi talis exiſteret. Stupebat mirabilem hunc tranſitum Habacuc Propheta, dum 3. cap. diceret: *Inclinati ſunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius. Itinera* dicit, quòd duo ita tranſierint, Chriſtus & Maria: vocat autem *æternitatis*, vel quòd ab æterno ita ordinatum erat; vel quòd adeò mirabile ſit hoc iter, vt æternis omninò celebrandum ſit encomiis; vel denique quòd adeò ſit arduum, vt niſi per Deum æternum, æternique Matrem confici non potuerit. Hoc eſt: *Sicut in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon.* Quæ hiſtoria non reperitur vllâ Scripturæ paginâ clarè explicata, ſed tamen ex ea ſatis colligitur, vt vidimus: ſed explicatio eius quærenda eſt *in libro bellorum Domini*, hoc eſt, in ipſa Maria. In virginitate enim ipſius tam ſingulari, in innocentia quæ caruit fomite, in morte quæ non vidit corruptionem, denique in diuina maternitate ſatis apertè ſcriptum eſt eam, quæ tot tantiſque priuilegiis donata fuit, hôc quod omnium eſt fundamentum, non caruiſſe. Legatur diligenter hic liber, & pio affectu, deuotaque contemplatione percurratur; & reperietur quod ſicut *in mari rubro* quando tranſibat Dei Filius, ita factum ſit *in torrentibus Arnon* quando tranſibat Mater Dei ad eſſentiæ ſuæ primordia.

Maria nouum eſt teſtamentum.

Nec ſolùm antiqui Teſtamenti volumen eſt Virgo Deipara, quemadmodum fuit liber bellorum Domini, ſed etiam noui. Ait enim S. Proclus orat. 6. *Ipſa Virgo eſt nouũ noui teſtamenti volumen, per quam ex templò dæmonum vaſtatum eſt imperium.* Quis liber ſit Maria, dicit, nimirùm *Liber generationis Ieſu Chriſti*, quod eſt nouum teſtamentum: ſed difficultas eſt, quòd nec de Virgine liber ſit ſcriptus in nouo teſtamento, nec librum illa ſcripſerit, nec victus fuerit diabolus in Mariæ Conceptione, ſed in morte Chriſti; quia tunc *exſpolians principatus & poteſtates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in ſemetipſo.* ad Coloſs. 2. Verùm animaduertenda ſunt alia Apoſtoli verba, ad Hebr. 9. *Et ideò noui teſtamenti mediator eſt, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant ſub priore teſtamento.* quibus indicat, in veteri teſtamento eſſe recordationem peccatorum, in nouo largitionem gratiarum. Iniuriam facit Teſtamento nouo, qui in eo peccata nominat, niſi ad eorum deſtructionem. Eadem ratione nouum eſt teſtamentum Maria: in aliis vincit peccatum, in hâc triumphat gratia. Sed quid eſt; quod per eam diaboli imperium vaſtatum eſt? Fateor palàm factum eſſe in morte Chriſti, prout Apoſtolus teſtatur. Sed geminо opus erat de diabolo triumpho, quia geminam retulerat de nobis victoriam: priuatam, debellando Euam, in qua non peccarunt cæteri; publicam, debellando Adamum qui per Euam ſeductus erat, in quo omnes peccauerunt. Sic vincendus fuit primò priuatim à Mariâ, per liberationem eius ab omni prorſùs peccato: quâ nos tamen non ſumus redempti; ſed per Mariam ita puram & immaculatam datus eſt nobis Ieſus, qui palàm triumphauit diabolum. Nota autem, quod *ex templò* dicat S. Proclus *vaſtatum eſſe dæmonum imperium*: quia non citiùs concepta fuit, quàm cœperit per gratiam originalem atrium fortis armati deſtruere, eumque inde expellere, vnde poſt primam victoriam nulli ceſſerat: *Vt dicta per fraudem mulier vinceret fortitudine*, dicit S. Rupertus lib. 3. de vict. Verbi cap. 8. *& victoria per mulierem pararetur.*

Pſalm. 140.

Habacuc. 3.

S. Procl.

Ad Coloſſ. 2.

Ad Hebr. 9.

Gemina de diabolo victoria.

S. Rvper.

CAPVT

CAPVT V.

Ostenditur ex peccati originalis fœditate, quàm indignum fuisset, si Virgo eo fuisset contaminata.

LEGERE istum, de quo egimus, librum bellorum Domini, nihil est aliud, quàm Matris dignitatẽ, sanctitatem, puritatemque contemplari: cui, si statim opponas peccati originalis fœditatem, infamiamque, & indignitatem, quæ in Deum, Virginem, Angelos, homines redundaret, si eo fuisset Deipara Virgo contaminata; sponte, quantum puto, licet antè quis repugnasset, feretur, vt cum Ecclesiâ vniuersâ celebret & collaudet Dei Genitricis immaculatam conceptionem. Nam si peccatum originale inspicias & penitùs examines, inuenies vix monstrum horribiliùs in hominum perniciem ac Dei opprobriũ ab orco caput extulisse: diceres certatim dæmonas omnes suum in illud symbolum contulisse, vt prodigium efficerent specie ac formâ tam horrendum, ita efferatum rabie, consiliis adeò sæuum atque crudele. In centum namque diuiditur capita, de quibus dubites quodnam alterum superet deformitate: ardent globorum ignitorum adinstar oculi, dentes nouacularum referunt acumina, guttur vorago est abominationis, vngues ferrei in rapinam aduncantur: exit de faucibus spiritus corruptus, tenebras pestemque, quâ fertur, diffundens: ventris in medio ignis Græcus accenditur, miserè perdens quidquid attigerit: iam voce & vlulatu horrendo mundum agit ante se vniuersum, carceribusque suis sæuissimè coarctat tam accuratâ crudelitate, vt non sit qui manus eius possit effugere. Et quàm putas bellè habet in cauernis suis captiuos mortales? vnguibus & dentibus impetit singulos, primum in oculos vultumque dat impetum, & pulcherrimam Dei imaginem ita deturpat, vt quidlibet potiùs quàm Creatorem suum repræsentet. Quid multa? trahit, raptat, mutilat: nihil integri, nihil synceri, nihil humani, nedum diuini in homine relinquit: eruit oculos, perforat aures, cerebrum exsugit, cor aufert, denique mille modis sic miseros excruciat, vt optatius sit ad ipsos detrudi inferos, quàm in monstri huius manus incidere. Et dubitatur etiam, num decuerit Dei Filium Matrem suam, virginem illam tenerrimam & integritatis suæ magis quàm diuinæ maternitatis studiosam, huic belluæ tradere dilaniandam? Quid? an operæ pretium fuisset, omnia naturæ iura inuertere, ne Maria castissimum corpus viri consuetudine delibaretur, si iam erat anima eius infernalis tyranni violento stupro per peccati huius irrogationem vitiata? An credi potest, Deum, zelatorem istum honoris & gloriæ suæ, hîc fuisse tam negligentem, vt cùm posset integerrimæ sanctissimæque Matris esse & dici Filius, decus illud nihili fecerit, malueritque ex contaminatâ & peccatrîce nasci, quàm ex virgine secundùm animam & corpus incorruptâ? Honorem omitto. Quid amor, qui in Filij istius pectore totâ flagrauit æternitate, an tam lentos suggerebat igniculos, vt cuperet aliquo tempore inimicam habere, quàm, sibi in Sponsam & Matrem elegerat? an non cuperet, cùm posset, eam constanter diligere, quam vnicè deperibat? Rursum, quis existimabit Angelos ita parui factos à Deo, vt, cùm illis Reginam & Imperatricem dare vellet, pænè infinito spatio ex naturæ abiectione eorum nobilitate inferiorem, non prouideret vt sal-

Peccati originalis descriptio.

tem esset libera à peccati infamiâ; ne cogerentur genua sua flectere ante eam, quæ prior diabolo & potestatibus infernalibus fuisset inclinata? Nimis, heu! nimis infamis est peccatoris conditio, quàm vt cadere possit in eam, quam Pater sibi in filiam, Filius in matrem, Spiritus Sanctus in sponsam elegit: quam tota Sanctissima Trinitas in hominum Angelorumque Dominam ac cæli terræque Reginam consecrauit. Peccator enim, si proprijs indigitetur nominibus, nihil est aliud, quàm reiectus à Patre æterno filius, Filij Dei hostis, Spiritus Sancti aduersarius, totius execratio Sanctissimæ Trinitatis: peccator est Angelorum ludibrium, dæmonum mancipium, creaturarum omnium vile reiectamentum: peccator denique abominandum diaboli scortum, & turpissimum inferni prostibulum. I nunc, & tot infamem epithetis mulierculam offer Deo in matrem, Angelis in reginam, creaturis omnibus in caput; & vide an non caput auertent, an non frontem caperabunt, an non manibus pedibusque auersabuntur tantam infamiam. Sed hæc, quæ paullò incitatiùs dicta videntur de peccati originalis fœditate, peccatorisque abiectione & vilitate, resumenda sunt, & stabilienda argumentis certissimis; vt deindè clariùs pateat quomodo & propter Filium, & propter Matrem prorsùs indecens fuerit Deum produci ab eâ, quæ fuisset vnquam peccato isto contaminata.

Peccatoris vilitas.

Explicatur superiùs data descriptio peccati originalis.

Inprimis ergo dicebam peccatum esse infamem dæmonum abortum, protrusum in auram hanc nostram vitalem, vt genus nostrum inficeret. Dixit autem hoc ante me Sapiens: *Inuidiâ diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Hic fuit primus furoris eius impetus, quando præ desperatione versus in rabiem cœpit stolidissimum cum Deo bellum gerere, telaque sua, quæ in Deum sentiebat irrita, in ea quæ Deus maximè diligebat conuertere: & verò tantâ felicitate rem gessit, vt ictu vnico mortem, totque pestes eam comitantes, in sinum Adami & totius posteritatis coniecerit. Quis autem negabit centum capita esse huic monstro, quod in tot peccata pullulat actualia, vt supra arenam maris ea in se multiplicata agnoscat Propheta certè non sceleratissimus? Originale namque peccatum, licet vnicum sit, virtute tamen & quasi in semine continet quidquid vspiam est peccatorum: vti radix infecta veneno, continet trunci, ramorum, foliorum, florum, & fructum infectionem. Iam quàm terribilia sint aspectu ista capita, colligere posset qui diaboli fœditatem aliquando vsurpasset oculis, vel piâ contemplatione diuinitùs illustratus fuisset assecutus: cùm certum sit, omnem eius deformitatem ad fœdum peccati huius vultum non accedere, nec inferni caminum tam pestiferos exhalare fumos, quàm hoc faucibus suis efflat corruptos anhelitus. Græcus ignis ardens in pectore, fomitem illum denotat concupiscentiæ, quæ *inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à gehennâ*: proindeque nullis aquis lacrymarum, nullo labore pœnitentiæ, nullo conatu mortificationis est exstinguibilis; sed iugiter inflammat, exagitatque partem inferiorem nostram, semper noua suggerens incendia quamdiu miseræ huic mortalitati tanquam rotæ pœnali alligati voluimur per varias fortunæ vicissitudines. Captiuum agit ante se mundum, aufert enim Dei præsentiam, intercipit nostram cum eo amicitiam, gratiâ nos spoliat adoptionis & omni iure quo prætendere licebat Patris hæreditatem: statu nostro nos deiicit, & natalium offuscans splendorem priuat nos honore quo dicendi eramus filij Dei, & abiicit in limbi cauernã tenebrosam, vbi sine nomine perituri locũ habemus quãdiu nos eo non expedimus. Crudelitatem, quam ei assignaui, probare non est opus, cùm nimis manifesta, prô dolor! eius circumgestemus indicia:

Sap. 2.

Iacob. 3.

dicia: loquitur enim eam intellectus noſter obſcuratus, voluntas in bonum ſenſibile inclinata, appetitus rationi, ratio legi diuinæ repugnans; & maximè ſimilitudo illa Dei, quæ in nobis erat, mutata in effigiem diaboli. Eſt enim magno Areopagitæ Dionyſio peccatum originale, habitus diſſimilitudinis cum Deo. Hanc ſpeciem peccati originalis contempletur quiſquis dubiâ cogitatione verſat etiamnum mentem, an immaculata fuerit Deiparæ conceptio: & ſecum ſtatuat, an ipſe monſtro tali, quod fœdiſſimo & crudeliſſimo dæmonum eſt turpius & efferatius, ſi eripere poſſet, matrem ſuam traderet dilaniandam ac tum ſuum erga matrem ſuam amorem conferat cum eo, qui totâ æternitate Filium Dei anxijs quibuſdam ſollicitauit ſtudiis, vt Matrem ſibi conficeret digniſſimam atque ſanctiſſimam; nec erit difficile intelligere quid Chriſtus fecerit, cùm, quid ipſe facturus fuiſſet, non dubitet. Nemo iam eſt in Eccleſiâ Dei tam impius, qui non libenter ſanguinis ſui profuſione teſtaretur eam nunquàm fuiſſe vel leuiſſimi peccati venialis labeculâ aſperſam: & nos non tantùm communi adoptione, ſed etiam ſingulari profeſſione pietatis Mariæ filij, ne voce quidem eam à turpiſſimâ peccati originalis maculâ vindicabimus? Non tranſeamus leuiter, ſed notemus huius argumenti vim: nam peccatum veniale non abſtuliſſet Virgini gratiam diuinam, originale eam conſtituiſſet Deo abominationem. Licet veniale admiſiſſet Deipara, non idcircò excidiſſet eminente iſto ſanctitatis gradu, quo iam eam omnes creaturas etiam ſimul ſumptas dicimus exſuperare: per originale verò non tantùm fuiſſet omni ſanctitate vacua, ſed etiam facta eſſet rerum viliſſimarum peripſema. Per veniale non amiſiſſet hominum & Angelorum dominium: per originale facta eſſet dæmonum mancipium. Denique, per veniale non amiſiſſet gratiam adoptionis, nec ius ad vitam æternam: per originale inimica fuiſſet Dei, & rea mortis æternæ. Vide iam, an non operæ pretium fuiſſet per gratias tam ſingulares, & per tot miracula quot habuit vitæ momenta, ſeruare & præſeruare Matrem ſuam & ſponſam à peccato veniali, vt oſtentaret eam Patri & Angelis non habentem maculam vel rugam? Si iam antè ſciuiſſet eam originalis peccati ſordibus à capite ad calcem conſpurcari; profectò quis non videt ipſam fœditatem peccati originalis repugnare ei, quæ neceſſariò in Dei Matre requiritur, puritati; nihil videt. Sed age: alijs etiam argumentis ab eâ hanc maculam remoueamus.

Peccati venialis & originalis collatio.

CAPVT VI.

Probatur immaculata Conceptio ex recitatâ in Euangelio Chriſti genealogiâ.

NOn ſine ſtupore quidam interrogant, cur dicturis de immaculatâ Virginis Conceptione, veluti diſcurſuum fundamentum ab Eccleſiâ traditur Euangelica lectio, in quâ Chriſti Domini genealogia inde ab Abrahamo vſque Ioſephum, putatiuum eius parentem, repetitur; cum potiùs proponendi viderentur parentes Virginis, eiuſque recenſenda nobilitas, vt oſtenderemus eam vbique eſſe illuſtrem, quam vel in ipsâ conceptione contendimus immaculatam? An fortè deerat inſignis Virgini proſapia, per quam poſſet eius genealogia deduci? an non poterat ab Abrahamo per Dauidem & tot Patriarchas, Reges, Prophetas, tandem ad Ioachimum deſcendi, vt eius operâ diceremus, impetrante Angelo, conceptum in venerabili S. Annæ vtero fœtum illum ſanctiſſimum, quem ab omni peccati labe contendimus fuiſſe

præseruatum? Poterat quidem contexi insignis parentum B. Mariæ Virginis arbor, vnde latè splenderet temporalis eius nobilitas, si eam describere voluisset Euangelista, aut Ecclesia hodiernâ luce proponere: sed quodnam inde ad stabiliendum, quod colimus, mysterium, trahi poterat argumentũ? Altiora vidit Euangelista, subtiliora latêre in hac genealogiâ intellexit Ecclesia, quando ille tali ratione cõscripsit, hęc hodie proponit de Christi genealogiâ Euangelium, non aliud de Mariâ Virgine adducens, quàm verba illa, *De quâ natus est Iesus, qui vocatur Christus.* Cùm enim Mariam, non Christum dilaudandum hodiernâ die proponeret; non descripsit naturalem, quam ipsa ad Filium attulit, sed supernaturalem, quam ei Filius dedit, nobilitatem: vt intelligeremus Mariam, veluti clarissimam auroram, non ab astris, quæ nocte totâ præcurrerunt, sed à sole subsequente lucem suam & splendorem mutuare. Quo facto suppeditatur nobis ratio & regula pulcherrima discurrendi de immaculatâ Virginis conceptione: nam qui eam ad aliorum Sanctorum normam exigunt, videntur ex dubia astrorum scintillatione pulcherrimam Auroræ lucem velle componere, cùm potiùs ad Solem respiciendum sit, vt intelligatur quantâ lucis prærogatiuâ hæc omnia, quæ nocte splendere videbantur, obscuret. Ita facit Euangelista, qui Abrahamum, Dauidem, cæterosque viros sanctissimos, qui veteris testamenti obscuritatem velut astra illuminabant, ita commemorat, tanquàm si ad Mariam, quæ verè est Aurora, non pertineant: de hac autem mentionem cùm facit, totus ad Solem conuertitur, dicens: *De quâ natus est Iesus, qui vocatur Christus.* tanquàm si diceret: Vis scire quàm splendida, quàm lucida, quàm immaculata sit aurora? vide cuius Solis sit baiula. Vis disputare de Mariæ puritate, donis, prærogatiuis? nunquàm ad noctem, quam sequitur; sed ad diem, quam præcedit, oculos conuertas: non consideres quàm imperfecti parentes fuerint, vnde ipsa oritur; sed quàm perfecta Mater decuerit eum Filium, quem ipsa genuit, & fortissimum habebis ad omnem puritatem eius argumentum. Micabant quidem vt astra in medio firmamenti omnes eius maiores, & Aurora nostra erat *Clara proauorum titulis, sed incomparabiliter clarior generositate prolis: filia siquidem Regum, sed Mater Regis Regum.* S. Damascenus serm. 2. de natiuit. Virg. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento; dum esset Rex in accubitu suo,* dicitur in Canticis; quod Septuaginta vertunt, *Similitudines auri faciemus tibi,* & Hebræa: *Imagines masculinas faciemus tibi, cum stigmatibus argenti, quoadusque Rex sit in accubitu suo.* Quibus verbis non obscurè alluditur ad hodierni Euangelij sensum, proindè enim est atque si diceret: Faciemus tibi porticus, filia Principis, ornatas veteribus maiorum tuorum imaginibus; his te recreabimus, his splendorem tuum illustrabimus, his nobilitatem tuam mundo prædicabimus: videbis ibi Abrahamum fide certissimâ obarmatum, in spem contra spem obnitentem: videbis Isaacum onustum fasce obedientiæ, ad mortem properantem: videbis Iacob fortitudine, Iudam imperio, Dauidem mansuetudine insignem; parte aliâ Salomon sapientiam, pietatem Iosias, Ezechias iustitiam ostentabit: vndique Patriarchæ, Reges, Iudices suis virtutibus tibi gloriam conciliabunt, *quoadusque Rex sit in accubitu suo,* hoc est dicere, donec Filium ex se natum manibus sacrosanctis excipiet; dicique de eâ poterit, quod sit Dei Mater: tunc enim splendor omnis, quem accipiebat à maioribus, obscurabitur; tunc nebula ista suspicionis de peccato originali, quæ etiamnum imminebat ex eo quòd esset tot peccatorum filia, à Filio tolletur; plusque valebit ad probandam eius puritatem, quod ex oâ natus sit Iesus, quàm valeat ad fundandam suspicionem impuritatis, quod sit filia illustrium quidem, sed inquinatorum parentum. Assumpsit hanc argumentandi regulam S.

Maria aurora non à stellis sed sole accipit lumen.

P. N.

Iustitia postulabat, vt Filius Matrem immaculatam conseruaret.

P. N. Augustinus libr. de naturâ & gratiâ cap. 36. vbi dicit: *Exceptâ Virgine Matre, de quâ cùm de peccatis agitur, nullam prorsùs habere volo quæstionem. Inde enim scimus quod plus gratiæ ei collatum est ad vincendum omne* (nota) *peccatum, quia eum concipere meruit, & parere, quem scimus nullum habuisse peccatum.* Assumpsit eandem S. Cyprianus lib. de cardinalibus Christi operibus, cap. de natiuit. Christi: *Non sustinebat iustitia, vt illud vas electionis communibus lassaretur iniuriis, quoniam plurimum à cæteris differens naturâ communicabat, non culpâ. Matri plenitudo gratiæ debebatur, & Virgini abundantia gloriæ, quâ carnis & mentis integritate esset insignis.* Expende verba, *Non sustinebat iustitia*, ea scilicet, quâ Deus non ex superinductâ obligatione sed ex intrinseca sua perfectione quodãmodò tenetur eo ipso, quo ad statum sublimem aliquem vocat, gratias & dona statui isti conuenientia concedere. Iam, inquit, *Matri plenitudo gratiæ debebatur.* at quæ plenitudo? vt scilicet æquè polleret mentis ac carnis integritate. Et posthæc dicere quispiam audebit, mentem eius fuisse corruptam, cuius carnis puritatẽ etiam sanguinis profusione debet defendere? maximè cum S. Anselmus lib. de Conceptu virginali cap. 18. affirmet: *Decuit Virginem eâ puritate nitêre, quâ maior sub cælo nequit intelligi.* Quis autem non intelligit maiorem puritatem esse, concipi sine peccato originali, quàm eius sordibus primo vitæ instanti contaminari? Iniquè ergo, Patribus iis authoribus, egerit Dei Filius, si Matrem suam siuerit peccati originalis sordibus inquinari, quandoquidem neque iustitia id permiserit, & decentia prorsùs contrarium postulauerit.

S. Augvst.

S. Cypr.

S. Ansel.

Sapientia Filij Dei non permittebat Matrem iniquinari.

Sed iniquitatem omitto. A stoliditate certè, (cuius non minùs incapax est, cùm sit æterna sapientia) non video quomodo eum possint contrà sentientes excusare. Vel dicant, cuius sapientiæ foret, per quatuor annorum millia in vmbra ludere, variis imaginibus Matris puritatem figurare, & in re ipsâ sic esse negligentem, vt propter vnius momenti incuriam tota ista periret gloria puritatis, ita vt non tantùm videre deberet irrita esse tot symbola falsas figuras, testimonia sine veritate, sed etiam audire Matrem suam infamiter conceptam, turpiterque subiectam fuisse diabolo & peccato? Cuius sapientiæ foret, in materiali throno construendo tam esse curiosum, vt vile videretur quidquid non Solis adinstar splenderet; & in animato throno paruifacere, quòd sordibus esset coopertus? An cadere dicemus in Dei sapientiam, velle vt templum corruptibile, in quod erat Arca lignea inferenda, totum auro contegeretur, vetareque ne in eius constructione audiatur mallei sonitus; & intereà permittere, vt templum suum viuum, in quo ipse corporaliter erat habitaturus, incrustaretur peccatorum sordibus, & ædificaretur inter tumultus dæmonum, id omni inquinamento conspurcantium? Quid dicerent de eo alterius opinionis asseclæ, qui pœnâ capitis mulctandum ediceret, si quis præter summum sacerdotem templi adyta ingrederetur; & posteà templum illud, quod prioris magnificentiâ adumbrabatur, sineret dœmonum promiscuo incursu profanari, antequàm id ipse summus Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech ingrederetur? Quid denique dicerent de Rege, qui construxisset sibi palatium, in quo vt opes, sapientiam, maiestatemque suam ostenderet, à primis regni exordiis ideas varias confecisset; deinde longo antè tempore vias eò ducentes, alias marmoreis muniisset ædificiis, alias pulcherrimis ornasset tapetibus, alias viuo arborum pretiosarum hinc inde stipasset satellitio, omnes gemmis & lapidibus pretiosis conspersisset; & interim in ipso palatij aditu, in viâ quâ necessariò ipsi esset transeundum, fimum & sordes reliquisset, quibus necessariò ipse totus contaminaretur, si palatiũ ingrederetur? Nónne ita Deum egisse dicunt, qui post tam

ope-

operosam & sumptuosam Matris suę præparationẽ, eum permisisse dicunt vt peccato originali cõtaminaretur?

S. Augvsr. Audiant S. P. N. Augustin. prudenti ratiocinatione lib. 3. de libero arbitrio cap. 5. ita statuentem: *Quidquid tibi verâ ratione meliùs occurrerit, id scias feciſſe Deum.* Ne ipsi statuere quid audeant, vnde sequeretur Deum ipsum à verâ ratione in re maximi momenti deliraſse: hoc enim necesarium esset dicere, si fuisset tam parum de gloriâ suâ cogitans, vt non videret ex Matris suæ peccato sibi conscisci infamiam;

Eccli. 5. cùm Eccli. 5. dicat Sapiens: *Gloria hominis ex honore parentum, & dedecus filij pater sine honore.* Multò magis dedecus Filij Virginis fuisset, si quando Mater eius fuisset sine honore. Non decebat ergo Filium tam insignem habere Matrem sine honore; ideoque Euangelista volens significare intemaratam Mariæ conceptionem, dicit: *De quâ natus est Iesus*; à quo ipsa omnem dignitatem nobilitatemque trahebat, & ad quẽ redundasset infamiâ, si quâ Matrem eius contaminasset.

CAPVT VII.

Virgo Deipara est imago Dei perfectissima, proindeque immunis à peccato originali.

Sap. 7. CONIVNGIT Sapiens duo, quæ Virgini accomodantur, epitheta: *Speculum sine macula, & imago bonitatis illius*; quæ studioso immaculatæ Conceptionis cultori argumentum suggerere videtur confirmandæ pietatis suæ. Qui enim eam imaginem vocat bonitatis diuinæ, perfectissimam Dei in ipsâ similitudinem agnoscit: qui autem priùs eam speculum sine maculâ esse affirmat, ad hanc similitudinis perfectionem, omnimodam à peccato immunitatem requirit; quæ immunitas an satis ex istâ similitudine sequatur, deinceps videndum. Celebrant sæpius ad gloriam suam illud Dei consilium mortales: *Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram*; quod parenti nostro causa fuit non tantùm adeò præcellentis naturæ, sed etiam iustitiæ originalis, totque eam comitantium gratiarum. Ad similitudinem namque suam *Deus* (de quo Psalmista canit: *Rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo*) *fecit hominem rectum.* id est, prout explicat S. Bernardus serm. 24. in Cant. *sine iniquitate, sicut non est iniquitas in eo.* Ne tamen nimiùm hac imagine & similitudine se exaltet, benè notat Doctor Angelicus 3. p. quæst. 93. art. 1. quod non sit perfecta imago vel similitudo. *In homine*, inquit, *dicitur esse imago Dei, nõ tamen perfecta, sed imperfecta: & hoc significat Scriptura, cùm dicit hominem factum ad imaginem Dei. Præpositio enim* ad *accessum quendam significat, quæ competit rei distanti.* De Virgine tamen Deipara dici posse quod in eâ sit imago Dei perfectissima, eadem Scriptura indicat, quando eam in recto vocat *imaginem bonitatis Dei*; quod de hominibus non dixit. *Maria itaque*, concludit Richardus à S. Victore cap. 39. in Cantica, *suprà homines est, in eo quod nunquàm peccatum commisit, sicut homines: inter quos nullus inuentus qui faciat bonum, & non peccet.* Qui Author, ne solùm putaretur eam peccato actuali liberare, addit: *Supra Angelos quoque est, quia eos puritate supergreditur.* Puritate homines Angelus superabat, ac perfectiùs Dei imaginem referebat; scriptum, est enim de ipso: *Tu signaculum similitudinis*, Ezech. 28. quod plus est quàm si diceretur factus ad imaginem Dei. Præterquàm enim quod præpositio ad, vt diximus, notet accessum, qui competit rei distanti; inter imagines nobilior est illa quæ signaculo exprimitur, quàm quæ penicillo adumbratur; quòd hæc ab artificis imperitiâ, instrumenti vitio, aut colorum ineptitudine

Oeneſ. 1. Homines facti ad imaginem Dei, Maria verò est imago Dei.

Pſalm. 91.

S. Bern.

S. Thom.

Richar. a S. Vict.

Ezech. 28.

tudine sæpè impediatur, quo minùs referat perfectam prototypi similitudinem: *Non variat* autem, confirmante S. Athanasio, *impressa imago ab imprimente signaculo, sed incommutabilis perseuerat iuxtà sculpturam annuli, siue in cerâ, siue in annulo signaculum illud effigiatũ sit.* Iam suprà Angelos est Virgo, quia perfectiùs Deum refert, siue, quia eos puritate supergreditur. Probatum hoc erit, si ad cogitationes prauas Principis eorum attendamus: *Ascendam*, cogitabat ipse, *super altitudinem nubium, similis ero Altissimo. Qui dixit, similis ero*, (inquit S. Bern. lib. de contempl.) *sibi vtique hæc ipsa similitudo omnimodò non videbatur.* At Virgo omnimodam similitudinem acceperat ab eo, qui tam sollicitè eam rogabat: *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*; adeò vt non tantùm subtilissimus Theologorum Parens & sanctissimus Apostolorum discipulus Areopagita pænè dubitauerit, an non esset in Virgine ipsa Deitas; sed Angeli etiam, qui semper contemplantur Dei faciem, hæsitauerint, dicentes: *Quæ est ista, quæ ascendit?* ac si dicerent: Quę est ista tanta Dei similitudo, vt vix appareat vlla distinctio primâ fronte eam intuenti? Non assumpsi probandam hanc Mariæ cum Deo similitudinem, de quâ, si locus esset, verba fortasse mihi non deessent; sed quomodo hæc similitudo, quam nemo negat, inferat peccati originalis immunitatẽ. Pro quo sufficit vnica Apostoli sententia 1. ad Corint. 15. *Sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis.* Super quâ ita discurrit Origenes homil. 2. in Psalm. 38. *Omnis peccator portat imaginem terreni, sed non omnis similiter.* Et post: *Secundùm has igitur diuersitates imaginis terreni, contemplare etiam diuersitatem imaginis cælestis.* Vbi clarè fundat hanc nostram consequentiam: Virgo Deipara fuit creaturarum omnium Deo simillima, ergo nulla magis ab omni peccato fuit remota. Si enim gradatim per peccati commercium descenditur ad imaginem terreni, ijsdem gradibus per fugam peccati ascenditur ad similitudinẽ cælestis. Si ergo Deipara consistit in summo gradu similitudinis, eadem longissimè ab omni peccato recessit. Iam Adamum scimus & Angelos peccati originalis fuisse expertes, vt hi essent signaculum similitudinis, ille referret ad quam creabatur imaginem: quidni ergo dicimus Virginem, quæ tantò Deum referebat perfectiùs, etiam labe hac dissimilitudinis caruisse? Atque hoc est quod, explicante Origene, canit, dum dicit: *Magnificat anima mea Dominum. Si Dominus*, inquit hom. 8. in Lucam, *nec incrementum, nec decrementum recipere potest, quâ ratione nunc Maria loquitur: Magnificat anima mea Deum?* Vt commodam inueniamus verborum istorum explicationem, primo supponendum, quod Christus Dominus noster sit imago Dei perfectissima, dicente Apostolo: *Qui est imago Dei inuisibilis*, ad Coloss. 1. Iustos verò omnes quò iustiores sunt, eò propiùs ad hanc imaginem accedere: *Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui*, ad Rom. 8. Iam, inquit Origenes, *vnusquisque nostrûm ad imaginem Christi formans animam suam, aut maiorem aut minorem ponit imaginẽ: quando igitur grandem fecero imaginem imaginis, id est animam meam, & magnificauero eam opere, cogitatione, sermone; tunc imago Dei grandis efficitur, & ipse Dominus, cuius imago est, in nostrâ animâ magnificatur. Anima igitur Mariæ primùm magnificat Dominum.* Ecce quomodo totam vim magnificandi Dominum ponat in similitudine cum primâ eius imagine, qui est Christus Iesus Dominus noster. Maria ergo, quæ sola dixit, *Magnificat anima mea Dominum*, indicat se per excellentiam supra omnes creaturas referre eius imaginem: quæ si, vt diximus, consistat in recessu à peccato, & in eâ, quæ datur per gratiam, sanctitate; verbis hisce indicat se fuisse à peccato remotissimam, & sanctitate maximè præcellentem. Iterùm hoc ipsum probatur in primâ imagine, vt certiùs concludatur in secundâ, quæ

ORIGEN. est Virgo: *Si ergo*, (inquit Origenes libr. 1. Periarchon capit. 2.) *omnia quæ facit Pater, facit Filius; similiter in eo quod omnia ita facit Filius vt vult Pater, imago Patris in Filio deformatur.* Sed meliùs ad probandum nostrum IVNILIVS. intentum Iunilius in cap. 1. Genes. *Dominus ipse conditor noster, natus ex Virgine, creatus incorruptibiliter atque incommutabiliter ad imaginem Dei.* id est, *immunis omnis delicti & plenus omnis gratiæ & veritatis.* Numquid in peccati fugâ & acquisitione gratiæ totam ponit imaginis excellentiam, vt non conspurces peccati immunditiâ, quam fateris esse speculum sine maculâ & imaginem bonitatis, hoc est, sanctitatis Dei? Pefecta enim similitudo eam præseruauit à culpâ, & gratiâ locupletauit: habet enim, nescio quam vim præseruatiuam à malis quæcunque similitudo cum Deo. Mirare hoc, si lubet, in numeroso isto exercitu, quem Moyses ex Ægypto eduxit, vt in terram promissam induceret. Perijt is, quantus quantus erat, in viâ, nec quisquam furentem totis campis vindictam euasit præter Caleb & Iosue. quid autem causæ, cur isti euaserint? erat quidem aliquid ad præseruationem momenti in istâ constantiâ, quâ se murmurantibus & terræ contradicentibus opposuerunt; sed non fuit hæc tota saluationis causa, quandoquidem Moyses & Aaron, qui perierunt, etiam confirmandæ multitudini insudauerint. De Iosue ergo alte- S. AMBR. ram causam reddit S. Ambrosius ser. 18. in Psalm 118. *Quicunque exierunt ex Aegypto, perierunt in deserto: mortuus est Aaron, mortua est Maria, mortuus est & ipse Moyses; solùm Iesum Naue, nominis sacri similitudo seruauit.* Tanta similitudinis potentia ad præseruationem à communi maledicto, vt etiam reperta in solo nomine, causa sit cur eripiatur Iosue, duxque fiat noui populi, peccatoribus lentâ vindictâ consumptis. Iterùm similitudinis vis patet Exodi *Exod.* 12. THEOD. 12. vbi, testante Theodoreto in qq. in Exodum, *vmbram sanguinis Christi exhorruit mors*, quando armata in exitium primogenitorum Ægypti, cauta, vel potiùs venerabunda, præteriit Israëlitarum ædes quas agni sanguine, & litterâ crucem referente, videbat obsignatas. *Quemadmodum regiæ statuæ* (inquit Chry- S. CHRYsostomus in Catenâ Lippom.) *quamuis inanimatæ sint, eos tamen, qui ad se confugiunt, seruare solent; non quia statuæ sunt, sed quia regem repræsentant: similiter & agni sanguis homines saluos faciebat, non quia sanguis erat, sed quia sanguinem Christi referebat.* Quomodo dubitabitur, an salua fuerit à persequente homines peccato originali Virgo Maria, quæ ipsa erat perfectissima Dei statua, & commune peccatorum refugium, quæ alios seruaret à vindictâ? Verùm quòd diluuio vniuersali comparetur ordinariè peccati originalis inundatio, videndum an nihil possit similitudo, vt inde eximatur quispiam? Genes. 5. dicitur: *Genuit Adam filium* Genes. 5. *ad imaginem & similitudinem suam, & vocauit nomen eius Seth.* Quæ verba non sine stupore legi possunt ab eo, qui animaduerterit præcessisse Caini & Abelis generationem, & neutri eorum appositum fuisse quod geniti sint ad patris imaginem aut similitudinem. Et iure merito interrogat Rupertus lib. 1. de Trinit. & oper. RVPERT. eius: *Cur genituram Seth tantis verborum luminaribus Scriptura insigniuit, addendo ad imaginem & similitudinem suam?* Respondet S. Chrysostomus in S. CHRYeum locum: *Cùm de priore loqueretur* SOSTOMVS. *filio, nihil tale assignauit, significans iam antè eius in malum propensionem: & meritò. non enim seruauit paternos characteres & mores, sed protinus ad malignum confugit.* Acquiescerem, si Cainum immediatè sequeretur hic filius; sed cùm optimus & innocentissimus Abel interceserit, aliud indagandum videtur mysterium, cur huic Seth potissimùm similitudinis & imaginis addatur præconium. Suggerit autem id doctissimus Cardinalis Caiet. CAIET. qui ait: *Cessat autem admiratio: delendum siquidē erat humanum genus iam diluuio, & tantummodò progenies Seth in Noë saluanda erat; & propterea Moyses adimpletū*

Similitudo Dei habet vim præseruatiuam à peccato.

hoc

erat; & propterea Moyses adimpletum hoc sciens in solâ generatione Seth, pinxit imaginem Adæ. Si tantæ dignitatis est imago terreni picta in Seth, vt tanquàm causa saluationis adferatur: quid non poterit imago tam perfecta cælestis Adam in Mariâ, vt & ipsa peccati diluuio eximatur? *Ipsa vtique est* (Vt Richardus à S. Victore dicit cap. 39. in Cantic.) *singulariter species Christi, præ omnibus speciosa, Christiq; similima.* Maneat ergo etiam ex singulari istâ Virginis cum Deo & Christo similitudine concluſa immaculata eius conceptio.

RICHAR. à S. VICT.

CAPVT VIII.

Ex Prophetâ Dauid probatur immaculata conceptio.

CHRISTVS Dominus noster, vt ostenderet innocentiam & consequenter diuinitatem suam, apud Ioannem 10. de seipso dicit: *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum.* Vbi certum est, sermonem institui de ipso quatenus homo est, nam secundùm diuinitatem non est sanctificatus à Patre, sed ipsamet cum eo sanctitas: quando autem missus sit, dubium esse non potest, cum Apostolus dicat: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Missus ergo est, quando factus, & in vtero Virginis conceptus. Si iam dubitaremus, prout dubitabant Iudæi, quibus Christus loquitur, an peccator esset Christus, an verò innocens à primo conceptionis instante; numquid satis forte argumentum nobis, qui Scripturæ credimus, hic locus adferret, vbi dicitur: *Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum?* Si enim sanctificatus esset posteaquàm missus, diceret Scriptura, Quem misit & sanctificauit: at cùm sanctificationem præponat, id sine dubio indicare voluit, quòd non sit anteà conceptus quàm sanctificatus; prout etiam significabat Angelus, dicens: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei*, hoc est, quod concipietur. Angelus enim nascendi vocabulo pro conceptione vtitur; vt patet in voce ad Ioseph: *Quod in ea natum*, hoc est, conceptum est. Quemadmodum Christianum neminem esse scio, qui Christo Redemptori nostro negabit omnimodam ab initio conceptionis sanctitatem: ita vix vllum puto reperiendum qui non fateatur eam satis manifestò ex hoc loco probari. Quod si ita est, etiam fateamur locum Dauidis Psalm. 77. quem S. Bonauentura in Speculo applicat conceptioni B. Mariæ Virginis, satis probare eius in conceptione sanctitatem. Ait enim Psalmista: *Aedificauit sanctificium suum in terra, quam fundauit in sæcula.* Notum est priùs ædificari templum, deinde sanctificari. Quod si ergo Psalmista simpliciter indicare voluisset Mariam esse templum Dei viuum, in honorem eius dedicatum, quemadmodum materialia templa consecrantur; dixisset, sanctificauit ædificium suum, vel aliis verbis, quemadmodum Salomon: *Sapientia ædificauit sibi domum.* Sed quòd aliud vel ipse mente volueret, vel Spiritus verbis eius indicare vellet mysterium; mirabili loquendi ratione dixit, *Aedificauit sanctificium suum*: ne quis putaret antè ædificatum, quàm sanctificatum fuisse hoc Dei templum, sed vnam eandemque rem fuisse in Maria concipi & sanctificari. De formatione eius corporali, quæ non sine stupendâ miraculorum gratiâ contigit, ait Sanctus Ioannes Damascenus orat. 1. de natiuit. Virginis: *Natura progredi non est ausa, sed parumper exspectauit, donec gratia fructum suum peperisset.* hoc est, Natura, cuius erat fœcundare matrem, totumque Conceptionis Marianæ opus perficere, hæsit, matremque infœcundam reliquit, ne sibi potiùs, quàm gratiæ miraculorum asscriberetur ista conceptio: exspectauit

Ioan. 10.

Ad Gal. 4.

Immaculata Christi conceptio ex Scripturâ solidè probatur.

Eodem modo conceptio B. Mariæ Virginis.

S. IOANNES DAMASCENVS.

ctauit ergo donec gratia fructum suum peperisset. Quidni ex verbis Dauidicis colligimus idem contigisse in formatione animæ Marianę? Natura, quæ turpiter peccato primorum parentum infecta omnibus labem aspergebat, progredi non est ausa, verita ne Matrem Dei inficeret, sed parumper exspectauit, donec gratia fructum suum peperisset; non quod sancta esset antequàm concepta, sed quòd *ædificauit sanctificium suum Dominus*, hoc est, dum ædificaret sanctum effecit, non postquàm ædificasset. Compara iam duos loquendi modos, quibus Scriptura vtitur de Christo & Mariâ. De illo ait: *Quem Pater sanctificauit & misit*; de hac: *Aedificauit sanctificium suum*: & vide, an si ille probet omnimodam sanctitatem, hic non conuincat totalem à peccato immunitatem? Atque in hac comparatione vtriusque conceptionis verificatur quod S. Chrysostomus ait de natiuit. Ioannis: *Meritò is quoque, qui natus matri talia præbuit priuilegia, quæ etiam habuit solus, & illi quoque soli dedit.* Solus enim inter Adæ filios sine peccato fuit conceptus, & sola Virgo inter eiusdem parentis filias à peccato originali fuit immunis; reliqui omnes gementes & flentes dicunt: In peccatis concepit me mater mea. De hac, vti de Filio, gaudens & exultans dicit Pater cælestis: *In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui*: quod textus Hebræus dicit: *In splendoribus sanctitatis.* nunquàm enim Aurora ista ante luciferum prædestinata in Dei intellectu, qui ipsius est vterus, fuit non omni sanctitatis luce conspicua. Benè ergo Author quidam in Psalm. 40. (quem S. Ambrosium vulgò existimant) Christum introduxit Virgini loquentem: *Generationis meæ in te priuilegium recognosco, quam nulla potuit macula inquinare peccati.* Vbi Christus per quandam analogiam, suam & Virginis conceptionem componit: & licet multis aliis capitibus dissimilem, puritate tamen, quæ in recessu à peccato consistit, æqualem facit. Quamquàm in modo & causâ istius puritatis non exigua erat differentia, quòd ille physicam haberet peccandi impotentiam, hęc tantummodò moralem; ille per se & iure strictissimo habet iustitiam originalem, hęc à Deo singulari donatã priuilegio, quamquam hoc ipsum quod à Deo acceperit, supposito quod non esset nisi creatura Virgo, non minuit, sed auget dignitatem. Expressit vtrumque hunc modum, quo Christus suis, Virgo suppeditatis à Deo viribus omne peccatum effugit, S. Ioannes in Apocal. cap. 12. vbi, *draco stabat ante mulierem, vt deuoraret filium eius*; qui mox *misit post mulierem ex ore suo aquam tanquàm flumen, vt eam faceret trahi à flumine.* Aduerte autem quomodo vterque euaserit: *Raptus est puer in cælum*, potẽtiâ vtique propriâ, nec enim mentio fit copiarũ auxiliariũ. At *datæ sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum.* Nihil vetat alas hasce aquilæ magnę interpretari priuilegia maternitatis, quę ita illam exornarent, vt plumis aquilę magnæ, hoc est ipsius Filij Dei, videatur conuestita. Tam parum aliquando inter matris filiique priuilegia est diuersitatis.

S. Chrysostom.

Psalm. 109.

Apoc. 12.

CAPVT IX.

Ad perfectionem vniuersi, requisitam fuisse immaculatam conceptionẽ B. Mariæ Virginis.

Deus se variis modis creaturis communicat. S. Thom.

S. Thomas 1. p. q. 48. art. 2. fundamentum ponit ratiocinationis præsentis, quando ait: *Perfectio vniuersi requirit inæqualitatẽ in rebus, vt omnes bonitatis gradus impleantur. Est autem vnus gradus bonitatis, vt aliquid ita bonum sit, quod nunquàm deficere possit: alius gradus, vt sic bonum sit, vt deficere possit.* Quibus verbis nos occultâ consequentiâ ducit ad immaculatam

tam Virginis conceptionem; quod vt appareat, altius paulò res repetenda. Certum est inprimis omnem bonitatem, quæ rebus inest, oriri à bonitate diuinâ; cuius natura est, quod sit sui diffusiua: diffundit autem sese tanquam per radios quosdã à se distinctos in diuersas creaturas, cõmunicando varios bonitatis gradus. Quod cùm adeò notum sit, frustrà hîc pluribus explicaretur: nam *ad intrà* se communicat infinitè Filio per Patrem, & rursum Spiritui Sancto per vtrumque: *ad extra* verò communicauit se creaturis per creationem, per gratiam & gloriam, & perfectissimè per vnionem hypostaticam: *Quia ad rationem summi boni pertinet, vt summo modo creaturis communicet*, S. Thomas 3: p. q. 1. art. 1. ac tandem, ne quid deesset, etiam per modũ cibi & potus in Sacramento Eucharistico; adeò vt videatur modos quærere, quibus se possit magis magisque in creaturas diffundere: desiderat enim omni ratione se illis communicare, tum vt vniuersum perficiat, tum vt naturæ suæ obsequatur. Hos inter modos non postremus est, quo se creaturis communicat per gratiam, vel post lapsum, vel nobiliore ratione antequam peccato vllo fuerint contaminatæ. Inueniremus, si tempus esset disquirendi, admirabiles & varios modos, quibus se post lapsum variis Sanctis communicauit; sed quomodo id ante peccatum factum sit, præcipuè huc pertinet. Communicauerat se Angelis per iustitiam originalem, communicauerat etiam hominibus: sed nondum ita se communicandi appetitum expleuerat, vel vniuersi perfectionem attigerat; quòd nulli se ante peccatum stabiliter communicasset. nam Angelorum quorundam lapsus satis indicat, quòd cæteri omnes potuerint vacillare; & hominũ ruina etiamnum clamat, fragiliter admodum receptam à primo eorum parente fuisse gratiam originalem: cum sit interea gradus bonitatis ad vniuersi perfectionem requisitus, vt etiam iustitiâ originali aliquid ita bonum sit, quod nunquam deficere possit. Hæc ergo deerat mùndo perfectio: quæ dari non poterat ei, nisi produceretur Virgo Deipara, quæ sic locupletatur gratiâ, vt in sensu composito non posset vnquam eam perdere, vtpotè eodem, quo concepta est, instante in illâ confirmata. Cuius rei egregium symbolum dedit ipsemet mundi architectus, quando rerum vniuersitatem moliebatur: tunc enim ipsâ testante Virgine, *Memoria mea in generationes sæculorum*, de Matre suâ actu cogitabat, maximè verò dum machinabatur cælum, rerum præstantissimum. Quod narrandi modo indicare videtur Scriptura, quæ ait dixisse Deum: *Fiat firmamentum in medio aquarum.* Firmamentum de aquis molitur communibus; prout Virginem Mariam de carne eâdem, quâ facta est hominum multitudo. *Vocauitq; firmamentum cælum.* Notandum, non dixisse Deum, fiat cælum, posteaque id vocasse firmamentum: sed contrà, fiat firmamentum, posteaque id vocasse cælum; vt discceremus eam, quæ secundùm S. Bernardum est omnibus firmamentis firmiùs firmamentum, non priùs formatam & posteà in gratia firmatam esse, sed creatam esse firmam & stabilem in gratia. *Firmamentum* enim *dictum est à firmitate, quia diuina virtus firmauit illud*, inquit S. Ambrosius lib. 1. Hexam. Itaque creata est illa persona, quæ sic acciperet gratiam ante peccatum, vt deficere non posset; id quod ad vniuersi perfectionem erat necessarium. tam enim accuratè Deus perficere vult vniuersum in communicatione bonitatis suæ per gratiam, quàm per naturam. Est autem vnus bonitatis gradus, vt aliquid sit ita bonum per gratiam ante peccatum, vt deficere non possit: qui gradus, cùm sit omnium communicationum cum creaturis perfectissimus, non alteri debebatur quàm Mariæ. Dei quippè genetrici adeò perfecta debebatur bonitatis diuinæ communicatio, vt nihil excogitari posset perfectius, vt per hanc, & pro-

S. THOM.

Eccli. 24.

Genes. 1.

S. AMBR.

Virgini Deiparę sõli se Deus communicat per stabilem iustitiam originalem.

pter hanc fierent omnia bona, licet aliàs pessima viderentur. Percurrat quis Hexameron, quo Deus creauit cælum & terram: inueniet singularum rerum productioni epiphonematis approbatorij loco subiunctum, *quódesset bona*: verùm cùm sexto die homo creatus erat, nulla similis fit approbatio, imò potiùs contrarium innuitur: *Non est bonum hominem esse solum.* Genes. 1. Producit itaque mox feminam, & per illam non solùm homo, sed omnia nouam & singularioribus verbis expressam accipiunt laudem: *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.* Nam etsi mulier prima peccatura erat; tamen redemptionem sibi paritura, non debuit ab vsu diuinæ operationis excludi, inquit S. Ambrosius suprà. Itaque Deus intendens in illam mulierem, per quam fieret mundo salus illa magna, quæque danda erat secundo Adæ in adiutorium, eâ creatâ hominem probat; & quia hæc tam singulariter per iustitiam suam originalem vniuersi perfectionem complebat, simul omnia eâ creatâ denuò probat, dicens: *Vidit cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona.*

CAPVT X.

Rursùm varijs argumentis probatur B. Mariæ Virginis immunitas à peccato originali.

EA est diuinæ naturæ bonitas, vt bonum sciat ex malis ipsis eruere: ea clementia, vt miserias nostras permittat nobis esse instrumenta impetrandi misericordiam. Quod optimè noscens Regius Propheta, quando maximè deplorabat peccata sua, in quæ miserrimè fuerat prolapsus, rationem, quâ excitare conatur Deum ad misericordiã, petit à peccato originali dicens: *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea.* Psalm. 50. Iã liquebatur in lacrymas pius Rex, & intimo corde dolebat se offendisse bonitatẽ istam, quæ meretur toto animi affectu amari: non habebat quod excusaret, quoniam iniquitatem suam ipse cognoscebat; tantùm vndique conquirebat argumenta, quibus ad misericordiam moueret, quem offẽderat. Inter quæ fortissimum visum est id, quod peccatum originale ingerebat: *Ecce ego in iniquitatibus &c.* adeò vt vnicus peccati originalis fructus esse videatur, aliqualis excusatio in actualibus. Iam si Matris Dei ea futura erat sanctitas, vt libera omninò esset à peccatis actualibus: cui, quæso, bono ei fuisset peccatum originale? profectò maioris in illa futurum fuisse videtur miseriæ peccatum originale, quandoquidem fructu isto erat carituram, quem habent in aliis sanè perutilem, actualium excusationem. Rationibus alternis Scripturam subiungamus, quæ pulchro ænigmate eandem immunitatem probat Psalm. 21. quandoquidẽ de Christi Domini resurrectione acturus Regius Propheta titulum Psalmo dederit, *Pro cerua matutina*; ei Psalmum dedicans, ad quam præcipuè pertinebat resurrectionis fructus & lætitia. nam cerua non potest intelligi alia, quàm ea quæ filio suo dicit Cant. 8. *Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ hinnuloq; ceruorum.* Cant 8. Ceruæ hinnulus necessariò est ceruæ filius: sed cur hîc cerua vocatur Maria? cur non leæna, cùm filius sit Leo de tribu Iuda? Si videatur nimis austerum pro Virgine illâ nomen, quæ debebat esse refugium omnium peccatorum, & omnium miserorum consolatrix; quidni Ouis vocatur, agni mater, scilicet benignitate & mansuetudine prouocatura omnes, vti accedant per Matrem ad Filium? Non hoc intendebat titulo Psalmi huius Propheta: sed cùm Filij à mortuis gloriosam proderet resurrectionem,

B. Mariæ cum ceruâ comparatio, immaculatam Conceptionem significat.

nem, ostenderetque eum neque inquinatum, neque corruptum esse cum mortuis huius sæculi, similem quandam adfert eius, cui Psalmum dedicat, gloriam. Tanquam si diceret: Encomia eius, qui moriens solus non est corruptus, non alteri dedicanda quàm ei, quæ nata sola non est coinquinata. Quod clarè indicat per ceruæ metaphoram: nam ex magni Patris Nostri AVGVSTINI explicatione super Psalm. 40. Cerua eius natùræ est, vt nullo serpentium veneno lædatur; & contrà, ipsis sit exitio, facileque vitam eripiat. Nónne si applices, eam descriptam habebis, quæ serpentis istius perniciosi, qui totum genus nostrum infecit, non est tacta veneno, sed potiùs caput eius contriuit, viresque ei & vitam eripuit? Etiam Isaias huc allusisse videtur, 53. quando de natiuitate Christi dicit: *Ascendet quasi virgultum, & quasi radix de terrâ sitienti.* De ceruâ suprà dicit S. P. Noster: *Serpentes necat, & post interemptionem maiori siti inardescit.* Iam diximus cum quo serpente Virgo congressa fuerit, & Scriptura dixit: *Ipsa conteret caput tuum.* Quid mirum, si post conflictum tam arduum, ex quo simul cum vitâ palmam accipiebat, sitiuerit sicut ceruus ad fontes aquarum, nec satiata fuerit donec in ipsa, & ex ipsa ortus est fons aquæ viuus, saliens in vitam æternam?

S. AVGVST.

Isaiæ. 53.

S. AVGVST.

Genes. 3.

Eandem significauit Bezeleel & Ooliab, arcam ædificantes.

Si de Psalmis & Prophetis transeamus ad Exodum, ibi legemus: *Ecce vocaui ex nomine Bezeleel, Filium Huri &c. dedique ei socium Ooliab, Filium Achisamech, de tribu Dan &c. Omnia quæ præcepi tibi, facient.* Quodnam tantum moliebatur opus diuina Maiestas, ad quod tam superbo & exquisito delectu ex tot hominum millibus duos hosce nominatim eligeret? quorum primus, S. Bernardo interprete, *vmbra Dei*, alter, *protectio Dei*, nominabatur. Nimirùm fabricanda erat maximè celebris B. Mariæ Virginis figura, venerabilis ista testamenti Arca, in qua Manna latebat absconditum. Nihil ergo temerè, nihil non consideratissimè moliendum. Ipsi artifices non tantùm instruantur diuinitùs ne errent vspiam, sed etiam iis vocentur nominibus, quæ ostendant eos errare non posse. Vbi enim obumbratio & protectio Dei, omnia tuta sunt & secura ab erroribus: vbi Bezeleel & Ooliab adhibentur, non potest opus non exire perfectissimum. Nónne Dei vmbra est ille, de quo Angelus dicebat, *Et virtus altissimi obumbrabit tibi?* nónne protectio eius est Spiritus Sanctus, cuius est per pręuiam sanctificationẽ malum omne auertere? Quod si ergo quis cogitare audeat, arcam noui testamenti vitiosissimè fuisse constructam, ita vt statim opus fuerit eam totam reficere & emendare: quomodo dicet Bezeleel & Ooliab manum operi adhibuisse, nisi fortè existimet neque vmbram Dei, neque eius protectionem sufficere ad opus ita numeris suis absoluendum, vt necesse posteà non sit corrigere, vel reficere?

Exod. 31.

S. BERN.

Luc. 1.

Iterùm B. Mariæ in hunc mundum ingressus mihi depictus videtur in magnifico isto & gratioso Estheris ad Assuerum introitu: qui fiebat assumptis duabus famulis, quarum vni tam molliter quàm magnificè innitebatur, altera verò syrma eius gloriosè colligebat. Non comparent hæ famulæ, nisi Angelicam humanamque naturam adducas: primæ innitebatur, nam puritati Angelorum sic innitebatur, vt iis præcedentibus purior ipsa & constantior incederet, id quod ipsimet admirantes rogãt: *Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Duplicem in verbo, *consurgo*, noto energiam: nam imprimis, iram vehementiamque significat, quâ quis surgit. ita Scriptura dicit: *Consurrexit Cain aduersus fratrem suum Abel, & interfecit eum.* vt sciatur non minore cholerâ contra draconem infernalem Virgo Deipara primo conceptionis instante consurrexisse, eumque interfecisse. Deindè plus significat, *consurgo*, quàm, *surgo*: est enim surgere cum alio. Itaque testantur & mirantur Angeli, quod Virgo secum eâdem puritate, eâdem innocentiâ

Estheris ad Assuerum ingressus, immaculatę conceptioni comparatus.

Cant. 6.

Genes. 4.

innocentiâ ſurgeret, ſeu ſurſum ſe in luminis auras erigeret. conſultò autem verbo reſurrectionis abſtinent, quòd is reſurgat qui lapſus eſt; ſurgere autem, & conſurgere poſſit qui nunquam cecidit: nam & plantæ arboris ſurgere dicuntur, dum naſcuntur. Hæc ergo eſt prima, cui innititur, famula. Altera verò eſt humana natura, quæ ſequitur, innocentiam eius quà licet imitans, & ſyrma latè expanſum colligens, quando obſequioſè argumenta in vnum colligit, quibus eius innocentia, dignitas, gloria comprobetur.

Sed cur tam longè per prata Scripturarum excurrimus, cùm in ipſo ingreſſu reperiatur, in quo poſſimus acquieſcere? Decantatam, enim toties ſerpentis maledictionem ſi examinemus, triplex in ea reperiemus pro Conceptione immaculatâ argumentum: *Inimicitias*, inquit, *ponam &c.* Cur numero multitudinis vtitur, niſi vt oſtendat omne genus inimicitiarum eſſe inter ſerpentem & iſtã mulierem, ſine vllâ conuentione amicitiæ, ita vt ne ad momentum quidem temporis nulla hîc pax, nullæ induciæ? Hoc ſola eſt mulier, quæ omne ſerpenti negauit alloquium, ne quem inueniret calliditate ſuâ aditum. Deindè expreſsè dicit: *Ipſa conteret caput tuum.* Caput Serpentis illius eſt peccatum originale. Vti enim ſi capiti ſuo aditum inuenit ſerpens, facilè reliquo corpori parat ingreſſum; ita peccatum originale facillimè actualis culpa ſequitur. vel potiùs, quòd licet caput ſerpentis obtritum ſit, tamen membra cætera diu vitali quodam motu agitentur: eâdẽ ratione peccatũ originale, licet baptiſmatis gratiâ obteratur, corpus tamen eius & cauda tota vita noſtra pernicioſo motu agitatur, noſque ad peccandum pellicit. Hoc ergo caput, id eſt, peccatum originale, dicitur mulier illa obtritura, indicaturque quod pede ſit vſura ad hanc victoriam: vt ſignificetur quod ipſum, quem inferet mundo, pedem, non alibi collocatura ſit, quàm in capite iſtius ſerpentis, quodque non citiùs accipiet vitam quàm victoriam: vnde ſequitur, motus iſtos, quos capite iam obtrito excitabit, non fore contra mulierem, ſed tantùm contra calcaneum eius, hoc eſt, contra eam ſequentes & imitantes famulos. Quin ipſa legamus creationis noſtræ primordia, etiam ibi reperiemus huius myſterij argumenta. Voluit enim Deus vtrumque generis noſtri parentem creare in ſtatu iuſtitiæ originalis, incongruum eſſe iudicans, vt quæ daretur in vitæ auxilium, non eſſet ſocia innocentiæ: & quid? minore curâ laboraſſe dicemus circà ſalutis noſtræ reparatores, permiſiſſeque vt quæ eſſet ipſi ſocia in redemptione noſtrâ, non eſſet etiam in innocentia?

Serpentis maledictio probat immaculatam Conceptionem.

CAPVT XI.

Ex varijs B. Virginis titulis immaculata eius conceptio probatur.

FIRMISSIMVM argumentationis genus eſt in accuſatione vel defenſione forenſi, quod Cicero adfert pro Milone: *Reliquam eſt, vt iam illum natura ipſius, conſuetudoq; defendat, hunc autem eadem coarguant.* Videtur enim ad coniecturam de re incertâ faciendam optimè aſsumi conſuetudo vitæ in vnoquoque hominum, ideò quod vbi hæc ſemel corroborata eſt, ferè ſoleat actiones eodem tenore inſtituere. Verùm ſi hoc argumentationis genus valet aliquid in ceteris, qui caſu magis, quàm conſilio reguntur; qui opinionum varietate, paſſionum inſultu, & occaſione ſæpè non præmeditatâ ab eo, quod agere conſueuerunt, abducuntur: in Virginis Mariæ æſtimandis priuilegiis virtutibuſque deprædicandis erit certiſſima probatio, ſi oſtendatur id, quod in quæſtione verſatur, vel aliorum cauſa

causa esse, vel effectus, vel certè quacúmque ratione cum iis conuenire. Igitur breuissimè aliquot Mariæ titulos examinabimus, ostendemusq; quàm certò vel ad eos sequatur, vel ab iis supponatur immaculata Virginis Conceptio.

Virginis Deiparæ in omnia dominium infert conceptionem eius immaculatam.

Ac inprimis titulus, quem ego ex deuotione particulari Virgini conatus sum astruere in Hierarchia Mariana, est, quòd ipsa sit hominum, Angelorumque, ac omnium creaturarum Domina: quod iam fateor me irrito labore suscepisse, nisi confiteamur quod Conceptio eius fuerit immaculata. Nam, vt à minimis incipiam, datum fuerat idem dominium in omnia, quæ hominibus sunt inferiora, parentibus nostris, verbis sanè magnificis: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram &c.* Sed diligenter animaduertendum, quidquid id regni erat atque dominij, fundatum fuisse in innocentia originali: nam ita luce clariùs à posteriori colligitur; non enim citiùs Adamus innocentiam abiecit, quàm regnum hoc vniuersum perdidit. Quod, vt intelligeret omninò fundatum fuisse non in quali quali Dei gratia, sed in originali innocentiâ, Deus, qui eduxit illum de delicto suo, nunquam ad pristinum imperium reduxit: quin etiam in Euangelio, vbi parabolicè reductio peccatoris, specie filij prodigi, in scenam producitur, parens benignissimus (cuius verba singula sunt plena mysteriis oracula) duas vibrat gnomas, quibus hoc ipsum pulcherrimè docet. Nam filium suum primogenitum alloquens & consolans, ait: *Omnia mea, tua sunt.* Nónne hoc est fateri quod sit dominus omnium bonorum paternorum? Sed in quo fundatur istud tam amplum dominium? in eo scilicet quod præcessit: *Tu semper mecum es*, & ideò omnia mea tua sunt, tu de iis disponere potes secundùm tuam voluntatem: at filius iste, qui non fuit semper mecum, perdidit illud tam amplum tamque magnificum dominium; itáque mirari non debes, si partem ei impendam &c. Beda in 15. Lucæ confirmat quod dico; ait enim: *Tantùm à perfectis filijs possidentur omnia.* Et sponsæ clarissimè causam indicat eius dominij sponsus, quando canit: *Veni, coronaberis de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* quod scilicet ab iis omnimodam reportasset victoriam. Et Virgo ipsa dicit: *Ab æterno ordinata sum.* quod textus Hebræus habet: *Ab æterno inaugurata sum princeps.* quod si fuisset tempore aliquo Dei inimica, habuissetque creaturas omnes sibi repugnantes, non diceret: *Ab æterno inaugurata sum princeps*; aut certè alibi non adderet: *Et vsque ad futurum sæculum non desinam.* nec tam promptè creaturæ omnes accurrerent, vt ei obsequiis suis deferrent imperium. Nam sol celerrimè ei confícit de lumine suo vestitum, luna scabellum præstat, stellæ coronam elaborant, cæli currum triumphalem conficiunt lucidissimis sphæris suis, & ideo dicit: *Gyrum cæli circuiui sola.* Ignis ædificat propugnacula, quæ longè arceant inimicos ab accessu: *Ego ero murus ignis in circuitu.* aër decentissimum exstruit thronum: *Thronus meus in columna nubis.* aqua liquidos amnes suos, fluctusque tumultuosos placidè substernit pedibus eius, campíque virentis adinstar, dat spatium deambulandi: *In fluctibus maris ambulaui.* terra, quantumcúmque pondere suo librata, moueríque difficilis, tamen commouet se, vt ipsi auxilium ferat: *Adiuuit terra mulierem.* Denique, *tot creaturæ seruiunt Beatæ Virgini, quot seruiunt creatori*, S. Bernardinus serm. 15. de fest. Virg. quia ipsi dicit: *Tu semper mecum es*, ideo *omnia mea tua sunt*: ipsius autem est orbis terræ, & plenitudo eius. Dicamus ergo fundari hoc rerum omnium dominium in originali innocentia, & vnusquisque sit quàm humile Virginis Deiparæ mancipium, tam strenuus defensor immaculatæ conceptionis.

Omnes creaturæ seruiunt Virgini.

Altera dominij Mariani pars, sunt homines: in quos, extrà Deum, nemo habuit tam absolutum imperium

Cooperatio in redemptionem hominum arguit im-

Gen. 1.

Luc. 15.

Beda.

Cantic. 4.

Eccli. 24.

Zach. 2.

Eccli. 24.

Apocal. 12.

S. Bernardinus.

maculatam Virginis Conceptionem.

atque ipsa obtinuit; non tantùm quia Authorem vitæ nobis dedit, sed quòd tamquam instrumentum salutem nostram operata fuerit; ad quod parum idonea fuisset, si anteà esset peccatis contaminata. Instrumentum fuisse salùtis Virginem, satis in-

Luc. 1. dicat S. Elisabeth, dicens: *Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Author præcipuus gratiæ, quæ sanctificabat Baptistam, latebat post alterum parietem incluſus viſceribus maternis: instrumentum autem ipsius erat Maria, quæ salutando eam communicabat. Sed Vnde iam sequitur, quam prætendimus, innocentia? Ioannes ipse nobis dicet, ex-

Ioan. 1. plicante Ruperto. Ait Baptista: *Ego vos baptizo in aqua; medius vestrûm stetit quem vos nescitis, ipse baptizabit vos Spiritu sancto & igne.* opponit suum baptismum baptismati Christi, negatque se spiritu sancto baptizare.

Rvpert. Rupertus lib. 2. in Matth. cap. 3. ait: *Sicut Christus solus de Spiritu sancto conceptus est, ita solus in Spiritu sancto baptizat. Nam Ioannes adhuc in vtero de Spiritu sancto repletus est, sed non de Spiritu sancto conceptus; & idcircò de Spiritu sancto baptizare non potuit.* Concludere videtur Rupertus, si Baptista sanctificatus fuisset primo vitæ instanti, & sine peccato conceptus; quòd fuisset instrumentum aptissimum sanctificationis pro aliis. Iam si conuertamus consequentiam, argumentari licebit quòd ea, quæ est instrumentum sanctificationis, concepta sit sine peccato. Hoc docebat S. Anselmus: *Constat Mariam ab omni peccato originali fuisse immunem, per quam Euæ maledictio soluta est.*

S. Ansel.

Locus, in quo Cain fratrem occidit, à contrario indicat immaculatam Conceptionem.

Iam quod vitę Authorem & vitam nobis peperit, non parum habet, ad roborandam immaculatæ Conceptionis sententiam, firmamenti; maximè si præfiguratum in suo contrario animaduertere velimus hoc priuilegium. Vt Abelem fratrem innocentem occidat Cain, ac primus mortem introducat in orbem terrarum, dicit: *Egrediamur foras*, siue, vt Græca habent, *in campum.* Quæ ex-

Genes. 4.

plicans S. Ambrosius lib. 2. de Abel cap. 8. ait: *Locus nudus gignentium eligitur; non dixit, eamus in paradisum, vbi poma florent, non in aliquem cultum & fructiferum locum.* Sed mirandum vbi in tanta naturæ primùm effloreſcentis abundantia repertus fuerit locus tam nudus, tamque incultus, qui videretur sceleſto aptus ad homicidium! Quam admirationem tollit idem S. Ambrosius, dicens: *Tamquam præsagiens natura tanti sceleris, loco germina denegauit*: non exspectat patratum scelus, sed præuenit, ne qua viuens herbula reperiatur in theatro mortis, in quod tam funestâ tragædiâ fratrem frater erat productus. Verratur hæc tragædia in lætiorem aliam, quâ vnus fratrum multis daturus est vitam; ita enim dicit ipse primogenitus in multis fratribus: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant.* abundantiùs ipse fert vitam, quàm Cain mortem produxerat: ergo si à fratricidâ locus nudus gignẽtium eligitur, numquid eligetur à Seruatore locus pleniſſimus ac fœcundiſſimus gratiarum? Si tunc sagax natura, contra communem benedictionem, primæuamque fœcunditatem, locum istum spoliauit omni gramine virenti, vt facto campus responderet: an non æquè præsaga gratia, contra communem maledictionem ac primam hominum miseriam, præseruarit locum illum ab omni inquinamento mortis, in quo Author vitæ erat formandus? Quis non videt omnia Scripturarum vestigia impressa gerere immaculatæ Conceptionis indicia, quę iam ascendendo ad Angelos vlteriùs rimabimur identidem ad homines respicientes, si occurrat quod iis sit cum Angelis commune?

S. Amer. Ioan. 10.

CA-

CAPVT XII.

Imperium in Angelos, quod habet Virgo Deipara, fundatur in immaculata conceptione.

NON vbique omnia sunt repetenda, neque hîc probandum Hierarchicum Virginis Deiparæ suprà omnes Angelos imperium; quandoquidem in libro de Hierarchiâ sit factum, & Sanctus Bernardinus Senensis serm. 2. to. 3. *Maria hausit ab ipso Patre æterno totalem fœcunditatem ad generandum omnes electos, & etiam ipsos Angelos.* Non est quærendum quid influat in Angelos, si vitam eis impertiatur: hoc animaduertendum potiùs, quàm parùm honestè sese efferret vt caput Angelorum Virgo, si inter tam puras creaturas compareret ipsa peccati leprâ conspersa, prætenderetque à se & per se factum esse quod ipsi tam mundi existerent (superiorum enim Hierarchiarum est mundare inferiores) cùm ipsamet exstitisset contaminata. Multa multi admittunt in Virgine priuilegia, vel ideo tantùm, ne Angelis vspiam appareat inferior, cùm sit eorum Regina; sed nobis fundanda est in ipsa munditie à peccato originali, excellentia. De Præcursore suo dicit Dominus: *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptistâ.* Non est quæstio de Christo, neque de Maria: quod hæc non surrexerit, quia non cecidit; & ille non de muliere, sed natus sit de virgine. De Apostolis posset oriri difficultas; de quorum gratia dicit Paulus, quod erant *ipsi primitias spiritus habentes,* ad Rom. 8. de officio verò S. Anselmus in cap. 3. Matth. *Ioannem Baptistam officio ministerij fuisse minorem, nullum enim in Ecclesia maius ministerium, quàm Apostolatus.* Hæc difficultas varias extorsit explicationes superioris encomij. Sunt enim qui dicunt ad Prophetas restringendum, tanquam si diceretur tantummodò quod habetur Lucæ 7. *Non fuit Propheta maior Ioanne Baptistâ.* Sunt qui comparationem non nisi cum veteris testamenti Patribus instituunt. Alij minùs tutas ineunt vias, dicentes, dignitatis, non gratiæ prædicari excellentiam. Sed nodum expedit Sanctus Ambrosius libr. 2. de vocat. gent. capit. 3. encomium non restringens, sed secundùm dicti amplitudinem illud accipiens: *Ioannes,* inquit, *intrà Elisabeth matris viscera Spiritu sancto repletus exultat; & vt nullus inter natos mulierum maior sit, priùs sentit initia gratiæ, quàm naturæ.* Ecce mysterium, in quo fundatur ista præ omnibus excellentia: nouem omninò mensibus disponit in aliis organa corporis natura, nec antea gratiæ admittit introitum, quàm puer exierit de vtero matris; posteà septem iterùm annis clausas tenet meriti demeritique ianuas, ne augere possit liberâ suâ voluntate acceptos gratiarum thesauros; at in S. Ioanne aliter prorsùs: *Vt maior omnibus sit, priùs sentit initia gratiæ, quàm naturæ.* Quę ratio Sancti Ambrosij si probet quidpiam, euincit vel Deiparam non esse absolutè maiorem omnibus hominibus & Angelis, vel gratiam originalem ei cum vitæ principijs fuisse concessam: nam si fuit in vtero sanctificata post admissum peccatum; æqualis, non maior erit Baptistâ, & Angelicis omnibus spiritibus erit inferior, qui non citiùs habuerunt initia naturæ quàm gratiæ: habuerit enim solummodò gratiam terrestem, quæ ipsam poterat summis hominum æquare; non cælestem, quæ poterat etiam Angelis præponere. Quam gratiæ distinctionem suggerit S. P. N. Augustinus libr. 20. de Ciuitat. cap. 17.

S. BERNARDVS.

Quomodo S. Ioannes Baptista fuerit maior omnibus. *Luc. 1.*

Ad Rom. 8. S. ANSELMVS.

Luc. 7.

S. AMBR.

B. Maria Virgo præuenta fuit gratiâ cælesti, non terrestri. S. AVGVST.

De cælo descendere dicitur Ciuitas ista, quia cælestis est gratia, quâ Deus illam fecit. Agitur autem de ciuitate, de qua Apocal. 21. *Vidi Ciuitatem Sanctam Ierusalem, nouam descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Satis antiquitatis habemus à Patribus, vt hanc ciuitatem exponamus Virginem Deiparam; de qua Psalm. 86. dicitur: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* In hoc nulla erit difficultas: sed quomodo diceretur descendere de cælo, torquere quemquam poterat. Quod explicat S. Augustinus suprà, dici posse propter *cælestem gratiam, quâ Deus illam fecit.* Verùm quid, inquis, hoc verbi, gratiam vocare cælestem, cùm omnis de cælo sit, nec vlla nascatur in terra nostra? Non otiosè tamen dicitur cælestis gratia, quâ facta est Maria quia in terris de lege ordinaria datur post culpam, & hic nemo mundus à sorde, neque infans, cuius vnius diei est vita super terram, ideoque gratia illa, quæ post terrenas istas sordes venit, terrestris dici potest; at in cælo semper datur ante peccatum. Nam in Angelis Deus erat *simul condens naturam, & largiens gratiam*: quando iam formanda erat Maria in hominum & Angelorum Reginam, vtrâ gratiarum vsus est Deus? profectò cælestis est gratia, quâ Deus illam fecit; hoc est, peccatum anteuertit, *ne esset inferior Angelis, imò & illorum Regina, & vt Angelis meritò imperaret,* quemadmodum de B. Albert. Magnus. B. Virgine cap. 140. B. Albertus Magnus dicit, vt probet visionis beatificæ ei datum esse priuilegiũ. Quod si huic imperio adiungamus violentum quidem, sed iustissimum, quod in diabolos habet Virgo imperium; etiam indè certa reddetur eius immaculata Conceptio: nam si victa primùm & captiua dæmonum fuisset Virgo, careret præcipuo splendore dignitatis istud dominium, neque tanta cum reuerentia timerent quam semel vicissent, cogitarentque subindè, vti varius est euentus belli, ita posse aspirari ad victoriam, quam semel reportassent. Auertit eam infamiam à sponsa sua, honoris eius zelosissimus Sponsus, dicens: *Statura tua assimulata est palmæ*, quod idem significat atque Tu tota, quanta, quanta es, palma & victoria es. & ipsa de se: *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Cades Hebraicè Sanctitas, vt sciamus victorias eius fundatas esse in perpetua sanctitate. Eccli. 24.

CAPVT XIII.

Ex eo quod Aduocata generalis totius humani generis sit Virgo, probatur eius immaculata conceptio.

QVAM generalis, quamq; potens Aduocata generis nostri sit Virgo Deipara, alio in opere est à me monstratum. Hîc videndum est, an in tam sublimi dignitate fundare non possimus immaculatam eius Conceptionem, quam vndique cupimus stabilitam; quod non erit difficile, si aduertamus quodnam genus aduocationis ipsa exerceat. S. Lucas cap. 2. dicit de Iesu: *Erat subditus illis.* quo indicat imperium ei fuisse in Filium: rogat quidem ipsa, non mandat, quando aduocatum agit; sed preces ex earum sunt genere, de quibus Legisperiti dicunt: *Preces Principum sunt iussa.* Veniebat Bersabee ad filiũ Solomonem petitura aliquid, sed petitura vt mater priùs assidet ad dexteram eius, & tam imperiosè petit: ita Virginis Deiparæ preces apud Filium sunt mandata. *Accedis ad aureum tribunal Iudicis, non tamquam rogans, sed tamquam imperans,* inquit ad illam S. Bernardus. Hæc tam potens Virginis interceſſio mihi quidem satis probare videtur eius innocentiam, Luc. 2. S. Bern.

tiam, quod tanta in petendo securitas, sine repulsæ formidine non caderet in eam, quę conscia sibi esset fuisse se aliquando inimicam eius, à quo peteret. Indicat innocentiam hanc omnimodam ad munus aduocatæ requiri Apostolus ad Hebr. 7. vbi vix produxit Christum vt sacerdotem & aduocatum nostrum, quin statim adiungat: *Talis decebat, vt esset nobis Pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Vt scilicet in innocentia fundetur petendi libertas & securitas impetrandi, ideò dicit, talis decebat vt nobis esset Pontifex, qui pro nobis intercedere debet, & habere summam impetrandi authoritatem, quæ oritur ex innocentia. Talis etiam decebat vt nobis esset aduocata, quæ prorsùs esset innocens, impolluta, & segregata à peccatoribus; aliàs non esset ad munus istud, tam sublimiter & fortiter exequendum, quàm nostræ necessitates requirunt, satis idonea.

B. Virgo turri Dauidicæ compatata. Cant. 4.

Symbolo id satis egregio expressit Sapiens in Canticis cap. 4. dum ait: *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea.* Puritas conceptionis B. Mariæ posset erui ex verbis istis, si sic argumentaremur: Ædificandi verbum ad primam formationem hominis refertur, vt patet Genes. 2. *Aedificauit costam, quam tulerat de Adam, in mulierem:* atqui hæc mulier ædificata est cum propugnaculis, ergo in primâ formatione ad eam non accessit inimicus. Verùm non tantùm ad conceptionis puritatem probandam adduxi symbolum, sed ad ostendendum quomodo ex Aduocatæ generalis officio ea sequatur. Igitur accuratiùs singula scrutemur. Turri comparari Virginem, tanquam clarum satis suppono; verùm non cuilibet turri, sed Dauid, quam scilicet Rex ille iuxtà locum templi in culmine montis Sion ædificauerat. Quod ita benè explicat, & applicat Gislerius ad istum locum: Sicut turris illa super montem in Ierusalem ac propè templum Domini erecta erat, vt omnes qui ad templum accedere voluissent, à longè illam aspicerent, ac tanquàm à Pharo viam ab illa edocerentur quà tenderent; ita & ipsa B. Virginis oratio in sancta cælestiuè Ierusalem, ac super cælestem illum montem Sion propè Deum erecta est, quę Ioannes ait esse templum ciuitatis illius, vbi exaltata suprà choros Angelorum, celsissimas Dei genitrix & iuges ad Deum directas pro nobis erigit preces. Non itaque Virginem totam, sed tantùm collum ipsius turri comparat Dauidicæ, vt intelligamus de ea solummodò agi, quatenus aduocatæ fungitur munere. Et sanè aduocatam describit, quà maiorem aut efficaciorem vix cuiquam licet imaginari; nam eâdem ratione de ea loquitur, quemadmodum egerat de Christo Seruatore Prouerb. 18. vbi ait: *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur.* Prouerb. 18. Turris est nomen Domini, sed quatenus inuocatum: *Quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit*, ad Rom. 10. Ad Rom. 10. Turris est oratio B. Mariæ Virginis, quatenus scilicet inuocat, & pro nobis deprecatur: *Quia nihil decreuit dare Deus, nisi per virginem.* Vtrobique turris fortissima, vtrobique confugientibus salus & protectio. Nulla in turribus differentia, nisi quod ij qui accurrere possunt aut solent, nonnihil distinguantur. Enimuerò, inquit Gislerius, ad turrim nominis Domini iustus accurrere dicitur, vtpotè qui dignus sit inuocare illud: *Nemo enim potest dicere, vt decet, Dominus Iesus*, ait Apostolus, *nisi in Spiritu sancto.* id est, nisi is sit in gratiâ, atque adeò iustus. Ad alteram turrim istam non modò iusti, sed & peccatores confugiunt, & fortasse multò magis peccatores quàm iusti. Et fortasse haud à veritate aberrabimus si dixerimus idcircò ad turrim Dauid potiùs, quàm ad turrim aliam eius orationem assimilatam; quia Dauid, à quo turris illa erecta est, peccator exstitit & sanguinarius, vt Dauidis nomen fiduciam peccatoribus præberet ad istiusmodi

modi turrim confugiendi, tamquam ad proprium asylum. Habemus ergo Virginem Aduocatam generalem, potentissimam ac clementissimam in cælis, comparatam turri Dauidicæ: iam, vt inde eruamus immunitatem à peccato originali, fundamenta eius, quomodo posita sint, videamus. *Quæ ædificata est*, inquit Sapiens, *cum propugnaculis; mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Intactam & immunem præstare volebat Zorobabel princeps, quam instaurabat, ciuitatem Ierusalem: itaque cautelam & prouidentiam adhibens, quod vndique instarent hostes, *vnâ manu suâ faciebat opus cum populo, & alterâ tenebat gladium: & lanceæ, & scuta, & arcus, & loricæ, & principes post eos in omni domo Iuda.* Eâdem sollicitudine se circumspexisse in ædificatione huius turris insinuat Dominus: imminebat hostis, eamque, priusquàm prorsùs ædificata esset, sui iuris facere cupiebat, at contrà Dominus ędificabat eam cũ propugnaculis, & mille circum eam suspendit clypeos, hoc est, secundùm Ligionensem, *omne genus præsidiorum*: ne scilicet diffiderent supplices ad eam confugere: quod fieret, si eam scirent aliquando fuisse in hostium potestate. *Suprà murorum*, inquit S. Ambrosius, *illam ædificauit excelsa, vt subsidio pariter & decori sit.* Et ideo ædificauit eam cum propugnaculis, & mille clypeos ex ea suspendit, vt esset subsidio pariter & decori: decori; per innocentiæ, totque gratiarum innocentiam comitantium fulgorem: subsidio, per ipsam, quæ ex ista innocentia oritur, fiduciam & authoritatem petendi & impetrandi quidlibet pro debilibus Ecclesiæ membris; quę per partes ab inimicis facilé occuparetur, nisi tam forti fulciretur turris huius subsidio: turris autem non haberet eam fortitudinem, nisi ædificata esset cum propugnaculis, & omne genus præsidiorum pendêret ex ea; hoc est, Virgo Deipara non haberet tantam petendi fiduciam, neque impetrandi potestatem, nisi innocens esset in sua conceptione, & ornata iustitiæ originalis præsidiis.

S. Ambr.

CAPVT XIV.

A persona Filij Mariæ sumuntur argumenta pro immaculata eius conceptione.

MIRABILIS, illa mulier, quæ prodigiosum signum & magnum prognosticon videbatur Euangelistæ mirabiliter conceptionem Virginis immaculatam potest corroborare. Describit eam in cruciatibus & doloribus S. Ioannes, dicitque: *Cruciabatur vt pareret.* Non qnòd communes perturientium labores sentiret Virgo Deipara (hanc enim illam mulierem S. Ambrosius lib. 2. de virg. interpretatur) sed quòd *draco stabat antè mulierem, vt deuoraret filium eius*; hunc enim, oculis & vitâ suâ cariorem, volebat intactum & immunem non tantùm ab vnguibus, sed etiam ab halitu draconis seruare. Draco autẽ infestissimè insequebatur intentione deuorandi, filium dicam, an matrem? filium dicere oportet: nam Scriptura disertè, *vt deuoraret filium eius.* Si tamen rem gestam recorderis, videbis eum magis in matrem ferri, quàm in filium: nam postquàm *peperit masculum*, separàtus est à matre filius, & quisque diuersis itineribus se persecutioni eripuit: *Raptus est puer in cælum. Datæ autem sunt mulieri duæ alæ aquilæ magnæ, vt volaret in desertum.* Quid iam in medio positus draco: vtram insistet viam? si tota eius intentio est deuorare filium; notum in cælum iter arripiet, vt persequatur fugientem. Non hoc cœpit consilij; sed *misit post mulierem ex ore suo aquam tanquam flumen, vt eam faceret trahi a flumine.* Quænam hæc hostis callidissimi vafrities? Detegit eam B. Albertus Magnus:

Diabolus Mariæ Filium in matre persequitur.

Apocal.

B. Albertvs Magnvs.

Cùm

B. Albertus Magnus. *Cùm mulieri insidiaretur, deuorare Filium cupiebat.* Sciebat Christum, propter diuinam naturam vnicâ hypostasi cum humana subsistentem, prorsùs esse impeccabilem: at Matrem, quod non nisi homo esset & Adami peccatoris Filia, putabat trahi posse à Flumine, quod continuato cursu per quatuor annorum millia traxerat quidquid hominum in lucem prodierat. Cur verò tanto conatu emittit Flumen hoc & Matrem trahere conatur? dicit Euangelista, *vt deuoraret Filium eius*: Satis se Filio nocuisse ratus, si Matri peccati maculam impingeret, quæ necessariò ad illum redũdaret; putabatque draco ille infernalis, satis se persuasurum hominibus Filium non esse Deum, si Matrem facere potuisset peccatricem. Sciebat enim illam, quam S. Ildephonsus lib. de parturit. Virg. ponit consequentiam: *Si Materna viscera sordibus ex vitio primæ dãnationis Coinquinasset Christus non esset Filius Dei naturalis, sed neque adoptiuus; quia non esset altera, per quam Fieret adoptio.* Remitto aduersariis eam disputationem, an Sanctus hic agat de puritate corporis, vt probet Virginis castitatem, an de puritate animæ, vt concludat immaculatam conceptionem: quandoquidem ratio, quæ pro castitate facit, Fortiùs conuincat pro innocentia. Non etiam volo eo rigore tractare consequentiam hanc, vt absolutè dicam sequi, eâ ratione quod fieri non potuerit vt Deus assumeret naturam ex matre non virgine, vel etiam quæ fuisset originali peccato coinquinata: cùm sufficeret draconi, quod non esset Dei Filius quantum ad apparentiam; quod idem sufficit ad veritatem tam generosi à S. Ildephonso vibratæ sententiæ. Quod facile est probare rationibus euidentibus; quæ si fortè plusculum conuincant, hanc sumant alij vlteriùs audendi viam.

S. Ildephõsus

Psal. 115. Imprimis, Iuristis tritum est: *Partus sequitur ventrem*: quo sanciunt Filium natum ex matre ancilla seruum esse, licèt pater fuerit in libertate. Ex hoc axiomate concludit Propheta Regius: *Ego seruus tuus, & Filius ancillæ tuæ* Iam nimis certum est, quod qui *facit peccatum, seruus est peccati*: ergo qui nascitur ex muliere subdita peccato, seruus est. Quis iam non inferat, ergo fieri non potuisse vt Maria, quæ Christum genuit, fuerit peccato subiecta, quandoquidem impossibile fuerit Dei Filium nasci cum aliqua obligatione seruitutis formam serui accepit, Seruitutis obligationem non contraxit. Hæc igitur prima foret, quæ ex originalis Matris peccato redundaret in Filium infamia; quæ cùm multiplex esset, aliæ etiam sunt explicandæ.

Ignominiosũ fuisset Deo, Matrem in peccato originali concipere.

Et vt incipiam aleuioribus, artificẽ imaginemur, qui opus aliquod meditetur, in quo non tantùm suam in arte experientiam, sed totam artis perfectionem velit ostendere, idque multo antè tempore iactet, ad hoc totâ vitâ incumbat, operi isti præludat, id semper habeat in ore, numquàm moliatur quidpiam, quin dicat: Hoc nihil est præ eo, quod aliquando prodibit in lucem, cuius hîc vix vmbram cernitis. Quis non mira exspectaret præsertim si virum illum videret cæteroquin prudentissimum & expertissimum, eaque quæ iaceret præludia esse talia, vt nemo posset ad eorum in simili arte perfectionem aspirare? Ponamus iam hominem istum orbem conuocare pænè vniuersum ad diem illum Solemnem, quando moliturus est in conspectu omnium rem istam tam singularem, ac iam prodire in editum theathrum vt ab omnibus conspici possit: ecce quàm auida cum exspectatione omnium in ipsum ora conuertuntur, quodque toties viderint & obstupuerint ea, quæ ipse se quasi negligẽter facere dictitare solebat, præuiâ admiratione venerantur opus, quod nondum possunt quale futurum sit imaginari. Intereà dum ita omnes hærent suspensi, dum motus & gestus singulos hominis obseruaturi exspectant, incipit ille, &, prô pudor! nescio quo fato, quaúe suâ incuriâ, primo operis exordio turpissimè erat, atque ita deturpat opus suum,

ſuum, vt ſtatim ad remedia erroris non ſit circumſpiciendum. Quis hic explicabit quantus in artifice pudor, quanta in concione vniuersâ indignatio, quantus ſibilus exoriatur? quem licet ipſe, emendando opus ſuum, vtcumque compeſcat; numquàm tamen macùlam eam delere poterit, quod tali in re ac tempore tam turpiter errauerit. Qui dubitat, an hæc ſit Dei Virginem Deiparam creaturi imago; legat. S. Bernardum ſerm. 3. ſuper Salue Regina, vbi inS. Bern. ueniet: *Ob Mariam, & propter Mariam omnis Scriptura facta eſt; propter hanc totus mundus factus eſt.* hoc eſt dicere: Mundi huius inſignem machinam admiraris? hæc amphitheatrum eſt, in quo Deus toties Virgini Deiparæ producendæ prælusit, quoties creaturam aliquam molitus eſt. Itaque cùm cælum lucidis iſtis inſtruebat luminaribus, ne nimium, inquiebat, hæc obſtupeſcas curioſa gentilitas, ne diuino ea cultu proſequare: non enim dij ſunt ſed & luna, ſed Matris Dei figura: huius lux, quanta quanta eſt, nonniſi vmbra eſt eius ſplendoris, quo Mater mea rutilabit. Quando elementorum quadrigam diſcordi concordiâ omnium vitam iubebat vehere, omniumque interitum; Symbolum ponebat illius feminæ, in cuius manibus repoſiturus erat ſalutẽ omnium. Rurſum ſi quid in metalis rarum, ſi quid in gemmis pretioſum, ſi quid in herbis Salutare, ſi quid in tota rerum vniuerſitate varium, id totum eo teferebat, vt Virgo Maria in fine ſæculorum producenda adumbraretur. Huc piſces, huc aues, huc animalia ſpectabant, huc tot opera, quæ in Scripturis commemorantur ſupernaturalia, referebantur; vt vel obſcurè cõcipere poſſet mortalium ruditas quid tandem molituros erat omnipotens, quando potentiæ ſapientiæque ſuæ vires infinitas per tot creaturas ludentes erat in vnum conuocaturus, vt ſeriò Matri ſuæ formandæ intenderent. Ad hoc præcurrebant tot creaturarum corruptibilium, incorruptibilium, ſpiritualium, corporearum intellectualium, ratione carentium, viuentiũ & inanimatarum ſpecies, vt omnium qualitatibus, proprietatibus, virtutibus, gratiis, priuilegiis exprimeretur dignitas, gratia, virtus, innocentia, puritas illius, quæ, præter omnium creaturarũ perfectionem, etiã comprehenſura erat omnium Creatorem. Hanc, inquit S. Bernardus, concitauerat Deus mundum creando, Scripturam condendo, exſpectationem eius operis, propter quod omnia iſta fabricauerat. Quid? an dicemus, eo die, quo in conſpectu Angelorum & hominum iam erat producenda iſta tam exſpectata & toties commemorata Virgo, Deum operi ſuo indormiiſſe, vt turpiſſimã, fædaque peccati leprâ coopertam produxerit, cuius toties ſplendorem ipſe iactauerat? Credendumne eſt, eum non potuiſſe immaculatam creare, quam cupiebat, quatenus poterat, ſcientiæ ſuæ & potentiæ commenſurare? Quis iſte fuiſſet, vt ſic dicamus, Dei in conſpectu Angelorum rubor, quando illos videret ſuam innocentiam huic peccatrici præferentes? Quæ infamia coram hominibus, dicentibus eum à prima hominum ideâ, cùm Adam & Eua fuiſſent in ſtatu innocentiæ producti, & Maria, quam omnibus omninò cupiebat prælatam, eſſet peccato originali commaculata? Quid cauſæ eſſet Virgini ſeſe piè iactandi; *Quando præparabat cælos aderam, quando certâ lege & gyro vallabat abyſſos, quando æthera firmabat ſurſum, & librabat fontes aquarum &c. Cum eo eram cuncta componens*; ſi ipſa prodibat tam incompoſita, vt plus requireretur ad eam componendam, quàm ad creaturæ totius molitionem? Quid cauſæ Deo oſtentandi ſuam in Matre producenda potentiam & opulentiam, cùm argui poſſe videatur vel defectûs, ſi non potuiſſet; vel auaritiæ, ſi non voluiſſet, Matrem ſuam innocentiæ originalis diuitiis locupletare? Profectò non puderem, ſed potiùs ſuperbiæ (vt humano more loquamur) periculũ oſtendit, quando anthropopathicos Prouerb. 8.

de

de Matre loquens in Canticis, ait: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Quod rabbi Salomon transfert, quia ipsi me superbire fecerunt. quasi dicat: Adeò me non pudet productionis Matris meæ, licet ingentem anteà concitauerim eius expectationem; vt potiùs periculum sit ne inde superbiam, auolémque iactantiâ quadam & nimiâ complacẽtiâ à me: subducas ergo te nonnihil, abeasque ab oculis meis sponsa dilectissima, quia propemodùm euanesco tui contemplatione, quando memetipsum admiror quod creaturam tam puram, tamque perfectam potuerim moliri. Non cadit hæc magis in Deum iactantia, quàm cadit pœnitentia; at tamen qui olim dicebat: *Pœnitet me fecisse, hominem* quia is erat totus peccatis & carnis voluptatibus immersus, idem nunc dicit: *Ipsi me superbire fecerunt*, quod Virgo esset suprà modum, & suprà quàm intellectus creatus concipere potest, pura & immaculata, & ab omni peccati commercio segregata.

Sit ergo altera, quæ ad Deum ex impura Virginis Conceptione veniret, infamia, quod cùm tanta promisisset de Virgine, orbemque implesset mirâ quadam expectatione, in eius Conceptione, sui quodammodò oblitus, produceret opus imperfectum, quod statim foret emendandum, cùm aliàs multa fecisset, in quibus hunc errorem non erat animaduertere. Si quis Deo in faciem (sit verbo reuerentia) tantum errorem obiiceret, an non erubesceret, si verè; non indignaretur, si falsò obiiceretur? Indignari profectò videtur ad obiectionem, apud S. Aug. tom. 6. l. 5. de hæres. c. 5. vbi tanto cum zelo amouet à se hanc totam, & tantâ asseueratione pronuntiat se non commaculasse Matrem suam, eam formando; vt mirum videatur quemquam audere etiamnũ dubitare: *Si potui* inquit, *inquinare, cùm eam facerem: potui in illa inquinari, cùm ex ea nascerer.* Quis non credat Deo iuranti per sanctitatem & munditiem suam à peccato; quod Matrem suam ab eodem seruauerit immunem? Idem est atque si diceret: Quam certò credis me fuisse in vtero Matris meæ ab omni peccati labe alienum, tam parum dubitare potes de munditiæ & immunitate Matris meæ: hoc enim affirmo, quòd si ipsa peccatum habuit, ego quoque illud habui. Non sequitur quidem ex peccato Matris, Filij peccatum; sed asseuerandi modus est, quo Filius hîc vtitur. Sed videamus, quænam præterea sequatur in Filio ex ipso peccato Matris infamia.

S. AVGVST.

CAPVT XV.

Alia infamia, quæ redundasset in Deũ ex Mariæ peccato.

ALIA rursùm infamia, quæ redundasset in Filium ex Matris peccato, proditur à Sapiente Eccles. 3. *Gloria hominis ex honore parentum, & dedecus Filij, pater sine honore.* Eccles. 3.

Quod Virgini Deiparæ & Christo sic applicat Arnoldus Carnotensis lib. de laud. Virg. *Manifestum est indiuiduam esse Matris ac filij gloriam, & commune esse vtriusque præconium.* ARNOLDVS CARNOTENS.

Et Christus fatetur apud Dauidem Psalm. 68. se tangi iisdem opprobriis, quibus Pater appetitur: *Opprobria*, inquit, *exprobrantium tibi, ceciderunt super me.* Psal. 68.

Eadem autem est Filij ad Matrem quæ ad Patrem relatio: si ergo sentiat quæ falsò à blasphemis iactantur in Patrem opprobria; quomodo non tangeret eum vera Matris infamia, si nimirum ea fuisset peccati & diaboli mancipium? Reclamat propter indecentiam summam Apostolus ad Hebr. 7. *Talis enim*, inquit, *decebat* Ad Heb. 7.

bat vt nobis esset Pontifex, Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cœlis factus. Quæ verba, si expendantur, magnam habent vim ad probandum id quod intendimus. Certum est enim, quod non ita diceret segregatum esse à peccatoribus Pontificem nostrum, vt nõ ederet, biberet, & viueret cum iis, quandoquidem venerat peccatores saluos facere: sed eâ segregatione, quæ illum liberaret omni eâ, quæ redundare potest ex peccato, infamiâ.

Quàm studiosè Christus se segregauerit à peccatoribus.

Aduerte, si libet, quam hoc studiosè cauerit ab initio, segregando & sanctificando sibi peculiarem populum; qui ne gentibus misceretur, cauterio signabatur circumcisionis: rursùm ex ipso illo populo familias sibi quasdam segregandò, quas singulari dotaret sanctitate, vt longiùs semper abiret à peccati nota, quò magis appropinquabat aduentus suus, & quò magis videbatur in parentibus suis delere omne peccati vestigium: vt apparet in sanctissima familiâ Ioachimi & Annæ, qui lectissimorum par coniugum, ambulantes coram Domino, sine vllâ querelâ referebant felicitatem paradisi vitæ innocentiâ: hinc orta virgo illa, quæ semper virgo permansit, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit; vt Matrem haberet tam puram & tam segregatam à peccato, quàm poterat homo purus etiam per diuinam potentiam existere. Ita enim prorsùs decebat habere nos Pontificem segregatum à peccatoribus, vt ne vel leuissima carnem eius tangeret peccati macula: (nam anima fieri non poterat vt quidpiam haberet cum peccato commercij) tetigisset autem, si verè liceret affirmare carnem illam, quæ fuit à Matre, Spiritu Sancto cooperante, decisa, vt indo Deo corpus formaretur, aliquando fuisse carnem peccati, peccato subditam, atque diabolo mancipatam.

A Virginitate corporis colligitur immaculata Conceptio.

Omitte carnem. Hoc notandum, quod S. Augustinus dicat Virginem Deum feliciùs mente, quàm corpore concepisse; & S. Leo serm. de Natiuit. Christi: *Priùs concipere mente, quàm ventre.* Iam scimus quantâ Angelorum custodiâ, quantâ gratiarum abundantiâ, quantâ miraculorũ prodigalitate seruata fuerit Virgo, vt casto corpore Deũ pareret an minore cura seruatam existimamus munditiem animæ, vt castâ mente conciperet, cùm expressè à Scriptura anima, quæ peccauit, vocetur fornicaria & adultera? Matth. 12. *Generatio mala & adultera.* Ierem. 3. *Fornicata es cum amatoribus multis.* Ne ergo dicamus Christum Dominum, in quantum conceptus est animo Mariæ, Filium esse adulteræ; Fateamur cùm Origine homil. in Isaiam, quòd *Similis ventri corporis, venter est animæ*: si hic credendo, ille concipiendo editurus est Saluatorem, vterque sit illibatus, vterque intactus. Sit Maria,, ex Ambrosij sententia, *Virgo non solùm corpore, sed etiam mente.* An corpori mortuo Seruatoris tantus deferetur honos, vt ponatur in nouo monumento, in quo nondum quisquam positus erat; & ipse Christus concipiendus mente B. Mariæ reponetur in loco, vbi priùs diabolus, aut, diabolo peiùs, peccatum recubuerat? *Vbique* (ait Maximus Taurinensis homil. 2. de cruce & sepultura Domini) *Beato corpori defertur sanctitas, vbiq; virginitas: nouus illud venter concipit, nouus tumulus includit.* De anima, tanquàm si dubium non esset, omittit; sed S. Augustinus expressit, dicens Luc. 1. *Feliciùs gestauit corde, quàm corpore.* Maxima corporis felicitas est, quòd sit Mater sine corruptione; mentis verò, quòd redempta sit absque peccato. Omnia ergo munda, sepulchrum sine cadauere, venter sine corruptione, anima sine peccato, ne cum ignominia exprobretur Christo quod magis curæ ipsi fuerit sepulchrum corporis sui, aut corpus Mariæ, quàm animus Matris suæ.

Ex Origine.

Item à Sepulchri nouitate.

Maximvs Taurinensis.

Avgvst.

Referor iterùm ad citatam superiùs ab Apost. sententiam; vbi quinque conglobat titulos, vt ostendat quã alienus & segregatus esse debebat

bat à peccatoribus noſter Pontifex: *Sanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, excelſior cælis factus.* Alios in præſentiarum omitto, quod iam oſtenderim quàm ſe & ſuos à peccatoribus ſegregauerit ab initio teſtamenti. Vltimus habet non ſolùm aliquid admirationis, ſed etiam aliquid quod probet vehementer noſtrum intentum. Admirandum, quid habeat connexionis aſcenſio ſuper omnes cælos, cum eo quod agit Apoſtolus, vt oſtendat eum eſſe ſegregatum à peccatoribus? Si deſcribit eius ſanctitatem & innocentiam, quid ita ſubitò tranſilit ad gloriam? numquid aufertur extrà propoſitũ Apoſtolus? nequaquã. Sed vltima ſententia non tantùm eleganter, ſed etiam fortiter priores amplificat & confirmat: nullâ enim phraſi ſignificantius explicari poteſt, quàm fuerit ſegregatus à peccatoribus, quàm quod ſit excelſior cælis factus. Indicat hoc S. Thomas epiſt. ad Hebr. lect. 4. *In tantum*, inquit, *Chriſtus ſeparatus à peccatoribus, quod etiam factus eſt excelſior cælis, & ſuper omnem creaturam eleuatus.* Qui ratiocinandi vim capere deſiderat, recordetur quod *cæli non ſunt mundi in conſpectu eius, & in Angelis ſuis reperit prauitatem*, Iob. 4. Deiecti quidem erant rebelles, & rudentibus peccatorum detracti ſunt ad inferos: habent tamen eorum ſedilia neſcio quid maculæ, quod in iis fuerit perpetratum peccatum. Aſcendit vſque ad illa poſt reſurrectionem ſuam Dominus, quæritque commodum maieſtati ſuæ locum: verùm iſthic non quieuit, ſed omnia tranſcendit, aſſideréque ad dexteram Patris ſui *excelſior cælis factus*: non quod maieſtas eius non eluceret vbique, vel quod à loco mendicaret dignitatem; ſed quod ſit tam amans puritatis, vt non ferat locum, in quo fuit vnquam peccatum. Compara nunc aſcenſum hunc ad dexteram Patris cum deſcenſu in ventrem Matris ſuæ, vltimum greſſuum ſuorum cum primo: ſit in vtroque proportio puritatis, vbiq; ſit locus, in quo non triumphauerit culpa. Aſcendat ad regionem cæli altiſſimam, quam non inhabitarunt Angeli peccatores: deſcendat ad viſcera humillima Virginis, vbi nunquam inuentum eſt peccatum: ita exigit ratio, efflagitat Chriſti gloria, ne dicatur habuiſſe Matrem peccatricem, conſtare carne peccatrice, & editus à Matre in lucem, quæ fuerat diaboli adultera. Quis Iordanis, imò quis oceanus vnquam eluiſſet hanc maculam, ſiquidem eâ fuiſſet vnquam Saluàtor mundi contaminatus, cum fieri nequeat, vt quod ſemel accidit, non acciderit; ſemperque dici poſſet, puriorem nos habituros, fuiſſe Pontificem, ſi fuiſſet matre natus famæ prorſùs integræ, quæ vt corpus habebat omninò intactum & incorruptum, ita habuiſſet animam nullo peccato ſtupratam. O bone Ieſu, quis eſt tam parum tui amans, quis pro accepta per mortem tuam ſalute tam ingratus, qui non vellet vitâ & ſanguine hanc gloriam tibi comparare, ſi eâ tu careres, & eſſet vllâ ratione recuperabilis? Quis putat Virginem Deiparam tam parum fuiſſe Dei amantem, vt dum cogitabat qualis iſta eſſet ſalutatio, omniaque diuini conſilij ſalutiſque noſtræ momenta prudenti mentis agitatione librabat, non dictura fuiſſet: Non ego apta ſum, quæ eligar in Matrem Dei, ſi cognouiſſet ſe peccato originali fuiſſe contaminatam? rogaſſet illa profectò pro ſuo erga Dei gloriam zelo, vt aliam eligeret, quæ eſſet libera ab omni næuo, ne dici poſſet Dei filius, filius peccatricis: fuge, fuge, dixiſſet illa Virgo ſuprà omnia ſeraphim flagrans amore Dei, fuge dilecte mi & quære tibi aliam matrem, quæ feliciori ſorte nata ſit, quàm ego fuerim; hoc non tantùm tibi erit glorioſius, ſed mihi etiam delectabilius: magis enim me recreabit videre te filium alterius virginis cum ea gloria, quòd matrem habueris omni prorſùs peccato liberam; quàm ſi ego mater tua ſim, cùm ex mea illa gloria ad te peruenturum ſit dedecus ingens, quod ſis filius peccatricis. Ego ſanè ita exiſtimo (nec me fallit ſublimis & exag-

Aſcenſus Chriſti ſuper omnes cælos, probat immaculatã Conceptionem.

S. Thom.

Iob. 4.

Noluiſſet Maria eſſe mater Dei, ſi fuiſſet concepta in peccato.

gerata, quam habeo de amore Virginis, opinio) quandoquidem totum incarnationis mysterium in Virgine perficiendũ, libero eius arbitrio Deus reliquerit, & ambitiosè adornatâ legatione consensum eius efflagitauerit, Mariam nullâ ratione consensuram fuisse vt illa perficeretur in sese, si cognouisset se aliquando fuisse peccato originali infamem. Argumento forti persuadebat olim Dauidi Bersabeè, vt daret filio suo regnũ: *Si enim alteri dederis, erimus*, inquit, *ego & Filius meus peccatores*. Fortiùs sanè Deo Patri dixisset Maria: si nascatur ex me Filius tuus, cùm fuerim peccato originali contaminata; erit ipse mecum peccator, nec vnquam poterit eam diluere infamiam. Altò descẽdebat in infinitam pænè humilitatis abyssum, quando suam vilitatẽ cum eâ, quæ offerebatur, dignitate conferebat. Sed cùm omnia examinasset, inuenit se quidem humilimã Dei ancillam indignam suâ exparte quæ tanto honore afficeretur; sed diaboli sese ancillã vel esse, vel fuisse non reperiebat. Obiiciebat illa difficultatem petitam ex proposito suæ castitatis: certè illam, quæ petenda fuisset ex Dei qualiquali propter suã maternitatẽ infamiæ nota, non subtiuisset. Igitur profundum Mariæ in tali articulo hac de re Silentium habeo pro fortissimo innocentiæ argumento: & ipsam admissionem maternitatis diuinæ verbis expressam quàm potuit humillimus puto confirmare sententiam nostram, vel quod eam prorsùs non admisisset pro suo erga Dei gloriam zelo, vel certè humiliùs dixisset. Ecce peccatrix, ecce ea, quæ fuit aliquando ancilla diaboli, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*.

1. Reg. 1.

CAPVT XVI.

Ignominiã Matris nudæ à gratiâ comparẽtis in orbe terrarum nõ sustinuisset Filius, proindè eam iustitiâ originali præuenit.

IAM benè partes suas egit pater Filij prodigi in Euangelio, vt argumento seruire possit, vnde colligamus quid fecerit Matri suæ Dei Filius. Non recensebo tot amoris signa, quæ perdito, nudo, & famelico Filio monstrabat: vnum eximo, verè eximium, quod Scriptura narrat; dicens: *Cecidit super collum eius; dixit autem seruis suis. Citò proferte stolam primam, & induite illum.* Non opponam me seni, ruenti in amplexus Filij, clamitantis: vide, ô bone, quid agas, siste tantum amoris impetum; & si fortè ætatis tuæ, filiique adolescentiæ oblitus es, saltem delicti eius, tantæque, quâ te affecit, molestiæ recordare; de pænis tanto flagitio dignis, non de amoris beneuolentiæque demonstrationibus cogita. Frustrà enim sint hæc apud parentem: potiùs ergo affectûs proprietatem & amoris ingenium contemplemur, quàm impediamus. Contẽplatus autem eundem amoris actum S. Petrus Chrisologus Serm. 3. ait *Delicta non videt vis amoris. Sustulit Filij crimina, qui non sustulit nuditatem. Hinc est quod à seruis antè vestiri filium voluit, quàm videri.* Quia amor est studium procurandi bonum ei, quem diligis; ideò semper honoris, qui maximum est bonorum, promouendi, aut ignominiæ auertendæ est studiosissimus. Quod vel in hoc patre apparet. Primus Filio suo occurrit; a vestibus pænè nudum, situ tantùm & squallore obsitum deprehendit. Quid pater? non alio est opus iudice quàm ipso amore, vt statim cogitet plenam

Luc. 15.

S. Chriso.

ignominiâ

ignominiâ fore istam speciem, si ita coram seruis domesticisque appareat. Quid ergo? dum vestes non sunt ad manum, cecidit super collum eius; brachiis ac toto corpore filium tegens, ne cui appareat eius ignominia: *Non sustinuit nuditatem, & à seruis antè vestiri voluit, quàm videri. Date*, inquit, *calceamenta in pedibus. Ne vel in pede*, ait Author citatus, *remaneret deformitas nuditatis*; proprium enim est amoris, dilecti præcauere ignominiæ. Etiam hoc studium erat Iosephi, Patriarchæ sapientissimi & fratrum amantissimi, quando *præcepit vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset agnitioni mutuæ.* Quid causæ? noluit vllâ dilectos fratres suos afficere ignominiâ, quæ necessariò sequebatur, si agnitioni, quæ fieri non poterat sine commemoratione domestici sceleris, externi interfuissent.

RVPERTVS *Benè*, inquit Rupertus lib. 9. de Trinit. & operibus eius cap. 11. *non enim alienis communicanda erat domestici notitia sceleris, neque sub eorum præsentiâ priùs frater dicere voluit rem tantæ confusionis, quam ferre non potuerunt fratres.* Si hæc sit patris erga filium, imò fratris erga fratrem præcantio: quid dicemus de Filij istius erga matrem amore, qui fratrum, filiorum, & parentum in vnum collectam superauit dilectionem? an eum putas Matris nuditatem & ignominiam sustinuisse, quam prohibere poterat? De Zebedæi con-

S. AMBR. iuge ait S. Ambrosius, vt excuset pænè temerariam eius ambitionem: *Matrem considerate, matrem cogitate; considerate matris dilectionem: mater est vtique pro filiorum honore sollicita.* Quidni ego dicam opponentibus immaculatæ conceptioni nescio quem iustitiæ rigorem: Filium considerate, Filium cogitate; considerate Filij dilectionem; Filius est vtique pro Matris honore sollicitus? Quomodo autem dici posset sollicitus pro matris honore, si quando illa comparebat primùm in orbe terrarum, non antè vestiri eam voluisset, quàm videri? Vestimentum animæ

Ad Rom. 13. est gratia, vt patet per Apostoli exhortationem: *Induimini Dominum Iesum Christum.* & Apocal. 3. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum, vt vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ.* Iterùm Ezech. 6. dicitur: *Eras nuda & confusione plena, & tempus tuum tempus amantium, & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam, & iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum.* E quibus verbis colligitur, ignominiosissimâ nuditatem esse gratiæ priuationem; de qua dici mereatur: *Confusio nuditatis tuæ, & operui ignominiam tuâ.* Imò amplius, quod maximè Deus amorem suum ostendat, eam cooperiendo: *Tempus*, inquit, *tuum, tempus amantium, & expandi amictum meum &c.* Quis ergo dubitabit, quin hac ignominiâ liberauerit Matrem suam Filius? quin gratiæ originalis vestimento eam cooperuerit, priusquam oculis Angelorum dæmonumque eam visendam præbuerit? quin patris Euangelici adinstar priùs eam vestiri voluerit, quàm videri à creaturis, quæ ei erant seruituræ? Pro Apostolis suis in re magni quidem, minoris tamen quàm hæc est, momenti, eam auertendę ignominię sollicitudinem habuit Christus; & non habuerit pro Matre? *Sedete*, inquit, *in ciuitate quoadusq; induamini virtute ex alto.* Varij varias adferũt rationes: S. Chrysostomi in catenâ, est, quòd noluerit milites suos spirituales mittere in campum, priusquam eos conuenienti, & ad omnes occasiones sufficienti armaturâ indueret. *Sicuti milites*, inquit, *Dux exire non sinit, donec armati sint; ita discipulos suos ante Spiritus Sancti descensum ad conflictum egredi non permisit.* Quæ licet optima sit ratio mandati discipulis dati; inuenio tamen in eo nescio quàm amoris Christi dulcedinem, præcauentis honori discipulorum suorum, ne scilicet rudes adhuc & non satis instructi periculo exponerent se, nomenque suum vel ignorantiæ, vel minoris certè sapientiæ maculâ conspergerent. Et S. Gregorio lib. 3. Pastor. off. cap. 26. ratio hæc suboluit; dicit enim: *Ne imperfecti prædicare præsumerent, & viam sibi sequentis melioris abscinderent.*

Luc. 24.

S. CHRYS.

S. GREG.

Iam quidem per quadraginta dies eos instruxerat, sed nudi adhuc erant à vehementi ista & superabundante gratia: vestiri ergo eos prius voluit, quàm à mundo vniuerso videri. Ideo non dixit, donec accipiatis, sed *donec induamini*; integram tutelam & absolutum tegmen spiritualis velaminis indicans. Qui tam sollicitus erat pro amictu discipulorum antequam comparerent coram eis, ad quos mittebantur: quid putas eum fecisse pro induenda Matre antequam videretur ab iis, quibus erat imperatura. Profectò non scio quomodo credet Filij erga Matrem amorem, qui eum non putat ipsius defendisse honorem? Quà fronte sustineret videre confusionem nuditatis maternæ Filius, qui posset eam prohibere? Non habet opus deductione hoc argumentum, cùm per se inferat immaculatam Virginis conceptionem.

CAPVT XVII.

Non videretur Christus Filius Dei, si Mater esset contaminata peccato originali.

NIHIL dissimulandum est: omnis vndeque eruenda ignominia, quę caderet in Filium Dei ex Matris peccato originali. Generosè sanè dicebat S. Ildephonsus: *Si materna viscera sordibus ex vitio primæ damnationis coinquinasset, Christus non esset Filius Dei naturalis.* Adhuc vibrat in auribus ista sententia, & seueritate tantâ imaginationem & mentem trahit ad sui contemplationem. Diuinitatem negat ei, qui Matrem suã sinit peccatis coinquinari. Quod vt verum esse intelligatur, diuinitatem imaginari oportet telam pretiosam, ex pretiosissimis infinitæ potentię attributorum imaginibus contextam, sic vt nullam earum possis eximere, quin telam lęseris. Qui ergo negat aliquod attributorum Christo, negat eum esse Filium Dei. Iam sic argumentatur S. Ildephonsus: si diuina attributa habebat Christus, quomodo satisfaciebat pietati; quam filius debet parenti, si eam à peccato non præseruabat? Si autem non præseruabat, quia carebat illis, quomodo fuit Filius Dei? L. fin. quis à liberis ff. de lib. ag. dicitur: *Iniquissimum est patrem aut matrem egere, cuius filius sit in facultatibus.* Iniquitas sanè abominanda, filium superbè profundere diuitias ad ostentationem, patrem miserrimè egere necessariis ad vitam. Quis ferat hominem, qui conseruare nolit vitam ei, à quo accepit suam? Quæ impietas excogitari potest maior, quàm vestem negare ei in senectute, quæ te brachiis & corpore suo texit in tua infantia? Quæ maior filij ignominia, quàm mendicare patrem, dum ipse in medijs triumphat opibus; dum epulatur, famere matrem, quæ ipsum sanguine suo pauit? *Iniquissimum est patrem aut matrẽ egere, cuius filius sit in facultatibus.* Diues & opulentus sanè est Christus tot diuinitatis triumphans attributis. Diues in bonitate, teste Apostolo. *An diuitias bonitatis eius contemnis?* Ad Rom. 2. Diues in Sapientia: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* De misericordiá habes: *Diues in misericordia.* De diuitiis omnipotentiæ: *Omnipotens nomen eius.* De gratia: *Vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ.* Quid singulas diuitias eius commemorem quandoquidem *thesaurorum eius non est finis?* Isaiæ 2. Hasce possidet Filius Dei, possiditque ab omni æternitate, diuitias: à qua ipsa æternitate tam certò prædestinauerat Virginem Mariam in Matrem suam, vt iam non sit certiùs eam esse, quàm tum erat futuram Matrem Dei. Cùm ergo bonitatis sit communicare se quibuscumque potest modis; sapientiæ, offerre media ad exequendum quod conceperis; misericordiæ, mala vel

S. ILDEPHONSVS.

Diuitiæ Filij Dei non sinunt Matrem esse in egestate peccati originalis.

Ad Rom. 2.

Ad Ephes. 2.

Isaiæ 2.

la vel auertere vel auferre; potentiæ, voluntati ministrare; gratiæ denique, vel peccata delere vel ab iis præseruare: quid videretur de Filio Dei, si ipse tantis incederet ornatus diuitiis, & sineret Matrem omnium egenam, & peccato, hoc est, miseriarum omnium colluuie coopertam, antè cæli ianuam mendicare? si faceret, deesset profectò ei pietas, quam filius debet parenti suæ. Quod ne cogitetur, satis, credo, mouebit Saülis primi Regis Israelitarum miseria. Rex iste iussu Domini profectus contra Amalech, eum deuicit, capitique eius & præcipuis de populo, postquàm cæteros igne & ferro vastasset, pepercit. Displicuit ea res Domino, displicentia iram peperit, ira ad grauissimam hanc sententiam
1. Reg. 15. processit: *Pro eo ergo quod abiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus ne sis Rex.* Nunquam visum antehac mansuetudinem & misericordiam auferre coronas, lacerare purpuram, sceptraque diffringere, regios titulos exstinguere, & imperio priuare; contrà semper audiuimus; *Mansueti autem hæreditabunt terram, & Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.* & Dauid, post istud exemplum, maximam spem posteritatis trabeatæ ponit in ista vitute: *Memento*, inquit, *Domine, Dauid, & omnis mansuetudinis eius.* Et si fortè non valeret illa ad exaltandos homines in terra, certè ad mouendam Dei in suos misericordiam valere debebat: nam mansuetudo, clementia, & charitas erga proximum, cooperiunt peccata nostra, ne ea Deus aspiciat ad vindictam. An fortè solus Deus cupit misericordiæ
Isaiæ 30. laudem? de quo Isaiæ 30. *Exaltabitur parcens vobis.* Non hoc dici potest, quin nos vocet in eius participationem, dicens: *Estote misericordes, sicut & Pater vester cælestis misericors est.* Luc. 6. Quid ergo tantum concitat in Saulem vindictę rigorem, dicet
Theod. Theodoretus qu. 34. in lib. 1. Reg. *Oportebat stultum intelligere, quòd vna gutta diuinæ benignitatis & clementiæ vincit hominum benignitatem.* Videsne vnde tantus rigor vindictæ in Regem arrogantem? Iudicabat ipse diuinam misericordiam, eamque anteire cupiebat importuna sua clementia: Cùm oportuisset stultum cogitare; quod vna gutta diuinę benignitatis & clementiæ vincit omniũ benignitatem. Vnica gutta vincit omnem nostram benignitatem: & nos, qui tantùm guttam benignitatis ostendimus erga Matrem Dei, vellemus eam peccato originali liberam, vellemus omni gratiarum genere abundantem; & Filius Dei, qui in ipsam effudit totum benignitatis & misericordiæ suę oceanum, non voluerit eam immaculatam, & ab omni peccato præseruatam? Nefas sit hoc nobis cogitare, qui scimus quod vna gutta diuinę benignitatis & clementiæ vincit omnium hominum benignitatem Ne ergo putemus plus nos Virgini optare quàm Filius: & firmissimum argumentum sit, licet omni aliâ probabilitate careret immaculata Conceptio, pertinebat ad amorem Filij in Matrem, vt eam prę-seruaret; ergo prę-seruauit: nec enim esset Filius Dei, si amoris sui erga Matrem debito non satisfeciisset. Erat famosa (inquit S. Hieronymus Hieron. in qq. Hebraic. in Genes.) *quæstio, & omnium Ecclesiarum disputatione ventilata* de annis Mathusalem: nam, si computationem Septuaginta sequamur, sex integros annos post diluuiũ vixisse videbitur, cùm non fuerit ex octo animabus arcã ingredientibus, & licèt, secundùm Vulgatam, ipso diluuij anno explebat annum nongentesimum sexagesimum nonũ, tamen incertum manet, cùm anno diluuij mortuus sit, an ipso diluuio perierit, an parùm ante mortuus fuerit. Determinat autem Caietanus Caiet. valde probabiliter, quod parum antè mortuus fuerit: *Quia*, inquit, *rationi consentaneum est, vt antè diluuium Mathusalem auus Noë mortuus fuerit, vt Noë neglectæ pietatis erga auum saluandum non arguatur.* Sufficit Noë iustitia & pietas, vt quæstio difficilis soluatur, quod nullà ratione permisisset auum suum superstitem communibus diluuii aquis inuolui: & non sufficiet

ficiet Christi erga Matrem suam amor, & tanta virtutum omnium, quanta in Dei Filio requiritur, perfectio, vt statuatur Maria communibus peccati originalis vndis non fuisse inuoluta, ne Christus neglectæ pietatis erga Matrem suam arguatur?

CAPVT XVIII.

Totius SS. Trinitatis opus erat conceptio Mariæ; ideo fuit à peccato præseruanda.

TOTAM hanc vniuersi machinam produxerat Deus tamquam exiguam & obscuram quandam Virginis Deiparæ vmbram, vt nimirum homines colligere possent quale pro Adamo secundo paraturus erat palatium, si tam amplum, tamque insigne domicilium primo construxerat. Locupletauerat deinde tum Angelos, tum homines innumeris pænè gratiæ donis, quibus suprà naturæ vires eleuati, Deo quàm proximi fierent. Cumque hæc omnia fecisset, tamquam si nihil adhuc molitus esset, nihilque produxisset quod dignum esset Matre Dei, dicit, consultando inter se SS. Trinitas: *Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est?* Cantic. 8. Nihil in tota natura producta, nihil in gratiis dignum eâ personâ, quam tantâ nobis affinitate iungemus, vt futura sit Patris filia, Filij mater, & Spiritus sancti sponsa: quid ergo faciemus ei? Huc studium, huc potentia, huc sapientia conuocanda, vt opus prodeat dignum hominum expectatione, nostraque maiestate. Quod anteà dicebamus de Filio, hîc quadrat in omnes personas: Quod nimirùm non cadat in hominũ imaginationẽ, tanto antè tempore sollicitum occupatumque esse Deum, vt in vno opere cuncta ostendat diuinitatis attributa, & illud interea nescio quale elabatur è manibus ipsius, vt necesse sit dicere ei vel potentiam, vel sapientiam, vel (quod minimè dicendum) amorem defuisse, vt filiam, matrem, ac sponsam suam immaculatam produceret: *Omnia* (inquit Germanus Patriar. Constantinop. orat. 10. de virg.) *in Virgine sunt admirabilia, naturæ vires excedentia, in qua Deus exercet potentiam*, hoc est, facit quidquid potest. Potest autem, secundũ D. Thomam, creaturam tam puram creare, vt eà non possit existere purior, eò quòd puritas fiat per recessum à peccato: ergo legitimâ sequitur illatione, Mariam talem produxit. Sed audiamus sapientissimum SS. Trinitatis concilium, si fortè inde possimus etiam argumenta pro nobis colligere: *Quid faciemus*, inquit, *sorori nostræ, in die quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eam propugnacula argentea.* Quid sibi vult, *Si murus est?* An non audio, quod si in peccato originali concepta fuisset, eam non futuram esse Dei matrem? Quid est, *Ædificemus super eam propugnacula argentea*, vel vt Hebræa dicunt, *Ædificemus super eam palatium?* hoc est, faciamus de ea Filij nostri domicilium. Sic enim loquitur S. Gregorius Neocæsariensis: *Missus est Gabriel ad animatum Regis Angelorum palatium.* Ergo consultatio Sanctissimæ Trinitatis id videtur velle: Videamus an murus sit inconcussus & immobilis, an nusquam hiet, nusquam rimas agat; nusquam collapsus sit aut collabetur, vt ædificemus super eam propugnacula argentea in palatium Filij nostri. Hoc significat, modo nostro loquendi, hæc diuina deliberatio: quam si iam magis, secundùm modum operandi diuinum, explicare velimus, cùm ipsius esset eligere, & dignam officio ad quod eligebat Matrem suam efficere, idem est ac si diceret: Quia ex Maria volo palatium Filij mei efficere, & propugnacula argentea in ea ædificare, videndum vt murus illa firmus, sit funda-

GERMANVS.

Murus est Virgo Deipara, qui solidissima habet fundamenta, sine vitio aut rima.

S. GREG. NEOCÆSARIENS.

fundamenta vitium non habeant, aliàs indignum esset tantum ædificium superædificare fundamentis ruinosis, quæ haberent latentem in se cariem & corruptelam peccati originalis. Exponit S. Aponius Martyr: *Hic ædificemus super eum propugnacula argentea, in quantum à sæculis redemptionis nostræ splendor emicat, in quantum tutissimum constitit à diaboli sagittis.* hoc est, tam fortia, tam splendida, tam extraordinaria hîc ædificemus propugnacula, vt omnibus sæculis videri possit in iis splendor redemptionis humanæ, quam molior; & omnes intelligant me tutum fuisse à demonis sagittis & peccatis in turre, quæ nunquàm fuit ab ipso læsa. Apud Theologos res est extra controuersiam, præcipuam causam cur Filius hominis in orbem descenderit, fuisse destructionem peccati originalis. ideò verba ista solemnia: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, Græci legunt, *qui tollit peccatum mundi*, hoc est, peccatum originale. Vt ergo à sæculis redemptionis nostræ splendor emicet, hoc est, vt appareat in eâ finis aduentus mei, & perfectissimus redemptionis modus, liberetur à peccato originali antequàm illud contrahat; & fiant in eâ tam fortia propugnacula, vt hostis ea vel accedere vereatur. Consonat huic expositioni S. Ambrosius lib. 62. in Lucam: *Nec mirum, si Dominus redempturus humanum genus, operationem suam inchoauit à Matre; vt per quam salus hominibus parabatur, eadem prima haberet fructum ex pignore.* Veniebat redempturus hominem à peccato suo, originali in primis; quo non ablato nulla patebat ad salutem via: nihil ergo mirum quod à Matre suâ incipit redemptionem, modo quàm fieri poterat nobilissimo; scilicet eam præseruando à culpâ, quòd non deceret inquinari eam, per quam ceteris parabatur liberatio: ædificabat super eam propugnacula argentea omnium gratiarum, quæ longè auerterent hostem, vt Filius hominis saltem in Matris vtero tutò quiesceret, nec timeret hostiles insidias, quem prodeuntem in lucem tyranni, peccatores, dæmones, & tandem carnifices persequerentur. Ideò posuit in eâ propugnacula omnium gratiarum & omnimodæ puritatis ab initio. Aliter legit & explicat hæc verba, *Aedificemus super eam propugnacula argenta*, Nicolaus de Lyra, dicitque: *Adiungamus ei principes ad defensionem infirmorum.* Infirmi erant, qui anteà volebant quidem, sed vixdum audebant publicè profiteri immaculatæ Conceptionis mysterium: pro horum defensione adiungendi Principes, qui cæteris authores sint audendi & generosè defendendi honorem Virgineũ. Plurimi in orbe Christiano Principes insigniter hac laude floruerunt: palmam tamen pietatis hic ceteris præripuerunt Reges Hispaniæ, quorum feruor conspirasse in hoc vnum videtur, vt quam ipsi mancipiorum obsequio colebant Reginam, vndequaque immaculatam ostenderent, dignamque, quæ non à Regibus tantùm, sed ab Angelis etiam, omniquè creatura, simili demissione coleretur. Nil opus est omnium catalogum pertexere, cùm constet iam inde à plusquàm mille annis Suyntillam Regem, qui regnabat anno 630. Patres euocasse ad Concilium Toletanum quartum, vt decretum de hoc mysterio particulare sancirent; vt ipsum testatur Concilium, dicens: *Cuius deuotio ad hoc decretum salutiferum euocauit.* Deindè Iswindus Rex obseruari decreuit ea, quæ S. Isidorus circà hoc festum ordinauerat in suo Breuiario. Bambanõ tantùm defensor, sed etiã instaurator fuit huius festiuitatis. Aragoniæ Rex Ioannes I. grauissimas interminatur pœnas non seruantibus Festum immaculatæ Conceptionis. Ioannes II. Fatetur se hereditario iure ab antecessoribus suis accepisse pietatem erga immaculatam Conceptionem B. Mariæ Virginis. Inde deuoluta est eadem pietas cum Regnis Hispaniæ plurimis ad Reges Catholicos Ferdinandum & Isabellam. Quid inuictissimus Cæsar Carolus V. fecerit pro amplificatione Sodalitatis im-

Antiqua pietas Regum Hispaniæ erga immaculatam Conceptionem.

maculatæ Conceptionis, niſi omnibus conſtaret, iucundum foret repetere. Hæc ſunt propugnacula argentea, hi Principes ad defenſionem infirmorum. Sed propugnaculum nullum fortius, Princeps nullus animoſior ad defenſionem huius muri Philippo III. glorioſæ memoriæ, eiuſque pientiſſimo filio (cui Deus diu proſperet, quod tenet in vtroque mundo, Imperium:) hi enim tam animosè, tamquè fortiter incubuerunt ad defenſionem eius, vt non ſolùm hoſtes omnes, ſed etiam omne hoſtilis incurſûs periculum ab eo amouerint, quando ſumptibus, & animis ingentibus tam nobiles ad ſuam Sanctitatem Legatos miſerunt, tam inſtanter petierunt, tam læti receperunt decreta circà hoc myſterium, eoque rem perduxerunt, vt iam nemini liceat publicè os aperire, nemini calamum ſtringere, nemini vel priuatim mutire contra immaculatam Conceptionem B. Mariæ Virginis. Ecce *Principes ad defenſionem infirmorum.* Ecce & alios, qui totâ Hiſpaniâ congregãtur ad templa, ad ludos, ad ſumptus ingentes faciendos in honorem immaculatæ Conceptionis: qui non ſecùs iam inſigni pietate decertant pro laude & honore Virginis Deiparæ, quàm olim ſolent vani Equites pro puellarum depugnare gloriâ, in eo ſtatuentes nobilitatis ſuæ decus, ſi quam vindicaſſent ab ignominiâ.

Iterùm, *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea*, exponit S. Theod. Sanctus Theodoretus (cui laude noſtrâ non eſt concilianda authoritas) *eloquia ratione ſplendentia*, gemmas ſcilicet, ſententias, apophthegmata, dictaque inſignia, qualia nobis reliquerunt Sancti Patres. Nam *Prouerb. 10. argentum electum lingua iuſti*, Prouerb. 10. Hi tam fortiter conſtiterunt, & tam conſtanter in muro iſto pro immaculatâ Conceptione, vt primis decem ſæculis nemo exſtiterit, qui vnquam pronuntiarit quidquam contra eam; verùm ab initio vibrant eloquia ſua, communi conſenſu firmiſſimum conſtituentes propugnaculum, aduerſus quod nemo vnquam potuit prævalere.

Primis decem ſæculis nemo contradixit immaculatæ Conceptioni.

Ipſo Apoſtolorum tempore clamat S. Ignatius, *Matrem Dei omnium gratiarum abundantem*: profectò indicans ei immaculatæ conceptionis gratiam non defuiſſe, quæ omnibus abundabat. S. Iuſtinus paullò poſt ait: *Nunquam de vulgo fœminam Deus elegit, quæ genitrix fieret; ſed quæ mulieres omnes virtute anteiret.* Quomodo autem omnes anteibat, ſi mulierum infeliciſſima, eadem parens & interemptrix noſtra, dicere ei in faciem poterat, ſe glorioſiorem & ſanctiorem prodiiſſe in luminis auras, quàm Mariam? Gregorius Neocæſarienſis ante mille & quadringentos annos prædicat: *Miſſus eſt ſeruus incorporeus ad Virginem inuiolatam atque immaculatam: miſſus eſt à peccato liber ad eam, quæ omnis corruptionis erat expers.* Nota verba, *inuiolatam*, *immaculatam*: &, ne tantùm referas ad corpus, *omnis corruptionis expertem*; maior enim eſt corruptio peccatum, quam caſtus mariti thorus. S. Athanaſius ante mille trecentos annos dicebat: *Idcircò gratiâ plena cognominata, eſt eò quod adimpleta Spiritu Sancto omnibus gratiis abundarit; neque enim id temporaliter in Virgine accidiſſe opinor, ſed per omnia tempora hoc illi datum fuiſſe.* Sophronius iam à mille duocentis annis dicebat: *Quidquid in ea geſtum eſt, puritas & ſimplicitas, totum gratia & veritas fuit.* Epiphanius eodem tempore: *Solo Deo excepto cunctis ſuperior exiſtis.* En puriſſimis ſpiritibus prælatam. Heſychius, tempore Gregorij Magni, vocat *turturem mundam, columbam impollutam.* Chryſippus Preſbyter Ieroſolymitanus de laud. Virg. *Cum impollutâ puellâ is, qui ſanctificat omnia.* Et quò magis accedunt ad nos, eò clariùs myſterium hoc ſunt prolocuti. Clariſſimè autem omnium, qui in medio eius quod à Chriſto ad nos fluxit, tempore, exſtitit Idiota; pronunciauit ante annos octingentos c. 2. de Contempl. *Tota pulchra es Virgo glorioſiſſima, non in parte, ſed in toto; & macula peccati, ſiue originalis, ſiue actua-*

S. Ignat. Mar.
S. Iustin.
S. Greg. Neocæs.
S. Atha.
Sophro.
Epipha.
Hesych.
Chrysip.
Idiota.

lis,

lis, siue mortalis, siue venialis, non est in te. Nihil exspectare possumus clarius: in hanc passim eunt omnes deindè sententiam, paucis exceptis, quos Virgo permisit idcircò dubitare, vt per oppositionem sententiarum magis claresceret, fortiusque inculcaretur eius à peccato immunitas. Hæc ergo sunt propugnacula, de quibus prophetabat Zacharias: *Zachar. 9.* *Circumdabo domum tuam ex his, qui militant mihi.* Custodes corporis mei, qui sunt in Ecclesia Dei Sancti Patres & Doctores; defensores Ecclesiæ meæ, qui sunt Reges & Principes Catholici; hi ponentur in circuitu muri istius, vt stent in eo tanquam propugnacula argentea, non solùm ad fortitudinem, sed etiam ad splendorem & ornatum: nam pulcherrimè miscentur ad defensionem huius mysterij Regum coronæ cum tiaris Pontificum, peda cum lanceis, infulæ cum galeis, & Principum gladij cum calamis Doctorum; fitque mutuo implexu fortissimus ornatus, & ornatissima fortitudo. *Si ergo murus*, inquit Sanctissima Trinitas, *soror nostra, ædificemus super eam* (ea, quę dixi) *propugnacula argentea*; ne quatiantur fundamenta muri vllis maleuolorum hæreticorum insultibus, vel incursibus minùs prudentium Catholicorum.

CAPVT XIX.

Maria est porta, primùm aperta à Sanctissima Trinitate: hinc magis gratiæ filia, quàm naturæ.

ALTERAM comparationem adfert, quam induximus loquentem, Sanctissima Trinitas, quâ ostendit quid fecerit sponsæ suæ virgini: *Si ostium est*, inquit, *compingamus illud tabulis cedrinis.* *Cant. 8.* Si est porta illa, quæ numquam aperta est hosti nostro, sed reseruatur vt per illam exeat in mundum Rex gloriæ: apponamus ei tabulas cedrinas, quibus significetur omnibus eius incorruptibilitas. Esse autem portam clausam dicit Ezechiel: *Porta hæc clausa erit &c.* *Ezech. 44.* Et Chrysippus: *Aue porta clausa, soli Regi aperta.* *CHRYSIP.* Sed probare non est opus portam esse Virginem, sufficit videre quomodo non fuerit vlli, nisi soli regi aperta. Probat autem hoc S. Ambrosius instit. ad Virg. capit. 8. hoc modo: *Si igitur de Christo dictum est ad Ecclesiam; Quia confortauit seras portarum tuarum; & suam portam confortare non potuit? Sed confortauit profectò, & seruauit intactam, quoniam semel clausit sanctum vterum, qui habet clauem Dauid, qui claudit & nemo aperit.* *S. AMBR.* Hanc ponit differentiam inter Virginem Mariam & cæteros Adæ filios: quòd horum diabolus clauem habet, quâ initio reserat portas vitæ; vnde fit, vt quantumcunque deinde Deus claudat seras portarum, velitque sibi soli reseruare introitum, ille semper retineat clauem suam, eamque facilè per sensus aut imaginationem immittat, vt rursùm ei aperiatur, nisi Deus manu suâ opposuerit claustrum aliud confirmationis in gratiâ; quod rarò contingit. At Virginis Mariæ clauem solus habebat Deus, ipse aperuit vitæ eius ostia, ipse portas illas gratiâ reserauit: nec vllus diabolo patuit ingressus, quòd ita bene sensus appetitusque omnes intrans Dominus ordinauerit, vt nullâ ratione cum inordinatâ eius claui consentiant. *Confortauit*, dicit S. Ambros. *& seruauit intactam*, Ipse enim solus clauem habet, clauisque est talis, vt claudat, & non est qui aperiat. *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis*: si nempè est ostium nostrum, per quod soli nos intramus, quod nulli nisi nobis aperitur; compingamus illud tabulis cedrinis, non ad defensionem, sed ostensionem eius incor-

Clauem Virginis Deiparæ solus habebat Deus.

ruptibilitatis, vt tamquam in tabulis descripta legatur immaculata cõceptio B. Mariæ Virginis. Ante ostium istud expectabat Gratia & Natura, quænam prima intraret quando à Deo aperiretur: & (teste S. Ioanne Damasceno de natiuit. Virg. orat. 1.) *Natura gratiæ fœtum anteuertere minimè ausa, sed tantisper expectauit, dum gratia fructum suum produxisset.* Non secùs ac coram Salomone, coram Deo certabant geminæ mulieres, cupientes partum sibi vtraque adiudicari; sed non tantâ pertinaciâ hæ, quantâ istæ certabant: natura namque videns gratiæ excellentiam, humaniter recessit, exspectauitque donec intraret gratia, vt puella eius tota diceretur; vnde vicissim gratia ei manum dedit, vt simul intrarent essetque Maria vtriusque filia, eâ conditione, ne quid posteà in Mariam intraret nisi scitu & iussu gratiæ. Hoc est quod S. Ambrosius dicebat: *Confortauit & seruauit intactam, quoniam semel clausit sanctum vterum, qui habet clauem Dauid, qui claudit, & nemo aperit.* Nec Ieuiter in Scriptura fundatur de duabus Virginis matribus cogitatio; dicit enim: *Vna est columba mea, perfecta mea; vna est matris suæ, electa genetrici suæ.* Vna & vnica est Virgo Maria: sed quid hîc distinctionis inter matrem & genetricem? an non mater quæ genuit, & genitrix eadem quæ mater? est ita quidem in aliis; sed in Virgine, quæ naturam agnoscit matrem & gratiam genitricem, non ita. Hæc *vna est matris* suæ naturæ; quia similem filiam, ita vndequaque omnibus suis donis perfectam, nunquam habuit: est tamen *electa genitrici suæ*; electio namque propria est gratiæ. Verùm quid hic modus loquendi adfert raritatis, & tam subita mutatio constructionis quid habet mysterij? *Vna est matris suæ* in genitiuo casu, & mox *electa genitrici suæ* in datiuo. Quod naturæ esset filia, nec mirum erat, nec probatione egebat, ideoque simpliciter in casu gignendi hoc ponit: sed quando agitur de asserendo alicui filinm, vsu datiui gaudet Scriptura; vt patet ad Rom. 1. vbi Apostolus probaturus Christum Dei Filium esse naturalem: *Qui*, inquit, *factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem.* Angelus item asseuerans Zachariæ quod filium esset habiturus Baptistam: *Vxor*, inquit, *tua pariet tibi filium.* Et ne putes otiosum esse illud, *tibi*, vide quàm id prouidè omittat idem Paranymphus quando Iosephum alloquitur. huic enim de Virgine dicit: *Pariet filium*; sed omittit *tibi*. Electa ergo genitrici suæ, vt ostendatur ita tota esse gratiæ, vt natura vix in matrem computetur, nisi in quantum præbet gratiæ fundamentum. *Electa genitrici suæ*, diuinæ gratiæ scilicet, ait Philo Carpatius & S. Anselmus lib. 6. de excell. Virg. cap. 3. dicit: *Nulli dubium est, castissimum corpus & Sanctissimam eius animam fuisse ab omni maculâ, peccati iugo, Angelorum custodiâ protectam; vtpotè aulam, quam suus & omnium Creator Deus corporaliter erat habitaturus.* Optimè Virginis, prout ab hac matre prodiit, naturam expressit S. Basilius homil. de humanâ Christi generatione: *Sanctitate compacta caro digna erat vt dignitati Vnigeniti vniretur*: non poterat esse non similis substantiæ cum matre suâ; itaque *Sanctitate*, inquit, *compacta caro.* Hoc est quod dicit Sanctissima Trinitas: *Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis.* hoc est dicere: Si ipsa futura est porta illa Orientalis, per quam ingressurus est Dominus virtutum, compingamus illud tabulis cedrinis, hoc est, virtute & sanctitate. Sed quid certitudinis est nobis ex conditionata ista locutione, *si murus, si ostium?* vnde constat eam murum esse & ostium, vt spontè fateamur ei conuenire quæ promittuntur? Iam antè conciliauimus ei ipsâ aduersariorum confessione authoritatem, ne suspecta sit, quamuis pro se ipsâ ferat suffragium; quòd sine passione & ex maxima sui cognitione id facere possit. Audiamus ergo non aliam, quàm ipsam dicentem: *Ego murus, & vbera mea sicut turris,*

S. IOAN. DAMAS.

B. Mariæ est filia gratiæ.

Cant. 6.

Ad Rom. 1.

Luc. 1.

PHILO CARPATIVS. S. ANSEL.

Cant. 8.

ex quo

ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Quid dubitas an murus ego sim? non hoc tantùm, sed vbera mea turris. Vide propugnacula argentea super murum istum; ipsa scilicet vbera, quibus lactauit Dominum, qui neque nasci, neque nutriri voluisset sanguine, qui fuisset aliquando peccatis obnoxius. Quid? an sim ostium? sum; sed ostium clausum non patens ad recipiendas vel emittendas cum Morte Furias: sed ostiũ Templi pacis perpetuæ, in quo non opus est Martem, omneque id quod paci repugnat, catenis constrictum habere, quia nihil est quod possit tantæ paci repugnare, reperi enim pacem veram. Sic iudicat Damascenus Ioannes orat. 1. de natiuit. Virg. *O Virgo diuinitùs gratiâ donata, templum Dei sanctum, quod ille Princeps pacis Salomon spiritualiter construxit!* Est ergo murus Virgo, est ostium: fundamenta muri Conceptio purissima, supra quam possunt construi propugnacula quantumcumq; magna & pretiosa. Ostium compactum est tabulis cedrinis gratiæ & sanctitatis; nihil ergo in ea vitiorum, aut peccatorum.

S. Ioan. Damas.

CAPVT XX.

Immaculata Virginis Conceptio est tertius murus ciuitatis Ierusalem; item terra noua, recenter inuenta.

VIx aptiùs quidquam cecinit Regius Psaltes ad prędicandam immaculatam Virginis Conceptionem, quàm verba hæc Psalmi 86. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* Non nego ad litteram mentionem hîc fieri Ecclesiæ sanctæ, quam sub allegoriâ ciuitatis Ierusalem proponit, eiusque fundamenta, muros, portas, ciues, priuilegia & prærogatiuas mirè dilaudat. Sed hoc etiam negare mihi nemo poterit, quo spiritu Dauid impulsus fuit, vt per Ierusalem intelligeret Ecclesiam; eodem ipsam Ecclesiam impelli, vt per eandem significet Mariam, cantetque hunc Psalmum in festis B. Mariæ Virginis ad eius laudem & gloriam. Igitur sensu quem nobis dat Ecclesia, Ierusalem est Maria; cuius fundamenta hac festiuitate sunt celebranda. De Ierusalem narrat Iosephus lib. 6, bel- Iosephvs
li Iudaici cap. 6, quod *trino muro erat circumdata.* Non existimabant primi ciuitatis authores eam peruenturam esse ad istum spendorem, quem postea habuit, itaque sufficere videbatur si muro vnico, pro præsenti tum re & spe satis amplo, circumdaretur: verùm crescente mox multorum concursu, ciuium multitudine, muro altero opus fuit, vt omnes includerentur; quæ amplitudo rursùm angustiæ fuerunt quando illa paulatim facta est Asiæ emporium: itaque ab Herode tertium prolata pomeria, muroque ampliori inclusa. Non cadebat in intellectum vel hominum, vel Angelorum, fore aliquando vt Virgo Deipara triplici muro circumdaretur, quo tuta esset aduersus mortale, veniale, & originale peccatum: sed is qui fundauit eam Altissimus non pepercit sumptibus, donec triplici muro circumdatam absolueret, constitueretque munimentum triplex gratiæ, quæ eam redderet inexpugnabilem & impeccabilem. Possem interpretari muros istos *gratiam sufficientiæ*, datam primo vitæ instanti; *gratiam abundantiæ*, acceptam in Filij incarnatione; & *gratiam singularis excellentiæ*, quam acquisiuit reliquo vitæ decursu; prout eas gratias recenset, singulisq; sua distribuit officia Magnus Albertus cum maximo suo discipulo Thomâ Aquinate: nisi existimarem tantâ eam fuisse primo Conceptionis instante locupletatam gratiâ, vt non solũ contra mortale & veniale esset instructa, sed etiã contra originale peccatum prævaleret: Vn-

Psalm. 86.

de fomes peccati, siue ignis ille, à quo culpà originali inflammatur rota natiuitatis nostræ, fuit in Virgine adeò subiectus rationi, vt non incitamentum foret ad peccatum, sed potiùs aduersùs omnem eius incursum fortissimum munimentum. Notatu est dignum, quomodo Euangelium hodiernum triplicem hunc tangat murum in genealogia seruatoris: neque enim frustrà S. Matthæus, postquàm recensuit quadraginta duas generationes, eas tam accuratè in tres classes diuidit; ostendere enim vult, & quasi digito monstrare, tres muros istos, quibus SS. Trinitas ciuitatem nostram circumdedit. *Omnes itaque generationes*, inquit, *ab Abraham vsque ad Dauid, generationes quatuordecim.* hæc est classis Iudicum & Seniorum, quos Pater æternus posuit murum antè Virginem Mariam, quo seruaretur ab omni peccato mortali, quando voluit eam ab iis descendere, qui libertatem ab isto peccato referrent: non quod omnes isti quatuordecim Patres eo liberi fuerint, sed quod obtinuerint quædam cælitus priuilegia circà res naturales, quibus adumbrauerant gratiam supernaturalẽ, quam Virgo Deipara contra peccatum obtinuit. Nam Isaac fasci suo impositus, quid refert, nisi acceptum Deo sacrificium sine vulnere, aut sanguinis effusione? Iacob suffuratus benedictionem fratri suo, quid significat, nisi eam, quæ, vt sic dicam, cælum spoliauit benedictione eâ, quam habebat à Verbo, & Patrem æternum priuauit eo, quem habebat cariſſimum, Filio, sine vllâ alterutrius offensâ? Quid Phares adumbrat tanto impetu contendens pro primogenitura, vt fratrem, qui iam pænè lucem aspexerat, relinquat in obscuro ventris materni carcere, nisi eam, quæ creaturarum omnium rapuit primogenituram, licèt digitum non haberet filo coccineo peccati deuinctum? Hic primus est murus. Pergit S. Matthæus: *A Dauid vsque ad transmigrationem Babylonis generationes quatuordecim.* Hunc murum ampliorem & latiorem Virgini ædificauit Filius, defendens eam à culpâ etiam veniali; quòdque ex maternitate Dei flueret immediatè summum in creaturas omnes imperium, repræsentat eum per quatuordecim Reges coronatos. Quorum agmen ducit Dauid, qui gigantem deiectum occidit, ne leui quidem ab illo vulnere delibatus. Procedit deinde Ezechias, quem Deus in medio dierum reuocauit à portâ mortis. Et tandem Iosias Rex sanctissimus, cuius zelus in auferenda peccati occasione, satis declarat Virginis Deiparæ ab omni actuali peccato immunitatem. *Et à transmigratione Babylonis vsque ad Christũ generationes quatuordecim.* Hic est murus tertius, quem constituunt Pontifices gens Deo cõsecrata, Virgini à Spiritu sancto exstructus, qui tam sanctâ vitę professione, qualis erat Sacerdotum & Pontificum, satis innuit seruasse sponsam suam ab omni labe, etiam originali, puram & incontaminatam.

Nemo accolarum suspicabatur tantam ciuitatis huius magnitudinem & opulentiam, vt opus haberet triplici isto muro: neque potuerunt hactenus quotquot nauigarunt oceanum immensum laudum & præconiorum B. Mariæ Virginis, detegere finem terræ huius sanctæ. Charta namque hydrographica Mariana, non indicabat nisi duos muros. Prior ostenditur à Zacharia: *Ego ero, ait Dominus, murus ignis in circuitu, & gloria in medio eius*, ne scilicet peccatum mortale vllum admittat, quod me ex ciuitate illâ expelleret, gloriamque eius totam obscuraret. Adiungit huic alterum Isaias: *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in ea murus & antemurale.* A Saluatore est custodia à veniali, vt diximus, ideoque non tantùm murum contra lethale vitium, sed etiam antemurale contra incursum venialis peccati in ea posuit. Plura non ostendit charta: ideoque multi viri doctissimi, expertissimique in nauigando laudum Marianarum oceano hæserunt in secundo hoc muro,

Iudices & seniores significant immunitatem à peccato mortali.

Reges à veniali.

Pontifices ab originali.

Zachar. 2.

Isaiæ 26.

muro, liberantes Virginem ab omni peccato actuali. His terminis multo tempore fuit terræ Marianæ cognitio circumscripta: donec prodierunt naucleri, qui piâ & vtili audaciâ se commisere profundo, nouasque terras & nouas Indias in terra illa repererunt, propter quam mundus hic totus factus est. Heroico primùm spiritu nauigabat maria Hercules per itinera omnibus antecessoribus suis incognita, & felici cursu ad fretum ipsum Gaditanum peruenit: existimansque se vltima terrarum reperisse, ibi columnas fixit, non solùm vt laudes suas posteris loquerentur, sed vel maximè vt monerent, ne quis irrito, vt videbatur, labore ad vlteriora aspiraret, quod scripto testabatur: *Finis terræ, non plus vltrà.* Succedunt Romani, inexstinguibili siti quærentes regna & terras nouas, quas imperio suo adiicerent, postquàm cognitum mundum subiugassent: & supra fretum Herculeum progressi, Canariæ insulas repererunt, refixeruntque columnas Herculeas, & ad repertas à se insulas transtulerunt, existimantes se reperisse eam terram, quâ vlteriorem natura negaret. Sed non quiescit humana curiositas. Successerunt namque Romanis Hispani, qui, generosis Caroli V. auspiciis, vastissimum emensi oceanum, terras nouas, Indias nouas, mundumque nouum repererunt, in quo iam finis nullus reperiebatur vel magnitudinis, vel diuitiarum: itaque deleri iussit Imperator in columnis istis particulam, *non*, quæ falsâ timiditate deterrebat mortales à nauigatione vlteriore, & scriptum reliquit: *Plus vltrà*; tanquam si diceret: Plus etiam terrarum post istos terminos inueniendum, modò non quiescat humana industria. Idem prorsùs mihi euenire videtur cum iis, qui nauigant oceanum laudum Marianarum, quique ciuitatem hanc, mundo ipso habitabili maiorem, perlustrant. Non defuerunt sub initium, qui adeò angustis eam terminis concluserunt, vt sufficere putarent vnico illâ circumdare muro, peccatoque mortali liberare: donec aduenit Hercules Theologicus S. Thomas, qui terminos proferret, & in tertia parte columnas insignes in Virginis laudem erigeret, statueretque eam non tantùm mortali, sed etiam veniali, prorsusque omni actuali peccato fuisse solutam, quibus etiam columnis inscripsit: *Finis terræ non plus vltrà*: non est quod scholæ meæ assecle vlteriùs laborent, indagentque terras nouas, nihil enim in ciuitate hac vlteriùs reperient. Non, non, inquit tempore Caroli Cæsaris celebratum Concilium Tridentinum, non hîc sistatur industria nauigantium, non describatur tam exiguo circulo ambitus laudum B. Mariæ Virginis, non prohibeatur tertium murum huic ciuitati circumdare, cùm adeò capax sit, vt ipsa circumdederit immensum. Itaque *declarat sancta synodus non esse suæ intentionis comprehendere in hoc decreto, vbi de peccato originali agitur, Beatam & immaculatam Virginem Mariam, Dei genitricem.* Numquid hoc est columnis à Sancto Thomâ positis, *Plus vltra* inscribere? Iam tentauerunt felici nauigatione profundum Varron, Magister Scoti, & ipsemet Doctor subtilis; post illos Alexander Alensis, Nicolaus Lyranus, Aureolus, Richardus de Sancto Victore, Franciscus Mayero, Petrus Hispanus, & Cardinalis Bellarminus, publiceque professi sunt plura se reperisse in ciuitate istâ pænè immensâ, clamántque, incitántque nos omnes ad studium nauigandi, vel ad laborandum cum pietate, vt tertium ciuitati Ierusalem murum circumducamus. *Plus vltrà*, inquiunt, non enim habuit Virgo culpam originalem: *Plus vltrà*; nam gratia culpam præoccupauit, Deus diabolum præuenit, redemptio captiuitatem anteuertit: *Plus vltrà*, quotquot estis Christiani, quotquot Ecclesiastici *Plus vltrà*, *Plus vltrà* mulieres Virgini deotæ: *Plus vltrà* senes decrepiti, *Plus vltrà* pueri, innuptæque puellæ, diuites & pauperes *Plus vltrà* in hoc oceano nauiga-

Paulatim aucta de immunitate Virginis à peccato sententia.

nauigate; nimis anguſtos terminos vobis Hercules circumdedit, dilatate anguſtias, proferte pomeria, veram pietatem ad originalem vſque Mariæ innocentiam protendite, omnes immaculatam Virginis Conceptionem prædicate.

CAPVT XXI.

Montes ſancti, in quibus fundatur Conceptio immaculata, ſunt trés perſonæ Sanctiſſimæ Trinitatis.

Explicatio breuis Pſalmi 86.

GLORIOSA, inquit Pſalmiſta, *dicta ſunt de te, ciuitas Dei.* Hoc eſt, quidquid dici poteſt de te, totum eſt honor & gloria; nihil eſt quod verè de te affirmari poſſit, quod habeat mixturam vllius infamiæ. Quam propoſitionem ita generaliter propoſitam vt confirmet, octo ſubiungit dicta præſtantiſſima, quorum ſingulis immaculatam Virginis Conceptionem probare licet. Primum eſt: *Fundamenta eius in montibus ſanctis*; de hoc plura dicemus Secundum: *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*; quod, mutatâ phraſi, idem dicit ac dictum ſuperiùs: *portas* enim hîc appellat quæ antè *fundamenta* dixit, & quæ ſuprà omnes montes ſanctos ibi extulerat, hîc conformi metaphorâ tabernaculis omnibus præponit. *Diligit*, inquit, *Dominus portas Sion*: hoc eſt, in porta ipſa, per quam Virgo Maria tranſibat à non eſſe ad eſſentiæ lucem, exſpectabat eam gratia, ibi Deus eam amplexabatur, ibi amorem ſuum ei declarabat tam vehementem, vt nulli ſanctorum in tabernaculis, quæ totâ vitâ ei recipiendo conſtruebant, tam arcto coniunctus fuerit amore, quàm Virgini in ipſa porta, in vitæ introitu, in ipſa Conceptione occurrit. Sequitur: *Memor ero Rahab & Babylonis ſcientium me.* q.d. Si Iericuntinæ maledictioni & anathemati eripui vnicam Rahab, quòd hoſpitio ſuſceperit Ioſue; cur obliuiſcar maledictioni generis humani excipere Mariam, quæ IESVM tam nobili recipiet hoſpitio? Si Babylonicæ ſeruituti, & maximè Pharaonis iam imminentis manibus eripui populum meum Iſrael, antequàm eum comprehenderet, ducens eum per mare rubrum; cur deducere non potero filiam meam per ſanguinis mei vndas, antequàm diabolus ei manum iniiciat? Quartum dictũ eſt: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic.* vbi monſtrat ex eo quòd ſit refugium & remedium omnium peccatorum Virgo, non decuiſſe vt fuerit ipſa contaminata peccatis. Quintum: *Homo, & homo natus eſt in ea.* Quàm emphaticè liberat eam omni næuo, quia *homo*, ſed non quicunque homo, natus eſt in ea; ſed is homo, qui ſimul Deus erat, is homo qui hominum omnium caput & Saluator, non poterat vllum cum hominum ſceleribus habere commercium; homo, qui humanos affectus non habuiſſe videretur, ſi matrem ſuam non liberaſſet omni peccati labe. *Et ipſe fundauit eam Altiſsimus.* Ne dubites, adiicit pro ſexto encomio, quod ſit opus manuum Altiſſimi, in quo ſolo opere ipſe gloriatur tanquam ſui ſolius. In reliquis omnibus operibus ipſius aliqua reperitur vel macula, vel inconſtantia, vel aliqua affinitas cum peccato: hoc autem opus, eſt opus Dei: *Ipſe fundauit eam Altiſsimus*; nihil quod inducere poſſit minimam ſuſpicionem peccati; nullus fomes, nulla inclinatio, nulla tentatio, nulla vel minima de peccato admittendo deliberatio. Itaque tam inſigniter complacet ſibi in opere iſto Dominus, quod *Narrabit in ſcripturis populorum & principum horum qui fuerunt in ea.* Quâ verò

fronte

fronte narraret, si conscius sibi esset quod cùm potuisset eam seruare à peccato, id non feciſſet? Additque postremò: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* Prædicens quanto applausu tandem Festum immaculatæ Conceptionis, &, vti confido, Ecclesiæ definitio, ab omnibus Christianis celebrabitur. Ex omnibus hisce dictis nullum hic ex professo tractabo, nisi primum: tùm quod nullum apertiùs agat de immaculatâ Conceptione, tum etiam quod hoc ferè reliqua contineantur; vti in explicatione eius, quam iam exordior paulò fusiorem, clare patebit.

Fundamenta, inquit, *eius in montibus sanctis.* Inquirendum quinam montes isti sint sancti, vt altitudo & sanctitas horum fundamentorum cognoscatur. S. Hilarius sup. Matth. cap. 4. montem vocat Deum Patrem, ipsamque adeò diuinitatem. Hieronymus Lauret. verbo *mons*, Daniel. 2. dicit SS. Trinitatem tres constituere montes. Et Iacobus Episcopus Ianuensis explicans verba citata, dicit fundamenta hæc inniti potentiæ Patris, Filij Sapientiæ, & amori Spiritûs sancti. Quis ergo neget Ierusalem nostram *sanctam* meretri hoc epithetum etiam secundùm ipsa sua fundamenta, cùm ea inædificata sint ipsi per essentiam sanctitati? Iosephus lib. 6. de bello Iud. cap. 6. dicit Ierusalem tribus inædificatam fuisse montibus, quorum nomina Sion, Acra, Moria; de quibus verba Psalmi citati intelligit Hieronymus de Prado in apparatu Ierusalem tom. 3. Et vide quàm aptè montes hi repræsentent, quæ diximus, Ierusalem nostræ fundamenta. Primus mõs est Sion, fortitudine & altitudine spectabilis, ideoque à Dauide electus, vt in eo suum exstrueret palatium. Nonnè Patrem aduertis significari, eiusque potentiam, de quo verè dicas: *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus?* nam Pater per intellectus sui fœcunditatem produxit Filium; quæ fœcunditatis pinguedo montibus aliis non conceditur. Secundo monte, qui Acra dicitur, hoc est, interprete Hieronymo de Prado, *obuiam venit*, siue, *factus est*, Filius significatur: in hoc enim monte Abrahamo obuiam venit Melchisedech, ei propter victoriam de quinque Regibus acceptam benedixit, panemque & vinum obtulit; præfigurans quod in eodem monte, in domo S. Barnabæ verus Sacerdos secundum ordinẽ Melchisedech oblaturus erat panem & vinum, quod in corpus suum transubstantiaretur; ideoque vocatur mons ille, *factus est*, quòd mysterium hoc ibi erat patraturum *Verbum Caro factum.* Tertius denique mons vocatur Moria, hoc est, prout Paulus Burgensis cap. 22. in Genesim additione 1. interpretatur, *Mons latriæ*; à *Morè*, quod timorem & adorationem significat. licet enim idolatria sic occupasset Palæstinam, vt vix esset terræ palmum reperire, qui non esset dæmonis alicuius adoratione contaminatus: singulari tamen prouidentia, teste eodem Burgense, Spiritus sanctus montem hunc seruauit intactum & integrum, quòd eo vellet sanctitatem suam adumbratam. In hoc monte consolatus est ipse Iacobum Patriarcham, in hoc scalam illam admirabilem ei erexit, in hoc Iacob vnxit lapidem, in hoc Salomon templum suum ædificauit; denique in hoc monte nihil actum est, nisi quod sanctitatem redoleret, vt sanctitas illius Ierusalem ostenderetur, quæ erat tam in hoc, quàm in aliis duobus montibus ædificanda. Certatim enim virtutes suas communicabant tres hi montes ciuitati sibi inædificandæ. Fundauit eam Pater; de quo dicit: *Fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen eius*; hoc est, qui potens est facere quidquid vult, tanta mihi fecit, vt vel inde sit agnoscere potentiæ eius magnitudinem, quæ sanè exigua esset, si nequiuisset me à peccato originali præseruare. Accessit Filius: *Sapientia ædificauit sibi domum.* Sciebat autem iam paratum stare diabolum, vt de turpi luto poneret domus istius fundamenta: Nequaquàm, inquit, opus

Ierusalem fundata erat in tribus montibus, qui significant tres personas SS. Trinitatis.

Psal. 67.

Luc. 1.

est hoc adiutorio, ego mihi domum ædificabo; nemo huic manum adhibit operi, nisi ipse qui in eâ sum habitaturus: Iuuet Pater, iuuet & Spiritus sanctus, tres simul personæ collaboremus; sed nemo, qui Deus non sit, accedat: potest namque Pater, fecit Filius, & vult Spiritus sanctus ædificare hanc domum sine vllo prorsùs errore. Hæcque dicens, petram posuit fundamentalem passionis suæ; & statim intentus operi Spiritus sanctus, *Sanctificauit tabernaculum suum*, benedixitque illud benedictionibus innumerabilibus, antequàm accederet vlla suspicio maledictionis. Itaque completum est à tribus SS. Trinitatis personis hoc ædificium. Et ideò Pulcherrimè dicitur ab Hesychio: *O Virgo, tu vniuersæ Trinitatis es complementum!* Quis hic imaginabitur peccatorum sordes, vbi operatur singulari curâ & amore Author sanctitatis? quis admittet cooperatorē diabolum, quando coniunctis viribus molitur potentiæ suæ miraculum Pater, Filius, & Spiritus sanctus? Hoc insinuat Psalmo citato Dauid, dicens: *Fundauit eam Altissimus.* & rursùs: *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob.* Videtur cum insigni gratiarum actione Virgo explicare Psalmum, & indicare, quod diximus, mysterium, apud Ecclesiast. 51. cap. dicens: *Confitebor tibi, Domine Rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum, quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti me à rugientibus præparatis ad escam & de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circumdederunt me.* Qui circuit tanquàm Leo rugiēs quærens quem deuoret, quærebat animam meam, iamque circa vitæ meæ portas posuerat excubias præparatus ad escā, vt me vix prodeuntem deuoraret: nisi tu Pater, Rex potentissime, & Saluator meus Dei Filius, & Spiritus sanctus protector atque adiutor meus eripuisses animam meam de portis tribulationum, quæ circumdederunt me.

Hesych.

Eccle. 51.

Imago familiaris huius liberationis occurrit in vita ciuili quotidie. Debet quis ingentem pecuniam, nec habet vnde soluat: instat creditor, iamque immittit iustitiæ ministros vt miserū comprehendant: ille fugit, & bonis auibus euolat ad templi limina, iamque portas tenet: instant satellites, & conantur priusquàm ingrediatur reuellere: egreditur Sacerdos, eosque, Ecclesiæ obtendens immunitatem, indignantes iustitiamque inclamantes abigit, reumque in fidem ac protectionem suam accipit. Eâdem ratione contraxerat (vt multorum est opinio) debitum peccati originalis Maria Adami filia; iam emiserat satellites suos princeps tenebrarum, qui iustitiæ prætextu, ei manus iniicerent: peruenit illa ad portas vitæ, quæ portæ erant Ecclesiæ, quandoquidem ipsam in templum suum Deus elegerat: hîc egreditur summus sacerdos Christus, & posita inter Virginem satellitesque cruce, prohibet eos accedere, dicens, non esse violandam templi immunitatem; neque Virgini, quæ non poterat vitam nisi per templi portas ingredi, manus iniiciendas. Hoc est, *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Iacob*: nam portæ Sion, portæ sunt templi, quas ipse vt summus Sacerdos seruat ab omni violatione immunes.

CAPVT XXII.

Mons sanctus, in quo fundatur immaculata Conceptio, est Ecclesiæ authoritas.

MONS sanctus est, & vocatur à sanctis Hieronymo, Origine, Hilario, Ecclesia Dei: in eo rursùm multi montes sanctissimi Apostolorum, Scripturarum, Prædicatorum, Theologorum, miraculorum, in quibus iam demonstrandm est quod nitantur fundamenta ciuitatis nostræ, hoc est, immaculata Conceptio

ptio B. Mariæ Virginis. Quanta autem consuetudini Ecclesiæ sit authoritas, discendum ex D. Thomâ, qui secunda secundæ quæst. 110. art. 12. ait: *Dicendum est quod maximam authoritatem habet Ecclesiæ consuetudo, quia & ipsa doctrina Catholicorum Doctorum ab Ecclesiâ authoritatem habet; vnde magis standum est authoritati Ecclesiæ, quàm Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscunque è Doctoribus.* Qui hoc de SS. Augustino & Hieronymo affirmabat, id credo non volebat negatum de semetipso. Vnde iam non est, quod aliquis tam importunè S. Thomæ ingerat sententiam: si enim contra eam probemus Ecclesiæ consuetudinem; iam sententiam suam verbis superioribus satis reuocasse, aut saltem exarmasse censendus est ipse D. Thomas, qui tantus non esset, nisi fuisset tam humilis Ecclesiæ filius. Iam ergo cùm constet Ecclesiam tanto, ac mox dicam, tempore celebrare festum Conceptionis B. Mariæ Virginis, nónne satis eius authoritate & consuetudine probari videtur Conceptionis sanctitas, quandoquidem rem non sanctam ea non consueuerit celebrare? Occurrunt statim huc argumento aduersarij, dicuntque Ecclesiam non Conceptionem, sed Sanctificationem Virginis celebrare. Sed præterquàm quod hoc est contra Bullam Sixti IV. Pontificis, datam super hac materiâ, quæ extat in Fasciculo Minorum, & contra bullam Gregorij XV. difficile est intelligere quomodo conentur expicare hæc verba, quod Ecclesia celebret Conceptionem B. Mariæ Virginis, per sanctificationem B. Mariæ Virginis. nam si, vt ipsi volunt, concepta est in peccato, & posteà sanctificata; non conceptionem mulieris, sed sanctificationem mulieri iam conceptæ celebrabit Ecclesia. Licet enim secundo instanti fuisset sanctificata, cùm iam omninò practa esset conceptio; non debebat hæc sanctificatio nomine Conceptionis celebrari. Quod autem eo ipso, quod Ecclesia celebret Conceptionem, ea necessariò fuerit sine peccato peracta, sequitur argumento simili, quo S. Thomas, Bernardus, & Ildephonsus probat natiuitatem B. Mariæ Virginis fuisse omni peccatorum maculâ expertem, ex eo quod festum eius celebret Ecclesia: ergo idem de Conceptione erit dicendum. *Quod si in peccato esset* (inquit lib. de Virg. Mar. S. Ildephonsus) *iure maledicta & gemebunda diceretur, quàm benedicta, quando nuntiatum est patri eius quod nata esset in sæculo.* Igitur si concepta esset in peccato originali Virgo Deipara, gemere potiùs & dolere oporteret in Conceptione eius, quàm gaudere & festi celebratione exultare: atqui non gemit, sed festis canticis exultat Ecclesia, idem celebrans officium quod in festo natiuitatis; ergo indicat æquè puram fuisse Conceptionem à peccato, atque fuit ipsa natiuitas. Vlteriùs vrgère si velimus authoritatem Ecclesiæ, quid dicemus de Religione institutâ & consecratâ Conceptioni B. Mariæ Virginis? Quid? quod Sixtus IV. decret. *cum præcelsa*, & decret. *Grauis*, non tantùm approbat officium Conceptionis, sed etiam ei adiungit *immaculatæ* epithetum, omnesque inuitat vt celebrent eius festum, concedens eadem Indulgentias iis, qui concioni, Vesperis, vel Matutinis interfuerunt, quas lucrarentur si festo Corporis Christi iis piis exercitationibus se dedissent. Quis autem credit Ecclesiam hæc omnia facturam esse, si crederet in peccato conceptam fuisse Virginem? Huc accedit, quod in conspectu Ecclesiæ, Romæ coram summo Pontifice ac Cardinalibus quotannis prædicetur immaculata Virginis Conceptio; nec tantùm tolerentur, sed etiam patrocinio eorum defendantur ij prædicatores. Dicere autem tanto feruore suscipi, & tanto fauore defendi sententiam erroneam, pænè foret erroneum. Sint ergo fundamenta Virginis Deiparæ, hoc est, sanctitas Conceptionis eius, funda-

S. THOM.

S. ILDEPHONSVS.

Non celebraret Ecclesia Festum Conceptionis, si ea non fuisset immaculata.

ta in Ecclesiæ authoritate; cuius authoritatis priusquàm confirmationes sumam à singulis Ecclesiæ partibus, soluenda est vna, quæ grauis aliquibus videtur, obiectio: Cur scilicet Deus mysterium adeò magnum & iam ita certum, priùs non reuelauerit Ecclesiæ suæ, idque ad hæc vsque tempora distulerit? Quibus licet inprimis opponere peremptorium D. Pauli argumentum: *Quis nouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit?* Voluntas eius sufficit, qui in rebus fidei, pertinentibusque ad eam mysteriis sua habet tempora, quæ nemo nouit. Nónne ita in lege naturæ paulatim varia Patriarchis variis reuelauit? Nónne in scriptâ deindè lege apertius locutus est de Filio suo? Nónne postea per Filium aperuit abdita Scripturarum; sed ita, vt pedetentim informaret discipulos suos? Nónne toto tempore legis gratiæ paulatim varia disputata ac definita sunt ab Ecclesiâ, vt mirum non sit etiamnum esse aliqua, quæ prædecessores nostros latuerint? Hanc esse & fore Dei cum Ecclesiâ suâ consuetudinem, ipse dicit Danielis 12. vbi Prophetæ ait: *Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum.* Non simulatque apparet nubes, descendit pluuia, sed extenditur pepli tenuissimi adinstar, facitque magnificum terræ conopæum, ornatui potiùs, vt primâ fronte apparet, quàm vtilitati seruiens: posteà tamen (quando gubernatrici isti menti, quæ cuncta disponit ad vsum mortalium, visum est) soluitur, & aquas propinat terræ, quas dudum pollicebatur. Eodem modo Scriptura datur Ecclesiæ, nec tamen statim descendit ex cæ ros intelligentiæ; sed diu fertur de manu in manum, de sæculo in sæculum, tanquam nubes diu promittens antequam det pluuiam salutarem intelligentiæ, donec veniat determinatum à Deo tempus, quo statuit soluere nubem, & diffundere aquam intelligentiæ, quæ irroret faciem Ecclesiæ vniuersæ. Mineralia sunt loca Scripturarum: diu latent in iis thesauri antequam eruantur. Hoc est quod Danieli dicit Dominus? *Claude sermones*, absconde aurum istud in minerabilibus: *Plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia.* Varij varia inuenient, alta speculabuntur, mira docebunt, sed non statim omnes omnia scient. Sunt suæ rebus singulis præfinita tempora. Disputent Doctores, iurent Vniuersitates, Regna defendant mysterium immaculatæ Conceptionis, dentur ludulgentiæ festum eius celebrantibus, contraria opinio prohibeatur, orbis ferè vniuersus conspiret pro isto mysterio; non tamen adhuc absolutâ definitione declaretur: multiplex erit scientia, *vsque ad tempus statutum.* Quamuis iam videtur hoc tempus veniſſe, quo licet nondum absolutè definita, tamen certissima est hæc sententia. Certissimam dico, quia non poterat Ecclesia veritatis columna, tot modis fauere, tot signis propensionem suam ostendere, tot argumentis authoritatem oppignorare pro parte affirmante immaculatam Conceptionem, nisi res esset certissima. Quis enim iam modus referendi cum honore & sine scandalo pedem Ecclesiæ? & putas ad singularem istam proudentiam, quâ regitur hæc magistra veritatis, non pertinere vt nor permittat eam ita fauere falsitati vt videatur animos suorum dispnere, vt tandem molliter susciplanteius definitionem? Quid, quæso, aiud est quidquid in hoc mysterio lactenus factum est, quàm dispositio nimorum, vt sine contradictione andem recipiant definitionem po immaculatâ Conceptione tanden, vti spero, ferendam? Quamquam iam definitione non magis est opus pro immaculatâ Conceptione, quàm pro assumptione virginis Mariæ secundùm animam & corpus; vel quâ sit opus Ecclesiæ particulariter expressa authoritate pro

Multa mysteria celat Deus vsque ad prædefinita à se tempora.

Ad Rom. 11.

Daniel. 12.

S. P.

S.P.N. Augustini vel Apostolorum Canonizatione: cuius enim festa celebrat, eius sanctitatem satis apertè declarat; & sententiam, quam tot modis suadet, satis definit. Iam ergo adest prędefinitum tempus, quando Deo placuit notam facere immaculatam Conceptionem Matris suæ, non definitione expressâ Ecclesiæ, sed tam apertâ demonstratione sententię eius, vt vix restet dubitandi locus. *Multiplex* fuit antè *scientia* variorum, etiam sanctorum, de eâ dubitantium: sed iam res posita est extrà dubium, tot, vt mox ostendam, vijs comprobata, vt si quid sit citra definitionem Ecclesiæ certitudinis, res hæc sit omnium certissima: indicata est enim à Scripturis, proclamata a Patribus, declarata miraculis, & mille aliis modis demonstrata; ita vt nihil magis mirandum sit, quàm quod potuerit in mentes pias & doctas cadere de eâ dubitatio. Sed quid? Propheta erat Daniel, & ipsi fiebat reuelatio, & tamen dicit: *Et ego audiui, & non intellexi.* Dixitque ei Dominus: *Vade Daniel, quia clausi signatiq; sunt sermones vsque ad prædefinitum tempus.* Ne autem quis nimium miretur rem satis è Scripturis claram posse latère etiam doctissimos, nonne semper in Scripturâ fuerunt verba illa: *Non sumus sufficientes cogitare aliquid de nobis quasi ex nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est?* nónne tot pertransiuerant ea Doctores, tot legerant sancti Patres ante S.P.N. Augustinum, & tamen nemo ex iis collegerat ita apertè cooperationem gratiæ Dei cum bonis nostris operibus, nec anteà hoc mysterium ita notum erat in Ecclesia? Ferebatur quidem per Ecclesiæ cœlum ista nubes, sed non dederat adhuc istas intelligentiæ aquas, nisi quod fortè hinc inde guttulam vnam sparserat. Eâdem ratione factum est cum immaculatâ Conceptione: varij pertransierunt, & varij varia disputarunt; sed multorum tenebantur oculi, ne videntes viderent ea, quæ tangunt hoc mysterium. Semper fuit irrefragabilis. S. Augustini sententia: *Cùm de peccatis agitur, nullum de B. Virgine volumus habere sermonem.* Sed clausi erant sermones, nec viderunt tot sancti Doctores pertranseuntes, eum de originali peccato æquè ac de actuali esse intelligendum. Disponit omnia fortiter & suauiter Deus quæ spectant ad Ecclesiæ suæ gubernationem, prout ipse vult: quæ voluntas Dei nobis debet esse rationum omnium ratio, quando quæritur, Cur hoc aut istud disposuerit.

Nunc est tempus, quod indicat immaculatam Conceptionem.

2. Corint. 3.

S. Augustin.

Quamquàm hîc non sit difficile etiam congruas rationes assequi, cur voluerit hoc præsertim mysterium tamdiu indefinitum manere: quarum prima esse posset, quod Ecclesia non fundatur primario super B. Mariam Virginem, sed super lapidem fundamentalem IESVM Dei Filium; ideoque Deus, *illuminans mirabiliter à montibus æternis*, ante omnia Ecclesiæ suæ ista reuelabat mysteria, quæ magis necessaria erant, vt ipsa supra fundamentum suum solidè consisteret: posteaquàm verò hæc satis erant inculcata, abundantiâ quadam liberalitatis, ipse, qui est Pater luminum non desinit quotidie noua euibrare lumina, ac reuelare ea, quæ quidem adeò necessaria non sunt, ducunt tamen mentes nostras vt faciliùs Deum cognoscant, cognitumque ament ardentiùs. Aliam adfert rationem Fulbertus Serm. 2. de ortu Virg. sanè momenti non inferioris, ad retundendam eorum curiositatem, qui nō satis piè dubitant cur mysterium hoc non fuerit antè in Ecclesiâ Dei definitum. Mos est prudentis Ecclesiæ cautè abstinere â promulgandis iis veritatibus, quæ dare possent vel hæresibus tum dominantibus nutrimẽtum, vel paruulis scandalum. Cùm ergo sub initium iam essent qui mussitarent Christum Dominum non habuisse verum corpus humanum, sed tantùm apparentiam Corporis; & Virginem eius genitricem non fuisse hominem, sed Angelum quendam incarnatum aut tectum figurâ humanâ;

Cur tanto tempore latuerit mysterium immaculatæ Conceptionis.

Psalm. 75.

humanâ; quantò idapertiùs & impudentiùs prædicassent, si eo tempore dictum fuisset Virginem Deiparam ipso Cõceptionis suæ instanti superasse Angelos innocẽtia & sanctitate? Non obruit, aut cõfundit multitudine reuelationũ Ecclesiã suam Deus, sed paulatim eam perficit, semper attendens ad vires eius, si possit portare modò tale aut tantum mysterium. Cùm ergo iam omnes quæ fuerunt de Christo hæreses debellatæ sint, & cum authoribus suis in inferno sepultæ; cùm certò constet verum hominem fuisse Christum & genitum ab homine; apertius dicere licet quantis gratiis & priuilegiis, quantis donis & prærogatiuis excellere debuerit illa, quæ honorem habuit vt Mater Dei existeret. Tertia ratio suam habet à reuelatione S. Birgittæ factâ authoritatem, cui lib. 6. cap. 55. dictum fuit: Ideò Deum permisisse, vt singulares Virginis Deiparæ amici dubitarent de immaculata eius Conceptione, vt in eâ propugnanda quisque zelum suum erga Virginem ostenderet, donec veritas eius esset omninò cognita & declarata. Ex quâ reuelatione constat iam, cùm veritas immulatæ Conceptionis tam multis certisque argumentis est comprobata, quod non tantùm minoris reuerentiæ erga Ecclesiam, sed etiam zeli minoris erga Virginem Deiparam esse videatur, velle eam argumentis contrariis obscurare. Sed age, montes cæteros visitemus, in quibus hæc fundamenta consistunt.

CAPVT XXIII.

Montes sancti, in quibus fundatur immaculata Conceptio, sunt Angeli & Apostoli.

SANCTVS Gregorius lib. 3. Moral. cap. 29. affirmat Angelos esse montes sanctos, è quibus alloquitur nos Deus. Et S. Ambrosius Psalm. 118. ait Apostolos & viros Apostolicos esse montes, in quibus fundata est Ecclesia Dei. Quibus auditis duorum Patrum sententiis, statim me cupiditas incessit visitandi montes istos, si fortè in iis inuenirem *fundamenta* ciuitatis nostræ, quæ Dauid ait esse *in montibus sanctis*. Circuiui montes istos, quæsiui, & inueni in iis sanctitatem & authoritatem eorum, in quibus fundamenta reperi ciuitatis nostræ, hoc est, Fundatam inueni Conceptionem immaculatam B. Mariæ Virginis, nam maiorem esse sanctitatem Mariæ reperi in instanti suæ Conceptionis, quàm aliorum vel Angelorum vel Apostolorum in summitate suæ perfectionis. Non est postremus Theologorum qui mihi est author audendi, quique digito mihi ostendit hæc fundamenta, nam Suarez 3. p. q. 27. disp. 4. art 3. pag. 6. col. 1 in medio dicit: *Fundamenta eius in montibus sanctis, quia fundamenta sanctitatis Virginis posita fuerunt vbi alij sancti consummantur.* Magna profectò laus & insignis altitudo horum fundamentorum! Quando S. Petrus, apex iste Ecclesiæ & sanctitatis, in cruce luctabatur cum morte, non vt eam euaderet, sed vt amore potiùs quã dolore & tormẽtis moreretur; quando S. Laurentius miraculũ illud constantiç, assato iam corpore flãmas amoris sui nouis

nouis fouebat ignibus; non eò peruenerat, vnde Virgo Deipara incipiebat. Non est dubium, quin idem dici debeat de Angelis, quandoquidem verum sit de iis, quos nullâ ratione existimamus inferiores. Et S. Gregorius affirmat absolutè commentariis in istud Isaiæ 3. *Et erit præparatus mons in vertice montium: Potest*, inquit, *huius montis nomine B. Virgo designari, quia gratia quæ in aliis sanctis fuit finis, illi initium seu fundamentum esse videtur.* Non opus est de his agere pluribus, cùm magis quæram montium horum sanctorum authoritatem, vt amoueam peccatum à fundamentis nostris, quàm sanctitatem, vt suprà eam exaltem Virginis Deiparæ virtutem. Audiendus ergo vir planè Apostolicus & sanctus, Vincentius Ferrariensis, qui serm. 2. de natiuit. B. Mariæ Virginis accommodat verba Genes. *Fiat lux*, conceptioni Deiparæ, & ait: *Non credatis quia fuerit sicut in nobis, qui in peccatis concipimur: sed statim ac anima eius fuit creata, fuit sanctificata, & statim Angeli in cælo celebrauerunt festum Conceptionis.* Magni facienda est hæc viri sanctissimi authoritas, quia cùm sit ex Ordine qui profitetur contrariam sententiam, credendum est eum plusquam humanis rationibus inductum esse, vt aliorum potiùs pietatem, quàm Ordinis sui authoritatem sequeretur. Quid autem dicit? Angelos nobis authores fuisse celebrandi festum immaculatę Conceptionis, ipsos primam in cælo erexisse Ecclesiam huic mysterio consecratam, quando ipsi eâ intentione conuenerunt in vnum, vt hymnis & canticis celebrarent Virginis Conceptionem. O si cui licuisset interesse choris istis cælestibus, vt videret quo applausu celebrarent, quibus verbis extollerent hoc mysterium! Sed cùm non liceat nobis esse tam beatis, audiamus eos, qui officij dignitate & vitæ sanctitate Angelis fuerunt superiores, Filij Dei Apostolos. Narrat Abdias lib. 4. de gestis Apostolorum, S. Andream Apostolũ dixisse: *Sicut primus Adam formatus fuit ex terra antequàm esset maledicta, ita secundus Adam formatus est ex terra virginea numquam maledicta.* Nihil poterat dici clarius aut fortius pro hac pientissimâ sententiâ; quam etiam iuuat S. Iacobus in sua Liturgia, quam tantâ veneratione prosequitur sexta Synodus Canon. 32. Ait autem: *Commemorantes autem Sanctissimam, immaculatam, & gloriosam Dominam nostram, Matrem Dei.* Quomodo autem fuisset immaculata, si vnquam esset peccati sordibus contaminata? Sed non est quod excamus ex Hispania, vt habeamus antiquitatis reliquias, quibus sententia nostra comprobetur: quandoquidem anno 1595. circà ciuitatem Granatensem acciderit res admiranda, cuius commemoratio non parum addet sententiæ nostræ authoritatis. Est circà Granadam mons, qui ex rei euentu *mons sanctus* dicitur, anteà bono omine *vallis paradisi* vocabatur (paradisus vtique erat, in quo tam pretiosi, ac mox commemorabo, flores apparuerunt, vt cantare liceat, *flores apparuerunt in terra nostra*) in hoc monte inuentæ sunt multæ discipulorum S. Iacobi reliquiæ: sed, quod ad nos attinet, inuentus etiam est liber plumbeus, cui titulus erat *Fundamentum Ecclesiæ*, in eoque affirmabatur in primo Concilio quod inter Apostolos celebratum fuit, definitam esse immaculatam Conceptionem Virginis Deiparæ. Numquid fundamẽta eius in montibus sanctis, in authoritate Apostolorum & Angelorum, vt iam non sit obijcere quod sententia hæc fuerit tantis retrò sæculis ignorata, cùm ab initio Ecclesiæ singulis ætatibus exstiterint aliqui viri insignes doctrinâ & sanctitate, qui expressam fecerint huius mysterij professionem, vt probatum iam est ab aliis authoribus? Et quod mirũ est, hac in parte dicere audeo, omninò decem sæcula euoluta fuisse priusquàm vllus, cuius quidem scripta exstant, expressè docuerit contrariam propositionem: & primũ, qui cõtrarium affirmauerit, fuisse S. Anselmum, non sine singulari Dei prouiden-

S. Greg. *Isaiæ 3.*

S. Vinc. Ferrariensis.

Festum Conceptionis celebratum in cælis.

uidentiâ; vt scilicet, quemadmodum S. Thomæ incredulitas maximam attulit prædicationi Resurrectionis ab eo factæ authoritatem, vtpotè qui dicere poterat: *Manus meæ contrectarunt, & oculi mei viderunt mysterium, quod prædico*; ita S. Anselmi dubitatio, maxima esset eiusdem mysterij confirmatio: ablatus enim dubio, tum temporis excusabili, hîc sanctus, posteaquàm inquirendo cognouit plurimis in locis celebrari festum immaculatæ Conceptionis, aliasque rationes examinauit; non tantùm mutauit sententiam, sed zelosissimus factus est prædicator immaculatæ Conceptionis; exemplo iis qui bono zelo inducti Doctoris alicuius authoritate contrariam hactenus sustinuêre sententiam, vt gloriosè corrigant quod non malignè affirmauerunt; quod vt tantò faciant securiùs, pergo ego visitare montes sanctos, in quibus sunt fundamenta huius sententiæ.

CAPVT XXIV.

Montes sancti rursùm sunt Scriptura, Prædicatores, & Doctores Ecclesiæ.

VENERABILIS Bedæ & Origenis sententia est, montes sanctos esse duo testamenta, in quibus Deus vtrique populo, Gentili & Iudaico fuit locutus. Quin ergo fundamus ciuitatem nostram etiam in montibus istis? Si liberè, quod sentio, proferre liceat, non dubitabo affirmare esse in sacris paginis loca, quæ etiam litteraliter de immaculatâ Virginis Conceptione sunt intelligenda. Quænam autem sunt illa? *Clausi sunt, signatiq; sermones vsque ad prædefinitum tempus.* Daniel 12. Verùm spero aliquando dexteræ Dei digitum ostensurum Ecclesiæ loca ista, quæ nos iam legentes non intelligimus, quia detinentur oculi nostri: interea tamen habemus sanctos & doctos scripturę interpretes & Patres, qui variè allusum esse ostendunt ad hoc mysteriũ, quando accommodatitios proferunt sensus, quibus videtur id iucundissimè expressum. Audiantur pij & zelosi verbi Dei prędicones, qui iam pænè omnes S. Scripturę libros huic mysterio accõmodarunt. Sed nihil opus est ab aliis gloriosè in honorem Virginis decantata repetere, cũ præ manibus habeamus locum, qui testetur hoc ita euenturum. *Dominus*, inquit, *narrabit in Scripturis populorum.* Psalm. 86. Veniet aliquando tempus illud, quando de fundamentis huius ciuitatis Dominus per os eorum, quos ad hoc miserit, narrabit in scripturis populorum, Iudaici nempè & Gentilis, hoc est, in nouo & veteri testamento. Quot enim in veteri testamento figuræ, tot narrationes huius mysterij. Quid enim significat turris Dauidica, armis & scutis vndequaque circumsepta, nisi Mariæ inuulnerabilitatem? Quid Iaël clauo tyranni caput solo affigens, quid Iudith Holofernis item caput proprio gladio à ceruice reuellens, quid mulier calcaneo caput serpentis conterens, nisi Mariam caput diaboli, hoc est, peccatum originale debellantem? Quid Paradisus numquam aquis diluuij coopertus, quid apertus Iordanis vt præbeat Arcæ Dei iter, quid templum Salomonis sine malleorum strepitu ædificatum aliud clamant, quàm Mariam excipiendam à miseriâ communi, eam transituram per actualis & originalis peccati vndas, nec communi ratione inter laborum tumultus, sed singulari Dei prouidentiâ esse in silentio sanctitatis ædificandam? Iam quid significat, *Possedit me in initio viarum suarum, ante omnes abyssos ego concepta eram*, Prou. 8. nisi quod nihil fuerit Deo magis cordi, quàm ante omnia matrem suam possidere in gratia & sanctitate, nec prius factam esse peccati abyssum, quàm Maria in mente diuinâ concepta erat, libera ab omnibus tenebris

Immaculata Conceptio in scripturâ præfigurata.

bris abyssi? Vides, vt *Dominus narrauerit in scripturis populorum?* Addit: *Et principum horum qui fuerunt in ea.* Illorum scilicet, de quibus Virgo descendit, qui sunt Principes in Euangelio & nouo testamento recensiti, licèt sub vetere testamento vixerint. Quid sibi vult Dauid victor gigantis, qui omnes exterrebat; quid Abraham ab Vr Chaldæorum illæsus; Isaaci sacrificium gratum & acceptum sine cultri vulnere; Iacob Deo plenus, & ab omnibus fratris persecutionibus illæsus; quid Ezechias reperiens vitam in mortis ianuâ; quid Iosias zelo accensus contra idola, eaque confringens; quid Zerobabel specie quidem captiuus in Babylonia, re autem verâ syncerus Dei amicus; quid Thamar, quam nemo lapide appetiit, licèt etiam ex lege lapidationis debitum contraxisset; quid Rahab in generali destructione Ierichuntis libera propter filum vnum purpureum; quid tot alij in genealogiâ Virginis enarrati principes sunt, nisi exempla & typi immaculatæ Conceptionis? Mons ergo est S. Scriptura, in quo fundamenta ciuitatis nostræ.

Adiacet huic monti alius, qui non nisi collis est respectu Scripturarum sanctarum; at si cum aliis authoribus & sapientibus comparetur, mons est altissimus, doctrina scilicet & authoritas tot prædicatorum & Doctorum in Dei Ecclesia. Nam serm. 22. S. Ambrosius *montes* vocat. Et 12. Moral. cap. 11. S. Gregorius Doctores facit montes, ex quibus facilis est in omnia Ecclesiæ secreta despectus. Fundamenta opinionis piæ sunt tot ora, linguæque Prædicatorum, qui hactenus tot quærunt loca Scripturarum vt probent, tot comparationes vt explicent, tot rationes vt facilitent, tot miracula vt conuincant, tot verba deniq; per artificiosos eloquentiæ męandros ducta, vt persuadeant immaculatam Conceptionem Virginis Deiparæ: quorũ labor in opere tam pio iam eò desudat iucundiùs, quò minùs habent ex silentio parti aduersæ imposito salebrarum, vt operosè argumenta aduersariorum refutent, cùm ea iam non immittantur auribus vulgi; ideoque refutationes relinquentes Theologis, ipsi probandæ sententiæ suæ incumbunt, pro quo montem habent vicinum sibi auxiliantem, Doctores sanctæ Ecclesiæ, quibus ipsi libenter radicos suas immittunt, vt firmiùs hæreant. Et vertex montis huius S. P. N. Augustinus ait lib. 1. de natura & gratia cap. 89. *Excepta sancta Virgine Maria, de qua nullam prorsus, propter honorem Domini, cùm de peccatis agitur, volo habere quæstionem.* Quæ verba de peccato originali intelligenda esse affirmant S. Bernardus serm. 4. super Salue Regina, Bellarminus lib. 4 de peccato, & Episcopus Christopolitanus in Psal. 43. & constat ex circumstantiis atque occasione, quâ verba ea protulit Pater sanctus: agebat enim contra Pelagium, qui negabat originalem culpam infeciisse filios Adæ, propterea que existere nonnullos qui sine peccato vitam traducerent; si verò peccassent, aiebat illos posse viribus naturæ resurgere sine diuinâ gratiâ. Adducebat in confirmationem impietatis suæ S. Ioannem Baptistam & Ieremiam, qui peccato omni actuali abstinuissent. Respondet verò S. Augustinus sanctos illos non liberos à peccato originali, sed eo liberatos fuisse & sanctificatos in vtero matris suæ priusquàm nascerentur. Instat rursùm hæreticus, & fortiorem quatit arietem, adducitque Matrem Dei. Hic sanctus Doctor non subterfugit argumentum, Virginis Conceptionem peccato originali commaculando; sed expressè eam excipit, dicens: *Excepta sancta Virg. &c.* Secundum inter Doctores locum demus S. Dominico, glorioso isti Ordinis clarissimi Fundatori, qui disertis verbis hanc affirmat sententiam in tractatu quodam de Corpore Christi, quod negare nemo poterit eorum, qui si nõ sententiam eius, saltem vitę eius sanctimoniam sequuntur; nisi coarguat Canisium lib. 1. de B. Virgine cap. 7. Thesaur. Cathol.

S. Augustinus stat prò immaculata Conceptione.

S. Dominicus prò eâdem sententiâ.

Coloniæ editi anno 1599. Galatinum lib. 7. de Arcanis cap. 5. cuius verba sunt: *Quam quidem sententiam B. Dominicus, Ordinis Prædicatorum Fundator & Dux, posteà secutus ita in tractatu de Corpore Christi ait: Sicut primus Adam fuit ex terra Virgineâ & nunquàm maledicta formatus; ita decuit in secundo Adam fieri.* Nihil puto sanctitati B. Dominici obfuit pientissima ista sententia, ne quis existimet Ordinem eius notâ aliquâ commaculandum, nisi Virginem Deiparam originali crimine conspurcet: quantò satiùs foret Fundatoris sui, cuius in toto vitæ instituto verba sunt sectatoribus eius oracula, in hac pietate tam disertam sententiam non reijcere. Quod vt faciant sine vllo scrupulo tum Religio istius, tum omnes versati in sacrâ Theologiâ Doctores, tertiùs sit Patrum sanctorum ille, qui est columna & fundamentum omnium Theologorum S. Thomas, qui 1. sentent. disp. 44. art. 3. ad 3. ait: *Puritas intenditur per recessum à contrario, & ideò potest aliquod creatum inueniri, quo nihil purius esse possit in rebus creatis, sine vlla contagione peccati; & talis fuit puritas B Virginis, quæ à peccato originali & actuali fuit immunis.* Quid poterit dici expressius? Ne autem quis putet leuiter hanc ei excidisse sententiam, rursum super Aue Maria de Virgine dicit: *Ipsa purissima fuit quantum ad omnem culpam, quia nec originale, nec veniale, nec mortale peccatum incurrit.* Non nego eum in 3. parte scripsisse contrarium, sed etiam fidem non denegandam esse arbitror Ioanni Vitali, qui tractatu de Concept. affirmat vidisse se atque legisse libellum retractationum S. Thomæ, in quo tandem reuocat id quod in 3. parte dixerat, affirmatque Virginem primo conceptionis instante omnis peccati fuisse expertem. Confirmatur hoc insigni historiâ, quam refert Bernardinus de Busto Serm. 7. de Concept. Vbi narrat Fontino Episcopo Pictauiensi, rapto in admirationem quod S. Thomas, vir tantæ doctrinæ & tantæ erga Virginem pietatis, scripsisset contra immaculatam eius conceptionem, oblatam esse de nocte visionem, in quâ S. Thomas specie visibili apparebat, atque in hæc verba proloquebatur: *Scias Episcope, quod quando talem opinionem posui, habui respectum ad diuinum statum, quo B Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per filium suum fuisset præseruata: sed Dei Filius Matrem suam ab originali macula præseruauit.* Adiungit deindè citatus Bernardinus de Busto: Hæc omnia vicarius ipsius Episcopi fidelissimè exposuit, asserens se à prænominato Domino Episcopo hanc visionem propriis auribus audiuisse. Clarum est ergo quæ fuerit S. Thomæ de hoc mysterio sententia, & quid aliis sentiendum præscripserit. Iam citare Doctores ceteros, qui nobiscum idem sentiunt, esset montis vastissimi arenas velle computare. Sufficit breuiter aliquot citare, vt inde colligatur altitudo huius montis; quæ distinctiùs apparebit ei, cui libebit vlteriùs per hosce gradus conscendere. Vtque maioris sit authoritatis ista citatio, ex aduersariorum castris eam adducam. Caietanus ergo opusc. de Concept. cap. 5. nostrarum partium esse ait S. Anselmum lib. de Concep. Virg. cap. 5. S. Cyrill. lib. 6. in Ioannem, S. Athan. epist. ad Epit. S. Bernardum serm. 4. in Cantic. S. Bernardinum Senensem tom. 3. serm. 33. S. Ioannem Damasc. orat. 1. de Natiuit. Virg. S. Ildephonsum lib. de B. Maria Virg. S. Fulbert. tract. in Aue Maria; quorum authoritatem potiùs sequendam esse arbitror, quàm vnicam S. Thomæ dubitationem, quam, ipse tamen antè & post meliori sententiâ emendauit.

Sententia S. Thomæ pro immaculatâ Conceptione.

CAP.

CAPVT XXV.

Mons sanctus item rationes Theologicæ.

CVM aliquorum diligentiam considero, qui diurno nocturnum iungunt laborem, vt fundamenta nescio cuius antiquitatis vspiam eruant; imò cùm reperiantur etiam qui Italiam, Græciamque longissimis adeunt itineribus, vt oculis ipsi suis fundamenta antiquarum ruinarum inspiciant, daturi occulatum coniecturarum leuium testimonium; tum scilicet me pudet pigetque meæ socordiæ, quod non zelo solertiaque maiore inuigilem ad fundamenta huius ciuitatis, quę in montibus sanctis esse Propheta affirmat, minuens eâ in parte laborem nostrum, quod indicet vbinam quęrenda sunt solida sententię nostræ fundamenta. Non defatigemur ergo longiore per montes hosce discursu, modò spes sit aliquid reperiendi, quod vel verosimiliter probare possit quod intendimus. Nazianzenus de verbis Mosi, Theologiam dicit esse montem sanctum, vnde nobis loquatur Deus, non secus atque locutus est Mosi ex monte. Huc ergo gressum mentemque conferamus, vt scrutemur fundamenta immaculatæ
S. Avgvst. Conceptionis: nam S. P. Noster apertè hortatur, agens de Assumpt. Beatæ Mariæ Virg. *vbi Scriptura diuina nihil de illâ commemorat, inquirendum est quid conueniat rationi, fiatq; ipsa ipsa ratio authoritas.* Et statim subiungit; *Quidquid tibi verâ ratione occurrerit, scias Deum fecisse bonorum omnium conditorem.* Vt ergo rationes nostræ fiant solida authoritas, authoritate summâ eas confirmabimus. D. Thomas, quem non venerari & admirari nemo potest, nisi is in quo nulla est ratio; Doctor inquam Angelicus 3. p.q. 27. art. 7. vbi liberat Virginem Deiparam peccato omni actuali, quatuor adfert rationes solidissimas, quas omnes pro libertate à peccato actuali ita probare concedo, vt pro eadem ab originali à simili, vel potiùs à fortiori conuincant. Prima namque est, quod Deus eligens quempiam ad statum sublimiorem, etiam conferat gratias & media necessaria ad statum illum dignè administrandum, idque ex authoritate Apostoli 2. ad Cor. 3. dicentis: *Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti.* Iam verè Deus ab æterno præelegerat Virginem Mariam sibi in matrem: dubitandum ergo non est, quin eam iis dotauerit gratiis & priuilegiis, quæ conueniebant vt idonea esset mater Dei: non fuisset autem tanto Filio idonea mater, si peccato vllo fuisset contaminata, eò quod sapiens doceat gloriam & honorem filiorum à parentibus magnâ ex parte dependere. Hæc est substantia primæ rationis, quam adfert Angelus Doctorum, quæ omnium iudicio ita fortiter concludit, vt non sit qui vel audeat, vel velit contradicere. At vide si non multò fortiùs pro libertate ab originali, quàm ab actuali peccato concludat hæc ratio. Si enim ideò liberanda fuit Maria à peccato, ne parentis infamia Filium coinquinaret; profectò ab iis peccatis eam necesse est longiùs ab fuisse, quæ citiùs & altiùs insidere solent nomini & vitæ filiorum. Pro quo notanda est ista peccatorum differentia, quod quædam non hominem tantùm, sed filios etiam infament, vt sunt crimen lęsę maiestatis, hæreseos, & similia. Iam de peccato actuali dicitur Ezech. 18. *Filius non portabit iniquitatem patris.* At peccatum originale vel nomine suo ostendit malignitatem naturæ suæ, quod scilicet tam altè insederit in genere humano eius nota dedecoris, quod de parentibus transeat in Filios: quod argumentum ita videbatur conuincere S. Ildephonso, vt prorsùs nefas existimaret cogitare

2. Ad Corinth. 3.

Plus maculat filios peccatum originale quàm actuale parentum.

Ezech. 18.

tanâi nfamiâ notatam fuiſſe Mariam, ne cogeremur fateri infamem eſſe Saluatorem noſtrum. Prodeant eius verba, quæ habet lib. de Virginit. B. Mariæ, vt tanti Patris authoritas ſit tanquàm gemma in hoc annulo rationum: *Alioquin*, inquit, *Si non eodem Spiritu ſanctificata eſt, quomodo eius caro non caro peccati fuit? & ſi caro eius de maſsâ primæ præuaricationis venit, quomodo Chriſtus caro ſine peccato fuit, qui de carne peccati carnem aſsumpſit?* Horreo verba tam horrida atque ſunt, carnem iſtam ſanctam & Virgineam Mariæ, carnem peccati dicere; & rurſùm Chriſti Sacroſanctam humanitatem vocare carnem peccati. Non vult ſanctus neceſſariò ſequi, Chriſtum inficiendum fuiſſe peccato originali, ſi mater eius fuiſſet illo contaminata; nam præterquàm quod extraordinarius conceptionis modus eum ſatis eximeret, ipſa diuinitas, quæ in vnum cum iſta carne & anima conſpirabat ſuppoſitum, ſatis eum vndique ſanctificabat. Vult tamen ſanctus hic Virginei honoris defenſor, propter honorem Filij etiam vlteriorem remotionem ab infamiâ peccati; vt ſcilicet curſus iſte, qui iam indè ab Adamo in omnes Chriſti fluebat maiores, in matre ſiſteretur, ne vel hoc eum dedecoris tãgeret, quòd ea ipſa caro, de quâ ſibi corpus formauerat, fuiſſet aliquando caro peccati. Secunda ratio D. Thomæ ab vnione, ſeu potiùs identitate quadam deſumitur, quæ eſt Matrem inter & Filium. Identitas Sapientûm, Legum, Philoſophorum, Patrumque vnanimi conſenſu comprobata: nam Tull. 3. Verr. dicit qnod pro eadem perſona habentur; & L. fin. C. impub habetur eadem Filij ac parentis vox. eadem, & maiora reperies apud Ariſtotelem 8. Ethicor. Sed inſignis eſt Arnoldi Carnotenſis de hac Matre & hoc Filio ſententia lib. de laud. Virg *Vna eſt Mariæ ac Chriſti caro, vna charitas. Vnitas diuiſionem non recipit, nec ſecatur in partes: & licet ex duobus factum ſit vnum, illud tamen vltrà ſcindi non poteſt; atque adeò Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quàm eandem.* Nihil hac ſententiâ pro immaculatâ Conceptione dici poterat illuſtrius: nam ſi eadem eſt Filij & Matris gloria; ſequitur idem eſſe Matris & Filij dedecus & infamiam. Vnde optimè probat D. Thomas nullâ ratione infamem fuiſſe Mariam Virginem vllo peccato, ne ſcilicet infamis eſſet Dei Filius. Sed dic amabo, an non infamis & confuſione plena eſſet Maria, ſi cooperta fuiſſet leprâ peccati originalis? Non eſt neceſſe premere hæc argumenta, cùm pietas noſtra abhorreat à cogitatione, quæ Virginem Deiparam, quam omnis creatura tam ſuppliciter veneratur, depingit etiam ſub conditionatâ infamiâ: potiùs cogitandum & dicendum; *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Tertia ergo Doctoris Angelici ratio eſt, quòd æterna Patris ſapientia habitatura erat non tantùm in animâ ſpiritualiter, ſed etiam in vtero B. Mariæ Virginis corporaliter. Ergo cùm dicat Sapiens *Quoniam in maleuolam animam non introibit ſapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis*; Sequitur argumentatione euidenti corpus & animam Virginis Deiparæ ſeruatam eſſe à peccato originali, quoniam ipſum animam ſimul & corpus habet ſubiectum, penetratque, ac inſinuat ſe in omnes vtriuſque potentias, & captiuat hominem duriſſimâ lege peccati. Formaliter ex ratione hâc concludit S. Anſelmus quod intendimus. lib. de excell. Virg. vbi ait: *Nulli dubium caſtiſſimum eius corpus & ſanctiſsimam animã fuiſſe ab omni macula peccati protectã, vtpote aulam, quam ſuus & omnium Creator Deus corporaliter inhabitaturus, & ex quâ hominem in ſuæ perſonæ vnitate ineffabili erit operatione ſuſcepturus.* Quarta ratio à D. Thomâ producta, eſt veritas illius ſententiæ: *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Quæ verba cùm ab Eccleſiâ Virgini Deiparæ applicentur, tantum valent apud multos, vt propter ipſa cenſeant omni peccato veniali Deiparam liberandam. Sed ego non capio qui fieri poſſit, vt non videant eâdem conſequẽtiâ

S. Ildeph.

Inter Chriſtum & Mariam quædam intercedit identitas.

Arnold. Carnot.

Sap. 1.

S. Anſelm.

Originale peccatum turpiùs veniali.

tiâ illam ab originali peccato liberari. Vidit eam sapientissimus Idiota, qui in contempl. Virg. cap. 3. ita habet: *Tota pulchra es Virgo gloriosissima, & macula non est in te. Tota pulchra es in tua Conceptione, ad hoc solùm effecta, vt templum esses Dei Altissimi. Tota pulchra es, non in parte, sed in toto, & macula peccati siue mortalis, siue venialis, siue originalis non est in te, nec vnquam erit.* Et quid, quæso, plus probat hæc sententia veniale peccatum esse amouendum à personâ, quo *tota pulchra* dici possit, quàm originale; cùm turpiorem & fœdiorem maculam inurat hoc, quàm illud? *Mors* enim *animæ* est, & à Concilio Tridentino dicitur sess. 5. peccatum originale: veniale autem neque mors est, neque infirmitas ad mortem. Præterea originale à S. Dionysio Areopagitâ dicitur habitus dissimilitudinis à Deo, quæ pessima est animæ macula factæ ad similitudinem Creatoris sui. Quis ergo remouebit ab eâ peccatum veniale, ne sit in ea leuis aliqua macula; & originale admittet, quod eam totam conspurcet atque commaculet?

Atque hactenus rationes Theologicæ ex D. Thomâ, scholæ Magistro, desumptæ probant hanc sententiam; cui adiungemus vnicam ex refutatione fundamenti contrariæ partis. Adferunt enim tanquam argumentum peremptorium legem vniuersaliter latam, & locutionibus vniuersaliter expressam. Debile profectò fundamentum, & quod sponte suâ ruit: quandoquidem constet in lege quantumcunque vniuersali, legislatorem posse dispensare; & præterea locutiones istas, quas ita iactant, sæpè, etiam nullo interueniente priuilegio, debere commodè exponi. Quæ lex vniuersalior, quàm illa, quæ data est Soli in Deuteronom. *Sol & dies non quiescent*? Omne omninò tempus exprimitur, & mundi totius interest ordinatum seruari cursum dierum. Quid tum? an putas hanc legem ita coniuncturum Iosue, vt cùm viderit præclarissimæ in Dei causâ reportandæ victoriæ nihil præter Solis lucem deesse, dicere nō audeat: *Sol ne moueris contra Gabaon; & tu Luna contra vallem Aialon*? Dixit, imperauitque vir fortissimus iuxtà ac pientissimus: *Et sol stetit, obediente Deo voci hominis*; admisitque lex illa tam rigorosa, & nunquam aliàs violata, fauorabilem interpretationem. Non minùs stricta & vniuersalis est illa, quæ iubet mare & flumina cursum suum seruare: & ecce mare in transitu Israël de Ægypto, & fluuiùs Iordanis transeuntibus Sacerdotibus cursū sistunt, siccoque vestigio transeuntibus iter pandunt. Iam de locutionibus vniuersalibus nulla est difficultas, cùm *S.* Hieronymus disertè doceat in illud Luc. 15. *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt*, vocem *omnia* non semper distributiuè capi debere prorsùs pro rebus omnibus, sed pro plerisque; exemplumque adducit ex Psalm. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* Item illa Ioannis 10. *Omnes qui venerunt ad me, fures sunt.* & ista Pauli ad Philipp. 2. *Omnes quæ sua sunt quærunt.* In quibus locutionibus necessarium vocem istam generalem non ita rigorosè accipere, vt neminem non comprehendat: quantò magis in regulis generalibus, quæ per se intelliguntur de lege ordinariâ; locus est exceptioni pro Virgine Deiparâ, quæ propter personæ suæ excellentiam nec debet, nec potest regulis communibus comprehendi; maximè cùm ipsimet aduersarij nostri concedere debeant eam iam à regulis æquè generaliter loquentibus in bonâ Theologiâ exceptam? *Omnia quæ terræ sunt, in terram conuertentur*, dicit Ecclesiasticus. & S. Paulus: *Omnes quidem resurgemus.* Quis hic non excipit Virginem, quæ nec in terram conuersa est, nec conuertetur vnquam, neque resurget, cùm iam animâ & corpore sit gloriosa in cælis? Sciebat, S. Thomas Generalem regulam Exodi, *Non videbit me homo & viuet*, & S. Ioannis *Deum nemo vidit vnquam.* & tamen docet Mosen & Paulum vidisse diuinam essentiam, eò quod S. Augustinum reperiebat eius men-

Iosue. 10.
Luc. 15.
Psalm. 13.
Ioan. 10.
Ad Philip. 3.
Eccli. 40.
1. Cotin. 15.
Exod. 33.
Ioan. 1.

tis existere. Quin ergo ab hac regulâ communi Apostoli, *Omnes in Adam peccauerunt*, eandem Virginem excipimus, cùm etiam apud S. Augustinũ eam exceptam reperiamus, & ipse S. Thomas eam sæpiùs exceperit? Pręterquàm quod tanta Patrum sanctorum id dicat multitudo, & tot rationes conuincant; contrà obijcitur illa antithesis, quam facit Apolus Rom. 5. inter Christum & Adamum, tamquam inter duo capita humani generis, vnum gratiæ, alterum peccati. Sicut enim Christus est fons & origo omnis gratiæ, respectu omnium hominum, qui per ipsum renascuntur; ita Adamus est caput mortuum, in quo omnes homines ab eo seminaliter descendentes mortui sunt. Vnde ait suprà Apostolus, *Sicut per vnius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per vnius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ &c.* Vnde concluditur D. Virginem non excludi ab eâdem condemnatione, alioqui non esset apposita & adæquata antithesis inter vtrumque caput, si esset aliquod membrum, in quod caput peccati non influeret. Respondetur Christum fuisse caput fortius & potentius ad reparandum hominem, quàm fuit Adamus ad perdendum; vt colligitur ex contextu eiusdem Apostoli suprà. Nec obstat illa antithesis, quæ quidem valet quoad sufficientiam vtriusque capitis in sua membra; sed Deus potuit decernere in Christi iustitiâ omnes redimere, & à condemnatione Adami, in quo omnes peccauerunt, Mariam excipere.

CAPVT XXVI.

Mons est, communis Ecclesiæ consensus. & miracula.

ANTEQVAM montem miraculorum conscendamus, qui positus est extra aciem humani vsus, propter vim supernaturalem, quæ ea operatur; subsistamus in colle, qui vocatur consensus communis non Ecclesiæ tantùm, sed ferè orbis vniuersi; quem ego in hac materiâ quid habere iudico, quod miraculo non est absimile. Nisi cum Seneca dicamus, quod *veritatis tanta vis est, vt contra omnium ingeniorum calliditatem & solertiam & contrafictas hominum insidias facilè se per seipsam defendat.* Quod locum mihi habere videtur in hoc, quod tractamus, negotio: Ipsa enim prima sibi vexillum erexit, ipsa caput extulit, ipsa corda hominum occupauit, ipsa se tam clarâ in luce videndam obtulit, vt neque Theologorum quorundam argumenta, neque ardor quorundam fortè non secundùm scientiam zelosorum, neque studia eam conantium occultare, præualere potuerint quin caput extulerit, & omnes traxerit in sui assensum; omnes inquam eâ ratione, quâ anteà dicebamus, *Omnia mea tua sunt*, & *Omnes quidem resurgemus*: nam qui nunc excipiuntur, adeò pauci & obscuri sunt, vt non possint efficere quo minùs verè dicatur orbem vniuersum ire in consensum suauissimæ erga Virginem pietatis. Nihil opus est rem quæ omnium patet oculis, verbis probare: illud potiùs iucundæ foret ex historia recordationis, percurrere breuiter quomodo gloriosa ista acies confitentium immaculatam Deiparæ Conceptionem, quæ iam triumphabunda ingreditur cum orbis vniuersi applausu

SENECA.

Luc. 15.

plausit sub insignibus Marianis, per singula creuerit sæcula, fluminis maximi adinstar, qui tenui fonte egressus per viæ decursum paulatim auxiliaribus increscit vndis, donec ad eam perueniat magnitudinem, vt iam alueum ripasque dedignetur, seque per plana camporum extendat, dubium cunctis relinquens an fluminis ille sit impetus, an verò abundantia maris, quæ eam latè dominetur. Relege historias quisquis hanc, non dico multitudinem, sed vniuersitatem admiraris confitentium immaculatam Conceptionem; ita vt pænè dubium sit, an adhuc impetu fluat certissimæ in Ecclesia conclusionis, an verò iam ripas deseruerit, ingressumque sit eam certitudinis abundantiam, quæ non amplius potest iis ripis, quas circumscribit apparens ratio, contineri. Relege inquam historias, & reperies singulis ætatibus exstitisse quosdam, qui hanc sententiam propugnarint, donec tandem Festa cœperint in honorem immaculatæ Conceptionis celebrari. Cuius originem, simul & antiquitatem, vt cetera omittam, operæ pretium est ex S. Anselmo recordari: qui in epistola, quâ omnes Angliæ Episcopos hortatur ad celebrandum festum immaculatæ Conceptionis, historiam narrat, quæ ipsam Conceptionem probare & mentes excitare potest ad piè celebrandum eandem festiuitatem. Dicit eam contigisse eo tempore, quo Carolus sceptrum Franciæ tenebat: quem Carolum Regem cùm non aliter distinguat, necesse est eum fuisse vel Carolum Caluum, vel Carolum Crassum, vel Simplicem, qui Reges ita Frãciam ex ordine tenuerunt, vt non nisi sexaginta annos durauerit omnium simul imperium. Contigit ergo, quam narrat historia intra spatium quod est ab anno 840. quãdo cœpit Carolus Caluus, vsque ad annum 892. quando regnare desiit Carolus Simplex. Narrat ergo fratrem Regis Hungariæ (nec aliter eum nominat) professione clericum, cultui B. Mariæ Virginis inprimis addictum, importunitate suorum tandem coactum fuisse, vti in matrimonium cum nobili & raræ pulchritudinis virgine consentiret. Iamque dies nuptijs celebrandis constituta erat: confert se ad templum Princeps, initoque sub Missæ sacrificium cum sponsâ contractu, recordatur se nondum sponsæ suæ primariæ Virgini Deiparæ solita deuotionis pensa soluisse: igitur humanitatis officia postponens debito pietatis, omnibus dimissis ipse solus in templo resistit, & antè Virginis Deiparæ altare in genua abiectus recitare cœpit officium B. Mariæ Virginis; quod dum insolita pietate decurrit, tandem ad ea peruenit verba, *Pulchra & decora filia Ierusalem*, cùm ecce tibi subitò apparet, quam laudabat, Virgo Deipara binis Angelis comitata, quorum alter cùm manum dexteram, alter sinistram prehendisset sponsi, blandissimè eum est Virgo allocuta: Túne ergo fateris me adeò pulchram & decoram, & interim me alteri postponis? Dic amabo, an pulchrior tibi me & amabilior videtur ista, propter quam me deseruisti? Hæsit primùm inter tantam pulchritudinem, tamque blandam increpationem attonitus Princeps, ac tandem sui, verborumque compos factus, respõdit: Fateor, Domina mea, nihil ad tuam facere quidquid creatæ est pulchritudinis; ipsi namque Angeli se victos superatosque fatentur specie tuâ & pulchritudine tuâ; quam ego non satis cognoui, quando me alteri addixi: quæ res si habet remedium, oro, quæsoque, ne id me celes, & conabor errorem reparare. Cui Virgo: Si, inquit, tantum tibi est animi, vt eam deseras, cui te hodie addixisti, me sponsam habebis in cœlis; si præterea quotannis octauâ die Decembris celebraueris festum immaculatæ meæ Conceptionis, operamque dederis vt alij te imitentur, coronam tibi promitto singularem in cælis. Quo dicto disparuit, relinquens tantum sui amorem in corde Principis, vt sese clàm in Monasterium vicinum abdiderit, nuptia-

Historia instituti festi immaculatæ Conceptionis.

nuptiarũ ſponſæque oblitus; deindè B. Mariæ auſpiciis in Italiã profectus eſt, ac deindè Patriarcha Aquileiẽſis creatus. Hic tum apparitionis ſibi factæ nunquam non memor, inſtituit feſtum immaculatæ Conceptionis 8. Decembris celebrandum, feſtiuitatiſque Octauam adiunxit, quo redderet eam celebriorem; tum, quâ valebat authoritate, plurimos Italiæ Epiſcopos induxit in eandem pietatem. Credibile eſt Hungaros famâ ſanctitatis & viri dignitate excitos, ſalutatum veniſſe, ab eoque doctos celebrare feſtum immaculatæ Conceptionis. Ita ſuadet, tum pia gentis iſtius erga Virginem Deiparam animi propenſio, quàm facile fuerit ad augendum eius cultum impellere; tum quod apud illos conſtet antiquiſſimam eſſe feſti iſtius celebritatem. Hæc tum gerebantur in conſpectu Romanæ Eccleſiæ tantâ pietate, tantoque apparatu, vt non difficile ſit concludere feſtum hoc tum ab eâ approbatum, vel certè toleratum fuiſſe. Circa eadem illa tempora certum eſt penetraſſe deuotionem hanc ad Orientem, credo, propter communicationem, quæ erat tum Orientali Eccleſiæ cum Romanâ: vnde facilè potuit ſanctitas & dignitas Patriarchæ ſupradicti eiicere famæ ſuæ radios vſque ad illas Eccleſias; certè ſiue inde ad eos manarit, ſiue antè increbuerat iſta deuotio, conſtat Imperatorem pientiſſimum Leonem Porphyrogenitum, aliàs Philoſophum, reſtauratorem pietatis in Orientali Eccleſiâ, (qui imperare cœpit anno ſexto Caroli Craſſi, & deſiit tempore Caroli Simplicis) plurimùm commendaſſe hanc feſtiuitatem; cùm ipſemet conſcripſerit orationem de hoc myſterio, quam doctiſſimus Cardinalis Baronius ad Romanum Martyrologium 8. Decembris ſe vidiſſe affirmat in Bibliotheca Sfortiana.

Quomodo feſtum immaculatæ Conceptionis ad Anglos peruenerit.

Poſt centum circiter & quinquaginta annos, prout hæc optimè digeſsit Franciſcus Porrẽus, Francia & Anglia ſuſcepit feſtiuitatem immaculatæ Conceptionis. Narrat in epiſtola citata S. Anſelmus cauſam eius & originem: quomodo ſcilicet, poſtquàm Guilielmus Dux Normandiæ Angliam inuaſiſſet, moreſque Anglorum perditiſſimos ad pietatem feliciſſimè reuocaſſet, Tranſyluani potentiſſimum præparârint exercitum, vt externum Ducem ex Regno illo, in quod ipſi ius prætendebant, expellerent. Quod cùm intellexiſſet Guilielmus, ad eos legauit Abbatem Monaſterij Rhemenſis, virum ingenij ac ſanctitatis opinione clariſſimum, natione Anglum, quem Helſimum communiter, alij Elſinum, vel Elpium appellant. Hîc ſibi non defuit ſpiritus nequitiæ & diſcordiæ, ſed fædiſſimâ tempeſtate conatus eſt impedire iter, vtrique nationi tam ſalutare; dum eâ laboratur, & præſentem omnia mortem intentant; qui eâdem quâ Helſimus naue ferebantur, calidè Virginis Deiparę opem inclamant: Cùm ecce tibi in aëre apparet vir, canitie & mitrâ pedoque venerabilis, qui Helſimo ait ſe à Virgine Deiparâ legatum, vt ipſis periculi euaſionem addiceret, ſi quidem fidem darent ſe quotannis 8. Decembris feſtum immaculatæ Conceptionis celebraturos. Quid multa? ipſi promittũt, mare ſedatur; Abbas deindè Anglos docet quid cælitùs acceperit, quid ipſe promiſerit, incitat omnes ad celebrandum hoc feſtũ; quod diligenti pietate ſuſcepit inter cæteros S. Anſelmus, qui poſt annos triginta ſcripſit feruentem iſtam epiſtolam, quâ omnes Anglię Epiſcopos ipſe veluti Primas iſtius Regni excitat, vt pietatem ſuam Virgini probent deuota celebratione Conceptionis immaculatæ; in qua epiſtola, & illa quę dixi, & quædam narrat quæ ſunt ſubiungenda, vt appareat per quot miracula paulatim hæc ſententia ſibi orbem ſubiecerit, tandemque peruenerit ad hanc vniuerſalitatem. Atque ita vno eodemque itinere duos peragrauimus montes ſanctos, in quibus fundatur Conceptio immaculata, quorum vnus eſt communis Eccleſiæ conſenſus, alter miraculo-

raculorum, cùm enim per hunc ille creuerit, nõ sunt tractatibus diuersis segregandi. Quamuis ergo Francos latere non potuerit quid vicinis suis Anglis; imò quid viro sibi notissimo Abbati Rhemensi contigisset; etiam miraculo manifestare voluit Virgo iis immaculatam suam Conceptionem, eiusque festum commendare. Narrat etiam historiam S. Anselmus: ego hic eam in pauca conferam. Sacerdos quidam Francus ab adulterio quod commiserat, cymbâ per Sequanam domum reuertebatur, recitans officium B. Mariæ Virginis, cuius quotidie recitandi consuetudinem etiam in vita ista perdita conseruabat: at vixdum cœperat, cùm dæmonum infestorum accurrit turba, qui cymbam euertunt, & misero animam crudelissimè à corpore reuellunt; eamque tres omninò dies exquisitis tormentis excarnificant: tertio die Mater misericordiæ, quæ tantisper suspensionem finalis sententiæ impetrauerat, comparet, & quid ita seruum suum excrucient carnifices istos securè rogat? illi suum esse, dignumque respondent, qui æternùm ita crucietur, quod occupatum operibus mortis innenerint. Imo, inquit Virgo, si eius est, cuius in opere occupatum inuasistis; sine controuersiâ est meus, meum enim recitabat officium. Hoc dicto, tenebriones abacti sunt, clientemque suum Virgo morte æternâ liberum, vitæ restituit temporali; docuitque peccatis abstinere, & quotannis festum Immaculatæ Conceptionis celebrare, ac alios ad eandem pietatem adducere. Vix absoluerat Deipara, cùm Angeli eum erigunt in pedes, ipsa præcedens medias per aquas ei pandit iter, hinc inde suspendens vndas, donec saluum & incolumem, ac ripæ insistentem deseruit. Nesciebat quid Liberatrici suæ diceret, quid in gratiarum actionem faceret ignorabat homo tam feliciter miser. Tandem post seriam deliberationem in eremum secessit, ibi quâ poterat deuotione celebrans festum immaculatæ Conceptionis, omnésque qui se inuisebant adhortans, vt in eandem pietatem incũberẽt. Ecce magnam Europæ & Asiæ partem diuersis miraculis initiatam huic sententiæ per publicam festi celebrationem.

Restant florentissima Hispaniæ Regna, quæ non ideò reseruaui hactenus, quod post omnes huic pietati symbolum contulerint Hispaniæ populi, sed quod non ita certò constet de tempore, quo contigit quod refert Bernardinus de Busto Feria 2. infrâ octauam lect. 4. Quod nimirum Tolosanus Archiepiscopus exstiterit nomine Gondisaluus, quem tantâ Virgo Deipara dignabatur familiaritate, vt ei se visendã præberet quoties Missę celebraret sacrificium. Quadam verò Conceptioni B. Mariæ Virginis sactatâ luce, cùm se ad sacrificandum disponeret, contigit ei de more adesse Dominam, ac dicere: Scias, fili mi, me conceptam fuisse sine peccato originali, ac proindè te ordino, vt quâ potes diligentiâ, cures celebrati festum meę Conceptionis. Quod tanto feruore vir sanctus suscepit, vt Hispaniam vniuersam traxerit in hanc deuotionem, librumque insignem composuerit de immaculatâ Virginis Conceptione. Si coniecturis sit locus, contigit hoc antè Maurorum in Hispaniam inuasionem, quando Gallia Narbonensis communicabat cum Hispaniâ, eiusque Prouinciæ Episcopi, prout docent acta Synodalia, conferebant se Toletum, vt celebrarent cum ceteris Prelatis Concilia. Contigerit ergo hæc reuelatio antè annum 800.

Quomodò Hispania celebrare cœperit festum immaculatæ Conceptionis.

Atque hæc sufficiant ad ostendendum quomodo paulatim creuerit sententia de immaculatâ Virginis Conceptione, & celebratio festi eiusdem: nam qui de temporibus sequentibus cupit edoceri, conferat se ad montem, qui ex Doctoribus & Vniuersitatibus componitur, ibique inueniet quomodo post Parisiensem Academiam, pænè omnes Christiani orbis Vniuersitates iurarint in hanc sententiam. Quæ verò hac nostrâ ętate fuerit erga hoc mysterium

Principum pietas, quis feruor populi, quę Pontificum decreta, commemoranda nõ sunt, cùm oculis cernantur omnium, impletumque sit illud: *Sicut lætantium omnium habitatio est in te.* imò & istud: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic.* Omitto hæreticos, qui, vt pater eorum quandoque coactus nimiâ veritatis luce, vel certè altiore recti prouidentiâ, vt Caiphas prophetabat, pronuntiarunt veras de hoc mysterio sententias. tantùm adduco vnicum magni Sultani filium, qui anno 1322. ex Armenia Romam profectus est, ibique contemplatus Christianorum ritus & ceremonias, tactus fuit desiderio fidem nostram suscipiendi: verùm cùm die quadam Conceptionis B. Mariæ Virginis in sacello Pontificis, qui tum erat Ioannes XXII. concioni interesset, Concionatorque diceret in peccato originali conceptam fuisse Mariam; in conspectu Papæ & omnium Cardinalium exurgit Armenus, &, Fierine, inquit, potest quod in Dei Matre peccatum admittatis? si apud nos quis diceret peccatum esse, non dico in Matre Dei, sed in matre Mahometis, in partes discerperetur qui id affirmaret. & hoc dicto abiit, nec vnquam voluit eam fidem suscipere, quæ nondum damnarat tantam indignitatem. Imperitè quidem ille iudicauit de fide & Ecclesiâ, quæ, sicuti Deus à quo regitur, sua habet tempora definiendi conclusiones de fide: optimè tamen inspexit quanta sit inter dignitatem Matris Dei & peccati originalis vilitatem repugnantia.

Reuelationes quędam circà hoc mysterium.

Iam tempus esse videtur, vt priusquàm montes hosce sanctos deseramus, adhuc visitemus reuelationum quosdam & miraculorum colliculos, quos leuiter saltãdo de altero in alterum percurremus. Et inprimis S. Birgittæ l. 6. c. 49. dictum est ab ipsamet Virgine Mariâ: *Veritas est, quod ego concepta fui sine peccato originali.* Opus est hîc etiam dicere feminam hanc à Bonifacio IX. Romano Pontifice in numerum sanctarum esse relatam, idque confirmatum esse à Martino IV. & Reuelationes eius esse receptas à Sede Apostolicâ; vt nemo temerè audeat contradicere feminæ tantæ authoritatis, affirmanti se verba ista à Deiparâ accepisse. Nec opponas mihi S. Catharinę Senensi contrariam factam esse reuelationem: cùm reuelationem istam neque S. Antoninus in eius vitâ, neque vllus alius vitæ eius scriptor prodiderit. Verendum est temerè eam reuelationem affirmantibus, quod Ioannes Americius dixit in Concione quadam coram Concilio Tridentino, plurimos Concionatores in morbum, alios in mortem incidisse, quod concionati essent contra immaculatam Conceptionem. Contrà dicit Osorius mulieres grauidas, quæ celebrant festum immaculatæ Conceptionis, feliciter parere sine vllo periculo. Narrat Pelbartus in Stellario lib. 4. p. 2. art 3. Tolosæ in Conuentu S. Francisci, cùm religiosus quidam contra immaculatam Conceptionem dixisset pro concione, exindeque celebraret Missam in altari, quod sustentabat lapideam Deiparæ imaginem; eam caput auertisse, vt ostenderet quàm parùm sibi ea doctrina placeret. Infigenda sunt omnium Concionatorum Doctorumq; pectoribus verba, quæ Franciscus Mayero refert Virginem Deiparam dixisse Doctori cuidam Theologo, præparanti se vt contra Conceptionem immaculatam concionaretur. apparens enim ei visibili specie: O Magister, inquit, quid ego vnquam tibi feci, quod hoc mane vis contra meum honorem prædicare?

S. Birg.

CAP.

CAPVT XXVII.

Vita B. Mariæ Virginis vel momento superstes probat immaculatam eius Conceptionem.

SVNT qui non malè probant ex B. Marię Virginis resurrectione immaculatam eius Conceptionem, eò quòd disputent vbi effectus corruptionis non fuerit, etiam videri causam abfuisse: sed qui vitam eius in argumentum puritatis attulerit, fortè hactenus non fuit auditus. Videtur tamen non absurdè formari posse argumentum ex eo quod Virgo tamdiu vitam inter mortales egerit, vt probetur quod eam omni peccato liberam inceperit. Vide autem, vnde eam argumentationem deducam. Audiuimus Ioseph & Mariæ indicatam ab Angelo Conceptionem Filij Dei in vtero Virginis; Mariæ quidem antequàm fieret, *Concipies & paries*; Ioseph post factum, *Quod in ea natum est*. Campum discursibus dedit ista distinctio quærentium quid causæ sit, cur Ioseph non æquè sit ante Conceptionem reuelatum mysterium, atque Mariæ? Nam si dicas huius consensum fuisse requisitum, ne res tanta in illa fine eius voluntate perageretur; non inferiore iure Ioseph consensus videtur necessarius fuisse, vtpotè qui, tanquam sponsus, dominus erat corporis virginalis, & ad quem iure naturæ pertinebat. Non examino curiosiùs rationes diuinæ in hac re dispositionis, certus Deum esse dominum tam viri quàm mulieris, ideoque eum sublimius habere in vtrumque dominium: & magna data est Ioseph occasio meritorum, quando, approbando Dei opus, voluntariè se eius dispositioni resignauit. Tantùm ad rem nostram vnam S. Chrysostomi rationem adduco, cur prorsùs fuerit Deiparæ ante incarnationem mysterium reuelandum; ait enim: *Ne scilicet stupentis & verecundantis animum anxietas mœstitiaq; consumeret. Exanimari enim mœrore potuisset, si tam grande sibi imminere cogitasset opprobrium.* O verè castitatis amantem Virginem, quæ non tantùm impuritatem, sed etiam suspicionem eius minimam morte peiorem duceret! tam enim zelosè corporis sui integritatem amabat, vt sola anxietas ex suspicione orta, si se grauidam inuenisset nescius causam, suffeciisset ad vitam eius exstinguendam. Iam properamus ad argumenti nostri vim, sanè non exiguam. Quis enim non affirmabit maiori zelo Virginem Mariam custodiuisse animæ puritatem, quàm corporis; cùm illa sine Dei offensâ possit amitti, huius verò amissio in ipsâ Dei offensâ consistat? Quod si ita se habet, iam clara est consequentia. Virgo Deipara mœrore existincta fuisset propter solam suspicionem amissæ puritatis corporalis; ergo multò minùs superuixisset certæ cognitioni amissæ puritatis mentalis. Consequentiam firmat generali verissimoque axiomate Propheta Regius Psalm. 62. *Quoniam melior est misericordia tua super vitas.* Coaceruentur omnes omnium hominum vitæ delicioſissimæ, vitæ fælicissimæ, imò vitæ ex humana prudentia optimè institutæ, nihil omnes simul ad misericordiam tuam, quâ anima exultat in gratiâ & familiaritate tuâ. Imò ampliùs quid de Virgine dicendum dictat animus. Cùm enim claram cognitionem considero, quam de Deo habebat, amoremque, quo flagrabat erga eius maiestatem; videtur illa, si optio daretur, potiùs vitam illam sanctissimam & beatissimam quam duxit in terris, etiam Dei maternitate exornatam, neglectura fuisse; quàm cum peccato originali susceptura: adeò vt si licentiâ quadam

S. Chrys.

Psalm. 62.

Maluisset non nasci Virgo, quàm peccato contaminari.

dam oratoriâ Virgini ſenſum vocemque concedamus pridie quàm eſsentiæ limina ingrederetur, conſtituamuſque eam non minùs clarè cognoſcere peccati fœditatem quàm poſteà in vitæ ſuę decurſu cognouit; ac tum eam interrogemus vtrum malit per peccati originalis ſordes vitæ ianuam intrare, an verò totâ æternitate ſine crimine inter creaturas tantum poſſibiles deliteſcere? haud dubiè tot vitæ delicias, totque ſanctitatis priuilegia contemnet, ne vel vnico temporis momento Dei ſit inimica, peccati fœditate conſpurcata. Cuius ergò peccati fuga ante ipſam vitam, voluntariam, vt ſic dicam, ſibi mortem conſciſceret; an eius recordatione, ſi quidem ſe cognoſceret contaminatam fuiſse non eſset exſtincta? *Melior eſt miſericordia tua ſuper vitas*; & peius, eſse ſine miſericotdiâ tuâ, quàm ſine vitâ diceret Virgo. *Spectaculum facti ſumus Deo, Angelis & hominibus*, aiebat Apoſtolus de omnibus. Quid? an non putamus Virginem Deiparam cognouiſse in ſe, tanquàm in centrum vniuerſi, tanquàm in negotium ſæculorum, oculos Creatoris & omnis creaturæ eſse conuerſos? Iam ſi S. Chryſoſtomo, vt ſuprà dictum eſt, videretur mæſtitiâ emoritura ſi putaſset tam grande ſibi exiſtimatæ impuritatis opprobrium imminere: quomodo viueret poſt tantum opprobrium peccati originalis, propter quod ei dæmones inſultarent tanquam prædæ, tanquàm captiuæ & ſeruæ ſuæ; propter quod Angeli conuerſationem eius fugerent tanquam peſte infectæ; propter quod deniquę Deus, quem ita diligeret, eam aſpiceret tanquam eam, quæ aliquando ſibi fuiſſet inimica? Non ſolùm virgini tenerrimæ, qualis erat Deipara, ſed etiam viro fortiſſimo cogitatio iſta cor frangeret, ſi ſuis librata ponderibus inſiliret. Eſt ergo Virginis Deiparæ vita, licet fuiſſet vel ad vnicum tantùm diem producta, ſufficiens immaculatæ eius Conceptionis argumentum. Quid ergo non probabit ea per ſeptuagin-

1. Corint. 4.

ta duos annos, ſemper in Dei peccâtique cognitione incrementum ſumens; quam tandem non mœrore & iuſtitiâ propter peccati originalis opprobrium, ſed amore & dilectione Dei, prout inceperat, finiuit? Cõfirmabitur quod adduximus argumentum, ſi conſideremus ſanctos alios, Dei cognitione & amore pęnè infinito ſpatio Deiparę inferiores, vel ſua, vel etiã aliena peccata plus morte ſuâ doluiſſe. De propriis propheta Regius Pſalm. 138. *Et vide ſi via iniquitatis in me eſt, & deduc me in via æterna.* hoc eſt, potiùs moriar, quàm in iniquitate deprehendar. Sed magis vrget Protomartyris Stephani inter lapideam grandinem oratio. Ecce enim, ingruentibus lapidibus, humi ponit genua Martyr conſtantiſſimus; quid putas, an vitę prolongationem rogabit, aut mortis aſperitatem deprecabitur? Audi quid dicat: *Domine*, inquit, *ne ſtatuas illis hoc peccatum*. S. Maximus Taurinenſis homil. de S. Stephano dicit: *Plus igitur tunc illorum dolebat peccata, quàm ſua vulnera; plus illorum impietatem, quàm ſuam mortem.* Et quid Stephanus ad Mariam? quid aliena delicta ad proprij peccati recordationem? Si ergo Sanctus ille Protomartyr plus ſentiebat peccata lapidantium, quàm lapides; plus mortem animę ipſorum, quàm ſui corporis: quis non dicet Mariam qualibet morte grauiores dolores omni momento habituram fuiſse, ſi quidem peccati ſubiiſset infamiam? Neſcio an conceptio me fallat, nimiuſque confirmandæ Conceptionis immaculatæ ardor; tamen eloquar, quod menti incidit ſeque offert tanquam veriſſimum. In Hierarchia Mariana dolores, quos paſſionis tempore Virgo Deipara ſuſtinuit, tantos eſſe oſtendi, vt creaturas omnes per partes in eas diuiſi ſubitò exſtincturi fuiſſent: tamen maiores perceptura videtur fuiſſe Virgo Deipara, quando ſe videret peccato contaminatam, quàm tunc propter Filij ſui mortem ſuſtinuit; & quomodo dicet quis animum eius potuiſſe tanto dolori ſuperuiuere?

Pſalm. 138.

Actor. 7.

S. Maxi. Taurin.

CAP.

CAPVT XXVIII.

Ex eo quod humana natura præcedat Angelicam gratiæ dignitate, probatur immaculata Virginis Conceptio.

Homo est megalocosmus.

NON subtilitatis, sed ignorantiæ fuit, quod Philosophi veteres hominem vocauerint *microcosmum*, seu orbis compendium. Meliùs dignitatem hominis cognouerunt Theologi nostri, qui corrigentes veterem errorem, *megalocosmum* hominem vocauerunt: eiusque compendium quoddam, seu potiùs sphæram vmbratilem esse dixerunt eam, quæ Mundus vocatur, machinam.

S. Greg. Nazian.

Audi Gregorium, qui per excellentiam Theologi cognomen obtinuit: *Secundum quendam* (inquit orat. de Christi natiuit.) *& alterum mundum, in paruo magnum, in terra constituit.* Quod explicans Commentator eius Nicetas: *Paruus enim*, inquit, *est hic mundus, si cum homine, cuius causâ omnia facta sunt, componatur.* Quæ verba vlteriori discursui sternunt viam, quòd ex iis colligatur non esse singularem hominis laudem quòd ipse mundiali huic machinæ, rebusque in ea variè diuinarum perfectionum extremam quandam resonantiam participantibus, comparetur: nec magnum quid Regi tribuitur, si subditis; domino, si seruis anteponatur. Homo autem in hoc natus est, vt dominaretur piscibus maris & volucribus cæli. Altiùs igitur ascendendum, vt dignam naturæ nostrę reperiamus comparationem: neque inferiùs ipsis spiritibus Angelicis subsistendum, cum quibus ita contendit homo de dignitate, vt multis modis vincat, Angelosque antecellat. Nam si Angelus superat naturâ; homo præcedit gratiâ. Naturâ præcedere Angelum præclarè docet S. Dionysius, qui cap. 4. Hierarch. cæleſt. ordinat res secundùm naturales suas perfectiones hoc modo: *Quæ res omnes participant prouidentiam, à Deitate supersentiali, omniumq; causâ promanantem; neque enim essent, nisi rerum essentiæ principijq; participes existerent. Cuncta igitur inanimata hoc ipso quod sunt, ipsam participant: nam esse omnium est ea, quæ illud esse superat, diuinitas.* hic primus & infimus est gradus. Pergit ad secundum: *Verùm res viuentes, eiusdem supra omnem vitam viuificæ virtutis sunt consortes.* Iam sequitur homo tertio in ordine: *At quæ ratione spirituq; pollent, super eius omnem rationem & intelligentiam per se perfectæ ac præperfectæ sapientiæ compotes existunt. Liquet igitur naturas eas esse proximas diuinitati, quæ multipliciter illam participarunt.* Hoc saltu transit ad Angelos: *Quapropter sanctæ cælestium essentiarum dispositiones rebus iis, quæ solummodò existunt, & sine vsu rationis viuunt, humanaue vtuntur ratione, diuini paincipatus munere ac participatione antecellunt.* Hæc est naturalis dignitas Angelorum. Naturæ enim opus perfectissimum est spiritus Angelicus, quem illa produxit, vt vires diuitiasque suas omnes quasi illustri in loco visendas exponeret: ideoque fecit eum spiritum purum, omni materiæ mixturâ, quâ homines constamus, expertem; lucidum, agilem, talem denique, in quo posset ipsa multis gloriari. Contemplata erat hoc opus Naturæ soror germana eius Gratia: nec potentiæ opulentiæue inuidit, sed excitata quodam æmulationis studio voluit & ipsa dignum manibus suis opus aliquod elaborare, magnâque nostra felicitate hominem elegit, in quo se ipsa ostenderet: huic ergo ita se impendit, hunc ita donis suis & muneribus locupletauit, vt omnia naturæ opera diuitiis excederet & dignitate. Nec desunt è SS. Patribus, qui putent Angelorum magnam partem, ac inter

Angelus est perfectissimum naturæ opus.

S. Dion. Areopa.

In homine se ostentat gratia.

ter ceteros omnium Principem, tantâ in hominem accensum fuisse inuidiâ, vt sibi ipsis mortem voluntariam consciuerint, hoc est, per peccatum, quod suâ voluntate admiserunt, perierint æternùm; indè enim ortam ruinæ eorum causam existimant Tertullianus, S. Bernardus, Cyprianus & Irenæus.

Prima itaque probatio excellentiæ nostræ supra Angelos, sit ipsa eorum inuidia, quæ vtique petere non solet nisi maiorem, aut aliquo genere superiorem. Verùm illustriori quadam ratione id probat Propheta Regius Psalm. 146. quo Psalmo primò Angelos cum omnibus cælestibus creaturis inuitat, deindè res omnes inferiores, Regemque eorum & Principem hominem, vt laudent & glorificent Dominum Deum suum. Notandum autem, quod rationem, quæ moueat Angelos ad eam laudem, subiungens, dicat: *Quoniam ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt.* id est, ipse creationis beneficio, quod ad naturam naturalia-que dona terminatur, tanta vobis impendit, vt ea non possitis, quâ par est ratione, recordari, quin statim erumpatis in laudem Creatoris vestri. Contrà verò hominem excitaturus, non ad naturam, sed ad gratiam respicit, dicens: *Quoniam exaltatũ est nomen eius solius.* hoc est, quia iste Deus qui solus est glorioſus, tãtâ vos gratiâ præuenit, vt gloriam suã quanta, quanta est, totam vobis communicauerit, quando homo factus, hominem Deum effecit. Acutè persuadere volens Dauid gratiarum actionem vtrique creaturæ humanæ & Angelicæ, id cuique proponit, quo alteri fuit prælatus: nam licet Angelus iis etiam præditus sit gratiæ ornamentis, quæ omnia naturalia eius dona longè excedunt; fortius tamen hîc & nunc erat ad persuadendam gratiarum actionem, commemorare naturę, quàm gratię dona. Id quod comparatione petita ex vita ciuili, vel potiùs œconomicâ fiet manifestius. Exempli gratiâ. Patrem ponamus, cui sex millia aureorum sint, in geminos diuidenda filios; det autem primogenito suo quâtuor millia, duo reliqua in alterum filiorum conferat. Sit verò iisdem illis filiis mater, quæ mille tantummodò aureos habeat distribuendos: hæc videns minorem a patre postpositũ, ei largitur septingentos aureos alteri verò dat trecentos. Hic iam interrogo, minor ille filius vtrius donum maioris facit? haud dubiè, licet in se minoris valoris sint septingenti quàm bis mille aurei, tamen semper iucundiùs & maiori gratitudine doni materni, quàm paterni recordabitur; quòd à matre sit fratri suo prælatus, cui fuerat à patre longè postpositus. Eâdem ratione multa quidem & pretiosissima Angelis dona contulerat Gratia, attamen homini dederat multò maiora: contra verò Natura, licet minùs posset quàm graria, tamen Angelo multò plura dedit quàm homini. Hinc prudens Psalmista excitare cupiens ad gratitudinem Angelos, licèt naturæ dona minora sint quàm gratiæ, illa tamen commemorat, quòd in ipsis sint homini prælati: homini verò gratiæ munera proponit, quòd ea præstantiora sint naturalibus Angelorum donis, & quòd ijs sit Angelis præpositus.

Psalm. 146.

Stabiliamus vlteriùs hanc hominum præ Angelis excellentiam, vt indè tandem eruamus pro immaculata Virginis Conceptione argumentum. Maximinus, acerrimus dogmatum Arij defensor, vt probaret Patrem Filio esse maiorem etiam secundùm diuinitatem, obiicere solebat, nihil magnum videri si Pater Deus homini præferretur, cùm etiam Angeli, qui sunt serui & ministri, hominibus præferantur. Huic respondens S. Augustinus lib. 3. eorum, quos contra ipsum scripsit, ait: *Quod autem tibi videtur nihil magnum de Deo Patre dici, si forma serui maior est homine, quâ maiores videntur & Angeli; non rectè cogitas quem locum habeat in rebus humana natura, quæ condita est ad imaginem Dei.* Quid existimas Angelum homine maiorem? Si hominem

S. Avgvst.

nem accipis in ſuis naturalibus, ſpoliatum omnibus gratiæ ornamentis, qualis erat pater noſter Adam poſt eſum fructus vetiti; rectè huic ante ponis Angelos: at ſi ſumis humanam naturam, prout eam exornauit Deus gratiæ ſuæ diuitiis, maximè ſi talem, qualem Chriſtus habuit; non rectè cogitas quem hæc in rebus locum obtineat: *Naturâ verò humanâ*, inquit, *qualem naturam Chriſtus aſſumpſit, ſolus maior eſt Deus.* Conſideremus nos, quod non rectè cogitabat Maximinus, quẽ locum habeat in rebus natura humana, & inueniemus optimum pro immaculatâ Conceptione argumentum; & eo modo conſideremus, quo ſolemus de dignitate Cõmunitatis alicuius, Collegij, ſeu Ordinis religioſi ſtatuere. Exempli gratiâ. In Regis exequiis, actu publico, vel ſupplicatione prodeunt variæ Congregationes, Religioſorum, Magiſtratuum, Conciliorum, quâ ratione ſtatues, quænam excellat alteram dignitate? Non ſunt in ſingula Collegij membra conijciendi oculi; facile enim inferiores permiſcentur ſine præiudicio Communitatis. Videndum verò eſt, quo ordine Superiores, ſeu Rectores eorum procedant, qui vt circumferunt in ſe totam maieſtatem corporis, ita loco cedere non poſſunt ſine præiudicio honoris. Hoc inquam modo de hominibus Angeliſque ſtatuamus, videamuſque primum ſeu maximum Angelorum, & hominum item primum examinemus, vter alteri præcedat, & concluſum erit de Congregationis totius dignitate. Primus hominum eſt Chriſtus IESVS, primogenitus in multis fratribus: vide iam quanto ipſe interuallo eſt ſupra Angelorum ſupremum principem exaltatus; quantò nimirùm Rex ſubditum, dominus ſeruum antecedit. Et hæc quidem ſine vllâ controuerſiâ concedere debent, qui vllam habent de Filij Dei incarnatione notitiam. Sed Angelos, vel ſaltem Angelorum patronos opponentes audio, propter Chriſtum non debere totam hominum Communitatem præponi Angelis, quòd

Humana natura Angelicam præcedit dignitate.

ipſe non tantùm caput ſit hominum, ſed etiam Angelorum, propter præcellentiam dignitatis: quæ licèt efficiat mediante hypoſtaticâ vnione humanam eius naturam immenſæ cuiuſdam dignitatis; videtur tamen neſcio quomodo non ſatis pro hominum ſuprà Angelos excellentiâ concludere Chriſti dignitas, cùm ipſe faciat vtraque vnum, & indifferenter caput ſit hominum & Angelorum. Quorum ego obiectioni, quod facilè poſſem, nullâ ratione contradicam, ſed vltrò diſſimulo, non propter Chriſtum pręponendos homines eſſe Angelis: non enim propterea euadent, concludentúe homines non eſſe pręponendos; ſed id ſequetur, cùm etiam recedendo à Chriſto preponendi ſunt, in Diuâ Virgine, quę purorum hominum eſt excellentiſſima, cauſam reperiri debebere cur ſint ptęferendi. Pro quo illuſtrem habemus locum in prophe- ta Regio Pſal. 44. vbi dicit: *Aſtitit Regina à dexteris tuis.* in hoc loco omnia continentur: nam Chriſtum alloquitur, cui adſtare dicit à dextris reginam, id eſt, ſponſam ſuam Eccleſiam. Sed quid, regina à dextris? Maior ergo illa eſt ipſo Rege, vel ſponſa ſponſo pręfertur? nullâ ratione: non enim cum ſponſo de dignitate contendit modeſta hęc ſponſa Eccleſia conſtans ex hominum congregatione, ſed, quod dicebamus, cum Angelorum choro. De hac autem Pſalmiſta affirmat, quod ſponſi dexteram teneat; Angelorum congregatione claudente eius læuam; ita vt clarum ſit eum Regem in mediò relinquere, nec vllâ ratione partibus contendentibus admiſcere. Hinc iam conſtat congregationẽ hominum comparatam cum Angelorum multitudine, etiam excludendo Chriſti perſonam, excedere non natura, ſed gratia: ideò reginam Eccleſiam ad dexteram ſponſi collocari; quod non video qui fieri potuiſſet, ſi nihil in Eccleſiâ iſtâ eſſet ſyncerum, nihil vndequaque incontaminatum; quod profectè non reperiemus, ſi Mariæ Conceptionem

In Diua Virgine eſt cauſa cur homines Angelis præferantur

Pſalm. 44.

fateamur

fateamur labe peccati contaminatam. Nihil magnoperè laborandum est, si inferiorum alij alios excedant; vt enim de congregationis dignitate statuatur, caput eius aspiciendum: quod cùm homines habeamus Angelis omnibus magis sanctum & magis incontaminatum, Virginem scilicet Deiparam; cedunt ipsi nobis Sponsi dexteram non inuidi iam, sed gratulabundi nobis & sibi: nobis, quod istâ dignitate aucti simus; sibi, quod nullâ in re immunita sit, sed multum etiam aucta nostrâ prærogatiuâ illorum felicitas & dignitas. Atque hoc est quod canit Ecclesia nostra: *Conceptio est hodie Sanctæ Mariæ Virginis, cuius vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.* Quod si ipsa concepta esset in peccato originali, non illustraret, sed contristaret eius vitæ ingressus cunctas Ecclesias: homines, quòd Reginam haberent peccati labe infectam; Angelos, quòd eam agnoscere deberent Domini sui Matrem, quam vidissent mancipium diaboli. Sit ergo fortissimum pro immaculatâ Virginis Conceptione argumentum, præcellentia dignitatis humanæ naturæ præ Angelis; quam non posset vllâ ratione, recedendo à Christo, prout illam Propheta Regius ei tribuit, obtinere, nisi caput haberet Angelis ipsis purius & sanctius.

CAPVT XXIX.

Immaculata Conceptio probatur Virginis ipsius & Dei Iudicis testimonio.

TANTA est philautiæ, seu amoris proprij peruersitas, vt nihil rectum sit quod ab eo gubernatur; tanta calliditas, vt ferè vbique rebus omnibus se se insinuet, quas homines moliuntur: adeò vt infallibilis sit inter mortales regula, neminem in sua causa audiendum, quòd tanquam rem certissimam supponant, neque excludi facilè à quoquam amorem proprium, neque admissum rectè iudicaturum. Valeret hæc in præsenti contra hunc discursum nostrum regula, nisi ij ipsi, qui immaculatę Conceptioni aduersantur, fatercntur Virginem ab eâ excipiendam, quòd saltem cogantur admittere nulli peccato actuali subiectam; vnde fieri nequit, vt non rectè etiã de se ipsa iudicauerit, vt potè ne quidem suspicioni philautiæ subiecta. Vnde fit, vt non solùm audienda sit in causa sua; sed, quia post Deum nemo maiorem ipsius cognitionem habuit quàm ipsa sui, nullius tanti facienda sit authoritas. Hinc iam patet infallibilis veritatis futuras eas reuelationes, quas suprà Virginem de immaculatâ suâ Conceptione feciisse diximus, si tantùm infallibiliter constaret eas fuisse à Virgine Deiparâ factas. Iis ergo prætermissis, hîc aliam eius vocem proponam, quam certum est esse veritatis infallibilis, vtpotè à Spiritu sancto traditam, & ab Ecclesiâ Virgini applicatam; quam videan non probabiliter contendam immaculatæ Virginis Conceptioni applicandam. Apud Ecclesiasticum 24. cap. dicit: *In ciuitate sanctificatâ similiter requieui.* Quis non intelligit vocem, *Similiter*, indicare factam esse mentionem quietis alicuius, cui similem dicat fuisse suam, quam habuit *in ciuitate sanctificata*? Contextus ergo videndus est, vt sensus planè capiatur. Dicit autem versu 12. *Et qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo.* Cui mox. v. 15. subiungit: *Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui.* Vt clarum sit eam de quiete agere, quam Filio suo præbuit in vtero suo, quando eum concepit; cui similem esse contendit eam, quam ipsa habuit in ciuitate sanctificata. Restat ergo solummodò quærendum, quænam sit ciuitas illa sanctificata, in quâ *Similiter* Virgo requieuit. Hanc autem fuisse sanctis- *Eccli. 24.*

simum

simum matris Annæ vterum, omnibus gratiæ donis sanctificatum, vt digne Virginem Mariam conciperet, quis dubitat? In hoc vtero similiter se requieuisse dicit Virgo Deipara, quemadmodum Creator suus requieuerat in tabernaculo suo. Iam scimus fide esse certum ita in Virginis vtero quieuisse Christum, vt nullâ peccati originalis molestiâ fuerit defatigatus. Similiter ergo in Matris suæ vtero quieuit Maria. Hic iam tempus est citandi Authorem antiquissimum, Lucium Dextrum, qui S. Hieronymi temporibus scripsit Chronicon omnimodæ historiæ, in quo ad annum Christi 308. parte 1. num. 9. ita loquitur: *A Iacobi prædicatione celebratur in Hispania festum immaculatæ & illibatæ Conceptionis Dei Genitricis Mariæ.* Quid hic dicent aduersarij nostri? an, quod multi faciunt, totum librum ad falsos & commentitios ablegabunt, quòd nimis clarè sibi videantur hic venerandæ antiquitatis testimonio conuicti? an, quod religiosiùs alij faciunt, potius contendent hæc verba non de passiuâ, sed de actiuâ Virginis conceptione intelligenda? Id quod erudite facit Franciscus Biuarius in Commentariis ad Lucium Dextrum, vbi etiam secundum eandem rationem explicat Canonem istum Apostolorum, qui in sancti Cteſiphontis, Iacobi discipuli, apud montem sanctum Ilipulitanum Granatæ repertus est, quem nos citauimus suprà; qui etiam S. Iacobi discipulus in alio libro scripsit: *Nequaquam Angelus Virgini diceret, Aue gratia plena; si in originali peccato fuisset concepta.* & ista: *Mariam non tetigit primum peccatum.* Quæ ego, vt non disputem an satis commodè explicari possint per actiuam conceptionem, & immunitatem â pœnis quæ originali culpæ debebãtur, propter verba, *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios &c.* dico tamen, licet ita acciperentur, satis probare immunitatem à peccato originali in Cõceptione passiuâ Virginis ex verbis suprà allatis: *In ciuitate sanctificata similiter requieui.*

Antiquissima de immaculata Conceptione testimonia.

Genes. 3.

Ponamus enim Canonem Apostolorum, qui ita habet: *Illa Virgo Maria, illa sancta, præseruata fuit à peccato originali in primo instanti suæ Conceptionis & libera ab omni culpa. Et qui non ita senserit, non consequetur vitam æternam.* Ponamus, inquam, eum nõ esse aliter intelligendum, quàm Virginem Mariam in primo ipso suæ Conceptionis momento (quando nimirùm Dei Verbum virgo manens concepit) præseruatam fuisse ab originali peccato: hoc est, à pœnis primæ mulieri & ceteris in ea propter culpam originalem inflictis. Quid sequetur? nisi eam similiter in ciuitate sanctificata requieuisse, quemadmodum Filius eius in templo sancto vteri sui quiescebat: non quòd eâdem corporali munditiâ à matre suâ concepta fuerit, sed quod simili à peccato originali sanctitate fuerit præseruata; aliàs enim non quieuisset ipsa in vtero matris suæ, sed infinito à Deo per peccatum spatio segregatæ contendendum fuisset magnis itineribus, vt ad eum quàm citissimè accederet. Virgo ergo similiter requieuit in vtero matris suæ quemadmodum Deus in vtero ipsius: hoc est; quemadmodum Virgo contulit mundiciẽ & sanctitatem, quantũ possibile erat ex parte suâ, vt honestum, & dignum, & quietum Filio præberet hospitium; ita Filius, quantum erat ex parte sua, hoc est quantum naturalis concipiendi modus permittebat, contulit, vt ipsa in vtero matris suæ quiesceret: quod aliter fieri non poterat, quàm eam à peccato originali liberando: quod ipsa testatur factum, quando dicit se non minùs quieuisse quàm Filium. Si Virginis testimonio non acquiescant aduersarij, iam non restat nisi vt ad Iudicem omni exceptione maiorem controuersiam deferamus, à quo non est vlterior appellatio. Et huc deueniendum prædixerat Salomon Prouerb. 18. *Iustus primus in lite sua, & venit amicus eius, & inuestigauit eam.* Iustũ primum, & hominem primum dici B. Mariam Virginem alibi sæpiùs probauimus: eam scilicet Deus sibi

Quies Virginis in ciuitate sanctificata, est immunitas à peccato originali.

B. Virgo est primus homo.

Prouerb. 18.

habebat cum Filio suo homine-Deo propositam, quando dicebat: *Faciamus hominem ad Similitudinem nostram.* Hæc est, quę sola verè homo, & tantùm homo, dici potest: nam quidquid hominum eâ maiùs, simul Deus est; quidquid eâ minus est, coinquinatum peccato est, vnde & comparatum non tantùm iumentis insipientibus, sed etiam dæmonibus, & simile factum est illis. Virgo autem Deipara ab omni peccato aliena, & diuinitati nullâ vnione hypostaticâ coniuncta, verè homo est dignitate primus, & per antonomasiam homo vocandus: hinc Christus toties se vocat filium hominis. Hic homo, qui & iustus, quia nullo peccato contaminatus, de ipsâ hac suâ iustitiâ fuit & etiamnum est in lite, quamuis iam nihil exspectetur nisi fauorabilis pro eo sententia. Venit amicus eius Iesus, eius & Dei Filius, iudex verus & syncerus, qui eam amici fide, spõsi amore, & Filij obseruantiâ semper coluit: hic inuestigauit & examinauit litem eius, & pronuntiauit eam, quam omnes optabamus, sententiam. *Tota* inquit, *pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Hanc vocem, *tota*, S. Anselmus refert ad tempus, vt idem sit atque omni tempore pulchra fuisti, nunquàm fuisti vlla turpitudine infamata: potest etiam referri ad omnes actiones cogitationesque Virginis: potest de omnibus eius membris & animi corporisque facultatibus intelligi, vt dicat eam intuens sponsus & Iudex: Vt video, tota pulchra es, tota decora. Et ne quis putaret vnquàm turpem fuisse, addit: *Et macula non est in te.* qualis iam es, talis semper fuisti, nulla enim corpori, nulla animæ, nulla famæ aut nomini hæret macula vllius turpitudinis: quod si aliquando fuisses turpis, si Dei inimica, si mancipiũ (quod per peccatum fieres) si meretrix & scortum vile diaboli; quantumcunque fuisses crimine soluta, tamẽ semper hæsisset nomini tuo macula: quam cùm nullam reperio, pronuntio te totam pulchram non tantùm esse, sed etiam fuisse omni vitæ tuæ momento.

Triplici Christi testimonio probatur immaculata Conceptio.

Possumus etiam tradere clarissimum eiusdem Filij Dei testimonium ex verbis eius in Euangelio, si attentè ea consideremus Luc. 11. vbi cùm surgeret quædam mulier, & videns Filij excellentiam, maiestatem, potentiam, & sanctitatem, Matri benediceret, clamans, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*; respondit Christus: *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud* Prædicabat meritò ventrem & vbera illa beata mulier, quæ intacto pudore portauerant & lactauerant æterni Patris Filium; & diuino instincta spiritu (quo hæc proclamabat) virginitatem efferebat corporalem, quæ tanto miraculo conseruata cum fœcunditate maternâ necessariò erat plus quàm Angelica. Sed cùm mulier hæc non aliam laudaret puritatem; Christus, qui aliam, magisque laudabilem agnoscebat in Matre suâ, quamque non minùs volebat proponi in admirationem & imitationem hominibus, subiũgit: *Quinimò* (particula est correctiua simul & intensiua, innuẽs non esse falsum quod præcessit, sed aliud esse maiore ratione prędicandum) *beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud* Prædicas tu matrem meam, quòd virginitatem habuit corporalem supra omnẽ hominum virtutem exaltatam: sed magis prędicanda est integritas mentis eius, quæ fuit non minùs supra omnem consuetudinem eleuata; propter quam etiam beatior fuit quàm propter virginitatem. Quis non videt hic munditiem corporalem & mentalem Virginis ita componi, vt hæc isti prędeferatur? & dicemus mente fuisse corruptam, quam fatemur corpore prorsùs intacto? non ita profectò filius eius, qui admittens omnimodam propter castitatem in Matre suâ beatitudinẽ, apponit maiorem ob mentis incorruptionem. Et aduerte, ad roborandũ hoc Filij Dei testimonium, S. Cyprianum ep. 3. dicere: *Primũ felicitatis genus est, non delinquere.* Et Prophetam regium, quando cum Psalmis suis exaltare incipiebat felicitatem

Luc. 11.

S. Cypr.

felicitatem hominis iusti, eam posuisse in alienatione à peccatis. Sic enim exorditur Psalterium: *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* Psalm. 1. Iam felicitatem quandam deprædicabat mulier in Virgine singularem, quòd scilicet Mater Dei existeret: quam laudem Christus excipiens, necessariò vel ex lege carminis Amœbei aliquid adferebat quod maiorem laudem & felicitatem continebat, quàm id quod erat allatum. Itaque laudabat talem alienationem à peccato, quæ etiam maternitatis diuinæ superabat felicitatem: quæ nisi dicatur esse præseruatio ab originali, non facilè statuetur quæ sit ista innocentia, quâ omnes mortales magis vicit & anteiuit, quàm ipsâ suâ fœcundâ virginitate; quod innuit eius Filius. nam *primum felicitatis genus est, non delinquere*: hoc & aliis datum est, qui tamen felicitatem eam non attigerunt vt Mater Dei fierent. Vt ergo ita feliciter non delinquat, vt etiam superet maternitatis felicitatem innocentia; necessariò dicendum, eam fuisse etiam ab originali immunem. Innuit hoc S. Iustinus q. 44. ad orthod. *Ob hoc voluit prædicari Matrem suam, quod talis esset, quòd Virgo mater fieret*: eam scilicet volebat prædicari beatitudinem & felicitatem, quæ immunis ab originali peccato, & consequenter ab omni actuali, omnem habebat, quæ homini potest à Deo concedi, puritatem; & consequenter omnem dispositionem, quæ poterat ex parte innocentiæ poni vt fieret Mater Dei. Rursùm simile testimonium dedit Christus de Matre, eadem ratione ad doctrinam & instructionem præsentium directũ, vt quod tunc agebat, maximè ageret, & tamen Matrem laudandi occasionem non amitteret. Matth. 12. multis docebat turbas de iis, quæ pertinebant ad regnum Dei, cùm superuenit eum quæritans Virgo Maria: nec defuit qui diceret: *Ecce mater tua, & fratres tui foris stant quærentes te.* Matth. 12. Cui sic respondit, vt quibusdam videatur indignabundi vox esse: *Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quid? an existimabimus eum Matri indignatum? non honorasse vultum eius? nec ratio suadet, nec lex permittit, nec fert Filij consuetudo. Non potest reprehensionem merita fuisse hoc suo accursu, nisi velimus per sũmam impietatem etiam actualia peccata ei impingere: neque ignorabat quam de parentibus honorandis legem tulisset ipse qui hîc loquitur; & quàm eam obseruare soleat ostendit Euangelista, dicens: *Et erat subditus illis* Neque reformidat dicere Arnoldus Carnotensis serm. de Assumpt. quæ habetur tom. 10. Operum S. Augustini, quod ideò de cruce non descenderit Christus, licet se ei fidẽ habituros sponderent Iudæi, ne Matrem negare videretur, quòd ipsi dixissent: *Si Filius Dei es.* quod si eo tempore descendendo ostendisset; fortè illi tunc absolutè Mariæ negassent filium, & solummodò phantasticum corpus assumpsisse (quod posteà quidam dixerunt) affirmauissent. *Vt ergò te veram Matrem ostenderet*, inquit, Virginem alloquens, *petitioni eorum non satisfecit.* Qui sic honorat Matrem suam, vt vitam malit amittere, quàm summam eius dignitatem in dubium vocare; posset nè verbis asperioribus in tantâ hominum frequentiâ eam immerentem obiurgare, & maternitatem eius parui facere? Quid enim dicunt, qui Mariæ aduentum denuntiant? *Ecce mater tua.* maternitatẽ deprædicant. At Christus maiorem eius laudem esse confirmat, quòd semper fuerit in Dei gratiâ, & sẽper voluntatem habuerit Deo amicam & consentientẽ, quàm quod effecta sit mater Dei. Author huius explicationis est D. Ambrosius lib. 6. in *Lucam: Neque iniuriosè*, inquit, *refutantur parentes: sed religiosiores copulæ mentium docẽtur esse, quàm corporum.* Corporationem sic intelligo: quod, vti in corporali cognatione sui sunt gradus, per maiorem minoremue coniunctionem descendentes; eâdem ratione gratia diuersimodè

S. Ivtin. Luc. 2. Arnold. Carnot. S. Ambro.

Deo homines deuinciat, sic vt propinquioris cognationis momenclaturas mereantur, qui sunt Deo per gratiam cõiunctiores. Iam vti impossibile est vt mater obliuiscatur Filij vteri sui, & odio habeat quẽ genuit: ita dicendũ Matrem Dei spiritualem vocandam esse, quæ nunquam fuerit ei inimica, sed ab initio per gratiam coniuncta; reliquos eò plus participare cum eo cognationis, quò minùs ei fuere contrarij, vel magis sunt per gratiam coniuncti. Hæc est Iudicis supremi de immaculata Virginis Conceptione sententia, qui nobis ita audiendus dum clementer & verè de Matre suâ pronuntiat, quemadmodum volumus eum experiri quando de nobis pronuntiaturus est, sententiam.

CAPVT XXX.

Aliud Christi & Virginis testimonium, vnde colligitur immaculata Virginis conceptio.

IN ipso amoris ardore erant sponsus & sponsa, quando tam diuino cantico, quod Salomon cecinit, se inuicem dilaudabant. Est autem amoris ingenium acutum & subtile, amansque figurarum, quæ plus indicant quam dicunt, plus cogitationi tacitæ relinquunt quàm verbis declarant. Id quod toto eo carmine est manifestum, quod Canticorum Canticum ob excellentiam dicitur. Ad rem nostram faciunt duo loca, è quibus clarè immaculatam Conceptionem Virginis colligo, quamuis nihil minùs in iis dici videatur. Vnus 6. capite v. 8. habetur, vbi Christus loquitur: *Vna est columba mea, vna est matris suæ, electa genitrici suæ.* Quam electam esse dicit genitrici suæ, interpretor esse filiam Prouidentiæ, ad quam pertinet eligere & præeligere: huic autem matri vnicam esse ait sponsam seu Columbam suam, & consequenter eam perfectam appellat, idque ab ipsâ electione & prædestinatione, quando fuit in filiam particularem prouidentiæ & matrem omnia prouidentis electa. Verùm quænam est ista consequentia, vnica est filia prouidentiæ, ergo fuit sine peccato originali concepta? Probari ea potest facile, tum ex stulto Democriti & Epicuri errore, tùm ex sapienti Doctoris Angelici ad eum responso. Negabant enim Philosophi illi prouidentiam esse quæ orbem gubernaret, quòd nemo prouisor sapiens vitia & defectus permittat in re, quę sit curæ suæ commissa, si ea possit prohibere: vnde inferebant Deum vel non posse defectus, qui contingũt, prohibere; vel, si possit, non pollere prouidentiâ, cùm non prohibeat. Quibus optimè respondet Theologus noster 1. p. q. 22. art. 2. ad 2. *Prouisor particularis*, inquit, *excludit defectum ab eo quod eius curæ subditur, prout potest.* Satis hoc dictum est atheis istis, & satis etiam studiosis Deiparæ cultoribus, quibus ita ratiocinari licet: Prouisor particularis excludit defectum ab eo quod curæ eius subditur, quantũ potest. atqui Deus respectu Virginis est prouisor particularis, quia dicit: *vna est columba mea, perfecta mea &c.* ergo prohibuit ab eâ defectum quãtum potuit: potuit autem prohibere defectum peccati originalis, ergo eum prohibuit. Quænam fingi posset argumentatio fortior, quodnam testimonium clarius pro immaculatâ Conceptione Virginis? Hæc vis est istorum verborum, *Vna est columba mea*; vna, cuius ego particularem curam gero, quam in sinu meo nutrio, quæ mihi auis adinstar domesticæ familiarissimam dat oblectationem, & cui ego singularem impendo educationem. Quid sequitur? *Perfecta mea.* nam prouidentiâ istâ particulari prohibeo ab eâ omnem defectum, quantum possum; possum autem reddere

D. Thom.

Cant. 6.

Virgo Deipara est prouidentię diuinæ filia.

eam

eam immaculatam, intactam, & vndiquè perfectissimam. De prouidentiâ hac singulari & vigilante, ad præueniendum se gratia originali, canit ibidem Virgo cap. 2. v. 8. *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles; similis est dilectus meus capreæ, hinnuloq; ceruorum.* Vis prouidentiæ oculum? *Similis est dilectus meus capreæ*; quod animal, propter videndi excellentiam, à Græcis *dorcas* nominatur. Vis à peccato præseruationem? *hinnuloque ceruorum*; ceruus enim sôlo halitu serpentes attrahit, necatque. Vis denique festinationem & præuentionem in eo beneficio? *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles* præ nimiâ festinatione. Suggessit priorem explicationem Philo Carpatius, qui ait: Similem illum dicit capreæ, quia prouidere facit omnes aduersarij laqueos; similem verò hinnulo ceruorum, ob id quod vitia exstirpat. Posteriorem verò res ipsa attulit, cùm præter expressa *saliendi* & *transiliendi* vocabula, etiam in animalibus ipsis velocitatem annotauerit. *Montes* autem, in quibus saliebat, interpretor montes istos æternitatis in quibus exultans Matrem sibi prædestinabat: *colles* verò, quos transiliebat, quis non videt esse omnia aliorum sanctorum priuilegia, quorum neminem volebat æquè ac Matrem suam eminere? Sed fundamenta huius ponebat in summitate collium istorum, hoc est dabat ei primo momento maiorem sanctitatem, quàm ipsi in fine vitæ suæ fuerunt consecuti. Ita decebat prouidentiam Dei particularem: sibi enim matrem fabricabat, ornare ergo eam debebat, vt ad finem, in quem destinabatur, esset idonea. nam *ratio ordinis rerum in finem, prouidentia in Deo nominatur*. Finis creandi B. Mariam Virginem, erat Dei Filius; vt indicat satis Angelus, quando S. Ioseph dicit: *Accipe puerum & matrem eius, & fuge in AEgyptum.* Matth. 2. insolens loquendi modus, *Accipe puerum & matrem.* Mulier, Virgo, sponsa, mater, nónne ante filium erat nominanda? *Eijce ancillam & filium eius*, dicitur Genes. 21. vbi mater filio præponitur. Respondet imperfectus: *Quia non propter matrem puer natus est, sed propter puerum mater præparata est.* Sequitur ergo quod defectum ab eâ prohibuerit prouidentia diuina, quantum potuit; quod non minùs particulari curâ ei formandæ Deus incumberet, quàm Filio suo cupiebat Matrem honorificatam. Cantet ergo Filius vnicam esse columbam suam, quòd nullam magis vnicè curauerit. Canat Virgo similem esse dilectum suum hinnulo ceruorum, quod transiliat omnia sanctis data priuilegia, vt eam sibi præparet Matrem & Sponsam sine maculâ aut rugâ. Et nos vtriusque testimonio confirmatam confiteamur Virginis immaculatam Conceptionem.

Christus transit omnes colles cælestes, vt Matrem sanctificet. Cant. 2.

S. Thom. 1. p. q. 22. art. 1.

Matth. 2.

Genes. 21.

CAPVT XXXI.

Quid vtilitatis creaturæ acceperint per immaculatam Virginis cõceptionem?

SI referare oporteat omnes vtilitatis thesauros, quos homines per immaculatã Virginis conceptionem sunt adepti, nullus erit eos lustrandi finis. Cùm enim per hoc priuilegium positum sit primum fundamentum ciuitatis illius, cuius pulchritudine Deus illiceretur, vt nobiscum habitaret; quidquid cum aduentu eius nobis venit honorum, possemus hîc producere, vt nobis Virginique maiori affectu immaculatam Conceptionem gratularemur. Sed cum hæc magis propriè spectent ad ea festa, quæ propiùs tangunt redemptionis nostræ mysteria, hîc nihil aliud dicam, quàm quod Festo huic ita est proprium, vt non sit alteri commune.

Idque de multis vnum: quod scilicet creatura omnis, maximè irrationalis, per immaculatam Conceptionem liberata sit maximâ, sub quâ ingemiscebat, ignominiâ. Quod vt capiatur, aduertendum in prima creatione Deum omnia hominum causâ molitum fuisse quæ in vasta hac rerum machina sensu aliquo percipiuntur. ideoque vt ipsum tanquam regem in palatium sibi præparatum induceret, omnia priùs feciſſe, ordineque suo distinxisse, suum cuique attribuisse officium, vt homini creando digna præberent obsequia: quibus omnibus perfectis, tandem hominem producit eique tradit absolutum in omnia imperium, eâ tantùm lege, vt Deo ipse obediret. Vix erant hæc peracta, cùm lætæ creaturæ suis intendunt obsequiis: quædam nutriunt, quędam molli strato membra accipiunt, aliæ stipant honoris causâ fido latus satellitio, alię necessitates quæ ingruere possent præueniendo auertūt: sunt quæ aures cantu suaui demulceant, sunt quæ oculos vario colore oblectent: sol illuminat, stellæ occultis prosunt influentiis, luna noctu facem præfert ne vspiam impingat, elementa concordi discordiâ certant ei diuturnam elaborare valetudinem; singulæ denique muneri suo intentæ, regi suo deseruiunt. Hæc ita, prout ordinata erant à Deo, bellè procedebant, cùm homo, sui & Dei oblitus, fædissimam machinatur rebellionem, negat Deo obsequium, & capitale bellum indicit, cum iurato eius inimico fœdera paciscens. Si hîc creaturis suo licuisset agere ingenio, statim omnes rebelli homini denegassent obsequium: sol obscuratus noluisset iter ostendere, qua rueret in scelera; astra influentias, elementa viuificas suas qualitates continuissent, ne robur præbere viderentur contra Dominum suum, quem ipsa nec poterant, nec volebant offendere. Verùm tanta fuit misericordia & clementia Domini nostri, vt creaturis imperauerit homini etiam rebelli seruirent, eò quod non vellet mortem peccatoris, sed potiùs vt viueret, & rursùm conuerteretur ad Dominum Creatorem suum. Hîc multiplici se creaturæ videbant affectas ignominiâ: imprimis enim peccatori seruiendum erat. hoc est homini infami & omnibus supplicijs digno. Quàm erubesceret famulus, qui liberali affluetus obsequio quod exhibebat nobili & generoso Principi, iam cogeretur viliſſimis seruire patibulariis; tam creaturas omnes pudebat, post hominis lapsum seruitij sui. Si enim hunc hominem cum priore conferas, tantum mutatus ab illo est, quantum distat viliſſima nebulonum fæx ab illustribus mundi Principibus.

Creaturæ omnes lætæ seruiebant homini iusto.

Multiplex creaturarū ignominia ex obsequio præstito hominipeccatori.

Altera ignominia erat, quod illas puderet, quamuis volente & permittēte Deo, arma homini suggerere, & facultatem præbere contra eum, à quo ipsæ, quidquid erant, accipiebāt. In imagine erit clarius. Sit Rex, qui nobili alteri suos inseruire iubeat famulos, sic vt Rex ipse sumptus, vestes iis suppeditet; ipsi quidquid habent, quidquid sperant, à Rege, non à nobili isto, expectent: interea dominus eorum à Rege desciscat, arma contra eum sumat; velit nihilominùs Rex serui isti eum non deserāt, sed fideliſſimè in omnibus assistant: quis non videt seruos istos, quamuis insigne fidelitatis sit studium Regi obedire, tamen ignominiæ sibi ducturos quod debeant rebelli Regis sui inseruire? Facile iam est hæc creaturis respectu Dei & hominis applicare: ipsæ enim à Deo quidquid sunt habent, ab eo dependent, ab eo aliæ existentiæ, aliæ vegetationis, aliæ etiam sensuum accipiunt stipendium: interea sunt rebellis hominis obsequio ab ipsomet Deo addictę. quid facient miseræ? Deo non obedire, nefarium; homini rebelli inseruire, ignominiosum. *Adiecta, est eis*, inquit S. Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 10. *alia confusio, quia huic quem à suo Conditore per malæ vitæ merita exorbitare videbant, per suæ conditionis legem ministerij sui obsequium nullo tempore abnegare valebant.* Similis fuit D. Athana-

S. Anselmvs.

thanasij speculatio in serm. de Pass. & Cruce Domini, vbi causam indagat cur sol in morte Domini ecclypsim sit passus, orbemque lumine suo spoliarit; atque inter alias hanc ponit, quod sol negarit lumen suum,

S. Anast. *Negligens iam præcepti de hominibus illuminandis, & nunc demùm præuaricari audens, cum videret Dominum ab hominibus excruciari.* Videtur alludere ad ea, quæ diximus, solemque imaginari, tanquam qui hactenus, inuitus quidem, sed patienter homines præuaricatores & Deo rebelles illuminasset, propter Dei præceptum; contemplatumque semper quorsum tandem euaderet hæc malitia: cùm autem videret eò processisse audaciæ, impietatis, & furoris hominem, vt manus suas in ipsum Deum extenderet, & exquisitissimis tormentis excruciatum morti traderet; tum demùm prçuaricari ac Domini prçceptum omittere ausum, quòd iam modum omnem patientiamque vinceret illa impietas. Patet ergo quomodo geminâ istâ laborabat ignominiâ omnis creatura homini deseruiens: vtrâque autem fuit per immaculatæ Virginis conceptionem magnâ ex parte liberata, iam enim posthac non seruit naturæ humanæ, quę vsquequaque est famula & ancilla diaboli; sed quæ secundùm prçcipuam sui partem fuit ab omni prorsùs peccato libera: ei seruit naturæ, cuius amore captus Deus, se non continuit quin veniret ei ministrare. Tantum enim valuit Mariæ innocentia, sanctitas & gratia, quam habuit apud Deum, vt si non prorsùs propter illam, saltem citiùs descenderit de cælis, quia videbat iam sublatum opprobrium nostrum, & consequenter omnium creaturarum.

Aufert ignominiã creaturarum immaculata Virginis Conceptio.

S. Ansel. *Durauit autem*, inquit S. Anselm. suprà, *hæc in rerum substantijs iniuria, quousque venit in carnem illa, de qua loquimur, B. Virgo Maria.*

Alteri prçtereà ignominiæ per hominũ peccata subiectæ erant creaturæ, quæ etiam per Conceptionem & deinceps per vitam vniuersam B. Mariæ Virginis fuit deleta. Creatæ erant omnes res visibiles, aut aliquo sensuum perceptibiles, ad nobilissimum finem: vt scilicet per diuersos perfectionum suarum gradus quasi scalam conficerent, per quam homo ad inuisibilem Dei substantiam contemplandam ascenderet. Huic officio decorum eis erat deseruire, & plaudebant quasi sibi nobiliores inter illas, quòd propiorem Deo in hac scalâ gradum ipsæ conficerent. Quid autem homo? per summam Dei creaturarumque iniuriam inuertit scalam illam, & iisdem gradibus, quibus ad cælum Deumque contendebat, per eam ad inferna diabolumque iter dispositi; ita vt gementes & querulæ se cogerentur præbere ministras peccatorum, & fieri infames diaboli victimæ, dum impenduntur & consumuntur in eius obsequium. Quoties ingemiscere audisses campos, tantâ varietate pictum explicantes sinum, vt recordaremur istorum pratorum quæ vernant perpetuò in cælis, quando se substerni videbant hominum nequitiæ, dicentium: *Non sit pratum, per quod non transeat luxuria nostra?* Quoties nox potiùs lacrymarum imbre quàm rore madebat quòd creata ad corporis animique quietem, vt scilicet piæ contemplationi iucundum præberet silentium & restaurandis per somnum viribus seruiret, se videbat assumi in scelerum latibulum, in furti ministram, in luxuriæ occasionem, & tot malorum occultatricem? Quoties dies oriebatur obscurior, quòd vel cernere formidaret flagitia, quorum ab hominibus esse cogebatur administra? Pudebat Solem fulgoris sui, totque virtutum, quibus veluti pater communis vniuerso terrarum orbi prouidet, quòd idololatriæ ipse fieret obiectum, cùm clamaret quotidie: *Ipse nos, & non ipsi nos.* Denique quò propiùs quæque accedebant ad diuinitatis perfectionem, eò se turpiùs admoueri videbant inferni abyssio. Inuertit rursùm hanc scalam Virgo Deipara, quando primo Con-

Sap. 2

Psalm. 99.

Scalam creaturarum, quâ homo descendebat in infernũ, Virgo inuertit.

Conceptionis momento creaturas omnes assumpsit, vt redderent secum Deo laudes pro tantis, quibus se ornatam videbat, donis cælestibus; & abstulit earum opprobrium, quia per septuaginta duos, quibus vixit, annos nihil aliud fecit, quàm per hanc scalam ascendere & descendere. Tanti autem faciebat tota rerum vniuersitas se calcari tam nobili pede; & tam propè, ac Maria accessit, per se ad Deum ascendi; vt non recordaretur ampliùs iniuriarum, quas acceperat ab homuncionibus ceteris. Hoc est quod Sanctus dicebat lib. 1. cap. 21. *Quod alligauit Eua, hoc Maria soluit*: alligauerat illa creaturas omnes iugo isti indignæ seruitutis, Maria eas soluit quando in veterem gloriam eas restituit.

CAPVT XXXII.

Quid vtilitatis acceperit Dei Ecclesia per immaculatam Virginis conceptionem.

NON tantùm est pietas erga Virginem Deiparam, defendere eius immaculatam Conceptionem; sed etiam zelus erga Dei Ecclesiam: cuius honori, amplificationi, & commodis honestiùs est studere & zelosè fauere, quàm fuerit cuicunque nationi fortiter agere aut facere pro patriâ suâ, quod inter homines est & habetur glorioßissimum. Quod autem defendere honorem immaculatæ Conceptionis redundet in honorem Ecclesiæ, tribus modis potest intelligi: nam defenditur simul eius innocentia & puritas, illustratur nobilitas, & spes fidelium corroboratur. Singula probemus Scripturarum authoritate & Patrum. Iam sæpius repeto variis occasionibus, Ecclesiæ ideam quandam perfectißimam fuisse Virginem Mariam. Dixit hoc etiam S. Petrus Damian. hom. de Sancto Ioanne: *De Mariâ prodijsse videtur Ecclesia.* Et clariùs S. Ildephonsus serm. 2. de natiuit. Virg. *Ad vicem matris eius, mater nostra Ecclesia constituitur.* Et ideò dicitur ab æterno ordinata, *& ex antiquis antequàm terra fieret* prædestinata. Priùs enim fieri debet idea, antequàm quidquam fiat. Et res loquitur, licet Patres & scripturæ tacerent: nullus enim in Ecclesia status, nullus titulus sanctitatis, qui non singulari ratione Mariæ conueniat. Nam Prophetas superat in Cantico, Apostolorum munere supereminenter functa est in Visitatione, Martyr fuit in Filij morte, Confessores antecedit actiuæ & contemplatiuæ vitæ sublimi coniunctione, Doctores omnes instruxit, Virginibus prima vexillum castitatis erexit, Matres omnes vincit beatâ sorte fœcunditatis: idea ergo Ecclesiæ est Virgo Maria. De Ecclesia autem ad Ephes. 5. dicit Apostolus: *Semetipsum tradidit pro ea, vt sibi exhiberet ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam sed vt sit sancta & immaculata.* Iam, credo, intelligitur quænam poterit esse verborum istorum interpretatio, si admittamus in Maria peccatum. Quid enim? (dicet aliquis Ecclesiæ inimicus) quid? verba hæc conuincunt, quod nunquam maculata fuerit Ecclesia? respice ideam, ad quam exacta est eius puritas & sanctitas. putasne opus ideam superauisse: at perfectio eius est, quàm proximè accedere. Verùm Apostolus conuincit, dicens: *Non habentem maculam*, non plus sanè ille de Ecclesiâ, quàm tot Patres & Concilia de Mariâ, vocantia eam *illibatam, immaculatam, semper intactam &c.* Alterutrum ergo necesse est vt fatearis, vel Mariam Virginem esse omninò sine maculâ vllâ; vel non habere te vnde possis Ecclesiæ astruere suam puritatem. Si dicas

Ecclesiæ puritas in immaculatâ Conceptione Virginis defenditur.

S. PETRVS DAM.

S. ILDEPH.

Ad Ephes. 5.

cum

D. Thom. cum D. Thoma in epist. ad Ephes, lect. 1. *Indecens erat vt immaculatus sponsus sponsam duceret maculatam, & ideo exhibet sibi immaculatam per gratiam.* Subiungam: Indecens erat vt tam immaculatus Filius Matrem haberet maculatam; & ideo præparat eam sibi immaculatam per præseruationem ab omni prorsùs nequitiâ peccati. Vides quomodo ex macula posita in Maria vocetur in dubium Ecclesiæ puritas? Sed certiùs etiam negabitur nobilitas, quæ non parum confert ad eius gloriam. Cùm enim non alium legislatorem & fundatorem agnoscat quàm Christum Dominum, cuius vices gerit visibiliter nobis apparens Pontifex Romanus; plurimum ad laudem eius interest, si caput illud suum primum & inuisibile sit vndequaque probatæ & illustrissimæ nobilitatis. Dicit Plutarchus in Numa, quod eius opinio, quæ de ipso erat inter populum, authoritatem dabat legibus, & facilitabat earum obseruationem. Et Plato 6. de lege, in Sacerdote requirit nobilitatem. *Sit*, inquit, *integer, expers cædis & omnium quæ aduersùs rem diuinam committuntur, deinde à domo maximè mundâ.* Et tandem Sapiens beatum prædicat regnum, cuius Rex habet illustre hoc ornamentum: *Beata terra*, inquit Eccle. 2. *cuius Rex nobilis est.* Tribus hisce dignitatibus excellit in Ecclesia Christus. Est legislator: *Nec est similis ei in legislatoribus*, Iob 29. Sacerdos, Psalm. 109. *Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* De regno ipse: *Ego autem constitutus sum Rex*, Psal. 2. Tam ergo infelicem credemus Ecclesiam, vt careat laude nobilitatis, quæ esset in Rege, Sacerdote, & Legislatore suo? Carebit, si dicamus Matrem eius esse peccatis coinquinatam. Sententia enim lata est: *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* Deerit itaque Christo maximum nobilitatis ornamentum, quod ei poterat à materno latere prouenire? Nota est omnibus contentio quę semper est inter gratiam & naturam: non illam dico, odij, quę est in quoq; homi-

Item nobilitas.

Eccli. 2.

Iob. 29.

Psalm. 109.

Psalm. 2.

1. Reg. 2.

num, in quo certant ad mutuam destructionem; sed illam gloriæ, qua iactabundæ se ostentant quænam nobiliora opera produxerit, legemque dederit perfectiorem. Quis iam dabit eam naturæ ansam sese efferendi supra gratiam, quòd ipsa produxerit hominem de terrâ virgine, nulli maledictioni subiectâ; cùm gratia, licèt de Virgine matre secundũ hominem produxerit, nõ potuerit eum de corpore & animâ non maledicta formare; vbicunque enim peccatum, ibi & maledictio? Vt hanc amoueret à Deo Virgineque infamiam prudens matrona à Spiritu sancto edocta, disertè affirmabat: *Benedicta tu in mulieribus.* Et S. Bernardus dicit 2. in Missus: *Benedictus fructus ventris natus est de terra benedicta.* Maneat ergo Christo confirmata ex omni parte nobilitas, vt Ecclesia, cuius Rex, legislator, & sacerdos est, tantò glorioſior caput efferat supra omnes mundi congregationes.

Luc. 1.

S. Bern.

Tertia vtilitas, quæ inde accedit eidem Ecclesiæ, est certificatio redemptionis, & fiducia salutis æternæ. Multa dabantur signa Iudaicæ synagogæ, futuram per Christum redemptionem præcedentia: multa data sunt Ecclesię Christianę, peractam attestantia. Vtrique verò certissimũ est, quod in horizonte vtriusq; accidit immaculata Conceptio B. Mariæ Virginis. Quid enim securius, quàm credere virtutem redemptricem quæ potuit præseruare Mariam, posse liberare quemlibet peccatorem? Nec dubitabit quisquam, quin sanguis Christi per baptismum delebit peccata, cùm potuerit à peccato prę-seruare Mariam. Noë obsessus aquis diluuij, cùm rem & spem mundi vniuersi ligno fragili haberet inclusam, secundò emisit columbam exploraturam ecqua spes esset redemptionis, quę *venit portans ramum oliuæ virentibus folijs in ore suo*; quo è signo intellexit quod cessassent aquæ super terram. Opus est Magistro S. Ambr. qui nos doceat vnde tam certa spes Patriarchæ fuerit vitæ pristinæ, & cessantis diluuij ex virore paucorum foliorũ;

Immaculata Conceptio certificat redemptionem factam à Christo.

Genes. 8.

S. Ambr.

qui dicet: *Antè diluuium exortũ est istud folium, ex quo vir iustus gauisus est fructum ex veteri semine aliquem reseruatum; & indè colligit misericordiæ insigne diuinæ, quòd iam diluuium remouisset, quæ fructum demonstraret cui non potuissent nocere diluuia.* Nihil opus est verbis, iam enim mentes omnium præconceperunt arcam esse Ecclesiam; inhabitantes eam, Christi fideles; diluuium, peccati originalis inundationem; columbam, Spiritum sanctum; oliuam Mariam, quæ est *quasi oliua speciosa in campis.* Quis iam nobis spem adferet certam, quod non submergemur inter tot insultantium fluctuum tumultus? Quis virtutem monstrabit, quæ exsiccet tantam inundationem? Ecce columbam illam diuinam rostro suo adferentem gratiam, quâ Mariam præseruet à peccato, atque indè collige misericordiæ insigne diuinæ; & nota verba Ambrosij: *Gauisus est fructum ex veteri semine aliquem reseruatum*, vt ne videretur nobis nouum, Mariam ex adami semine prodeuntem à peccato non contaminari.

CAPVT XXXIII.

Non solùm non tollere Christo Redemptoris titulum immaculatam conceptionẽ Virginis Mariæ, sed eum sine hac non satis gloriosè existere.

ACHILLEM vnicum putant se opponere aduersarij, quo se putarunt aliquando totam hanc aciem benè ordinatam, hoc est, Conceptionem immaculatam B. Mariæ Virginis, &, quod sequi ego puto, cum ipsâ Virginem dejcere; quòd contendant Filio Dei iniuriam fieri ex hac Matris gloriâ, quòd ipse vniuersalis Redemptoris nomine carere debeat, si Mater immaculatæ Conceptionis gloriâ exultet. Quæ obiectio in re leuioris momenti occurrerat iam dudum S. Augustino, & fuit ab ipso egregiè soluta; vbi de Samgare quæst. 25. in Iudic. dicit: *Quomodo post Aod iste pro Israel pugnauerit, & dictus sit saluasse Israel, potest esse quæstio; non enim rursùs fuerant captiuitatis, vel iugo seruitatis innexi: sed intelligendum ita dictum* saluauit, *non quia nocuerit aliquis hostis, sed ne permitteretur nocere, quem credendum est bello cœpisse tentare, & huius victoriâ fuisse depulsum.* Et sensum esse communem hominum, non inferioris redemptionis genus esse, si quis præseruet alium à malo in quod erat incursurus, quàm si liberet ab eo quod iam incurrit; patet ex Marci Tullij ferè vbique, sed maximè orat. 3. Catelinariâ, gloriatione: vbi coram populo non reformidat profiteri se eum ab incendio, cæde, morte, & cæteris malis à Catilinâ inferendis liberasse, glorioso illo exordio: *Rempub. Quirites, vitamque omnium vestrûm, bona, fortunas, coniuges, liberosq; vestros, atque hoc domicilium clarissimi Imperij, fortunatissimam pulcherrimamq; vrbem hodierno die Deorum immortalium summo erga vos amore, laboribus, consilijs, periculis meis, ex flamma atque ferro, ac panè ex faucibus fati ereptam, & vobis conseruatam ac restitutam videtis.* Sed maioribus, & magis certis ipso communi iudicio authoritatibus, hoc probandum. Itaque prodeat Theologorum primus & maximus, S. Dionysius, qui lib. de diuinis nominibus cap. 8. §. 9. hoc ex professo tractat, & ait: *Quin & hanc salutem nequaquam præter sacræ Theologiæ propositum laudare quis possit, tanquam quæ res omnes, prout cuiusque rei quæ seruatur natura fert, à bonorum suorum amissione liberat. Vnde Theologi quoque illam*

S. Avgvstin. Præseruatio à malo est vera redemptio.

S. Dionys. Areopa.

illam vocant redemptionem, in quantum non finit ea quæ verè sunt in nihilum relabi; & si quid peccatum sit ac præter ordinem erratum, ex quo bonorum suorum aliquod detrimentum passa sit, perfectio illicò quoque iacturam illam & imbecillitatem, priuationemq; resarcit, id quod deest supplens, ac paternè remissionem donans, & è malo erigens, imò potiùs in bono collocans, atque bonum quod effluxerat adimplens, ordinansq; & exornans id quod inordinatum erat & difforme, ita vt redintegret omninò, & ab omni labe liberet. Quæ pulcherrimè, vt omnia Theologiæ mysteria; illustrat S. P. N. Augustinus, alter Theologiæ pater ac patronus; ex quibus duobus S. Thomas se præcipuè hausisse quidquid habuit, non inuitus ipse fatetur: ait ergo in Psalm. 85. *Quemadmodum si Medicus videat tibi imminentem ægritudinem fortè ex aliquo labore, & dicat: Parce tibi, sic te tracta, quiesce, his cibis vtere; nam si non feceris, ægrotabis. Tu autem si feceris, & sanus fueris, rectè dices Medico: Liberasti me ab ægritudine, non in qua eram, sed in qua futurus eram. Item nescio quis habens causam molestam, mittendus erat in carcerem: venit aliquis, defendit eum: gratias agens quid dicit? Eruisti animam meam de carcere. Rursùs suspendendus erat debitor; solutum est pro eo: liberatus dicitur de suspendio.* Quis auditis tam grauibus testimoniis, negabit Virginem Mariam nobiliori ratione redemptam, quàm sint ceteri mortalium? illa quippè Filij sui meritis & gratiâ à peccatis præseruata; nos, postquàm id incurrimus, liberati: illa per redemptionem præuiam retinuit immaculatæ, intemeratæ, & illibatæ gloriam; nos nunquam efficiemus, quin semel infames, rebelles, inglorij, Dei inimici, Sathanæ mancipia fuerimus. Quis plura debet passioni Filij Dei, illa quæ sic præseruata est, an nos qui tantùm liberati? Profectò mihi quidem non tantùm ingrati esse videtur, sed pænè insani, non agnoscere maius beneficium in istâ, quàm in hac nostrâ redemptione. Tantum ergo abest, vt redemptio Seruatoris obscuretur Virginis Deiparæ immaculatâ Conceptione; vt potiùs dicendum sit eam ab illâ vehementer illustrari: neque satis video quomodo dici possit copiosa & vndequaque completa redemptio, nisi admittamus hanc immaculatam Conceptionem Virginis. Paradoxum fortasse videtur quod dico, sed conabor id dicendo reddere probabile. Tam copiosam redemptionem putat fuisse Apostolus eam, quâ Christus nos liberauit, vt affirmet nihil gratiæ esse, quod per eam non sit abundanter datum Ecclesiæ: *In omnibus diuites facti estis in illo*, dicit 1. Cor. 1. *ita vt nihil vobis desit in vlla gratia.* Certum est quod non verificetur sermo de singulis, nemo enim dici potest habere omnes gratias; sed de Ecclesiâ, cuius in membra sic distributa est gratia, vt toti nulla desit. Iam nota est illa diuisio gratiæ, quâ in præseruantem & subsequentẽ distinguitur: quarsi vna aduigilat, ne mala accedant; altera liberat iis, quæ iam accesserũt: vna cauet, *ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum*; de altera canit Psaltes: *Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me*: vna est dextera Dei, qua nos protegit, *Sub tegumento manus suæ protexit me*; alia sinistra, quâ subleuat, *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis*: vna denique est gratia præueniens, de quâ Dauid, *Misericordia eius præueniet me*; altera subsequens, de quâ idem, *Misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Propter quam differentiam Apostolus Deum vocat *patrem misericordiarum.* Iam vt non deesset Ecclesiæ vlla gratia per Christum, opus erat vt per eius redemptionem vtraque ei gratia perfectè communicaretur, & de subsequenti iam non est dubium, quandoquidem fide teneamus nullum esse tam fœdum, tamque enorme peccatum, quod sanguine eius non mundetur. De præueniente quæstio est, an communicata sit satis perfectè Ecclesiæ, vt dici possit abundare in omni gratiâ, vel quod nihil ei desit in vlla gratia. Et de mortali quidẽ peccato

S. August.

Non erit copiosa redemptio, si Virgo non sit præseruata à peccato.

1. Cor. 1.

Psalm. 90.

Psalm. 93.

Psalm. 145.

Psalm. 58.

Psalm. 22.

2. Cor. 1.

cato satis patet ex Scriptura id sæpiùs præueniri à Deo, singularemque eius esse gratiam quod in illud non incidamus; ita dicit Dominus Achimelech Regi Genes. 20. *Ideò seruaui te ne peccares in me.* Perfectiùs autem data est iis sanctis, quales multi numerantur in Ecclesiâ, qui acceptam in baptismate innocentiam, nullo vnquam mortali crimine amiserunt. Præseruatiuam à veniali peccato, etiã agnoscit ac deprædicat Ecclesia, cantans de Baptistâ: *Ne leui saltem maculare vitam famine posset.* Magnum sanè & inauditum gratiæ præseruantis priuilegium! Sed quid? an hic potentiæ eius finis? an non extendit æquè vires suas gratia, atque peccatum? Potuit per sanguinem suum Christus præueniendo redimere mortales à mortali crimine & à veniali: quid? ab originali non poterit? Profectò restabat adhuc hæc gratia Ecclesiæ impendenda, vt nihil ei desit in vlla gratia. Quid ergo? negabimus hanc ei datam per Christum? Vide an non simul mancam & parcam redemptionem eius esse dicemus? Fateamur ergo Virginem Mariam redemptam esse per Christum perfectissimo redemptionis modo, gratiamque præseruantem, quæ ipsi per Filij passionem impensa, in illa ostendisse diuitias potentiæ suæ, vt Ecclesia abundaret in omni gratia.

Genes. 20.

CAPVT XXXIV.

Singularem fuisse Virginis Deiparæ præ ceteris mortalibus redemptionem.

NONDVM depono gloriosissimam Virgini Deiparæ de redemptione eius sententiã quam aduersarij obiiciendo coêgerunt necessariò attingere. Vt ergo ostendam quàm ibi inutile telum de redemptione fabricarunt; illud nouo aptatum amento retorqueo, ac probo, singularem fuisse atque eximiam eius redemptionem; idque duce S. Bernardino Senensi serm. 61. cap. 9. vbi dicit: *Christus plus pro Mariâ redimendâ in mundum venit, quàm pro omni aliâ creaturâ.* Paradoxa rursùm videtur primâ fronte sententia: si tamen examinetur, nullius ferè opinioni contrariabitur. Psalmista sanè pulcherrimè consentit Psalm. 129. *Apud Dominum*, inquit, *misericordia, & copiosa apud eum redemptio; & ipse redimet Israël ex omnibus iniquitatibus eius.* Redemptor vniuersorum est Christus Dominus noster, pater communis est omnium, dans singulis vitam per mortem suam, colorem per sanguinem, alimentum per gratiam, fomenta per charitatem: adit singulos, qui per peccatum recesserunt à se, & vti mortuos inuenit per recessum à vitâ, ita suscitat per passionẽ & mortẽ suã: *Ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius.* Verùm scis vbinã munus hoc redemptoris perfectiùs liberaliusque exerceat? apud se, hoc est, in domo suâ: *Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio*, Apud Dominum Redemptorem est Pater, & Spiritus sanctus: nam si Verbum, testante Euangelista, erat apud Deum, vicissim Deus erat apud Verbum. Sed hisce domesticis suis non impendit redemptionem neque misericordiam Redemptor: alia ergo quærenda est persona quæ sit apud Dominum, pro quâ sit copiosa ista redemptio, hæc autem est illa, cui dicebat Angelus: *Inuenisti gratiam apud Deum*; & de quâ Psalmista: *Astitit regina à dextris tuis*; imò de quâ ipse Dominus: *Pulchra es amica mea*; quod Origenes vertit, *Pulchra es proxima mea.* Pro hac ergo domesticâ suâ, pro hac proximâ, quæ vtique est Virgo Maria, erat copiosa ista redemptio. Licet enim pater communis sit Redemptor, Maria tamen est primogenita Redemptoris, vt eam vocat S. Bernardinus serm. 61. cap. 8. proindè plus omnibus alijs de hereditate

S. Bern. Senen.

Psalm. 129.

Luc. 2.

ditate paternâ accepit. Pro omnibus quidem superabundauit gratia: at si conferas respectu Mariæ, penuria est quidquid alij acceperunt. Ipsemet sponsus eius fatetur præcipuum opus suum in passione fuisse, Matrem redimere; Cant. 7. id fatetur: *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua.* hoc est, intereà dum mater tua vetula & effœta synagoga, sub arbore crucis rumpebatur, ipsaque rumpebat fidem quam debebat, me dedens morti, à quo solo sperare poterat vitam; ego te suscitaui, ego te redemi, efficiens ne vnquàm morereris, & semper nouos vitæ spiritus per gratiam acciperes. Et hæc benè hactenus quidem: sed quid? an pro solâ Matre suâ viuificandâ & redimendâ venit Christus? nonne ipse est qui dicit: *Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant*? Si venit pro omnibus, quid dicit de Matre solâ: *Sub arbore, male suscitaui te?* Hoc est quod dicebat S. Bernardinus: *Plus pro Maria redimendâ venit, quàm pro omni aliâ creatura* Omnes quidem viuent per Christum; sed vnica est, cuius ipse vitam præcipuè intendit, quam proindè solam nominat suscitatam, quia tam singulari ratione & tam abundanti gratiâ fuit redempta. Modum resuscitationis huius singularis vt admirabilem efficerent hæretici quidam, finxerunt Virginem Mariam sub cruce mortali deliquio & syncope præ tristitiâ fuisse exanimatam, moxque sanguine, qui fluebat è vulneribus Filij sui, reuocatam ad vitam. Sed hi meritò à S. Irenæo lib. 2. contra hær. condemnati; magis condemnandi forent, si culpam aliquam actualem in Virgine agnoscerent, à quâ fuisset ipsa sub cruce emũdata. Dicendum ergo resuscitatam dici, quæ fuisset mortua nisi esset hac redemptionis gratiâ præuenta; vel certè possumus vocem, *resuscitari*, exponere secundùm illud Apostoli 2. ad Timoth. 1. *Moneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te.* hoc est, Theodoreto interprete: *Hortor, vt in te facias gratiam vehementiorem.*

Quomodo Virgo sub cruce dicatur resuscitata.

Cant. 7.

Ioan. 10.

2. Timoth. 1.

Theodo.

Tanta enim mutatio est transire de gratia minore & quasi mortua ad vehementem & efficacem, quanta est de morte transire ad vitam. Iam de Virgine dici potest, quod licèt omnes viuant per sanguinem Christi, ipsa tamen singulariter sit sanctificata: quandoquidem gratia, quam per eum accepit, tam excellens est, vt ceteri, si conferantur, vix viuere dicendi sint: ab ipsa namque culpa, quæ deletur in aliis, fuit præseruata; & gratia maiore, quàm omnes simul acceperunt, locupletata. Inculcat hoc sæpiùs in Canticis sponsus, quod nulla videatur sponsæ gratior accidisse oratio, quam ea, quâ tam singulariter passione sponsi commemoratur redempta: *Sicut lilium inter spinas*, inquit, *sic amica mea inter filias.* Per lilium Virginem intelligi, clarius est, quàm vt dici debeat: cùm vitæ puritate candorem, virtutum fragrantiâ odorem eius longè superarit; sed notandum, collectum illud lilium esse inter passionis spinas. Hugo Cardinalis ait: *Qui enim lilium inter spinas colligere vult, aculeos spinarum necessario patitur; quod liquidum est in ipso Sponso: nam istud lilium de medio reproborum colligens, aculeos spinarum passus est.* Sed clariùs, quod intendimus, explicat Scriptura eodem 2. cap. *Surge amica mea, speciosa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam; facies enim tua decora.* Quis dicat his verbis indicari quod singulari ratione Deipara fuerit per passionem Filij ab originali præseruata? id tamen, si diligenter attendimus, eruemus. Simul faciem laudat, simul de foraminibus petræ loquitur. Cassiodorus ait: *In his foraminibus columba, id est Ecclesia, moratur; quia totam spem suæ salutis in passione sui Redemptoris constituit.* Quæ ergo singulariter est eius columba & præcipua pars Ecclesiæ, etiam in foraminibus istis spem suam collocauit. Sed quid sibi vult quod dicit: *Ostende mihi faciem tuam, facies enim tua decora?* Euæ eam opponit his verbis

Redemptio Virginis variè tacta in scripturâ.

Cant. 2.

Hvgo Cardin.

Cant. 2.

Cassiod.

Ruper. Sponsus, prout acutè notauit Rupertus lib. 2. in Cant. *Ostende*, inquit, *faciem tuam; corrige quod Eua peccauit, quæ abscondit à me faciem suam, vtpotè quòd in peccato suo sibi placuit. Abscondi me*, dicebat illa, quia scilicet peccauerat, & ausa non erat comparere coram Domino. Contrà Sponsæ ait Dominus: *Ostende mihi faciem tuam*, quæ non debet rubore suffundi, cùm non sit Euæ crimine contaminata. nequis tamen mihi faciem istam ostẽdere, inquit, vt placeas, nisi in foraminibus petræ, quibus effectum est vt facies tua esset decora.

Cantic. 3. Iterùm Canticorum 3. habetur: *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de ligno Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit.* Omnia sonant innocentiam. Cedrus incorruptibilis, argentum candidum & sonorum, & aurum pretiosissimum, vnde confectum est ferculum æterni Salomonis, in quo ipse charitatem suam posuit ab ipso illo primo momento quo illud fecit, imò ipse in illud conscendit; Deus enim charitas est. Et S. Gregorius Nyssenus notat quod, *Hic describitur Deus esse vt in lectica, materia, & opere præstantissimâ; vtpotè qua iam haud sibi viuat, sed Deum deferat in ipsâ viuentem.* Sed quomodo peruenit in eam Deus? per ascensum purpureum. *Ascensus purpureus*, inquit Aponius *crucem Domini significat.* Ascendit in eam Deus, cùm eam primùm formauit; tunc ei dedit incorruptibilem Cedrum innocentiæ, argentum candidum virginitatis, pretiosissimum amoris aurum, & eam charitate, hoc est seipso, constrauit, quia Deus charitas est: Sed non ascendit nisi per crucem & passionem suam; nam in virtute passionis suæ dedit ei quidquid gratiarum, priuilegiorum, donorumque cœlestium ei contulit. Igitur redempta est, & singulari ratione redempta Virgo Maria, licet dicamus eam ab omni peccato originali fuisse immunem.

S. Greg. Nyssen.

Aponius.

CAPVT XXXV.

Non comprehenditur Virgo Maria propositionibus generalibus omnes obligantibus ad peccatum.

CONTRA id quod toto hoc Tractatu ad gloriam Virginis adstruimus, etiam obiicere solent aduersarij molem propositionum vniuersalium, per quas se conuincere existimant quod more ceterorũ concepta sit Mater Creatoris. Nunquid, inquiunt, Scriptura disertè dicit: *Omnes declinauerunt; Omnes in Adam peccauerunt; In Adam omnes moriuntur, Per vnum hominem mors in omnes pertransiit &c.* Nec enim lubet enumerare omnes, cùm non sint singulæ refutandæ; sed vnicâ responsione negandum, quod vllâ propositionum istarum Virgo Deipara comprehenditur. Tota vis argumenti contrarij consistit in vniuersalitate propositionis, sub quâ de singulis videtur posse concludi hoc modo: Si omnes peccauerunt, ergo Maria peccauit. Cuius argumenti vis tota infringeretur, si doceremus vel ipsum Logicę rigorem non adeò stringere, quin aliquando vniuersalẽ capiat pro maximâ parte. Secundò, si adfertem sententiam, vbi ipsamet Scriptura dat exceptionem, licet ponat eandem vniuersitatis particulam, quando dicit: *Non propter te facta est hæc lex, sed propter omnes*, Esther. 15. Sed cùm moralis & politica sit materia, fortius ex politicis rationibus refutabitur obiectio. Sufficit enim quod iustus sit titulus exceptionis, vt quis non comprehendatur lege, etiam vniuersaliter latâ pro omnibus.

Esther 15.

nibus. Tributa Rex imponit omnibus; non tamen præiudicatur domûs regiæ aut nobilitatis immunitatibus. Deindè quis adeò parum est in politiæ legibus versatus, vt nesciat Augustam excipi, propter arctum, quod habet cum Principe, thori consortium? Quod si ergo Maria arctiùs Deo per Filiæ, Matris, Sponsæ titulos deuinciatur, quàm quælibet Augusta Imperatori; nónne impudentiæ genus erit, ei leges vniuersales obiicere? Sed adhuc imprudentiæ nomine velarem hanc impudẽtiam, si hæc foret prima lex, in qua cum Maria dispensatum. Sed numquid lex vniuersalis est: *Mulier, si suscepto semine &c.* & tamen de Mariâ dicitur: *Ecce virgo concipiet.* Nónne omnes comprehendit illa, *In dolore paries*; & illa, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*? & tamen Maria perperit sine dolore, resurrexit sine corruptione. Tam longè abest Augusta hæc ab omni obligatione, vt etiam quæ in sanctissimis propter latam legem displicerent Deo, in Maria maximè placeant. Moyses & Iosue, par erat sanctissimorum Principum: vtrique tamen dicitur: *Solue calceamentum de pedibus tuis*, quando erant ad Deum accessuri: & eâdem obligabatur lege summus Sacerdos sancta sanctorum ingressurus: cùm tamen Mariæ dicatur ab ipsomet Sponso Deo: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Alij nudis pediaccedunt, qui serui & famuli sunt; sed tu, quia filia es, vel maximè places in calceamentis. Eadem de Matris, eadem de Sponsæ dici possunt priuilegiis. Non ergo leges generales attendamus quando de Maria agitur: cùm ipsæ semper habeant eum moralem sensum, vt per eas non præiudicetur iustis priuilegiis, nec potestati Principis priuilegium dandi quibus visum fuerit conuenire. Dedisse verò priuilegium in legibus generalibus quæ tangunt peccatum originale, Virgo Deipara studiosissimè nos docuit. Attende Lucæ Euangelistæ narrationi 1. cap. vbi dicit: *Discessit ab illâ Angelus*; & *exurgens Maria abijt in montana cũm festinatione.* & inuenies in tanta festinatione, quod mentem stupore suspensam detineat. Quid? an fidem vacillantem tam præceps iter coarguit? Dici hic non potest de Virgine, quæ inuenit gratiam apud Deum, *Sine fide autem impossibile est placere Deo*: imò ipsa basis esse debebat huius virtutis ita firma, vt non magis mens eius alternaret difficultatibus occurrentibus contra fidem, quàm voluntas agitaretur etiam primis motibus, aduersùs quamcunque virtutem; vnde mater credentium iustè fuit appellata. Hinc non defuit nostro æuo qui diceret Virginem Mariam in nulla prorsùs virtute primam esse & maximè excellentem, nisi id de Fide inprimis concedamus. In sanctitate est quarta: præcedunt enim tres diuinitatis personæ, de quibus canimus: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.* In misericordia, quę impellit eam ad munus aduocatæ, est tertia. Primus enim est, de quo dicitur: *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum iustum*; Secundus est spiritus sanctus, de quo Apostolus ad Rom. 8. *Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*; deindè sequitur Maria, cui canit Ecclesia: *Eia ergo aduocata nostra.* In aliis omnibus virtutibus (exceptâ spe, quę semper fidem sequitur) est secunda, nam præcedit eam Dominus virtutum Christus Iesus in humilitate, fortitudine, iustitiâ, patientia, mansuetudine &c. At in fide prima est Maria; nemo hîc contendit cum eâ de primatu. Nam Deus est sapientia infinita Christus verò in quantum homo à primo instante beatus, fidem habere non potuit: omnis ergo perfectio, quam fides habere potest, in Maria fuit; non ergo dubitationi eius alicui ascribenda tanta festinatio. Neque vacillauit, quando Angelum interrogauit: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* neque dubia surrexit, quando abiit cum festinatione vt videret visionem illam magnam, quam Angelus peractam dicebat in cognata eius: sed

Exod. 3.
Iosue. 5.
Cant. 7.
Luc. 1.
Ad Hebr. 11.
In fide omninò prima & excellentissima fuit Deipara.
Ad Rom. 8.
Luc. 1.

sed certa sterilem concepisse, festinabat mundum docere immaculatam suam Conceptionem, & refutare hanc petitam ex lege vniuersali obiectionem. Propositio vniuersalis est; *In Adam omnes peccauerunt*: & illa; *Omnes nascuntur filij iræ*. Iam dubitatur num priore comprehendatur necessariò Virgo Maria? Ostendam inquit Virgo, quod secundâ non comprehendatur Baptista, vt nemo vim propositionum istarum extimescat. Festinat ergo per montana, accedit ad domum Zachariæ, cognatam suam salutat; & statim respondet illa: *Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans prægaudio in vtero meo.* Exultationis causa erat, quod impletum sentiebat: *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ*; ita vt non filius iræ, sed gratiæ esset nasciturus. Iam discamus, quam ita tradere festinat Virgo, doctrinam. Si propositio generalis non admittit vllam exceptionem, quomodo filius gratiæ nascitur Ioannes, cùm dictum: *Omnes nascimur filij iræ*? Quod si hæc exceptio sit legitima & certa, quis poterit adferre quidpiam, quo probet Virginem non fuisse exceptam ab hac, omnes in Adam peccauerunt? Nihil ergo est quod propositiones cæteras refutemus, cùm tota vis infracta sit, dicendo eas loqui de omnibus, sed non de Virgine: admittereque iustas & legitimas exceptiones, quando causa excipiendi est iusta & legitima. Cætera quæ adhuc adferri possent, videnda suprà cap. xxv. vbi eandem obiectionem refutauimus.

Visitatio B. Mariæ probat immaculatam Conceptionem.

Luc. 1.

His ita disputatis de immaculatâ Virginis Conceptione, cùm sententiam sit certissima propter tot Authores, Scholas, & Vniuersitates in eam iurantes, &tot signa Ecclesiæ non solùm in eam, sed etiam in defensionem eius propendentis: nihil restat, ni si vt Virginem rogemus, dignetur aliquando eum fidelibus seruis suis impendere fauorem, vt videre possint hanc sententiam inter fidei dogmata receptam. Quam in rem, ne quid omittamus quod virium nostrarum sit, etiam hoc in fine probabimus materiam hanc omninò definibilem esse ab Ecclesiâ: quæ res cùm planè sit fori Theologici; vt magis stringant argumenta, modo & stylo scholastico, quàm fieri poterit breuissimè, tractabitur.

CAPVT XXXVI.

Vtrum doctrina asserens immaculatam Conceptionem Deiparæ Virginis, possit ab Ecclesiâ definiri?

AFFIRMATIVAM partem meritò sequuntur multi grauissimi Scriptores, Suarez tom. 2. in 3. p. quæst. 27. art. 3. disput. 3. sect. 6. citans pro se Abulensem. Fauet Vasquez 3. p. disput. 117. cap. 14. Propendet in eam Malderus 1. 2. q. 81. 3. art. Eam supponunt Patres Concilij Basileensis Sess. 36. vbi hanc doctrinam, tanquàm consonam fidei Catholicæ & S. Sripturæ, definiunt & declarant approbandam, tenendam, & amplectendam. Idem omninò supponunt omnes pènè Hispaniarum Prælati, Religiones, Vniuersitates, Doctores, quorum sententiam secutus Rex noster Catholicus an. 1618. huius doctrinæ definitionem à sede Apostolicâ instantissimè flagitauit per Episcopum Carthaginensem, extraordinarium suæ Maiestatis ad sanctissimum Dominum pro hac causâ Oratorem. Et, vt alios omittam, ex professo idem docet Magist. Fr. Ægidius à Præsentatione lib. 3. quæst. 8. art. vnico, §. 2.

Pro cuius opinionis probatione & confirmatione obserua: Ad hoc, vt propositio aliqua controuersa, quam expressè non continet Scriptura aut traditio

traditio, sit ab Ecclesiâ definibilis; duo requiri: nempè certam aliquam, circa quam propositio definienda versatur, materiam; & vt Ecclesiæ de veritate prædictæ propositionis sufficienter cõstet. Vtrumque in proposito inueniri ostendunt hæc sequẽtia.

Materia, circa quam oportet versari propositionem ab Ecclesiâ definiendam, debet esse supernaturalis, concernens Dei honorem, aut animarum salutem. Ecclesia quippe in definiendis veritatibus vtitur peculiari assistentiâ Spiritus sancti; quæ sicut non datur ad destructionem, ita non datur nisi ad ædificationem. Ideoque materiæ, quæ nihil ad ædificationem faciũt, non cadunt sub illam Ecclesiæ potestatem, quæ infallibili Spiritus sancti assistentiâ regitur.

Porrò hanc de immaculatâ Beatissimæ Virginis Conceptione controuersiam talem esse, quæ pro rei, de qua agitur, dignitate definitionem mereatur, euidenter supponunt Sixtus IV. Pius V. Paulus V. qui quasdam suas de hac re constitutiones præcipiunt obseruari, donec à Romanâ Apostolicâ sede huiusmodi controuersia fuerit definita. Et fauent hæ rationes.

Primò, quiâ cùm iuxtà S. Augustinum traductio peccati originalis in posteros Adæ, sit vnum è duobus fundamentalibus Religionis Christianæ capitibus; materia hæc, in qua de traductione huius peccati in omnes omninò posteros Adæ agitur, satis digna est circa quam definitio Ecclesiæ possit versari: maximè cùm hinc pendeat vera explicatio multarum propositionum, quæ in sancta Scripturâ tanquàm regulæ fidei proponuntur. Ex hac enim definitione colligetur, an vniuersalitas illarum propositionũ sit omninò rigorosa & logica, anverò solummodò sit legalis, per quam speciale Principis priuilegium non tollitur.

Secundò, præseruatio B. Virginis Mariæ ab omni omninò peccato veniali, Ecclesiæ digna visa fuit, quam suâ definitione roboraret. Trid. sess. 6. can. 33. Atqui præseruatio à peccato originali longè maioris est momenti, quàm ab omni peccato veniali. Et, si honor Filij exigit, vt sciamus Matrem fuisse ab omni omninò veniali næuo liberam; tantò magis exigit vt sciamus illam nunquàm originali labi fuisse obnoxiam, quantò peccatum originale, quod nos facit filios iræ mancipiaque diaboli, grauius est veniali, pro quo etiam Filij Dei & hæredes regni quotidie clamant: *Dimitte nobis debita nostra.*

Potissima difficultas est, vtrum Ecclesiæ sufficienter constet veritas immaculatæ Conceptionis? Et quidem, licet tum in sacris litteris, tum in SS. Patribus inueniantur varia loca, quæ pro hac veritate faciunt; non tamen existimo illa satis esse expressa & euidentia, vt ex vi illorum definitio feratur. Hoc tamen nihil obstat, quo minùs Ecclesia ad definitionem possit procedere. Cernimis enim multa definita, quæ neque expressè in Scripturis continentur, neque per euidentem consequentiam ex illis deducuntur, imò neque per indubitatam traditionem Apostolicam habentur: quale inprimis est dogma de præseruatione B. Mariæ Virginis ab omni omninò peccato veniali. Quod enim hoc expressè ab Apostolicâ traditione non descendat, satis innuit Augustinus lib. de natura & gratia c. 36. vbi de immunitate B. Virginis ab omni peccato actuali loquitur, non tanquàm de dogmate veniente ab Apostolicâ traditione, & passim per Ecclesiam recepto; sed tanquàm de propriâ & priuatâ suâ opinione, quam ex reuerentiâ erga Christum Dominum de Matre eius conceperat; de quâ, inquit, *Propter honorem Domini nullam prorsùs, cùm de peccatis agitur, habere volo quæstionem.* S. Augvs. Imò verba sequentia innuunt eum adhuc aliquid hæsitationis circa hoc habuisse. *Vnde enim scimus*, inquit, *quod ei plus gratiæ collatum fuerit ad vincendum omni ex parte peccatum &c.* Quapropter existimo non ex alijs principiis ab Ecclesiâ fuisse hoc dogma

gma definitum, quàm ex iis ipsis ex quibus modò de veritate immaculatæ Conceptionis constat : quæ proindè si fuerint sufficientia ad definitionem illius dignitatis, sufficiunt quoque ad definitionem huius, de quâ agitur.

Hęc autem principia sunt : Generalis omnium pænè fidelium à multis sæculis in hanc veritatem conspirantium consensus, innixus variis Scripturæ & Patrum testimoniis, accedentibus plurimis congruentiis, quę hanc doctrinam reddunt valdè credibilem.

Qui antiquitatem huius fidelium sensûs scire desiderat, legat appendicem ad Commentarium Scoti in 3. sentent. vbi inter alia annotatur quod festum Conceptionis inueniatur in Martyrologio Vsuardi, iussu Caroli Magni scripto. Baroniusque in Martyrologio refert idem festum celebrari cœptum in Angliâ circà annum 1070. & nos suprà cap. xxvi. plurima attulimus ex S. Anselmo, quæ eodem faciunt.

Generalitatem eiusdem fidelium sensûs licet colligere ex eo, quod omnes vniuersi Christiani orbis Academiæ magnâ animorum consensione hanc eandem veritatem doceant.

Generalis consensus Ecclesiæ, quam vim habeat,

Quantum verò momenti habeat generalis omnium fidelium in aliquâ veritatem cõsensus, vt in vi ipsius Ecclesia ad definitionem possit procedere; facilè animaduertet is, qui perspexerit prudentissimã Dei circa regimẽ Ecclesiæ suæ prouidentiã, à qua valde foret alienũ permittere vniuersam pænè Ecclesiam in re tanti momenti hallucinari, & magis magisq; in errorem induci, & quidẽ huic errori ansam subministrãtibus ipsis summis Pontificibus, dum omnes fideles ad celebrandum festum immaculatæ Conceptionis, sub hoc expresso nomine (suppresso *Sanctificationis* vocabulo) inuitant, atque oppositam doctrinam non solùm è Scholis & pulpitis, sed & è priuatis colloquiis præscribunt.

Sanè videre est multas hactenus veritates ab Ecclesiâ esse definitas, in vi generalis cuiusdam fidelium in easdem consensûs. Vbi enim deest Scriptura, deest traditio; cui alteri fundamento, quàm huic, definitio certiùs posset inniti ? Tales sunt, Animam rationalem non esse ex traduce: Angelos esse omninò in corporeos : Libros Sapientiæ, Machabæorum, aliosque esse Canonicos : Animas iustorum statim à morte admitti ad visionem diuinę essentię, & aliæ sexcentæ : quas non esse definitas in vi alicuius Scripturæ aut traditionis, vel indè patet, quod plurimi SS. Patres Scripturæ traditionumque peritissimi circa illas aut dubitauerint, aut etiam aliter senserint. Non igitur alia fuit ratio has veritates definiendi, quàm ipse communis consensus Ecclesiæ, per quem Spiritus sanctus obscura explicat, & Ecclesiam magis magisque quotidie docet & perficit.

Dices, quamdiu hic consensus non est simpliciter totius Ecclesię, sed multi reperiuntur viri docti qui oppositum sentiant ; non esse sufficientem, vt ex vi illius ad definitionem procedatur. Quod in hac potissimùm materiâ debet obtinere, in qua S. Thomas, magnus ille in Ecclesiâ Doctor, contrarium sentit.

Respondeo, non esse necessarium consensum hunc esse tam generalem, vt nullus omninò Catholicorum Doctorum reperiatur, qui contrarium sentiat. Si enim hoc requireretur, numquam contingeret Ecclesiam ex vi generalis fidelium consensûs ad definitionem procedere. Ea enim est humanorum ingeniorum varietas, & vniuscuiusque in sensu suo abundantia, vt nunquam contingat ante Ecclesiæ definitionem omnes omninò Doctores in eandem mentem, nemine discrepante, conspirare. Et praxis ipsa ostendit id non esse necessarium. Exemplum sit : Cùm Benedictus XXII. definiuit animas iustorum statim à morte admittti ad

Dei

Dei visionem, non est credibile omnes omninò Doctores in hanc sententiam ante definitionem conuenisse; quandoquidem Ioannes XXII. Benedicti prędecessor, cum multis Doctoribus oppositum sensserat; quos omnes ante hanc definitionem à sententiâ suâ recessisse non est verisimile. Idem euenisse credibile est, cùm Ecclesia definiuit, Iustificatis habitualia dona gratiæ infundi: item cùm definiuit, Libros Sapientię, Machabæorum &c. esse canonicos: Relapsos, cùm reuertuntur ad Ecclesiam, non esse rebaptizandos: Baptismum collatum ab hæretico vel pagano in nomine Trinitatis, esse legitimum. Maneat igitur fixum firmumquè, sententiam hanc omnino ab Ecclesiâ definiri posse. Quod tandem aliquando futurum confidimus; de tempore interim securi, quod, vt cętera omnia, *Pater posuit in sua potestate*: qui cùm suo ac Virginis immaculatę Filio, Virginis denique sponso Spiritu sancto, sit benedictus in sæcula. Amen.

TRACTATVS II.

DE NATIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS.

Liber generationis Iesu Christi, filij Dauid, filij Abraham.
Matthæi 1.

PROOEMIVM.

INGENS *apud Cimmerios solet esse latitia & exultatio, quando post continua semestris noctis tædia, tandem exoptatus Lucifer exoritur nuntius sequuturi Solis: tympanis enim & fistulis, & festo vocis celeusmate aduentantem lucem salutant, & tanquã è veterno tristitiæ excitati, solidis sese dare gaudijs incipiunt. Quod si illi ratione aliquâ facere videntur, quia istâ liberati sunt caligine, quæ non cælum magis eorum, quàm animos premebat: meritò nos ad gaudium & lætitiam excitat hodiernâ die Ecclesia, quæ post quinquaginta panè sæculorum noctem, tandem lucis melioris radium incipit aspicere, & veteris legis torporem excutere, latâ voce Dauidicum illud increpans:* Exultate Deo adiutori nostri, iubilate Deo Iacob. Sumite psalmum, & date tympanum; psalterium iucundum cum citharâ. Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ; *ecce enim aurora est. Quisquis sedes in tenebris & caligine vmbræ mortis, eleua caput tuum, & conuerte oculos ad ortum surgentis Auroræ, & ad hunc rutilantis matutini syderis splendorem. Quisquis in densa peccatorum caligine, tristis, solâ sub nocte, per vmbras vitiorum hactenus non vidisti quà vel ires, vel rueres; lætare aliquantulum albescente iam cælo, & aurorâ illa consurgente, quam laudant astra matutina, & cui iubilant omnes filij Dei. Lassatus es in via iniquitatis, nec inueneristi hactenus vbi caput reclinares? en* thronus Salomonis: *in primo eius gradu qui Mariæ Natiuitas est, requiesce. Exhausit te longo itinere fames? ecce* nauis institoris, *de longè portans panem, iam portus nostros attingit. Affligit te sitis? en* puteus aquarum viuentium, *qui salit in vitam æternam. In perpetuo cum hostibus conflictu vulnera fortasse accepisti? en* balsamum fragrantissimum, *nunc primùm ortum in Iudaico solo, nitiditissimam plagis adferens medicinam. Oppleta sunt nares fœtentium peccatorum sordibus? ecce* cinnamomum & *iterùm* balsamum aromatizans, *iam incipiens diffundere odorem suum. Si nocturnos imbres, nocturnaq; passus frigora, adeò vt caput plenum sit niue, aut guttis noctium; ecce quam subeas* domum, *cuius iam fundamenta è terrâ eduxit cælestis Salomon, vt apparere incipiant auro ac lapidibus pretiosis substrata. Ambulasti vias difficiles, vndique concussus cæli terræque incommodis? hunc* hortum conclusum, *hunc paradisum voluptatis ingredere*

Psalm. 80.

Singulis, cuiuscumq; sint status, gaudendum in natiuitate B Mariæ Virginis.

gredere; visita terram hanc benedictam, quæ breui dabit fructum suum.

Et adhuc priuata commemoro? omnibus prodest, cuius natiuitate omnes gaudent. Maledicta est terra in labore nostro & aridè atque auarè respondet sudori colentium, exusta, & exsiccata pestifero serpentis halitu. Ecce aquæductum, *cuius summitas, instar scalæ Iacob, cælum tangit, imò cælum transcendit, vt viuidissimum istum aquarum, quæ super cælos sunt, possit attingere fontem: descendet per hunc vena illa cælestis; deriuabitur fons vsque ad nos; in plateis fluent aquæ; Iste aqueductus plenitudinem fontis ipsius de corde Patris excipiet, vt terra nostra bibat de plenitudine ipsius. Mare est vita hæc mortalis, & mare tot infame scopulis, tot infestum tempestatibus, tam densis obsitum tenebris, vt semper vitæ & viæ incerti iactemur. Iam* stella maris *oritur, ecce caligo dissipatur, vmbra mortis fugit, abeunt densissimæ tenebræ, ponto cælum, & cælo pontus ostenditur; nos nobis & vitæ reddimur: quia vitam suscipit, quæ vitæ immortalis est paritura originem. Desertum est mundus; verè à gratiâ, à virtute, à Deo desertus: nullæ in eo aduersùm tot morbos, totq; serpentium morsus herbæ salutiferæ, nulli piorum desideriorum flores, nulli virtutum fructus: ecce descendit in desertum, delicijs affluens* hortus voluptatis, *quem non modò afflauit veniens, sed & perflauit superueniens Auster ille diuinus, vt fluant & effluant aromata eius, charismata scilicet gratiarum, è quibus pullulabunt tot lilia Virginum puritatis candore conspicua, tot rosæ Martyrum sanguinis sui purpurâ rutilantes, tot Doctorum anemones omni colorum varietate prata illustrantes. Quid plura?* imber abiit & recessit, vox turturis audita est in terra nostra, *& simul* flores apparuerũt *in deserto nostro. Gaudeat ergo & extultet terra, quia aperuit Dominus in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes; posuit desertum in stagna aquarum, & terram inuiam in riuos aquarum;* dabitque in solitudine cedrum & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ; ponet in deserto abietem, vlmum, & buxum, simul, vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter quia manus Domini fecit hoc, & sanctus Israel creauit illud. *Ac si diceret enucleatiùs Propheta: Noua hæc rerum facies, quod cælum renidet puriùs, quod sol clarior & auro similior, quod orbis lunæ pulchrior splendet, quod illibati stellarum chori clarius eniteſcunt; inde fit, quod supra horisontem nostrum ascenderit Maria Virgo* Sicut aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol. *Mirabilis ista mundi metamorphosis! qui priùs nihil erat nisi mare tempestatibus infame, vel desertum suâ sterilitate damnatum. Ecce enim littoribus concitantur fluctus, soli nubes, aëri venti, terra plantis, plantæ oculis: nunc fontes manant liquidiùs, & hibernis compagibus expediti largiùs amnes fluunt, prata collucent floribus, fulgent gemmis arbores, detonsi nitent herbarum tori, & per virentes agros agni lasciuiunt: vt sciamus, & videamus, & intelligamus, & recogitemus quia manus Domini fecit hoc verbum, quod hodie factum est in Nazareth, & sanctus Israel creauit illud salutis nostræ & redemptionis pignus, quod hodie venerabilis Annæ gremio suscipitur. Lætemur cum vniuerso mundo, quia nascitur Regina mundi: exultemus cum Angelis, quia prodit illa quæ reparatura est ruinas Angelorum: gaudeamus cum cælis, quia nata est cælorum Domina, & præcipuum eorum ornamentum: iubilemus cum iustis, quia videmus eam, cui omnes acceptam ferunt suam in iustitia perseuerantiam: denique congratulemur peccatoribus, quia datum est eis certissimum asylum, & tutissimum ab irâ Dei refugium. Venit enim, venit puella desiderata cunctis gentibus, exoptata, cælestibus, & terræ nostræ per tot annorum millia exspectata. Accedite ad cunas hasce omnes qui pertransitis per viam huius mortalitatis, & diligenter attendite, considerate & videte ab initio sæculi, à diebus æternitatis, si quam huic similem vidistis in filiabus hominum: non est vsque ad vnam. Singulæ congregauerunt sibi diuitias, Maria verò supergressa est vniuersas. Venite ergo, & genethliacon tam feliciter, tantoq; nostro bono natæ, accinamus. O infantula, ô tenella virguncula! nobis te natam, & nobis natam audiuimus in terra nostra; vbi doni huius cælestis ignari, sequentes viam*

Et communiter omnibus.

S. Bern. de natiuit.

Imò mundo inanimato.

Isai. 41.

vniuersæ carnis, mundi diuitiis, vanitatis honoribus, & carnis deliciis indulgebamus: sed vbi apparuerunt primi radij cælestis arcûs, qui immnentem & rorantem de cælo pluuiam nuntiant; vbi auroram nouam cælo rutilare, vbi solem noui luminis splendore obscurari animaduertimus, relictis rebus omnibus visuri visionem hanc magnam accurrimus, vt demus gloriam Deo, qui nobiscum fecit misericordiam hanc magnam.

CAPVT I.

Litterarum & Librorum mirabilis & vtilis inuentio; sed mirabiliores & vtiliores libri, quos Deus scripsit, qui sunt primò Liber prædestinationis & idearum diuinarum 2. Liber creaturarũ, 3. Scripturarum, 4. Liber exempli.

Litterarum inuentio mirabilis.

CVRIOSIS eorum scrutatoribus, quevel natura ad miraculum artificiola elaborauit, vel ars ipsi naturæ ad inuidiam æmula excogitauit, nihil vnquàm mirabilius visum est istâ vel hominum iuuentione, vel primæ naturantis naturæ beneficio, quo possunt omnia, quæ in tota rerum vniuersitate admiramur, paucis concepta litteris, breui volumine ita comprehendi, vt ea non solùm possit is, qui scripsit, recordari; sed alios etiam in rei, quam nunquàm sensibus vsurparunt, cognitionem inducere. Atque hunc diuinum rerum abditissimarum thesaurum, viginti quatuor litterarum varietate, quidquid mens humana fingere potest exprimentium, *libros* vocamus: quibus quàm variè, quàm iucundè, quàm doctè hactenus luserit humanum ingenium, ij norunt, qui non malè solent bonas aliquot per diem horas illis lectitandis impendere. Deus bone, quàm viuaciter nobis per eos licet fortissimis antiquorum rebus gestis adesse, quàm liberè curiosis Philosophorum quæstionibus, prudentibus Iurisperitorum consultationibus, sanctissimis Theologorum consiliis interesse? vt iam minimè pœnitere nos debeat breuitatis illius, quâ vitæ spatium natura circumscripsit: cùm exiguo tempore librorum adminiculo efficere possimus, vt ingentia illa, quæ ante nos lapsa sunt, sęculorum spatia, nobis fluxerint; illiq́ue omnes in nostram vtilitatem vixerint, qui ante nos aliquid fecerunt, propter quod non indigni fuisse vitâ suâ censeantur. Librorum vtilitas.

Quæ librorum admirabilis & pænè diuina virtus in eam pleroſque sapientûm adduxit sententiam, vt istorum quatuor & viginti signorum, quorum variâ inter se permistione res tam admiranda perficitur, non humanæ industriæ adinuentionem, sed munus diuinæ liberalitatis, atque increatę sapientię quandam cum genere nostro communicationem esse arbitrarentur. Quorum ego sententiam hîc neque impugnare, neque propugnare constitui: non enim ad dilaudanda humanæ sapientiæ monumenta, sed ad manifestanda diuinæ sapientiæ consilia, hic sermo instituitur. Quare eos potiùs libros enumerabo, quos siuè iisdem, quibus nos animi sensus exaramus, litteris; siue aliis quibusquam magis arcanis signis ac Symbolis; à diuinâ manu scriptos esse inter omnes constat: vt ij nos ad eum deducant librum, de quo initio huius Euangelij fit sermo.

Atque vt à vetustissimis exordiar: quid libro illo præstantius fingi potest, de quo Daniel cap. 12. *Saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit* Liber prædestinatorum est liber vitæ. Daniel. 12.

rit scriptus in libro? Cuius authorem
Exod 32. Moyses indicat Exodi 32. *Dele me de libro tuo quem scripsisti.* O librum admirabilem! *O altitudo diuitiarum sapien-*
Ad Rom. 11. *tiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius:* exclamabat Apostolus, dum eum manu aliquantisper versauisset, seque nimio litterarum fulgore offuscari persentiscceret. Non est enim in eo apex vnus, qui non fulgebit sicut stellæ in perpetuas æternitates; non est littera aliqua vna, ad quam effingendam impensa non sint iudicia illa sagacitatis & bonitatis infinitæ, quæ admirari & adorare possumus, inuestigare non licet: non est verbum, quod non inuoluat immensos sapientiæ & scientiæ thesauros, tantâ descriptos maiestate, vt opprimendus necessariò sit à gloriâ, quisquis eos temerario ausu voluerit perscrutari. Soli enim
Ad Philippens. 4. electi scripti sunt in hoc libro: *Nouit enim Dominus qui sunt eius.* & de SS. Apostolus ait: *Quorum nomina scripta sunt in libro vitæ.* Verùm librum hunc quia venerari satiùs est clausum & inuolutum, quam malo nostro referare; satis erit verbis D.
D. Thom. Thomæ quasi digito ostensum adorandum proponere. *Liber vitæ*, inquit ille 1. p. q. 24. art. 1. *in Deo dicitur metaphoricè secundùm similitudinem à rebus humanis acceptam. Est enim consuetum apud homines, quod illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribantur in libro, vtpotè milites, vel consiliarij, qui olim dicebantur Patres conscripti: patet autem quod omnes prædestinati eliguntur à Deo ad habendam vitam æternam: ipsa ergo prædestinatorum conscriptio, dicitur liber*
Cassiod. *vitæ.* Et Cassiodorus: *Liber vitæ est notitia eorum, qui eliguntur ad vitam.* O beatos, qui libro huic inscribi, non dico meruerunt, sed acceperunt: gratis enim hoc datum est beneficium iis, quibus omnia cum eo data sunt, per quæ sancti & boni, aptique illi
S. Avgvs. loco, ad quem prædestinati erant, efficerentur. *Non enim quia futuri erant sancti, ideo elegit; sed quia elegit, vt essent sancti*, inquit Sanctus Augustinus. Et Apostolus ad Ephes. 1. *Qui elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, vt essemus sancti.* Non è sanctitate electionem, sed contrà ab ipsâ electione, tanquàm à causâ, iustificationem, sanctitatem, magnificationem fluere indicans: *Quia quos prædestinauit hos vocauit, hos iustificauit, hos magnificauit.*
Ad Ephes. 1.
Ad Rom. 8.

Alius vitæ, liber in quo omnes scribentur non solùm boni, sed & mali, est *Sapientia Patris & figura substantiæ eius*, in qua non secùs atque in speculo purissimo relucent creaturæ omnes, omnesque ibi in ideis suis perfectiùs existunt, quàm sint in semetipsis: diciturque Verbum, spectatum prout omnia cognoscuntur in illo; *liber*, quia meliùs quàm è quouis libro, imò meliùs quàm ex ipsa rerum intuitione omnia in eo cognoscuntur, quorum ibi ideæ existunt: *liber* autem *vitæ*, quia omnia ibi viuunt, etiam illa quæ vitâ carent in essentia sua: *Quod enim factum est, in ipso vita erat.* Quod diuinus idearum magister non ignorauit: *Idea*, inquit, *boni est id, quod veritatem exhibet his quæ cognoscuntur, & ei qui cognoscit, vitam tribuit, & causa est scientiæ & veritatis, vt quæ per intelligentiam cognoscitur.* Si enim idea ei, qui cognoscit, vitam tribuit; sequitur ideam, exempli gratiâ, lapidis, quam de ipso habet Verbum nõ tantùm esse viuũ, sed etiam vitã in Deo: in qua Angeli, ex mente Patris nostri S. Augustini super Gen. ad litt. ita perfectè legunt quæ Deus extra se molitus est, vt matituna, id est clara & perfecta sit hæc cognitio præ illâ alterâ imperfectiore, quâ in suo quodque genere cognoscunt, quàm ideò vespertinam dici desiderat. Atque duo hæc Libri vitæ volumina ita sublimia sunt, vt primum, quo inperscrutabilis diuinæ prædestinationis abyssus continetur, præter Deum, lectorem fere nullum: alterum, in quo, præter simplicium rerum formas, secreta diuinæ sapientiæ consilia, & profunda Dei iudicia,
Omnia descripta sunt in Verbo, tanquam in libro vitæ.
Ioan. 1.
S. Avgvs.

cia, prouidentiæ ipſius & omnium quę geruntur in terris, rationes deſcribuntur; præter Angelos & Sanctos, admodum paucos ſtudioſos habeat. Quis enim eſt qui noſcat ordinem cœli, vt ponat rationem eius in terra? Sed benè habet, quod alium rudioribus ſuis diſcipulis deſcripſerit librum, qui cupit omnes ad agnitionem veritatis venire: *Inuiſibilia enim ipſius, à creatura mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur: ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas.* Audis diſertè Apoſtolum affirmantem Deum, quando virtute tam admirabili ea, quæ nunc conſpiciuntur, indè educebat ad hanc eſſentiæ lucem, vbi àliàs perpetuis nihileitatis tenebris damnata iacuiſſent; nihil feciſſe aliud, quàm conſcripſiſſe librum quendam, in quo virtus eius & diuinitas, quot creaturis, tot litteris deſcriberetur, adeò manifeſtè atque tam facilè ſub aſpectùm & intellectum cadentibus notis, vt excuſationem relictam neget iis, qui alia omnia agentes, iſta non agnouerint, quæ non poterant niſi à volentibus ignorari. Ageſis, dum ſumus paruuli ſapiamus vt paruuli, atque hunc primorum elementorum librum inſpiciamus, donec aſsumamur ad librum illum primæ claſſis, de quo iam verba facieba-mus.

Ad Rom. 1.

Creaturæ ſunt nobis liber, vnde Deum addiſcimus.

Auguſtinus: *Tunc enim non volubiles erunt cogitationes noſtræ, & quaſi ex vno in aliud redeuntes, ſed vnico intuitu omnia videbimus, non iam Deum in creaturis, ſed omnes creaturas in Verbo.* Nunc autem voluantur vnà cum oculis per varias libri huius paginas cogitationes noſtræ neceſse eſt. Apis ſedulæ in modum ſeligamus, quæ, ridente verni temporis amœnitate, per gemmeam florum luxuriem volitat operi ſuo intenta, ad ſingulas pænè ſtirpes adhæreſcens, & modò ore caſtiſſimo foliorum ſuccos pabulatur, modò odorum deguſtat delicias, modò roris gemmulas delibat: turgent enim omnia, quæ per amœniſſimum vniuerſitatis huius pratum Deus diſſeminauit, ſaluberrimo doctrinæ ſucco omnibus ad medicinam & voluptatem parato, ſi modò diligente cogitatione eum colligamus. Quid enim immenſa illa machina (cuius altitudo oculorum aciem, magnitudo omnem imaginationis noſtræ menſuram ſuperauit) tam citatis circumuolutionibus loquitur, niſi æternam quandam mentem eſſe, quæ cælorum perennes orbes, quæ ſyderum inæquales curſus, quæ infallibiles quorundam errores, quę vagas cometarum minas lege certâ temperat, moderatur, gubernat? Quid diſſeminati per cærulea illa prata fulgidi ſtellarum flores, tantâ lucis claritate, tantâ figurarum varietate, tantâ influentiarum virtute aliud firmamento ſuo inſcribunt, quàm mirabilia quædam in theſauris ſuis recondita tenere manum illam, quæ tantas ludibunda cælis diuitias inſperſerit? Aſpice, ſi potes, magnum iſtum lucis ac luminis fontem, vnde ſe claritatem haurire fatentur quęcunque nobis illo abſente vicariâ luce fulgent: quàm clarè, quàm diſtinctè ſignificat lucem illam inacceſſibilem, cuius ſplendori lumen ſuum debet quiſquis aliquo vel naturæ, vel gratiæ munere coruſcat! Si argenteam Lunæ facem, ſi conſtantem eius mutabilitatem, ſi elementi vaſtiſſimi ciendi vim & poteſtatem perlegamus, Deus bone! quid non hoc ſyderum omnium infimum docebit de ſummâ illâ potentiâ, quæ ſine ſui immutatione tam varia quoquouersùm ſpargit radios ſuos, & mirabiliter penetrat ſinus omnes & abyſſos cæli, terræ, maris? Denique nemo tam ferus & ferreus, qui cùm primum in cælum ſuſpexerit, mundi rectorem Deum non videat. Sed vertamus, ſi placet, hanc paginam, & nobis propiora legamus.

Terram

Terram hanc aſpice, pauimentum illud quod premis conſidera: qui tot benignitate inauditâ tibi calcandas diuitias profudit Deus, reputa quid ad exornandum maieſtatis ſuæ thronum ſeruauerit ſibi. Si enim ad oſtentationem pulchritudinis terra gemmat floribus, internitet purpurâ, micat auro, ſtellis radiat; quid exiſtimabimus de illo, qui tam variam, tam iucundam, tam vtilem amœnitatem abiecit porcis & immundiſſimis animalibus proterendam? Aſpice tot in mundo hoc inferiores ſpecies vtilitatis, iucunditatis, voluptatis, pulchritudinis. Terra veſtitur floribus, herbis, arboribus, frugibus, quorum omnium incredibilis multitudo infatiabili varietate diſtinguitur. Contemplare tot ſonitum gelidam perennitatem, tot liquores amnium, riparum veſtitum viridem, impendentium montium altitudinem, immenſitateſque camporum. Scrutare reconditas auro argentoque venas, infinitam marmoris vim: & (vt leuiſſimâ volutione curſim librum totum peruideas) intuere tot genera beſtiarum vel ferarum, volucrum lapſus & figuras, hominum operibus agros & campos collucentes, totque inſularum varietatem: intuere amœnitates orarum & littorum, tot genera, tamque diſparia, partim mari ſubmerſarum, partim fluitantium, partim innatantium beluarum, partim ad ſaxa natiuis teſtis adhærentium: totius denique naturæ faciem tam comptam & elegantem intuere: & inuenies quod ſufficiat ad neceſſitatem, quod abundet ad vtilitatem, quod ſuperfluat ad voluptatem & luxuriem, vt gratus ſis illi, qui, cùm diuinitatem ſuam tibi ob naturæ tuæ incapacitatem communicare non poſſet, quod licuit, virtutum ſuarum quoſdam quaſi radios aut riuulos per varias creaturas diſperſit, vt per multas quodammodò fiſtulas & canales bonitatis & ſapientiæ illius infinitudo ad nos deriuaretur. Non enim id ſolùm tantâ rerum creatarum varietate & multitudine agitur, vt diſcamus id quod ſtupidiſſimus quiſque ſtatim percipit, eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis, quo omnis natura inſpiretur, moueatur, alatur, gubernetur; ſed vt inde virtutum omnium exempla capiamus, & omnium vitiorum diſcamus turpitudinem, & denique ad Dei immortalis cognitionem, quantum quidem homini fas eſt, per has creaturarum ſcalas adſcendamus, vt cognitione perſpicaci commota voluntas in eius amorem exardeſcat, quo in amore magna felicitatis noſtræ pars, quam quidē in hac vita aſſequi poſſumus, conſiſtit. Non contineo me, quin hîc diuinam S. Bernardi doctrinam aſſcribam, ſer. 3. de Pent. pulcherrimè diſtinguentis triplicem diſcipulorū claſſem qui huic libro dant operam: *Tria*, inquit, *in magno huius mundi opere cogitare debemus: videlicet, quid ſit, quomodo ſit, ad quid ſit conſtitutus? Et in eſſe quidem rerum, inæſtimabilis potentia cōmendatur; quod tam multa, tam magna, tam multipliciter, tam magnificè ſunt creata. Sanè in modo ipſo ſapientia ſingularis elucet: quòd hæc quidem ſurſum, hæc verò deorſum, hæc in medio ordinatiſſimè ſint locata. Si verò ad quid factus ſit, mediteris; occurrit tam vtilis benignitas, tam benigna vtilitas, quæ etiam ingratiſſimos quoſque multitudine & magnitudine beneficiorum poſſit obruere. Potentiſſimè ſiquidem ex nihilo omnia, ſapiētiſſimè pulchra, benigniſſimè vtilia ſunt creata. Verumtamen & fuiſſe nouimus ab initio & adhuc multos eſſe videmus in filijs hominū, qui in bonis inferioribus ſenſibilis mundi huius totâ ſenſualitate depreſſi, totos ſe dederunt his quæ facta ſunt; quonam modo, vel ad quid facta ſunt, negligentes. Quid iſtos niſi carnales dicamus? Pauciſſimos eſſe iam arbitror: legimus tamen nonnullos quādoque fuiſſe, quibus ſummum ſtudiū fuit, atque vnica ſollicitudo, modū & ordinē inueſtigare factorum, adeò vt plerique non modò vtilitatem rerum perquirere diſſimulauerint, ſed & ipſas magnanimi-*

Triplicis generis diſcipuli ſtudent libro creaturarum. S. Bern.

ter ſpreuerint, cibo paruiſſimo viliſſimoq; contenti. Ipſi quidem ſeſe Philoſophos vocant, ſed à nobis curioſi & vani rectiùs appellantur. Vtriſq; ergo ſucceſſerunt viri prudentiores vtriſque, qui nimirùm & quæ facta ſunt & quomodo facta tranſilientes, intenderunt aciem mentis, vt ad quid facta ſunt viderent. Nec latuit eos, quoniam omnia propter ſemetipſum fecit Deus, omnia propter ſuos. Aliter tamen propter ſe, aliter propter ſuos. Omnia fecit propter ſemetipſum, gratuitâ videlicet bonitate: omnia propter electos ſuos, pro eorum ſcilicet vtilitate, vt illa quidem efficiens cauſa ſit, hæc finis. Hi ſunt ſpirituales viri, ſic vtentes hoc mundo tanquàm non vtentes, ſed in ſimplicitate cordis ſui quærentes Deum, ne illud quidem magnopere veſtigantes, quonam modò mundialis hæc machina volueretur: primi voluptate ſecundi, vanitate, tertij veritate impleti. Gaudeo vos eſſe de hac ſcholâ, inquit ille ſuis, de ſcholâ videlicet ſpiritus, vbi bonitatem & diſciplinam & ſcientiam diſcatis. Sed quis hic non admiretur puerilem iſtam peccatorum ſtoliditatem, qui cùm ante oculos atque in manibus habeant volumen illud ſcientiæ tam admirabilis, vnde exiguo legendi labore haurire poſſint ſapientiæ theſauros infinitos, malunt, quod pueri ſolent, ſeſe aureas quaſdam litteras inſpiciendo vaniſſimè oblectare, earumque ramenta colligendo tempus otioſè fallere, quàm ad iſta tam alta, tam ſublimia, tam diuinæ doctrinæ præcepta aſpirare?

Peccatores, vti pueri, oblectantur pulcheriorib. libri characteribus: rerum ſecuri.

Verùm ne incautos nos detineat amœniſſimum hunc librum perſcrutandi ſtudium, quo res hæc tota facit, illuc reuertamur. Vt intelligamus volumen iſtud manu diuinâ conſcriptum longè ſuperare omnia humanæ induſtriæ ſtudia, ac multò nobis clariùs maieſtatem illam infinitam deſcribere, quàm vel Platonis argutia, vel Ariſtotelis verſutiæ (licèt hic Philoſophi, ille Diuini nomen ſortitus fuerit) eam poſſit litteris depingere. Neq; hoc mouerit quẽpiam, quod omnia hęc, ſiue mortalia ſint, ſeu immortalia, ſublimia, ſeu terrena; animata, ſeu inanima; quantacumq; vi, pulchritudine, luce, aut virtute prædita fuerint; infinitis tamen adhuc parasangis diſtẽt ab iis, quas in Deo colimus & adoramus, perfectionibus: proindeque ſuſpicetur hęc apta non eſſe ſigna, quæ nos in iſtarum cognitionem poſſint deducere. Idem enim ille ſi conſideret quantum vilis hæc ſæpia, quibus haſce efformo litteras, diſtet à rerum illarum, quæ iis ſignificantur, præſtantiâ; quantum earum figura diſcrepet à ſpiritualibus mentis conceptibus, qui tamen iis aptiſſimè ſignificantur; facilè eo aſcendet, vt præuidere poſſit quàm diſtinctè & clarè caduca hæc illam firmitatem, hæc temporanea illam æternitatem, hæc certo limite magna iſtam immenſitatem deſcribere valeant: videbitque in admirabili iſtâ rerum omnium ex nihilo productione potentiam infinitam, animaduertet bonitatem ſe intimè omnibus inſinuantem, ſapientiam verò admirabitur, quæ mente ſecurâ curam gerit omnium, res omnes inſpicit, adit, cognoſcit, & cognitas immotâ quadam & ignotâ nobis ſerie dirigit ac gubernat: leget deniqué magnis hiſce creaturarum litteris ita deſcriptum Deum, vt nullus ad eum tam clarè exprimendum calamus poſſit aſpirare. Admirabilis profectò liber, & characteres eius admirabiles: ſed admirabilius, tam variis tam multis, tam magnis propoſitis litteris, tanto aperto volumine quod ſemper ante oculos verſetur mortalibus, illos tamen ita vel cæcos eſſe, vt non videant, vel rudes vt non intelligant quid ſcriptum ſit ſuper faciem vniuerſæ terrę. Sed loquuntur quidem creaturæ nobis, & de diuinis ſermones habent, ſi attendamus, ſatis ſublimes. Deum ibi audies mentem ab omni concretione ſecretam, optimam, ſapientiſsimam, ſanctiſsimam, æternã, ſpiritum per omnia commeãtem, & ſingulis vniuerſi

cognoſci poſſit.

Deus quomodo ex creaturis

uersi partibus, quasi accuratissimæ lyræ fidibus, intentum: qui fluentium rerum canticum iucundissimâ varietate temperat, ingenitus, immortalis, perpetuus, solus ipse sibi locus & mundus, & maximus quidem mundus, sapientiæ, sanctitatis, intelligentiæ cui spirans omnis intelligensque natura & habere & agere non desinit gratias. Sunt tamen alia quædam maiora, ad quæ neque assurgere, neque eleuare nos possunt rudia hæc mundi elementa: nam lucidissimam illam SS. Triados caliginem, lucernâ tam exiguis creaturarum scintillis rutilante illustrare non possumus; neque tantam misericordiæ lucem, quanta ex ipsius passionis Dominicę sordibus refulget; tantum splendorem maiestatis, quantus in resurrectione eius cernitur; tantum deniquę gloriæ fulgorem, quantus in Dominica ascensione, in cœlesti gloriâ, & laborum nostrorum remuneratione resplendet, imbecillâ naturalis luminis facultate aspicere nequimus: addo lacteam illam, quam nobis signauit, virtutum semitam clarioribus prorsùs renidere stellulis, quàm illæ quę naturali huic machinę infixe rutilant. Id quod animaduertens cęlestis noster ludimagister, alium nobis conscripsit librum, per quem & priorem illum explanaret, & quæ ibi scripta non fuerant adderet. Atque hic Paralipomenon liber est Sacra Scriptura: liber tam obscurâ claritate conspicuus, & tam clarâ obscuritate venerandus, vt & paruulis sufficiat ad necessariam doctrinam, & doctissimis rerum subtilissimarum speculationes non desint ad iucundissimam exercitationem. Indicat hoc vir in eo inprimis versatus, S. Augustinus lib. 12. confess. cap. 14. *Mira*, inquiens, *eloquiorum tuorum profunditas est, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis. Sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas! horror est intędere in eam, horror honoris, & tremor amoris.* Horret quod veneratur, amat quod timet, & dum quasi cõtrarijs animus distrahitur affectibus, legendo suauissimâ pascitur voluptate. nam *præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*; &, *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, desiderabilia super aurum, & dulciora super mel & fauum.* Iterum Sanctus Augustinus ad Volusianum: Modus ipse dicendi, quo sacra Scriptura contexitur, quamuis omnibus accessibilis, pauciſſimis tamen penetrabilis: nam quæ aperta continet, ea quasi amicus familiaris sine fine ad cor loquitur indoctorum atque doctorum: ea verò quę in mysteriis occultat, nec eloquio ipso superbo erigit, quo non audeat accedere mens tardiuscula inerudita, quasi pauper ad diuitem. Tanta effabilitati permixta maiestas est, vt videatur ingenium suum exprimere voluisse, qui eam dictauit, Spiritus diuinus: tantâ autẽ doctrinâ refertus est, vt vnus omnium possit esse scientiarum magister. Si enim physica quęritur, compendio hæc habetur, dum omnium rerum causas referuntur in Deum: si Ethica; bonorum morum lex est & officina: si Logica veritas; est lumen mẽtis: si Iurisprudentia, sapientię & æquitatis sacrarũ: si Medicina, aduersus omnes animi morbos præbet antidotum; si Mathematica, eius pænè dimetitur magnitudinem, qui pugillo suspendit orbem terræ. Neque tetricis hæc inuoluta præceptis Auditorem tædio quodam & nauseâ discrutiant, sed adeò honestâ omnia plena sunt animi recreatione, vt spectaculorum amatoribus Tertullianus sacras litteras grande spectaculum obiiciat, omnium rerum opulentiâ atque varietate refertum. *Si scenicæ*, (inquit lib. de spect.) *doctrinæ delectant, satis est, nobis litterarum, satis sententiarum, satis etiam canticorum, satis vocum; nec fabulæ, sed veritates; nec strophæ, sed simplicitates. Vis pugillatus & luctatus? præstò sunt non paria, sed multa: aspice impudicitiam deiectam à castitate, perfidiam cæsam à fide, sauitiam á misericordiâ contusam, petulantiam à modestiâ obumbratam, & tales sunt apud nos agones, in quibus ipsi coronamur.* Facillimum esset hic vaniſſimas quibus vel ani-

Multa de Deo ex creaturis cognoscuntur, sed non omnia.

Sacra Scriptura variè supra omnes libros laudata.

S. Avgvst.

Tertvl.

culę delectantur, vel iuuenes capiuntur, iugulare fabulas, atque ostendere in Scripturarum veritate plus esse casuum, sustentationum, miraculorum, quàm in omnibus istis vanitatibus per turpissimum è machinâ Deum, artem dico magicam, expeditur. Habet enim liber hic noster eundem rerum gestarum, quem Scriptionis authorem, Deum, qui vt gerere per suos potuit res admirabiles, ita verissimè voluit eas litteris mandari. Habet præterea Scriptores planè diuinos: Moysen ipsum inter tot, quæ diuinâ virtute patrauit miracula, maximum omnium prodigium: Dauidem, Deus bone! quem virum maiestate, veritate, scientiâ! Salomonem, cui par nihil imaginabimur, nisi humanâ carne vestitam concipiamus sapientiam: Apostolos denique & Euangelistas, ipsa illa quæ viderant & manibus suis contrectauerant de Verbo vitę referentes. Iam verò interpretes & commentatores, qui lumen huic libro addunt, qualia ipsi lumina! quæ ad historiam Hæbream & Græcam attinent, discimus ex Hieronymo: allegorias sensusque anagogicos recludunt Origenes & Ambrosius: aptas ad instituendos hominum mores sententias deducunt Gregorius & Chrysostomus: locis obscuris, & perplexis difficultatibus impeditis, Augustinus præfert facem; vt cœlum potiùs quoddam empyrium, quàm liber videatur Scriptura: non secùs enim hanc ingenij sui lumine illustrant Deus & sancti, quàm illud presentiâ suâ exornant. Sed quid dicam? cum rudibus & indocilibus ingeniis conflictatur multum patiens & longaminis magister noster, neq; verbis tã diuinis propositam stupidi mortales satis capimus veritatem: quid ergo faciet? quod mathematicam professi aut architectonicam, quorum discursus tum propter rerum subtilitatem, tum propter illationum multitudinem à captu Auditorum remotiores sunt: hi enim in ideâ aliquâ ligneâ molis exædificandæ similitudinem & figuram machinantur; illi verò quæ docent, lineis quibusdam in plano aliquo ita exprimunt, vt non tam audire quàm cernere discipuli eorum videantur. Huc scilicet deueniendum erat Deo nostro; vt in rudibus nostris ingeniis cælestis disciplinę veram imaginem efformaret, ideali opus erat libro, vt manibus palpare possimus quæ aliàs non satis intelligebamus. *Et verbum caro factum est*, vt oculis nostris videremus, & manibus contrectaremus verbum vitæ, atque vt re ipsâ expressum videremus exemplar viuendi, quale per legem præscribitur. Quis enarrabit modum, quo scriptus; & artificium, quo compactus fuit liber ille? Iliadem litteris tam exiguis pergameno inscriptam, vt tota nucis putamine clauderetur, celebrauit antiquitas. Memorabilis fuit illa Daniæ Regis effigies, quam multi nostra memoria spectauerunt, ita artificiosè ex litteris facta, vt linea in ea non esset, quæ laudes eius non exprimeret: miraculo vicinum erat videre tot in capite crines (quos ob subtilitatem oculis non distingueres, si connexis conspiciliis intuerere) in totidem transformari carmina, egregias Regis laudes decantantia. Sed mirabilior liber hic, de quo agimus, qui tam immensam, tam latè diffusam Dei sapientiam exigui corpusculi mole circumscripsit: qui corporis humani lineamentis non tantùm Dei immensitatem, sed omnes eius voluntates & leges, omnia rectè viuendi præcepta delineauit. Liber hic est, de quo rectè vsurpari potest illud Isaiæ. 10. *Consummationem & abbreuiationem faciet Dominus in medio terra.* Id est, enchiridion quoddam faciet, quod omnibus semper possit esse ad manum, vt in eo numeris suis perfectam ac consummatam charitatem, pœnitentiam, humilitatem, castitatem, mansuetudinem legant. Atque hunc librum descripturum se profitetur Matthæus, dum dicit: *Liber generationis*, proprietate quadam Hebraici sermonis (quo ille Euangelium suum

Christus est liber idealis omnium virtutum.

Isai. 10.

conscri-

conſcripſit) per generationem intelligens totum vitæ decurſum, & omnia quæ homo per eum geſſit. Sic Geneſ. 6. *Noë* dicitur *perfectus in generationibus ſuis*, id eſt, in omnibus operibus ſuis. Quo libro, vt alia omittam, effectum eſt, vt iam puerorum tyrocinia plus ſapiant, quàm ante eum maximorum Prophetarum oracula; plus doctrinæ habeant aggreſtium rudimenta, quàm anteà documenta Patriarcharum: in eo enim quot apices, tot faces; quot litteræ, tot ſtellæ; quot verba, tot ſydera; quot ſententiæ, tot ſoles illuſtrantes mundum vniuerſum, cùm Prophetarum ſermones non eſſent aliud, quàm *lucernæ lucentes in caliginoſo loco.* Habemus itaque, præter Scripturam naturalem & libros humanæ prudentiæ, quadruplicem à Deo nobis ſuppeditatum codicem: primum quidem ſcriptum de nobis in Deo; alterum de Deo in nobis; tertium de vtriſque ſacris paginis; ac demùm in Chriſto homine-Deo perfectionum diuinarum atque officij humani perfectiſſimam imaginem: quæ omnia quàm propriâ ſimilitudine tangunt Virginem, deinceps videbimus.

CAPVT II.

Non abſurdè, ſed bonâ allegoriâ per Librum generationis intelligi B. Mariam Virginē, authoritate & ratione probatur.

Virgo Deipara non abſurdè dicitur liber.

EVANGELII mirabile principium, quod inde ab Abrahamo repetere videtur exordium vt de Chriſto Seruatore texere incipiat hiſtoriam, nobis occaſionem dedit, vt librum generationis Ieſu Chriſti explicaturi, inde à librorum omnium exordio accerſeremus materiam: vt oſtendere poſſimus librorum omnium ſimilitudinem quandam habere Virginem Mariam, ac eam non tam impropiè librum generationis Ieſu Chriſti dici, vt diſcurſus hic tanquam exemplum adſurdæ allegoriæ adferri mereatur à quibus neſcio Rhetoribus. Nam librum eſſe Virginem Mariam nimis tritum eſt Patribus, & nimis in ratione fundatum, quàm vt reprehenſionem vllam mereatur qui iſtud affirmauerit. S. Ioannes Damaſcenus lib. 2. dormit. Virg. ait: *Ibi nobis liber oblatus eſt, in quo inenarrabili modo Deus Verbum citra omnem manus operam ſcriptus eſt.* Et Andreas Cretenſis: *Tu es liber verè viuus, eius qui in te tacitè fuit inſcriptus Verbi paterni, mirifico calamo Spiritûs. Tu ſola es noui teſtamenti volumen à Deo ſcriptum, quod Deus ante fecit cum hominibus.* Et iterùm S. Ioannes Damaſcenus orat. 1. de natiuit. *Hodierno die is qui omnia efficit Deus verbum, quod Pater è pectore eructauit, librum nouum condidit, Dei linguâ à ſpiritu, tanquam calamo quodam, in ipſo conſcribendum: qui quidem homini litterarum perito datus eſt, nec tamen ab eo legitur; neque enim Ioſeph Mariam cognouit, neque ipſius myſterij potentiam.* Omitto Ephræm orat. de laud. Deip. qui vocat eum *tabulam ſcriptam*, legem mortalibus adferentem, & *chartam diuiniſſimam*; Euſebium Cæſarienſem, S. Antoninum, & alios, qui hac metaphorâ mirum in modum gauiſi videntur. imaginabantur illi, quod S. Ambroſius in Lucam cap. 7. & Pſalm. 50. in illa verba, *Domine labia mea aperies*, apertè dicit Spiritum ſanctum ſcribam, quando caſtiſſimam Virginem obumbrabat, in eâ tanquam in volumine ex pergameno mundiſſimo verbum Dei ſcripſiſſe, eiſque carnem efformaſſe non calamo aut atramento, ſed digito ſuo, id eſt, virtute ex alto eam fœcundante, & ſanguine Mariæ puriſſimo. Prædictum id fuerat Iſaiæ Prophetæ, cui omnia Euangelij myſteria clariùs quàm vlli Prophetarum fuerunt reuelata; capite enim 8. leges: *Et dixit Dominus ad me:* Ioan. Damascen.

Liber grandis Iſaiæ, eſt Virgo Deipara. Iſaiæ. 8.

Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, Velociter spolia detrahe, citò prædare. Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius, Accelera spolia detrahere: Festina prædari. Sume tibi, inquit, *librum grandem*: & cur, quæso, tam magnum; in quo vix duo verba iubet inscribenda? Quod eò magis mirandum, quòd alteri Prophetæ, cui ciuitatem maximam Ierusalem describendam, obsidionem aduersus eam ordinandam, munitiones ædificandas, imperat; exiguum laterculum præbeat, in quo res tantas, tamque varias debeat describere. Quis non videat id hisce emblematis inuolui, citiùs in pagellâ exiguâ rerum humanarum ingentia molimina describi posse, quàm minimum diuinorum mysteriorum ingenti volumine pro dignitate suâ explicari? Si enim rerum naturalium varietatem, ordinem, pulchritudinem, si proprietates & virtutes, si occultas antipathiæ rationes, si causas earum & originem accuratâ scribendi ratione quis velit recensere; teste illo Sapiente, qui pleraque mente conceperat, faciendi plures libros nullus erit finis. Et si Christi opera omnia historicâ breuitate enumerata fuissent, arbitrabatur Euangelistarum aquila nec ipsum mundum capere posse eos, qui scribendi fuissent, libros. Quodnam ergo volumen sufficiet, quis liber satis magnus reperietur, vt Verbum illud, quod Dei stylo scriptum fuerat quando Deus de Deo genitus est, hominis stylo exaretur? Non video sanè, nisi ad illam Prophetissam accedamus, cui quòd magna feciisset qui potens est, de se ipsâ vaticinata fuit: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes*: quæ concipiet & pariet filium, nomine Iesum, eo quòd saluum faciet populum suum à peccatis eorum: quod vtique non faciet, nisi acceleret spolia inimicis eorum detrahere, & festinet prædari. De hac enim, Ecclesia canit: *Sancta & immaculata virginitas, quibus te laudibus efferam nescio; quia quem cæli capere non poterant, tuo gremino contulisti?* Et quò clariùs appareat, ad eum nos mitti hac natiuitatis eius festiuitate; vbi nos legimus, *Sume tibi librum*, Septuaginta addunt, *nouum*, quando scilicet vix à prælo in lucem editus, natiuitate & nouitate suâ omnium ad se rapit studia & oculos. Et vide quàm congruat nostra Euangelij explicatio cum hac Isaiæ prophetiâ, & interpretatio septuaginta cum S. Ioannis Chrysostomi lectione: ipse enim *liber natiuitatis* legebat, id quod nos *liber generationis* dicimus. Quàm autem magnus fuerit hic liber, etiam tùm in natiuitatis suæ exordio, indicat vox illa quæ sequitur, *grandem*: quod ex Hebræo Hieronymus ab Oleastro vertit, *manifestatorium Dei*, siue, *demonstrationem magnalium Dei*. Ita vt librum hunc imaginari debeamus tanquam abacum, in quo Deus opulentiam diuitiarum suarum, & potentiæ suę magnitudinem spectandam proposuerit: atque ita in rigore sensûs litteralis, secundum priorem illam interpretationem (quâ generationis nomine Hebraicâ phrasi intelleximus non tam prolis conceptionem, quàm opera quæ toto vitæ suæ tempore homo veluti partus suos in lucem effundit) dicimus librum generationis Iesu Christi esse Diuam Virginem. Vbi enim opera Seruatoris præclarissima doctrinę, miraculorum, vitæ, mortis, victoriæ, triumphi, coloribus viuacioribus depicta, vel prestantiore calamo descripta fuerunt; quàm dum ea Spiritus Sanctus digito illo suo Virginis cordi & animæ inscripsit? S. Lucas, qui penicillo formam eius externam adumbrauerat, eius hanc interiorem formam curiosiùs sibi inspectam ita calamo descripsit: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc conferens in corde suo.* Sed luculentissimum habemus rei huius authorem D. Antoninum, qui hunc nostrum librum scripturis omnibus, quæ opera & generationes Christi complectuntur, prefert 4. p. tit. 15. cap. 22. n. 9. *Quantò facta sunt potiora verbis vel scripturis, tantò sunt ostensa maiori*

D. ANTONIN.

maiorà in Maria, quàm in ſcriptura per Deum: nam Scripturæ dedit vt Deum loquatur, Mariæ contulit vt per eam Chriſtus pandatur: ibi eum multiplex tegit figura, hic veſtit eum Maria caro pura: ibi prænunciatur, hic oſtenditur: ibi latet in mortua charta, hic patet in carne monſtratâ: ibi dicta ſunt magna, hic fecit, inquit, mihi magna qui potens eſt.

CAPVT III.

Oſtenditur quod in D. Virgine habeamus omnia, quæ libri ab omnibus ſcripti ſuppeditant: vel enim ſunt hiſtoriæ, vel doctrinæ, vel catalogi: quæ omnia Virgini conueniũt.

LIBRVM eſſe ſacratiſſimam Virginem, iam puto ſatis confirmauimus. Qualis autem liber fuerit, & cui vſui; ex vſu ceterorum librorum patebit. Triplici enim vtilitate tota faciendorum librorum ratio mihi videtur poſſe definiri: vel enim rerum memorabilium continent memoriam, & hiſtoriæ titulo euulgantur; vel humanæ diuinęque ſapientiæ monumenta proponunt, & ſunt quidam veluti publici humani generis præceptores; vel denique nominum quendam ordinant catalogum eorum, qui vel in Magiſtratum leguntur, vel militiæ adſcribuntur, vel in ære, aut de familiâ noſtra ſunt, vel eorum denique omnium quos deindè vel ad pręmium, vel ad pœnas citandos conſcribimus. Quæ quàm præclara & porrò neceſſaria generi noſtro librorum officia ſit, facilè ex eo patet, Si conſideremus quantis in tenebris iaceret noſtra mortalitas ſine iſtâ librorũ face. Parum eſt enim in hominum memoriâ, ſi eam non vetat conſeneſcere ſcribentium fides. Quanto enim plura exempla complectitur diuturnitas temporis, quàm hominis ætas? quæ omnia deliteſcent in tenebris, niſi illuſtrentur à libris. Nihil autem vtiliùs iucũdiuſq; cogitari poteſt, quàm in humanę vitę theatro, quod libri partibus omnibus mirè inſtructum habent, ſedentem, periculis aliorum ſine ſuo periculo cautum, ſapientemque fieri: exempla capere omnigena, quæ ad vſum tuum qualibet in re traducas: cumque maximorum hominum de ſummis rebus maximis conſiliis interfueris, id quod cupidiſſimè homines auemus, eorundem etiam euentibus intereſſe; & quod per anguſtiam vitæ hominum impoſſibile ſit alioqui, ſæcula tota memoria coniungere; maximorum imperiorum auſpicia, progreſſus, & finem videre; malorum, ſeu priuatorum, ſeu publicorum cauſas liquidè cognoſcere; in omni arduâ magnaque re, qui ante periclitetur, qui in diſcrimine te præcedat, habere: nec vſquam experimento certo deſtitui, ac, vt in ſummâ, à retroactis (quod proprium ſapientis viri officium eſt) futura in omnes euentus proſpicere, præſentia iudicare. Omitto quanti faciendum ſit ad immortalem gloriam per aliorum præclara facinora impelli, à vitiis per eorum nomini inuſtam infamiam deterreri. Atqui hæc omnia per libros habemus eâ parte, quâ temporum teſtem, vitę memoriam, morum magiſtram, lucem veritatis Hiſtoriam per eos obtinemus. Quę ſi ad librum noſtrum transferre, atque pro dignitate explicare velimus, libris profectò opus erit propemodum infinitis, vt vnius pagellæ virtutem & vtilitatem explanemus. Quantula enim ſunt hęc omnia, quæ nos hic miſeri homuncioneſ gerimus, de quibus tanto ſtudio, tantaque vt nobis videtur prudentiâ conſultamus, ſi in comparationem

Hiſtoriæ vtilitas.

B. Maria Virgo hiſtoria eſt magnalium Dei.

tionem veniant eorum, quæ diuina illa mens ab omni æternitate agitauit consilia: si cum magnalibus illis componantur, quæ ille vel intra diuinitatis suę viscera efficit, vel extra se ita molitus est, vt ad minimi eorum quæ ipse fecit, machinationem aspirare non possit cunctorum mortalium in vnum conflata industria. Quâ in re hoc considerandum est, si nos reculas nostras ornamentis verborum illustratas ita voluminibus scimus comprehendere, vt non ingratâ legentes afficiant voluptate, cosque libros & pretio & studio dignos existimemus, quibus eæ docto calamo exaratæ cernuntur: quanto in pretio habendus, quantoque studio lectitandus liber ille sit, in quo omnipotens illa dextera posuit memoriam omnium magnalium suorum, quemque voluit esse præcipuum magnitudinis, bonitatis, misericordiæ, sapientiæ, infinitudinis suæ monumentum. Lege enim titulum, qui publicè ei præfigitur: *Fecit mihi magna qui potens est*; atque adeò magna, vt magnitudine suâ Deum ipsum magnum quodammodò efficiat; ita vt ad hasce voces assurgere audeat: *Magnificat anima mea Dominum*; & rationem adfert quam dedimus, *quia fecit mihi magna.* Quisnam hic lusus grandium alternâ magnitudine inuicem exaltantium? vel quid in libro hoc nostro viuo legemus, quo immensus augeri, infinitus crescere possit? vel quid Virgini magnitudo ista immensa communicabit, quod vel ipse cùm Deus sit non habeat, vel dando amittat, vt illud recipiendo possit maior fieri? Rudiùs hæc & planiùs in humanis videnda sunt, ne splendore suo diuina nos obruant. Si quis in Regem oculos intenderit, haud dubiè maiestatem aliquam emicantem ex vultu regio animaduertet, quæ aucta vestium splendore, comitantium nobilitate, colentium submissione, ad cultum & reuerentiam excitabit intuentem: non tamen ex illo aspectu combibet animo parem maiestatis eius opinionem, neque magnitudinem regiam imaginatione suâ adæquabit. Quidnam viro huic præterea est opus, vt Rex magnus fiat in mente illius? in Hispaniam proficiscatur, atque ibi tot Principes obsequio paratos, tot Duces seruientes, tot Nobiles famulantes cõspiciat: indè transferat se in Indias, vt oculis ipse suis vsurpet ligneа illa oppida magno elemento innatantia, quibus orbem nouum regno suo adiunxit Monarcha potentissimus: videat castra & propugnacula, lustret ingentia terrarum spatia vni famulantia, inspiciat vtriusque metalli pretiosioris mineralia, piscationes margaritarum adeat: inde, si lubet, in Belgium vela vertat, & quantis ibi sumptibus sexaginta pęnè annorum spatio bellum sustenter, & Martio illo in campo frangat omnium inimicorum suorum iras, quassato pænè orbe eò confluentium; vt, quem alibi sciunt inuulnerabilem, ibi aggrediantur, vt si quid successerit suam faciant victoriam, si (quod hactenus factum) repellantur, in eos, qui primi per rebellionem petierunt, redundet infamia: & vbi maiestatem in Hispania, imperij latitudinem diuitiasque in India, in Belgio prudentiam, fortitudinem, inuictamque eius potentiam rebus ipsis inscriptam viderit; tunc confiteatur magnitudinem illam (quam anteà ne imaginando quidem assequebatur) iam se ipsâ rerum magnitudine expressam vidisse, vnde aucta sit in animo suo maiestatis regiæ opinio. Iamne videmus quomodo magnitudine suâ, quam à Deo acceperat, Virgo Beata Deum ipsum magnificauerit? Quis enim maiorem creatione mundi agnouisset potentiam, nisi nouum creasset Dominus super terram, vt virgo circumdaret virum? Quis tantam exosculatus fuisset clementiam, nisi apparuisset *benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei* in carne, sumptâ ab eadem vigine? Quis agnouisset tantam sapientiam, nisi vidissemus illum, *in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi*, datum nobis ab eâdem iterùm virgine? Imò & neque potestatem,

Luca. 1.

Quomodo Virgo Deipara Deum magnificet, id est, magni faciat.

Ierem. 31.

tem, neque diuinitatem ipsam sic coleremus, nisi in virgine efformatus esset nobis, *qui est caput omnis principatus & potestatis, & in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter:* Virgo hæc est, in cùius purissimis viscеribus descripta fuerunt momento incarnationis tanta verbo vno diuinitatis magnalia, quanta vastissima cæli terræque volumina istâ rerum varietate & magnitudine septem dierum spatio non descripserant in mundi creatione: ipsa continet memorabilia illa opera, ad auorum intellectum ne cælestes quidem spiritus audeant aspirare; quorum nos tamen consideratione multa scitu necessaria & factu vtilia discere ac exsequi possumus, quæ ignorassemus sine libri huius disciplina. Pugnas tum virginis ipsius, quando serpentis ipsa caput contriuit, & Filij eius quando eundem illum debellauit, eodem libro comprehensas omitto, quorum nos exemplo non tantùm quid officij nostri sit, sed etiam quomodo illo fungi possimus, addiscimus. Alia prætereà infinita non commemoro, quæ historiæ rationem habeant, & nos mira diuinitatis atque salutis nostræ consilia doceant, vt citiùs statuamus quantum inter omnem omninò, quæ ex historiis percipi potest, & illam, quam Codex noster Marianus suppeditat, vtilitatem intersit: quod priusquàm facimus, videndum est vtrum malimus, humanæ prudentiæ incertas ratiocinationes, an diuinæ prouidentiæ infallibilia consilia cognoscere? vtrum maiore mentem perfusurum voluptate videatur, quæ ante nos à nostri similibus gesta sunt dubiâ fide relata euoluere, an in hoc diuinâ manu exarato volumine infallibiliter discere quę Deus supra mundi creationem ac supra omnes naturæ vires ita molitus est in Virgine, vt multis (sic enim loquendum est) respectibus eundem potentiæ suæ, quem dignitatis illius, posuerit terminum? Vtrum denique ad meliorem nos euehet dignitatem, gloriam, felicitatem, sagacitate quadam politica eorum indagere occultas machinationes, qui, vt omnia iis ex voto & ante votum succesisent, nihil aliud obtenturi fuerant, quàm proximum ruinę præcipitium; an verò iis Seruatoris nostri operibus, nusquàm accuratiùs ac viuaciùs quàm in Mariæ pectore descriptis, intendere, per quorum imitationem gloriam & felicitatem nobis comparabimus sempiternam?

Ad Colos. 2.

Vtiliùs legere historiam, quæ est Maria, quàm alias historias.

Quibus perpensis, dubium non est quid de libro Mariano censebimus, præcipuè cum altera librorum proprietas, propter quam eorum inuentionem maximè veneramur, magis etiam Virgini conueniat: Si enim in illis, tanquam in sacrosanctis quibusdam capsulis, conseruantur; quæ diuinâ mentis quadam sagacitate maiores nostri inuenerunt; quid dicemus de illa scientiarum omnium hierotheca, quam Deus statuit in terris suæ thronum maiestatis? Sed omitto alia omnia numero propemodum infinita, vt vni, quod infinitum sine blasphemiæ impietate nemo negauerit, possimus intendere. Dic, amabo, quemnam Aristoteli inter paganos, Salomoni inter Iudæos, Augustino inter Christianos ingenio aut doctrinâ parem existimas? quid tamen eorum iam generi humano prodesset sapientia nisi litterarum monumentis ea quæ ipsi inuenerant consignassent; conceptusque illos admirabiles, quos illi purissimo mentis partu edebant in lucem, obstetricante librorum manu sustulissent, vt viuerent & cognoscerentur ab infinitâ, post illos, hominum multitudine? Libris enim debemus, quod Philosophiam, totque humanæ ac diuinæ sapientiæ dogmata luminibus istis debeamus. Iam ad altiora mentem eleuemus. Fides nos docet ab ipso æternitas, si ita loqui fas sit, principio, in isto inconceptibili sine vlla temporis successione priore originis, quando Verbum (quod nunquam non exstitit) nondum genitum imaginatur nostra (quæ nihil sine temporis quadam similitudine concipere potest) imbecillitas, ipsum

Virgo est liber doctrinalis omnium præstantissimus.

Sanctissimæ Triados principium, quem Patrem appellamus, pulchertimos efformasse in mente illa diuina conceptus: quibus (Deus bone! quid? quid dicam?) quibus, inquam semetipsum, id est bonitatem, clementiam, benignitatem, iustitiam, sapientiam, fortitudinem, salutem, virtutes deniq; numero innumerabiles, easq; singulas magnitudine immensas, æuo æternas, omni ex parte infinitas concipiebat, concipiendoque Verbum æternum gignebat, sibi omnibus iisdem virtutibus par, & per omnia consubstantiale, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ Dei, cùm ipsum sit Patris sui sapientia. O diuinam (cætera enim nihil hîc significant epitheta) ô diuinam Dei sapientiam! O thesauros infinitos! suffecturos vt ex iis Deus de Deo gignendus desumatur. Scripta hæc erant tanta monumenta sapientię eo in libro, quem vix humanis vocabulis sine metu sacrilegij indigitare audemus calamus enim, & scriptor, & atramentũ & liber, quo vel exarabatur vel recipiebatur hęc sapientia, nihil erat aliud quã ipse Deus; liber vndiq; clausus & inuolutus; atramentum inuisibile; calamus & scriptor nimis doctus, quàm vt characteres istos nostra capiat mortalitas. Permanebat enim in ipso Deo omnis hæc sapientia, nec magis legi poterat à nobis quàm conceptus Aristotelis, Salomonis, vel Augustini, quos signis nullis aut litteris declararunt. Alio ergo opus erat volumine, alio libro, alio calamo, alio atramento, quo ad nostram vtilitatem Verbum illud describeretur, vt ista sapientia Patris nobiscũ cõmunicaretur. Liber autem iste Maria fuit: atramentum, purissimus eius sanguis: calamus, virtus Altissimi quę obumbrauit illi: huic inscripta fuit diuina ista sapientia, quando *Verbum caro factum est & habitauit in nobis*; factum est & formatum in Virgine, ita vt nihil in cælis Angeli intelligant in Patre, quod nos legere non poteramus in Maria; quando in illa scriptum erat verbum idem illud abbreuiatum, quod nullis continetur terminis.

Ioan. 1.

Tertium verò librorum vsum, quo ex iis catalogos conficimus in Virginem Mariam conuenire nemo est qui dubitat ex iis, qui spem habent nomina sua aliquando conscribenda in libro vitæ: vanam enim spem illam, & cauſſæ innixam arundini sciunt, nisi in magnę huius Matris familiam conscribantur. Quid dico familiam? Virgini inscribi debere; ipsam catalogum esse cõtendo. Nam si Apostolus quos in Christo genuerat, tam tenero cõplectebatur amore, vt cordi suo inscriptos illos affirmet ad Philipp. 1. *Eo quod habeam vos in corde*, & 2. ad Cor. 7. *In cordibus nostris estis ad commoriendum & conuiuendum*: quid dicendum de Virgine, cuius omnia viscera per eam, quæ nouem mensibus ibi requieuit, charitatem, transierunt in amoris instrumenta? Nullus cortex, nulla papyrus, nulla lana vel linum ita elaborari potest, vt tam facilè, tamque distinctè litterarum formas accipiat, quemadmodum viscera illa misericordiæ aptata sunt cælestibus illius artificis manibus, vt facillimè peccatorum ac miserorum nomina stylo diuini amoris inscribenda recipiat. Est ergo cor illud Virgineũ, quod de intellectu humano affirmat Aristoteles, tanquam tabula rasa, aptissima ad recipiendum quęcumque inscribi placuerit nomina, vt iis promoueatur ad benefaciendum his, quorum nomina illa fuerint: sunt viscera ipsius (proprio ob castitatem vocabulo) album quoddam, in quod nomen suum quisquis retulerit, certus erit toties ad sui fauorem excitandum Mariæ Filium, quoties catalogum illum, (quod ob tenerrimum suum in Matrem amorem facit sæpissimè) adspexerit. Est itaque catologus iste eorum, qui se per obsequia pietatis Virgini reddunt amabiles, quos illa non potest, quamdiu constanti pietate seruiunt, in suos non adsciscere. Sed illud hîc vehementer animaduertendum est, quod, vti in hunc catalogum referri felicitatis est propè inæstimabilis; ita deleri ex eo atque abiici ob culpam à Virgine, eius misericę censetur, quam deindè

Virgo Maria catalogus est, nomina suorum continens.

verendum

verendum est ne extremum consequatur exitium. Nam de sublimiore isto catalogo (qui litteris in cœlo exaratus est adamantinis, in quem indelebili charactere inscribuntur quicumque electi sunt, vt cælestis Ierusalem aliquem in locum adaptentur) quid commercij habeat cum Virgine, iam tempus est vt perideamus: ac Virginem non naturalibus tantùm libris comparemus, sed eam quatuor illorum à Deo conscriptorum voluminum esse vel substantiam præcipuam, vel partem sanè non exiguam demonstremus.

CAPVT IV.

Virgo Deipara est liber vitæ.

PRIMVS eorum librorum, quos Deum conscripsisse suprà dicebamus, & quorum appellationem Virgini conuenire hîc contendimus, est *Liber vitæ*, quem Sanctus Thomas & omnes ante & post eum Theologi ponunt in Deo, in quo scilicet charactere indelebili exarata sunt sigillatim omnium electorum nomina. In capite libri scriptus est Iesus Christus, Dei & Mariæ Filius, tamquam caput omnium; & post eum ex ordine cæteri, prout quisque meritis maioribus per passionem eius & mortem acquiret gloriam excellentiorem. Neque librum hunc ab intellectu diuino distinguunt: cognitioni namque proprium est scribere, pingere, & sculpere in intellectu quidquid ei offert contemplandum. Quemadmodum ergo nos, si quando rememorandæ rei alicuius tenemur desiderio, statim ad intellectum nos referimus, in eoque tamquam in libro quidquid olim inscriptum est relegimus: ita Deus, vt electorum suorum recenseat catalogum non alio habet opus libro, quàm ipso suo intellectu; est enim hic liber, sed clausus & signaculum hoc: *Cognouit Dominus qui sunt eius*, 2. ad Timo. 2. Vnde concludi potest, cùm cognitio, quam Deus habet suorum, eadem sit cum substantiali, notionali, & personali cognitione Dei; quod eadem sit productio ipsius verbi, in quo, & per quod Deus actu vno simplici cognoscit omnia: atque adeò Pater ab omni æternitate concipiens verbum, simul & semel cognoscit, atque diuino suo intellectui quodammodò inscribit omnes prædestinatos. En quò euolauerimus, vt inde ad proximo gradu à Deo distantem Virginem descendamus, in qua quidquid stupemus, licèt infinite distet, tamen propter excellentiam suam & intellectûs nostri imbecillitatem ad Deum quàm proximè videtur accedere. Certè in productione Filij sui ita non tantùm verba sunt eadem quibus vtimur, sed res quæ producitur; vt & fide duce & subtilissimâ Theologiâ opus sit comite, necubi cespitemus: quarum neutra, puto, prohibebit nos affirmare B. Mariam Virginem per quamdam titulorum communicationem esse librum vitæ; cùm ipsa conceperit Verbum, in quo prædestinati omnes continentur, & viuunt eâ vitâ quæ illis aliquando causa erit vitæ æternæ. Vide autem quanta sit in conceptione hac Filij Mariæ similitudo cum illâ quâ antè tempora sæcularia idem conceptus est à Patre. Pater ei dat esse & vitam diuinam, Mater ei confert esse & vitam humanam: Pater eum concipit & generat per verbum substantiale, Mater per verbum accidentale: Pater eum concipit inuisibilem in diuino suo intellectu, Mater visibilem in castissimo suo corpore. Intellectus paternus, quia concipit verbum, quod est Filius, in sacris paginis comparatur vtero materno: *Ex vtero ante luciferum genui te.* Psalm. 109. & vterus maternus, qui concipit Filium, qui est Verbum, comparari potest intellectui paterno. Hactenus optimè constat in productione similitudo, in producto identitas: quin ergo pe-

2. ad Tim. 2.

Liber vitæ est intellectus Dei.

Conceptionis Christi æternæ, & eius quæ in tempore facta est, comparatio.

Psalm. 109.

de intrepido pergimus, dicimuſque; quod, quemadmodum Pater ab æterno concipiens verbum, cum ipſo & per ipſum concipit omnes electos; ita Virgo, in tempore concipiens idem verbum, vnà eoſdem concipiat? quemadmodum Pàter conceptione æternâ primò dat eis vitam; ita Virgo conceptione hac temporali conferat eis vitam ſecundario? quemadmodum per conceptionem Patris ſunt ab omni æternitate in eius intellectu; ita per conceptionem Mariæ ſint in tempore viſceribus eius inſcripti? Et reliqua omnia pari procedunt paſsu. Quemadmodum enim in Patris intellectu Verbum increatum eſt Scriptura, idea, & cauſa inuiſibilis prædeſtinationis; ita in vtero Virginis verbum incarnatum eſt ſcriptura, idea, & cauſa viſibilis eiuſdem prędeſtinationis. Nemo gaudere poteſt priuilegio prædeſtinationis, qui non ſit cum verbo increato in intellectu paterno, qui primus eſt liber vitæ: eâdem ratione nemo gaudet eodem prędeſtinationis priuilegio, qui non ſit cum verbo incarnato in vtero Marię, quæ eſt ſecundus liber vitæ. Eſt ergo tam ſinus Matris, quàm Patris intellectus, liber vitæ; hic abſolutè & ſimpliciter, ille cum adiectione *liber vitæ agni*. Quod ſufficit tũ ad propoſitum, tum velmaximè ad conſolationẽ noſtram: vnde incrementa ſumet noſtra erga Virginem pietas, quando eam non ſolùm venerabimur tanquam Matrem Dei, ſed etiam amabimus veluti Matrem noſtram, vt potè quæ vitam noſtram vnà cum Filio ſuo producat. Sed de ſubliminibus hiſce licèt pauca, tamen ſatis: quòd liber iſte magis ſit tacito ſtupore colendus, quàm longo diſcurſu explicandus, & iam nos vocet liber ſenſibus noſtris magis à Deo accommodatus.

CAPVT V.

Secundus liber à Deo factus, eſt mundus. Oſtenditur Virginem mundum eſſe.

SI librorũ, vt Veteres illis vtebantur, formam atque ſiguram exteriorem adſpicias; in ea quandam reperies cum cœlo ſimilitudinem: vt non animo tantùm, ſed oculis etiam perſpicias mutuam eorum cum mũdo comparationem. Erat enim liber illis membrana extenſa, bacillo (quem è buxo vel ebore formabant) inuoluenda; illam orbium cæleſtium, alteram alteri quaſi circumdatam diuerſitatem circulis ſuis, quorum inferior à ſuperiore comprehenditur, repræſentans: axem verò mundi, immobilem, polo vtrimque ſuo conſpicuum, baculus binis fulgens vmbilicis referebat. In quam formam mentis aciem direxiſſe mihi videtur Iſaias, cùm apertam cæli membranam, ſicut pellem (vt Dauid loquitur) extenſam intuitus, ait: *Complicabuntur ſicut liber cæli.* Iſaiæ 34. & S. Ioannes in Apocalypſi: *Cælum receſſit ſicut liber inuolutus.* Apoc. 6. Quemadmodum enim conuolutum librum legere non poſſumus: ita indicat Scriptura poſt diem illum mortalibus omnibus nouiſſimum, vſum iſtum mundi non fore, quem illum cap. 1. nunc habere diximus; vt ſcilicet in eo potentiam, ſapientiam, immenſitatem, cæteraque omnia, quæ Deo attribuuntur, perſpicuis deſcripta creaturarum litteris intelligamus. Sed alium nos iam librum & cælum aliud inquirimus. Quàm enim habet cum libro affinitatem mundus vniuerſus, hanc ipſam cum mundo ſibi vendicat Regina cœli ac terræ Deipara. Libri diſtin-

Liber mundi & Mariæ inter ſe ſimilitudo.

distinguntur litteris, stellis cælum incenditur, pluribus Deipara micat cæli doribus. Cohærent aptâ quadam in libris connexione verba verbis, atque indè sententia conficitur; mundus à summo cælo vsq; ad imum terrarum centrum nullam habet partem à totius sui perfectione discrepantem; Maria verò habuit in tota vita mirificam virtutum societatem, quibus illam veluti ætatis telam præclarissimis figuris pertexuit. Contrariarum vocum sententiarumque harmonia sic libros perficit, vt nihil omninò affirmationi negatio, tropis proprietas, antitheterorum oppositio styli simplicitati officiat: In mundo firmissima ex perpetua elementorum discordia pax coaluit: Maria illa est, in quam magnificè consentiunt atque conspirant virtutum omnium concertationes, vt nihil pudori venustas, nihil grauitas demissioni, nihil comitas grauitati, nihil maiestati simplicitas, nihil constantiæ facilitas, nihil denique (quod alibi nusquam visum) matris nomen virginitati detraxerit. Denique, quemadmodum non immeritò stupemus subtilissimos mentis conceptus re tam humili, chartâ & atramento, tam clarè indicari; item abditissima rerum diuinarum mysteria rudi hac rerum machinâ edoceri; ita miraculorum omnium miraculum maximum est, Mariam eiusdem nobiscum mortalis, eiusdem carnis & imbecillitatis naturalis, ad eã eleuari sublimitatẽ, vt in eius virtutibus & donis supernaturalibus clariùs diuinitatẽ cognoscere possimus, quàm in omnibus quæ extrà se Deus molitus est in vnum coaceruatis operibus. Si igitur mundus liber est, Maria liber mundialis est: si mundus explicati voluminis formam habet, quòd mole suâ vastissimâ innumerabilia de Deo doceat mysteria; Maria in exiguam molem contractus mundus est. ea pandens arcana, quæ nemo, quantumcumque diligẽs rerum naturalium perscrutator, vmquàm leget in ista rerum immensa varietate. Licebit ergo, ei, cui honestissimum istud ad pietatem etiam est, rursùm per partes orbis discurrere: & cùm solem, lunam stellas contemplatus fuerit; earumque voces, quibus laudare nos docent Dominum, accuratè intellexerit; respicere ad illam, quæ consurgit *pulchra vt luna, electa vt sol*; atque ideò ipso sole amicitur, lunâ calceatur, stellis coronatur. Poterit, dum rorem pluuiam, nubes, fontes aquarum, maria, & omnia quæ vastissimo isto elemento perficiuntur considerauerit; redire ad rorem istum, qui siccâ Gedeonis areâ totum vellus compluerat, ad pluuiam istam auream, quam cœlestis ille iupiter non fabuloso Danaes sinui, sed fœcundo Virginis gremio insperserit; ad nubem illam, quæ volitat leuissimis suspiriorum nostrorum ventis agitata, vt vbique roret gratiæ stillicidia in tempore opportuno; ad istos fontes aquarum, quos Deus posuit in medio, paradisi, vt mundum irrigent vniuersum; ad congregationes illas gratiarum vastissimas, quas Dominus appellauit non maria, sed Mariam. Poterit eadem curiosæ mentis piâ sedulitate hortos visitare, campos peragrare, montes ascendere, valles inuisere, vt cernat vndique magna màgni orbis prodigia; omnia tamen iis, quæ generis eiusdem reperiet in Virgine, minora. Vis scire quid inter librum, quem nundum vocamus, & istum, qui Maria dicitur, interfit? Laborantem in vtroque vtriusque authorem videamus: profectò cui plus ille se impendit, melior sit altero necesse est, cùm nuspiam hic soleat, vel possit operam perdere. Aspice qualitatem illam (lucem intelligo) per quam sub aspectum cadunt omnia quæcumque videntur, quàm illa momento per orbem vniuersum diffunditur! quàm puros vbique spargit radios nullis sordibus inquinata; quàm solida secum aduehit gaudia quocumque ingredietur! quàm rebus omnibus non colorem tantùm addere, sed vitam affundere videtur, quas lumine suo percusserit. Quantis, putas stetit impensis Deo res tam admirabilis? vix ille

Mundus laudando fit à Deo, Maria seriò operando.

verbulum vnum integrè absoluerat, quâ in lucem prodire lucem ipsam iuberet & iam cœlum & terram viuificâ suâ qualitate peruaserat. Quàm magna, quàm grauis, quàm vasta est moles ista terrarum, & quibus fuit opus machinis, quantis vestibus, vt vel produceretur in lucem, vel eò loci, vbi medio in orbe librata suspenditur, promouueretur! scire vultis quam magnis? *Appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera.* Sed aquas & elementm illud terribile, cùm è potentiæ suæ visceribus effûdit, & mundum tam stupendum in modum circumfudit, vt semper fluctus illius sibi impendentes expaueſceret, toto, arbitror, conniſus est virium conatu. Nihil minùs. Vix digito toto ad illa machinanda fuit opus, quæ ne cogitatione quidem vastissima intelligentiæ nostræ capacitas assequitur. *Mensus enim pugillo est aquas.* Ergo cælorum machinam, citatissimas illas volutiones, tot nouis semper incluſos orbibus orbes, & tot abdita nec oculis nec menti nostræ penetranda dum moliretur, totã fottasse expendebat diuinitatẽ. Isaias ait: *Cælos palmo ponderauit*; & Dauid: *Quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum; & alibi: Opera manuum tuarum sunt cæli.* Ac si de omnibus hisce Deus pronuntiaret: *Lusit labor per ista noster.* Defatigatum & lassatum me putas, quando certâ lege & gyro vallabam abyssos, quando æthera firmabam sursum & librabam fontes aquarum, quando circumdabam mari terminum suum, & appendebam fundamenta terræ? ludus erat, & delectabar per septem dies, *ludens in orbe terrarum*, & quasi ex tempore istum mundi librum componebam, quem si diligenter euolueret genus humanum, id assequeretur, vt me non prorsùs ignoraret. At in altero illo, quem perfectionum mearum omnium compendium esse volui, elaborando, profectò non digito tantùm aut manu, sed brachio toto; non septem diebus, sed quinquaginta pænè annorum sæculis; non extemporaneo lusu, sed secundis & tertiis curis opus fuit, quibus ita perficeretur, vt in multis capitibus nihil potentia mea aut industria inueniret sublimius. Virgo ipsa, laudum suarum parcissima, non ignorabat quanti Authori suo stetisset, dum ei humillimè gratias agens, canit: *Fecit potentiam in brachio suo.* Non tanti figulos faciebat sapiens Ecclesiasticus, vt tantâ curâ operantes illos describeret, *qui proposuerat in animo suo quærere & inuestigare sapienter de omnibus quæ fiunt sub cælo*; nisi animum intendisset in figulum illum Deum, qui iam tot annorum millibus hanc *versabat rotam in sollicitudine positus semper propter opus suum*: ideò enim tot voluebat annos & tempora, tot Reges ascendere faciebat solium gloriæ, & tot iubebat descendere, exaltans humiles, & superbos deponens de sede; toties vertere cogebat solum populum sibi dilectum, tot generationes perpetuâ continuabat serie, in sollicitudine positus semper proprer illud opus suum, cùi perficiendo omnia isthæc faciebat: adeò *vt in numero esset omnis operatio ipsius*, recenseretque accuratâ calculatione quot circulos ingens illa cœlorum rota voluere, quoties aquam & lutum nouis generationibus ipse apponere, quot denique linitionibus opus perficere debebat, vt tandem exiret vas illud admirabile, cui perficiendo omnis ista desudabat industria. Vide autem laborem & sudorem. *In brachio suo formabit lutum, & ante pedes suos curuabit virtutem suam; cor suum dabit vt consummet linitionem, & vigilia sua mundabit fornacem.* Totus impẽditur, nullâ sui parte vacat, *exercet potentiam in brachio* (sic enim Vatablus legit illud, *Fecit potentiam in brachio suo*) pedibus laborat, manibus linit, toto corpore incuruatur, vigilant intenta operi lumina, caput sollicitudine torquetur, cor totum traditur in operis consummationem: quod tandem aliquando prodiit eâ consummatum perfectione, vt nullâ ratione laboris sui pœniteat artificem, sed

Isaiæ. 40.

Ibid.

Prou. 8.

Luc. 1.

Deus Virginem formans, figulo comparatur.

Eccles. 38.

stupore

stupore defixus hæreat, admirans, vt ita loquamur, quod tantum ipse potuerit, tantaque afficiatur in ipsa operis sui contemplatione dulcedine, vt frustrà caueat, ne sui obliuiscatur, clamans: *Cant.* *Auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt* (Iam enim adeò suæ dignitatis fuerat immemor, vt carnem humanam assumere de puriſſimis illius sanguinibus decreuisset, quam tot ipse dotibus nobilitauerat) aut, vt more nostro loquentem introducemus Deum, si Pagnini versio placeat, *quia ipsi me superbire fecerunt.* O perfectionem operis numquam sensibus nostris comprehendendam, quandoquidem conscius sibi Deus quàm non subitò, sed multis annorum centuriis id elaborarit, quàm variis id figuris veluti experimenti causâ adumbrarit; iam perfectum dum videt, timere videtur ne nimiùm sibi in eo placeat, & gloriâ quadam efferatur, quæ minùs suam deceat maiestatem! Item fabro ferrario. Mirum est quod de Galeaceo de Rubeis, ferrario fabro, narrat Cardanus de subt. lib. de princ. rerum, qui iam olim inuentam cochleam Archimedis, cùm rursùs ipse suo marte inuenisset, seque primum eius authorem putaret, præ lætitiâ mente motus est: *Vidimus illum*, inquit, *versantem trusatilem machinam, ac paulò post mente excussum.* Sed quid de illo figulo nostro videtur, qui timet quodammodò ne idem sibi contingat contemplanti vas illud admirabile, quod molitus tot sæculorum spatio, ac proindè inclamet: *Auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt?* Non pigeat aliis atque aliis exemplis menti proponere hanc perfectionem, cui poliendę tanto temporis spatio Deus incubuit. numquam enim tot similitudinibus nos animum informabimus, vt eam possimus iam factam dignâ aliquâ cogitatione adumbrare, quot Deus figuris adhuc faciendæ præluſit, vt ne aberraret à formâ ista & idea, quam omni cogitatione maiorem sibi ab æterno proposuerat. Dic ergo, si pictorem, quem tu cum orbe vniuerso existimares suæ in arte principem, videres multorum annorum spatio in vnam aliquam tabulam perficiendam collineantem, qui huic reponendæ antequam fiat, superbum palatium exstrueret, inde se per varias artis occupationes præpararet, iam hominem, iam leonem, iam arborem, iam alias partes, vnde præcipuum illud opus componetur, singulis tabulis elaborando, vt penicillum exercitatum ad singula adferat quando isti picturæ erit incumbendum, cui omnis hic labor & sumptus impenditur: quid de isto opere censeres, quod tot præluſionibus, antequam fiat, perficitur, dum, ne vspiam opus sit spongiâ, in aliis emendatur quod in hoc errari potuisset? quid, inquam, censeres? an non videretur illud artifex velle ponere monumentum suæ in pictoria arte perfectionis? At quid sibi voluit pictor ille, qui artificioſissimo verbi sui penicillo in principio cælum & terram delineauit, ijs addens ex artis præceptis vmbram & lucem, quo clariùs enitescerent? Et cælo quidem illustrando vas istud admirabile, quod tantâ cæteram picturam luce perfunderet, vt multi id pro ipso Authore adorarent? maximè cùm viderent vel Lunam (quæ non nisi vicariam illi præstabat operam) tam viuacibus vmbras & noctem ipsam flammis accendere, vt cæcis illis videretur Soli famulas ad tabulam perficiendam locasse operas. Quando tot cælo gemmas disseminabat; quando istum simplicium corporum de nihilo educebat quadrigam, vnde corruptibilium deinde creaturarum desumeret materiam; quando reconditissima terræ viscera tot fœcundabat metalli generibus; quando viliſſimam littorum arenam tot illustrabat gemmarum stellulis; quando tam variè ludebat in plantis, vt alias otiosæ luminum delectationi, alias sagaci narium voluptati, alias multiplici linguę oblectationi conderet, alias in escam, Item pictori excellentissimo.

alias

alias in medicinam prępararet, quaſdam ſalutiferis, quaſdam noxiis facultatibus imbueret: quando auibus æthera, piſcibus maria, terram pecudibus & feris replebat: quando hominem cæli terræque contemplatorem condebat, & antè hominem tot cæleſtium Spirituum agmina tantâ mentis ſagacitate, vi, & pulchritudine prædita: quid tandem ſibi voluit, aut quorſum tot rerum corruptibilium & incorruptibilium, ſpiritualium & corporeatum, ratione prædıtarum & eiuſdem expertium, animatarum & animâ carentium molimina? Verbo reſpondet Sanctus Bernardus: *Ob Mariam, & propter Mariam omnis ſcriptura facta eſt; propter hanc totus mundus factus eſt.* Ipſa enim eſt, quæ dicit: *Quando præparabat cælos, aderam.* Adeſt nimirùm finis intellectui, quando manus occupantur in mediorum executione. Mariæ iſta machina parabatur, Mariæ in creaturarum varietate præludebatur. Non alteri hoc credamus, cùm authorem tantæ rei apud Ieremiam 33. cap. loquentem audire poſſimus: *Niſi pactum meum eſſet, diem ac noctem, leges cælo & terræ non poſuiſſem*; ſic enim ex Hebraico legit Galatinus ea quæ nos habemus: *Si irritum poteſt fieri pactum meum cum die, & pactum meum cum nocte, vt non ſit dies, & nox in tempore ſuo*; Hebraicè autem exprimit voce *Berith*, quæ *Ieſum & mariam* ſignificat. Sunt ergo qui ſic locum iſtum interpretantur: *Niſi amore mei Ieſu & Mariæ, diem & noctem, leges cælo & terræ non poſuiſſem*; neque tantum palatium, quantum cælum & terra eſt, præparaſſem, niſi vt tabulas illas inſignes, Ieſum & Mariam, in eo reponerem: neque tam variè vmbram luci, diem nocti miſcendo tot Creaturis depixiſſem, niſi Ieſum & Mariam habuiſſem in animo, quibus per tot quaſi exercitationes præludebam. Vbi autem ſeſe accinxit operi, tam feliciter conatui reſpondit euentus, vt pænè, quod Zeuxi pictori famoſiſſimo contingit, ſibi Deus timere videatur: ille enim cùm omnem artis ſuæ induſtriam vetulæ depingendæ inſumpſiſſet, vt erat feſtiuo vir ingenio, tam illam ridiculè & tantâ artis præſtantiâ abſoluit; vt eam iam factam curioſiùs intuitus, tum gaudio quòd ſtudium ars non fefellerat, tum vultûs quem expreſſerat lepore, tantum in riſum ſolutus eſt, vt amore tabulæ, quam ipſe coloribus ſuis pœnè animauerat, animum & vitam amitteret. Multùm enim verba illa, quę ſuprà attulimus, cùm ea more noſtro loquendi interpretamur, ſignificant: *Auerte oculos tuos; ipſi enim me auolare, vel ſuperbire fecerunt.* Non quod Deo affectuum noſtrorum vllum poſſit eſſe periculum; ſed ſi quod eſſe poſſet, tantum ſibi hac Virginis abſolutâ imagine complaceret, vt eadem illi, quę maximis artificibus ex operis ſucceſſu contigerunt, timenda fuiſſent.

Omnia propter Mariam ſunt facta. *Prou. 8.*

Ierem. 33.

CAPVT VI.

Maria Scriptura eſt & idea vitæ Chriſti.

TERTIVS eorum librorum, quos Deus mortalibus conſcripſit, eſt *Scriptura ſacra*, quam *Biblia* per antonomaſiam vocamus, quòd omnia humanæ ſcientiæ volumina, licet exquiſitiſſima, vix prima rudimenta ſint huius diuinæ, quæ iis in libris loquitur ſapientiæ. Quod in vtriſque verſatiſſimus Pater noſter S. Auguſtinus pulcherrimis confirmat ſententiis: lib. 2. de Doct. Chriſt. *Quanti autem minor eſt auri, argenti, veſtiſq; copia, quam de Aegypto ſecum ille populus abſtulit, in comparatione diuitiarum, quas poſteà Hieroſolymæ conſecutus eſt, qua maximè in Salomone Rege oſtenduntur: tanti ſit cuncta ſcientia, quæ quidem eſt vtilis, collecta de libris gentium, ſi diuinarum Scripturarum ſcientiæ comparetur. Nam quicquid homo extrà dediderit, ſi noxium eſt,*

Scripturæ ſacræ laus.

S. Avgvst.

est, ibi damnatur; si vtile est, ibi inuenitur: & cum ibi quisque inuenerit omnia quæ vtiliter alibi didicit; multo abundantiùs ibi inueniet ea quæ nusquam omninò alibi, sed in illarum tantummodò scripturarum mirabili altitudine, & mirabili humilitate discuntur. Adiungam

S. Cypri. & D. Cyprianum, qui eâdem, quâ Tertullianus suprâ, spectaculorum comparatione Christianos ad Scripturæ lectionem adhortatur: *Scripturis sacris incumbat Christianus fidelis, ibi inueniet condigna fidei spectacula: videbit instituentem Deum mundum suum, & cum cæteris animalibus hominis illam admirabilem fabricam, melioremq́, facientem: spectabit mundum in delictis suis, iusta naufragia, piorum præmia, impiorumq́ supplicia, maria populo siccata, & de petra rursùs populo maria porrecta: spectabit de cælo descendentes messes, non ex areis: inspiciet flumina, transitus siccos refrænatis aquarum agminibus inhibentia: videbit in quibusdam fidem cum igne luctantem, religione superatas feras & in mansuetudinem conuersas; intuebitur & animas ab ipsa morte reuocatas &c.* Et tandem exclamat: *Quàm hoc decorum spectaculum, fratres, quàm iucundum, quàm necessarium!* Numquam finis esset dicendi, si de Scripturæ excellentia & authoritate dicere vellem. Quæ Scripturarum encomia non difficile esset B. Mariæ Virgini applicare. In illius enim vita quidquid noxium est damnatur, quandoquidem ne vmbram quidem vllius labeculæ in ea sit reperire; & cùm ibi quisque inuenerit omnia quæ in tot sanctorum rebus gestis vtiliter didicit; multò abundantiùs inueniet in Maria; quæ nusquam omninò alibi, sed in illa dũtaxat Virginis mirabili altitudine, & mirabiliore humilitate discuntur. Quæ autem spectacula paria exhibebit omnis Scripturarum apparatus iis, quæ in Maria Virgine Spiritus sanctus spectanda proposuit? vbi si certamina delectent, videbis mulierẽ cum dracone fortissimè depugnantẽ, inimicitiasque perpetuas exercentẽ eâ felicitate, vt illęsa ipsa & intacta vires eius frãgat, tela repellat, pedibus suis subiiciat, ac tandem caput eius ita cõminuat, vt vix possit tantillum ferali caudę motu hominibus minitari. Si rebus nouis & inauditis quis ducitur; quid ita nouum, ac virginem fieri matrem corporis, inuiolata integritate? quid ita nouum, ac matrem genitorẽ suum parere? quid ita nouum, ac feminam Deum concipere, Spiritu sancto obumbrante? Si nihil admiraris, nisi quod ex repugnantibus quodammodò rebus compositum, apparente quâdam impossibilitate, sui conciat venerationem; quis nobis œdipus hoscè nodos expediet, vt virguncula virum concipiat, pareat infantulum? vt immensus vteri claudatur angustiis, & tamen cælos & terram impleat? vt Deus sese exinaniat, & nihil de infinitate deperdat? Finis nullus dicendi, si vel enarrare velimus ea quæ in Virgine spectanda admirabilis editor Deus proposuit. Huc enim ipse spectasse videtur, vt maiora hîc ostenderet, quàm scripturis omnibus per tot figuras promiserat. Quid moror? cùm istud compendio affirmari possit, Mariam scripturarum omnium finem esse atque compendium, omniaque illa quæ sacris illis voluminibus continentur, vel ideò scripta esse, vt Virginem illam, partumque eius venturum adumbrarent; vel certè vt eadem, postquàm venerunt, hominibus annuntiarent. Quæ res ita clara est iis, qui vel tantillum in fidei nostræ mysteriis sunt versati, vt facem sit ad meridianum solem inferre, illud rationibus velle comprobare. Et S. Bernardus clarè dicit: *Ob Mariam, & propter Mariam omnis scriptura facta est.* Sed vt breuissimè vno sacras illas paginas oculo percurramus: quid, quęso, proponit Genesis? nónne Dei potentiã in mundi creatione? Exodus? numquid clementiã in admirabili populi per rubri maris vndas, post tot admirabilia signa, liberatione? Nónne cultum religionis per tot oblatio-

B. Maria Virgo eadem suppeditat quæ Scriptura.

nes & sacrificia, Leuiticus? Patientiam, liber Numerorum? Fortitudinem, Iosue? Prouidentiam, libri Regum? Longanimitatem & misericordiam, liber Iudicum? Sapientiam & consilium, libri Salomonis? Ardentem Dei amorem, liber Canticorum? Apostolicam perfectionem, libri Euangelistarum? Abdita mysteria, sacraque arcana, Apocalypsis S. Ioannis? Quæ omnia coniuncta esse in Virgine, atque in vno hoc Mariano libro exarata qui ignorat; neque Mariæ dignitatem nouit, neque pietatem illius, qui nihil eorum quæ vnquam creaturis communicasset, Matri deesse voluit. Sed nihil in scriptura subtilissimum illud, quod vmquam Ecclesia habuit, ingenium (Augustinum dico) admirabatur magis, quàm tantam cum profunditate simplicitatem: vt omnibus sit accessibilis, licèt paucis penetrabilis; vt doctis simul indoctisque loquatur ad cor, ab his intelligibilis, & illis ob rerum subtilitatem semper magis & magis venerabilis. Quibus verbis non tam scripturæ, quàm Mariæ ingenium expressisse videtur: quibus nihil addendum puto, vt B. Mariæ Virgini applicentur. Exclamare tantùm libet. O mira doctrinæ, quæ in Maria reperitur, profunditas, cuius ante nos superficies est blandiens paruulis! *Sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas! horror est intendere in eam* horrore honoris, & tremor amoris.

B. Maria Virgo est idea Christi.

Sed præceptis ideam adiecit Magister noster sapientissimus, vt in Verbo incarnato clarè videremus omnia, quæ vel longis verborum ambagibus in scriptura docerentur, vel rerum expressa figuris in orbe proponerentur. Quo in genere si non aliud diceremus, quàm necessariò existere magnam Filium inter Matremque similitudinem; num probatum videretur, quarum virtutum idea Christus fuerit, earumdem exemplar nobis Mariam exstitisse? Sed addendum videtur istud S. Lucæ testimonium: *Maria autem conseruabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.* Ac si diceret: Eandem illam, quam Filius exhibebat, imaginem, ipsa in animo suo depingebat; easdem virtutes cordi suo insculpebat. Adeò vt nobis ad doctrinam perinde sit, vtrum inspiciamus librum, an illum quem Christi humanitati inscriptum superiùs diximus, an verò eundem prout illum Virgo solertissima cordi suo inscripsit. Et nescio, an non, quemadmodum multa per vitrum succina pellucent iucundiùs, ita magis delectet vita Christi per cor Mariæ relucens? Et sicut plus habet caloris solis radius speculo aut æneâ pelui exceptus; ita vehementiùs afficiat animos nostros exempla virtutis Christi, quæ per Mariam traduntur. Si enim Apostolus tam viuacibus perfectæ imitationis coloribus exemplar illud, quod omnibus in monte Caluariæ monstratum fuerat, expressum gerebat in corde, vt affirmare auderet non iam se, sed in se Christum viuere: quis mirabitur, si dicamus, quemadmodum quicquid in orbe factum est, in verbo diuino vita erat, propter perfectissimam rerum, qua penes Deum erat, ideam; ita Christum in Virgine vitam fuisse, propter ideam illam, quæ in corde eius & anima sic respondebat, vt non alio spiritu vegetaretur, non aliâ vitâ animaretur quàm hac Filij sui imitatione? Erat itaque, si Christus liber fuerit, Maria libri eiusdem accuratissimè descriptum exemplar: in quo nos eadem prorsùs virtutum omnium exempla legeremus, quæ in Christo expressa fuerunt.

CAP.

CAPVT VII.

Diuam Virginem esse nouum librum, seu tabulas nouas, inducto veteri debitorum nostrorum chirographo.

ADHVC vibrant in auribus verba illa Isaiæ, *sume tibi librum:* nec facilè, cùm liber hic fuerit tam boni nuntij euangelium, eius memoria deponenda: nunquam enim illum manibus voluo, quin vel libri titulus nouos semper & reconditos sensus animo suppeditet. Hoc enim quod nos *librum*, Chaldæus *legit tabulam*: cui si iungas Interpretum septuaginta additionem, *nouam*; iam Latinâ voce, *tabulas nouas*, habebimus; quas hic Deus faciendas prædixit, & postmodùm factas Apostolus indicat, quando 2. ad Colossenses clarè dicit veteris fuisse inductas: *Delens quod aduersùs nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis; & ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* Deleturus ergo Deus tabulas illas veteres, in quas tot debita & delicta nostra conscripserat, hodierno die ex charta mundissima nouas incipit conficere: in quibus non fragilitatis nostræ delicta, sed bonitatis suæ numera est consignaturus. Iam enim apparet Deminus, & in manibus eius ignea lex; id est, in manibus eius liber, qui legem contineat, non grauem Saxeo minarũ pondere, sed vndique charitatis igne rutilam: magisque, quęnam ille nobis collaturus sit beneficia, quàm obsequia quæ nos illi præstare debeamus, recolentem. Illum iustitia conscripserat librum, hunc misericordia exarauit: illũ iustitia docebat, promulgabat iustitia iustitia executioni mãdandum curabat. Aderat illa seuera legum suarum exactrix, & actionis omnibus nostris intererat: continuo, sicubi vellatum vnguem à præscripto eius deflexum fuerat, vindicem stringens gladium: *Ignem alienum ne inferas &c.* Leuiș.10. Intulerunt duo summi Sacerdotis filij: morte multentur. Arcam fœderis nemo, qui sacerdotali dignitate non excelluerit, attingere audeat. Attigit Oza sceleratâ non tam mente, quàm manu: pietas enim suadebat labantem fulcire, non placet tam audax pietas, quæ parùm religiosè præcepta negligit, vt sibi obsequatur, & ille moriatur, & quidem in conspectu totius populi, vt sit idem qui audacis nimiùm pietatis fuerat exemplum, seueræ punitio documentum. Longum foret vel paginam vnam perlegere libri istius, quem stylo ferreo contra genus nostrum iustitia scripserat in silice, erat enim totum illud chirographum contrarium nobis. Chirographum dico, non quod scriptum totum à nobis; sed quod manu nostrâ per peccata subscriptum: pœnas enim iustitia ipsa scripserat & intentabat; nos eas acceptaueramus peccando, rei facti vniuersæ legis. Miseros nos! Quid faceremus? Regnabat in terris iustitia, quæ debiti vltimum exigebat quadrantem: negare debitum nõ licebat, chirographo tenebamur: soluendo autem non erat omnis in vnum conflata substantia humani generis, nec precibus locus relinquebatur, tum quod iis non flectatur iustitia, tum quod, licèt flecteretur, ridiculum erat dicere: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.* Vbi enim inueniremus omnia, qui nihil habebamus? Actum erat ergo de genere nostro, nihil restabat nisi carcer & tenebræ exteriores. Quis hic nostri miserebitur? Quænam ex tot diuis iustitiæ sororibus furori eius sese obiiciet, & hominem æterno carceri atque in eo acerbis suppliciis destinatum, manibus eius eripiet? O sancta, quæ cęlum incolis, prouidentia; nullumnè tanto malo remedium præordinasti? ô æternitas, ô immensitas, ô potentia infinita, itanè

Seueritas iustitiæ diuinæ tempore legis antiquæ.

miserum Adam cum omni stirpe abripi finitis ad supplicia sempiterna? O misericordia nam in te omnium video ora atque oculos conuersos, nihilnè habes quod huic iustitię rigori opponas? Canit Dauid: *Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax oscula tæ sunt.* Constat comitem iustitiæ indiuiduam esse veritatem, misericordiæ verò adhærere pacẽ. Quid ergo mysterij, quod alternis hæ Diuæ innectantur amplexibus, nec misericordia iustitiæ, veritas occurrat paci? Chirographo, quod antè dicebamus, chirographo miseri tenebamur, & testimonium contra nos dicebat ipsa veritas: quod cùm inficiari non posset misericordia, frustrà se acturam iudicabat cum iustitia, nisi priùs expugnasset veritatẽ: ergo *misericordia & veritas obuiarũt sibi.* Mirabilis partium aduersarum occursus! Quid arbitramini hic aget misericordia? infestis armis vim faciet veritati, negabitque quicquam iustitiæ nos debere, vt, veritate conculcatâ, iustitiæ nos manibus violenter eripiat? At vis omnis aliena à placidissimæ diuinitatis moribus, & murus æneus nullis armis penetrabilis est veritas. Quid ergo? dolo decertabit, atque vt iustitiæ præuaricetur, cautè donis & promissis in partes suas pertrahet veritatem? Sed faciliùs contraria omnia conciliaueris, quàm consciam fraudis & proditionis effeceris Diuarum omniũ simplicissimam. Quid ergo consilij restat misericordiæ, ne occasionẽ perdat tam felicis occursus? An non videtur pro more suo blandissimè hunc ferè in modum veritatem allocuta: Non me latet, soror amantissima, quam seueris homines legibus hactenus iustitia coërcuerit, rigidas à peccatis eorum pœnas expetens, & grauiora in dies singulos grauiùs peccantibus præparans supplicia: & scio quantum ad seueritatem illam per te incitetur, quæ cùm perpetuò in manibus gestes chirographum, quo incauti illi nimis se magnis debitis obstrinxerunt, non potest illa perpetuo eius aspectu non vehementissimè ad vindictam inflammari; semperque de perdendis illis cogitationes alere, quorum sibi videt perpetuò scelera ob oculos versari. Quâ ex re ego non mediocrem subindè contraxi dolorem, verita ne semel internecione deleat, quibus tamdiu minatur. Scio autem te non partium studio, sed quadam naturæ tuæ necessitate adhærere iustitiæ, quæ non possis quod verum est non loqui. Quare tibi consilium meum aperire non reformidabo; vt si illud probaueris, habeam te pacis, quam cum iustitiâ inire meditor, conciliatricem: Vt igitur debitis soluam, quibus iam tenentur miseri mortales, chirographum illud priùs (quod suâ illi manu temerè nimis subsignarunt) obducere, & nouum hunc (natam recenter virginem Mariam ostendebat) librum intus & foris cogitationibus pacis conscribere in animo habeo. Quod te rogo est, vt exhibeas eâdem simplicitatis fidelitate librum, quem ego scripsero, iustitiæ; quâ hominum scelera, ad postulandam hactenus vindictam, semper exhibuisti. Nihil quod sibi aduersaretur petere misericordiam facilè animaduertit sagaciissima veritas; aliud enim esse reos facere innocentes & debitis soluere obæratos; aliud eos, qui crimine vel ære teneantur alieno, negare obnoxios, non ignorabat. Quod poterat ergo sine incommodo suo, totum sorori concessit. Scriberet illa in pergameno illo mundissimo quas cogitauerat cogitationes pacis, se non grauatè iustitiæ exhibituram quod scripsisset. Dictum factum. Scripsit hæc illa exhibuit; & continuò *Iustitia & Pax oscula tæ sunt. Veritas* enim *de terra orta est.* Scis quænam veritas? noua illa, quæ scripta est in libro hoc nouo. non teneri scilicet amplius illis humanum genus debitis pro quibus tam seueras iustitia pœnas exigebat: deletum esse atque sublatum de medio chirographum, quod erat contrarium illis: ex Mariâ ortum, qui pro eo satisfecerit. & statim, *Iustitia de cælo prospexit.* Mirum

Misericordiæ & veritatis obuiatio.

Psalm. 84.

Misericordiæ ad veritatem oratio.

Psalm. 84.

Veritatis vis.

Ve-

Veritatis omnem in partem momentum! Video enim veluti in bilance suâ libratam hinc iustitiam, indè misericordiam. Pondus suum iustitiæ addebat veritas, & ecce *misericordia vsque ad nubes*: iustitia verò cum lance sua in terram propensa illîc dominabatur, donec *misericordia & veritas obuiauerunt sibi*; & misericordia de terra nostra ortam veritatem (quam descripsimus) lanci suæ imposuit, cùm subitò ecce *iustitia de cælo prospexit*: tanto præponderantis misericordiæ onere eleuata est, vt vix de summo cælo terras illa prospiciat; misericordia verò hîc latè regnet, & summo nostro bono suauissima iura exerceat; librum illum suum, verissimum clementiæ ac benignitatis instrumentum, B. Virginem, totum intus & foris conscribat; quem deinde in dextera Dei asseruandum collocet. Nam cùm in manibus eius ignea hæc charitatis sit lex, & sinistram diuitiæ occuparunt & gloria, iuxtà illud, *Et in sinistra eius diuitiæ & gloria*; sequitur librum hunc dexterâ gestari, veluti diuitiis eius cunctis & gloriâ præstantiorem.

CAPVT VIII.

Varij ex Scriptura discursus & similitudines, quibus Virginis Deiparæ natiuitas illustratur.

MANDABAT Prophetę, Ezechielis 3. Dominus: *Fili hominis, comede volumen istud, & vadens loquere ad filios Israel.* erant autem scriptæ in eo *lamentationes, & carmen, & væ*, idque intus & foris. comedit ille, & mirum! licet tantæ esset amaritudinis, fatetur factũ in ore suo sicut mel dulce. Oblatus est initio Euãgelij liber alius quem iam per diuersa fercula comedendum proposuimus: si non fuerit melle dulcior sapor illius; non cibi, sed palati nostri vitium est; non enim lamentationibus, sed exultatione vniuersæ terræ; non lessu aut næniâ, aut tristi aliquo carmine, sed genethliaco plausu & lætiâ; non residentis ad tumulum fatalis bubonis cuiuspiam voce *væ væ* omninosè stridet, sed auspicatissimo Angelorum cuhas versantium cantu resonat. Totus enim de ea, & ex ea factus est liber, cuius non habet amaritudinem conseruatio, nec victus tædium, sed lætitiam & gaudium. Verùm, ne instar immundorum animalium, cibi semel in ventrem dimissi immemores, parùm ex eo ad spiritus sustentationem fructuum percipiamus; oportet quod cum gratiarum actione sumpsimus, accuratâ meditatione ruminare, vt adhæreat suauissima illa substantia visceribus nostris, & succus eius omnis transeat in substantiam aliti. Quem ergo librum cum totius vniuersi mole contulimus, eius nunc primam de Natiuitate paginam, ad maiorem gustûs suauitatem, in varia quasi fercula dissecabimus, eandem cum variis mundi partibus componentes, vt eadem Natiuitas tot condîta similitudinibus variè mentis palatum afficiat. Neque nostrâ hîc opus arte, cùm tot Scriptura ipsa Festum hoc comparationibus explicet, vt nusquàm copiosiùs lusisse, aut suauiùs luxuriasse videatur.

Natiuitas B. Mariæ cum Aurora comparata. *Cant. 6.*

Quàm purpureis enim renidet floseulis ista Angelorum in hac natiuitate admiratio: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens* Quis non somnum excutit, tristitiam pellit, pectus gaudio quodam cælitùs infuso diducit, quando post atram tristissimæ noctis caliginem aurea illa hora nouo lumine mundum exhilarat, tenebras discutit, rorem spargit, mox Solem, cuius vicino lumine tota rubescit, mundo paritura? Vide quàm ad primum eius aspectum fures & latrones diffugiant, vlulæ, verspertiliones, omnesque obscœnæ volucres dispareant, ægri

reficiantur captiui recreentur, miseriæ deniq́ue omnes tolerabiliores reddantur mortalibus. Talis, inquit Rupertus, mundo in natiuitate exoritur Maria. Verba eius sunt: *Quando natas, es ô Virgo beata, tunc vera nobis Aurora surrexit: Aurora prænuncia diei sempiterni. Quia sicut Aurora quotidiana finis est præteritæ noctis, & initiũ diei sequentis: sic natiuitas tua ex semine Abrahæ, clara ex stirpe Dauid, finis dolorum, & consolationis fuit initium; finis tristitiæ, & letitiæ nobis exstitit principium.* Omnia congruunt. Feretrum illa noctis est, & diei cunæ: condit enim nox illa Oriente astrorum suorum oculos, mox flammeo solis rogo cremanda; & dies necdum adulta, cum nebulis & fugiente noctis caligine, tanquàm cum fasciis infans, luctatur. Longa nox mundum tot sæculis inuoluerat, sed ista cunis iisdem sepelitur, quibus aurora hæc nata imponitur. Patriarcharum Prophetarumq́; suorũ condit lumina, omnia luce maiore obscuranda: aditur intereà, crescit, & adolescit Aurora, rorem mundo pariens, solem parturiens; roseis enim illis suis digitis Maria gratiam distillat, & mox iustitiæ solem partu felicissimo est editura. Infirmi tot decumbebant vndiq́ue, vt nonnisi nosocomium esset mundus vniuersus; & magnis omnes periculosisq́ue laborabant ægritudinibus: vel potiùs, ex quo primi parentes tanto genus suum sauciauerant vulnere, decumbebat in magno hoc mundi lecto ægrota humanitas; &, quòd omnis ignara esset remedij, nouis quotidie morbus augebatur incrementis; quodq́ue erat in malis istis tædiosissimum, tam densa & atra nox mundo incumbebat, vt nusquàm appareret lucis melioris radius. Quoties interrogabat æger ille, longâ diei exspectatione defatigatus: *Custos, quid de nocte? Custos, quid de nocte?* Hoc vnum in morbo isto erat solatium, quod, Iobo teste 7. benignissimus ille rerum omnium Conditor se ceaturæ suæ cum extremi morbi doloribus conflictanti custodem addixerat, qui illam subindè spe aliquando venturæ lucis sustentaret quem illa tantæ moræ impatiens, ægrè ad auram captandam sublatam caput lento motu circumgyrans, interrogabat: *Custos, quid de nocte?* Dic, quæso, ô Custos hominum, quousque tandem sub tædio tam obscuræ noctis laborabimus? iamne finis adest, an medium nondum attigimus, vel an fortè adhuc initia premimus? Voluuntur anni & tempora, dies diem trudit, annus annum excipit, & iam tot sæcula in præcedentium perniciem exorta à sequentibus interiere, mutantur in cœlo & terris omnia, sed noctis huius caliginosæ nulla nisi in peiùs mutatio: venturum quidem aliquando diem audiuimus sed an noctis longum adhuc restet curriculum, non additur. Video qnidem sæculis singulis Prophetas & Patriarchas transeuntes, veluti tot horarum quę elapsę sunt indices: vnde quantum præterierit temporis satis computo, sed de fine nihil intelligo. Petebat hoc cęteris ardentiùs Dauid, & clamabat: *Exurge gloria mea exurge psalterium & citharâ.* Putatis hoc me instrumenti genere, quod toties doctos fatigat articulos, magnoperè delectari? aut gloriam me sectari illam studiosiùs, quòd nemo hactenus suauiùs psalmorum harmoniâ aures titillauerit? Credite, non ad sensum voluptatis, sed ad leuamen ægritudinis, quam sentio infixam ossibus meis; non ad inanis gloriæ aucupium, sed ad quale quale atrociissimi morbi solatium, cantus adhibentur: aliam ego exspecto voluptatem, aliam gloriam, quam non possum nisi tenuissimè toto hoc adumbrare choragio; sed tunc licebit indulgere fidibus, tunc plectris increpare, tũc psalmis accinere: Veniat ille qui venturus est, exurgat illud meum psalterium & cithara. Ita ille veluti æger per longa noctis tædia, non iis quæ tum adhibebantur solatiis, sed spe hauriendæ vnà cum luce sanitatis sese recreabat: quâ spe ne fruſtrà se pasceret, audiuit plenam consolatione vocem: *Exurgam diluculo,*

RVPERT.

Ægræ mortalitatis ad hanc auroram anhelatio.

Psalm. 56.

diluculò, vel vt Hebræa, *Excitabo auroram*. Suspiras tu quidem, Propheta Regie, & tamquam ægri corporis infirma pars anhelas ad solem iustitiæ, qui abstergat lumine suo salutifero omnem ab animo ægritudinem, & dispellat illam noctem, quæ tædiosâ suâ caligine afflictionem addit afflicto & dolores auget fastidio: ego autem *excitabo auroram*, id est, creabo Mariam tam iucundo & claro rutilantem lumine, vt gaudio perfusura sit orbem vniuersum, & ægro humano generi primum ex ortu suo solatium, deindè partu quo solem iustitiæ est editura in lucem adferet morborum omnium medicinam. Vix enim illa post quindecim annorum. spatium cœperit supra horizontem vestrum rutilare, & ego exultabo ad currendam viam tanquàm sponsus procedens de thalamo. Apta igitur tu vocem tuam, & velut sacra lasciuiâ Auroræ isti venturę prælude, annuntia aduentum eius orbi Vniuerso, vt incipiat eleuare caput, Hîc mihi locus ille Isaiæ in mentem venit: *Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione vmbra mortis, lux orta est eis.* Isai. 9. Quas scripturæ tenebras spero vnà cum gentibus illis ab aurora nostra collustrandas. scimus enim homines carceri mancipatos numquàm loci squalore, catenarum pondere, facti conscientiâ grauius premi, quàm dum tenebroso silentio ac tædiosâ caligine nox mundum inuoluit. Tunc illi mœsti considunt in tenebris ac regione vmbræ mortis, multa cum animo de præsentibus miseriis, de peractis sceleribus, de vitę periculo, de incerto mortis genere volutantes: sed vbi amico lumine manè terras reuisit aurora, euanescit ista tam tristium imaginationum nubes; & redditâ quâdam animo serenitate exultant. scilicet miseriarum suarum immemores, captiui, & per ipsum carcerem deambulare incipiunt, festi ac læti, quantum miseriarum isti locus patitur, ipsarum catenarum sonitu rursùs exortam lucem consalutantes. Quis ille carcer sit, in quem genus humanum extractum è loco voluptatis compegerunt iustitiæ diuinæ administri, iudicium & veritas; horresco non tantùm referens, sed vel cogitatione solâ delibans, Si enim tenebras reformidamus; non est quod Cimmerias hîc vel Ægyptias speremus: fax enim illę sint in hac nocte, quâ diabolus captiuis suis non lucem eripit, sed oculos. Si compedum & catenarum timemus pondera; non ita Poëtæ vastâ insulæ incumbentis mole sabulosum suum vinxerunt Enceladum quemadmodum nos sub immensa vanitatis, ambitionis, diuitiarumque sarcinâ gemimus. Vix vllam in partem latus commoturi, quin omnis quatiatur Trinacria, id est, quin voluntatis, intelligentiæ, ac memoriæ propugnaculis munita contremiscat & laboret anima. Aspectu ipso formidabilis est situs & squalor carceris. Quis in mundo ferat immunditias & fœtorem libidinis? Denique plures hîc, quàm in Tulliano quolibet detinentur rei, omnes non Prætoris, sed seueriſſimam præpotentis Dei sententiam exspectantes. Quàm lamentabiliter in hoc carcere, in tam diuturnâ mortis caligine sedebat genus humanum: *Sedebat*, inquam, quo se omni duce ac luce destitutũ commoueret. Atque ad istum corporis situm D. Matthæus respicit, quem ante exortam lucem haberent, c. 4. *Populus qui sedebat in tenebris*: pressi nempe catenis, nullum cogitationibus suis miseriarum exitum inuenientes: quocumque enim mentem vertebant, luctus vbique, pauor, & plurima mortis imago. At non citiùs Aurora lumen suum diffundere & noctis tenebras fugare, quàm captiui in mundi ergastulo deambulare, catenas excutere, ac puriorem aera cum exultatione haurire cœperunt: quem eorum ex mentis gesticulatione corporis gestum ac motum intuitus Isaias, inquit: *Populus qui ambulabat in tenebris*. Surrexerunt enim qui priùs sedebant, manducantes panem

Mundus hic carcer.

Matth. 4.

panem doloris, & vincti in mendicitate: dicebant enim ad inuicem, radium auroræ aſpicientes: *Ecce hæreditas Domini, merces; fructus ventris: cuius vir oriens nomen eius*; vt certiùs intelligamus Auroræ huius eum eſſe Filium, qui dirumpit omnia vincula noſtra, & vinctos educet de domo carceris, & in gaudium ac lætitiam mutabit panem tribulationis.

Aurorâ exortâ ſaluatur Iſrael: Mariâ natâ orbis vniuerſus.

Non tot Poetæ ſuam Tithoni coniugẽ illuſtrarunt fabulis, vel floridis exornauerunt deſcriptionibus, quot ſacræ paginę huius exortum auroræ, noſtramque de eo exſpectationem adumbrauerunt imaginibus. Ecce enim in libro Exodi aliam rurſum tam viuis depictam coloribus, vt videatur in contemplantium animos vibrare radios quoſdam honeſtiſſimæ voluptatis. Vide enim ductorem illum Iſraelitici populi cœlitùs electum & miſſum à Deo, exſeruitute illâ Ægyptiaca tanto cum agmine, onuſto pretioſiore Ægyptiorum ſupellectile, magnis itineribus fugam capeſſentem. inſequitur non minori ſtipatus multitudine Ægyptiorum Tyrannus. Hos ira & dolor, & ſpes prædæ recuperandæ incitabat; illis timor addebat alas, nec vllâ prædâ onuſtis, pugnandi ignaris, & armis minimè inſtructis, niſi in celeritate ſpes. Iamque ſatis longo itineris ſpatio poſt ſe vltorem reliquerant, cùm ecce noua non calamitas, ſed deſperatio exoritur. Cùm enim in locum deueniunt, vbi interiectum vaſtiſſimis vndis Erythræum mare omnem abſcindebat ſpem vlteriùs procedendi; & iam in conſpectu erat hoſtis, cui neceſſariò vel iugulum præbendum erat, vel maris vaſtiſſimi vndæ exſorbendæ. Dum timent & trepidant, altero periculorum ſoluuntur. Stupendo enim & omni ſęculo inaudito prodigio aperit illis Dominus vndas maris, & ponit vtrimque ſtupendos aquarum muros, ſiccæ in medio ſemitæ admirabile munimentum: ſed eadem hoſti ad perſequendum, quæ illis ad fugiendum aperta erat ſemita. Tota itaque nocte anxij & pauidi, tanquàm ſub ictu mortis iã iam imminentis, trepidabant; prima tranſierat caſtrorum vigilia, iam totus Pharaonis exercitus ſe in prodigioſam viam coniecerat: ſonat altera; illi inſequuntur, hi fugiunt: iam tertiæ ſignum vigiliæ buccina dederat, nec ſpes libertatis erat: *Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſupra caſtra Aegyptiorum per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum.* Non vides mortẽ in tres diuiſam vigilias, repræſentãtes noctis iſtius longiſſimæ (quam veluti luna Moyſes cornutâ ſuâ facie illuſtrabat) tres generationum teſſaradecadas, ſub quarum nulla facta eſt ſalus populo, ſed omnes noctis horrore & timore perſequentis inimici pauidi inter medias aquas, ſicut imminentes ſuper ſe fluctus, timentes Dominum? Quartæ & matutinæ vigiliæ ſpe ſeſe ſuſtentabant, certi non antè proſternendum hoſtium exercitum, quàm Aurora illa *ſicut caſtrorum acies benè ordinata* exorta fuiſſet, quæ paritura Filium, qui in monte Thabor non cornutâ facie (quemadmodum Moyſes) exiguum tenebrarum ſolatium, ſed plenâ quemadmodum ſol reſplendeſceret; vt ſeſe oſtenderet pleniſſimum diei gaudium, & Solem iuſtitiæ, *qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Exod. 14.

Vidiſtis binos exercitus iam iam ad prælium paratos, quorum qui erat viribus inferior, exortu auroræ noſtræ victoriam reportauit. Nunc videamus, an in ſingulari certamine, & quaſi Athletarum lucta, non idem adferat ad victoriam momentum. *Ecce vir luctabatur cum Iacob.* Et acris erat atque ambiguæ victoriæ pugna: nam videbat *quod eum ſuperare non poſſet.* cumque cognoſceret generoſum aduerſarium ſuum, ne quidem marcido aut claudo pede, quicquam de victoria deſperare; ille prior, *Dimitte me*, inquit, *iam enim aſcendit aurora.* Luctabatur cum Deo totum genus humanum, fortis cum forti compoſitus, idque vnum ſatagebat, Gen. 32.

vt

vt illum de solio suæ maiestatis & gloriæ ad hominis vilitatem deiiceret: sed resistebat ille noctem integram, neque quidquam de iure suo concedebat. Ex ordine Patres illi qui in Euangelio commemorantur, vires suas experti fuerant: sed illi, percusso femore omnes claudicabant. Omnes enim originali vulnere saucij, peccati fomite ita in vtramque partem vacillabant, vt sæpissimè laberentur. Atque hæc lucta tres omninò noctis vigilias tenuerat; tribus, inquam, generationum tessara decadibus durauerat: donec aduentante quartâ vigiliâ, & exoriente Virgine Mariâ, vltrò Deus diceret: *Dimitte me, ecce enim ascendit aurora.* Notanda est phrasis Patriarchæ, qui optat ne conceptio sua videat *ortum surgentis auroræ*, vbi Hebræa habent, *palpebras.* Oseas autem luctam vocat orationẽ. Vnde hunc sensum conficio: Deum longissimæ illius noctis tempore, quando Patres antiqui cum eo luctabantur, id est, ardentissimis votis & precibus aduentum eius postulabãt, illos vix aspectu dignos iudicasse, eosque nihil in lucta obtinuisse. Si enim orare est luctari; certè exaudiri, erit vincere: quomodo autem exaudirentur, quos ne aspectu quidem benigniore dignabatur? aspicere enim non poterat, quamdiu palpebras suas non recluderet. Nam si mundi communis oculus sol est; optimè dicetur palpebras suas aperire, aurorâ prosiliente. Palpebras igitur primùm aperuit Deus Mariâ nascente, vt oculo suo, qui sol iustitiæ est, miserias nostras intueretur, & lumine suo tanquàm nebulas discuteret. Vide enim quàm natâ Virgine, seu ortâ aurorâ, statim Euangelium solem ostendat: *De qua natus est Iesus.* Confirmat hanc nostram explicationem Zacharias. 9. c. *Circumdabo domum meam, quia nunc vidi oculis meis.* An fortè dormitauit, aut dormiuit, qui custodit Israel? an sopor ata fuit illa prouidentia, vt noui aliquid ipsi offeratur, quod antèà non viderat; quòd iam circumdaturus & protecturus sit domum suam, quia nunc vidit oculis suis? haud dubiè aliquid quod antè non perspexerat, aut aliquo nouo modo, quo anteà non viderat. Non viderat oculis illis, qui ipsi nascuntur hodie: neque palpebras illas vnquàm recluserat vt genus humanum misericordibus istis oculis intueretur, quos tam frequenter post huius ortum Auroræ coniicit in genus nostrum, vt dubitare non possimus quin Virgo hæc ipse misericordiæ sit oculus; vel certè Natiuitate eius ita fuerit reclusus, vt nunquam amplius claudatur generi nostro. *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulua procedẽs?* interrogabat Iob. 38. c. loquens de congregationibus istis aquarũ, quæ Deus vocauit *Maria;* componens tam vastum elementum cum infantuli & exigui homuncionis natiuitate. Sed si mentem conuertere velimus ad illas congregationes gratiarum, quas Deus vocauit *mariam*, cuius natiuitatem spectabat ille Spiritus, qui delectabatur ineffabilem Virginis dignitatem variis adumbrare figuris; numquàm rem minorem comparatam videbimus cum ea, quæ, quod magnitudinem habeat omnem nostram intelligendi facultatem excedentem, adumbranda est rerum maximarum collatione: vt si parem maiestati eius speciem effingere animo non possimus; saltem quod de ea concepimus, simile fit iis rebus, quas nos magni facimus. *Quis*, inquit, *conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulua procedens, cùm ponerem nubem vestimentum eius, & caligine illud quasi pannis infantiæ obuoluerem?* Augusta est species, si fingas animo vastissimam illam Oceani capacitatem, & ingens aquarum elementum tot tumidum fluctibus, tot refertum pecoribus, tam variis distinctum insulis, ex infinita Dei potentia tamquàm è vulua prorumpens, continuò vasta terrarum vndis suis tegere, & omnia quæ contigerit depopulari; idque, dum adhuc fasciis & pannis infantiæ obuoluueretur. Sed augustior multò est Mariæ Natiuitas, quæ tantam cælestis gratiæ secum trahebat copiam, tantam abun-

Iob. 38.

Virginis natiuitas cum ortu maris comparatur.

Zachar. 9.

dantiam priuilegiorum, tantos æstus prærogatiuarum, vt nullis videretur ostiis aut terminis concludenda. Certè in illis infantiæ suæ panniculis omnia ruperat & superauerat repagula, quibus exestuantes aliorum sanctorum impetus continebantur: & iam maiores voluebat undas in ipso fonte ac capite, quàm fluuij etiam maximi suis ostiis deportant in mare. Vt enim omittantur cætera omnia, illa Conceptio immaculata tantis abundabat vorticibus gratiarum, tam inexhaustam pandebat abyssum sanctitatis, tam longè submouebat littora maris ab oculis & intelligentia mortalium, vt necesse fuerit cauere errori, dicendo: *Circumdedi illud terminis meis.* Vtrimque enim periculum erat ne mergeremur in hoc mari: hinc quidem, ne secundum capacitatis nostræ angustias arctis quibusdam littoribus illud circumdaremus, vnde in caput nostrum confringeret tumentes fluctus suos, quo infortunio Nestorius cæterique Mario mastyges perierunt hæretici; inde verò, ne immensitate istâ, cuius littora nostris non patent luminibus, abducti, putaremus terminos non esse positos illis aquis, quæ ita liberè efferrentur: atque illo naufragio oblatus est cum suis Collyrides. Dicit ergo, *Circumdedi illud terminis*; ne putes nullos esse: sed addit, *meis*; ne illos ingenij tui limitibus definias, sed eos scias, quamdiu ad essentiæ meæ infinitatem non pertigeris, posse te semper vlteriùs promouere, ita vt nullos vnquam intelligendo figas, nisi Herculeos illos, quibus litteris cubitalibus inscriptum sit, *Plus vltrà*: vt omnes statim intelligant hosce non Marianę magnitudinis, sed tuæ capacitatis esse limites. Sicut enim fide docemur, nihil Deo maiùs esse; ita ab eâdem habemus fide, infra Mariam esse quicquid Deo minus est: non quòd illi spatium non erat, quo se posset vlteriùs in ista immensitate extendere; sed quòd nemini datum sit ad eius magnitudinem posse pertingere. Atque hanc immensitati proximam pelagi Mariani capacitatem, quando plena luce & gloria cælos triumphans ingreditur, clarè omnes, qui hæresi excæcati non sunt; vident: quod autem aliquibus dubitare in mentem venerit, an primo quo esse cœpit momento temporis, vel tam ingenti copiâ, vel vllâ omninò aquâ abundauerit; mirum non est, cùm de industria se fateatur Deus *nubem* posuisse *vestimentum eius*, & *caligine illud quasi pannis infantiæ* obuoluisse. Qua in re notanda occurrit admirabilis dispositio illius prouidentiæ, cuius nos iudicia omnia venerari debemus, intelligere vix vlla possumus: quòd nimirùm multis præclarissimis fidei nostræ arcanis nubem istam obuoluerit, quam deindè (posteaquàm per doctorum multorum industriam radiis quibusdam cælestis luminis collustratam, & disputandi calore inflammatam, nonnihil attenuata fuerit) ipse reuelationis plena luce dispellat, atque Ecclesiæ quid ista caligine absconderit, ostendat.

Iob. 38.

Quanta fuerit B. Mariæ virginis gratiarum abundantia.

At nunquid Esther vna ex certissimis Mariæ symbolis, quæ vita sua illius virtutem & gratiam adumbrauit? Nihil equidem vel ad Cognitionem tritum magis, vel ad laudem Virginis illustrius, quàm illud lumen orbis terrarum tam oportunè exortum populo Dei, vmbram esse illius, quam in Virgine veneramur, claritatis. Sed, an non illa fons initio & pænè sine aquis, qui deinde creuit in fluuium, & in aquas plurimas redundauit, argumentum, vt videtur, euidens, vnde negetur Mariam illa in conceptione & natiuitate sua scaturiisse aquarum copiâ, quæ omnem aliorum superaret abundantiam? Scriptura audienda est, præclarè nos de mari ad cælum & astra, vnde nos in oceani comparationem descenderamus, reducens: *Paruus fons*, inquit, *qui creuit in fluuium, & in lucem solémque conuersus est, & in aquas plurimas redundauit; Esther est, quam rex accepit in vxo-*

Esther. 10.

in vxorem, & voluit esse reginam. Quis non videt Esterem eo sensu nominari fontem exiguum, quia ex se & conditione nascendi nihil illa habebat, quod in Comparationem veniret ad illam dignitatem, quâ eam potentissimus Monarcha secum tot regnis imperitare voluit? Id quod nos de cœli terræque Regina non diffitemur. Si enim naturam & nascendi conditionem respicias, licèt omnibus in rebus illa ceteros, vt mox dicemus, mortales excelleret; erat tamen naturę finibus, circumscripta ista excellentia, & fons tantùm exiguus præ illa gratiarum abundantia, quâ suus eam Assuerus tam liberaliter perfudit, non tantùm dum nasceretur, sed etiam dum fieret. Addam & hoc, si placet, omnia illa quæ nullis suis præcedentibus meritis in Conceptione accepit Maria, fontem fuisse, & paruum quidem fontem, qui momentis singulis in Matris vtero ita creuit, vt *in aquas plurimas* redundauerit: *Super quas ferebatur* (vel, vt Basilius legit, *quas confouebat*; vt Hebræa, *turbabat & cõmouebat*) *Spiritus Domini*, vt eas in illam auroram, in istam lucem, in istũ solẽ, qui hodie tam benigno sydere mũdo vniuerso exoritur, cõuerteret. Nam ex illo Geneseos loco, *Spiritus Domini ferebatur super aquas*; *Dixitque Deus, fiat lux, & facta est lux*; adstipulante Philosophiâ, multi Theologi probant ex aqua, tanquàm ê materia, incubante in eas spiritu Domini, astrorum faces colluxisse. Seruit Trismegistus, Eugebino teste, vt facem subindè sacris litteris præbeat: hunc certè locum sic tractat, vt eius paraphrasten egisse videatur. Ait enim: *Is erat fragor aquarum, hæc abyssus tumultuans scindebatur ab opifice Deo, ætheria substantia quatiebatur, turbabatur, purissimus ignis ex ea eliciebatur, quemadmodum ex collisis nubibus purus ignis nascitur, terras horrenda in nocte collustrans.* Dubites Scripturam an naturam fuerit intuitus, an verò occulta quadam vi, quam ipse non capiebat, ad mysticum nostrum mare discribendum translatus fuerit. Nam quid aquâ ad mundandum aptiùs? Emblema profectò eius gratię, quæ cor Virginis nullas sordes sinit contingere. Huic autem gratiæ incubabat perpetuò diuinus Spiritus; hæc erat abyssus, quæ scindebatur ab opifice Deo, & in multiplicẽ virtutem diuidebatur: hęc ætheria substantia diuinę gratiæ semper accedentis quatiebatur; hęc cooperatione Virginis turbabatur: ex hac ignis purissimus charitatis eliciebatur, qui terras, in nocte horrendâ malitiæ & ignorantiæ, luce natiuitatis suæ illuminaret, admirantibus Angelis, & canentibus: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi Aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt Sol?* Audis quod eam terminis suis circumdederit Deus, cum Solis comparationem, quam sibi soli reseruasse videbatur, cũm Virgine communicat, efficiens eam solem per fauorem & gratiam, qualis ipse est per essentiam & naturam.

Spiritus Domini latus super aquas gratiarum B. Matię Virginis. *Gen.* 1.

Trismeg.

Quòd in canticis sponsa dilectum suum laudibus celebratura, à capite ordiatur: *Caput eius aurum optimum*; ac deindè vsque ad pedes, per singula curporis pulcherrimi membra discurrendo, panegyrim his verbis finiat: *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas*: contrà verò sponsus, amicæ suę vices repensurus, primùm rapiatur pedum eius pulchritudine, atque indè pedetentim progrediendo ad caput assurgat; mysterio carere non videtur. *Quàm pulchri sunt, inquit, gressus tui in calceamentis, filia principis!* Mira gressibus hisce & calceamentis inesse oportet ornamenta, rara pulchitudinem, quod ante faciem, pudoris, maiestatis, pulchritudinis sedem; ante oculos, geminas amoris faces; ante eburneam colli niuem, ante geminas vberum illecebras, ante coccum & purpuram, ante omnem vestimentorum splendorem, in oculos amantis incurrerint. Sed citò mirari cessabimus, si, quid sponsus admiretur, intellexerimus: *Quàm pulchri*, inquit, *sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Non pedes laudat, sed gressus:

Sponsus admiratur gressus sponsæ in mundi ingressu. *Cant.* 5.

Cant. 7.

& eos quidem in calceamentis ; non veteribus vtique: frigidus enim foret sermo;quo aliquem miraret eo in habitu decorè prodeuntem ; quem iam millies induisset. Familiaris ergo est sermo ; quo vti amantes & verò familiares inter se solent, si quando nouo vestimenti genere quempiam cernant prodeuntem in publicum: vt te, inquiunt, magnificè infers isto vel pallio, vel calceo, vel pileo ornatus! Ita Sponsus videns hodiernâ die primùm Virginem mortalitate nostrâ calceatam prodire in publicam lucem, quod maximè nouum erat; primùm admirans, familiariter blandiendo eam alloquitur: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Quod benè & feliciter vertat, quod ad tuam magnificentiam & gloriam, atque ad generis humani salutem sit, non malè graderis istis induta calceis: qui licèt ex vilibus humanitatis constent exuuiis; tot tamen ornantur lapidibus & gemmis, tot gratiæ donorumque cælestium distinguuntur insignibus, vt pænè materia ista vilior tota abscondatur, tantumque ideò homo effecta, vt hominem Deũ pareres, cetera omnia supra humanitatem possidere videaris. Pertinet igitur maximè ad hanc festiuitatem ista sponsi admiratio: *Quàm pulchri sunt gressus tui!* estque carmen familiare, quo Virgini die Natali natiuitatem suam & ingressum in orbem nostrum gratulemur. Videbat eam in Apocalypsi S. Ioannes lunâ calceatam: *Et luna sub pedibus eius.* Admirabile calceamenti genus, quod optimè referat carnis nostræ imbecillitatem : sic tamen, vt eandem carnem tantò à sole collustratam lumine, tot illustrem priuilegiis, tantis coruscantem gratiis cælestibus significet; vt potiùs inter cæli ornamenta, quàm terræ pondera computetur. Illis similes calcei isti erant sandaliis, quibus induta generosissima feminarum Iudith, rapuit oculis superbissimi Principis; qui nisi sic captus fuisset, perierat Bethulia, omnisque gladio percutteretur Iudithæ populus. Miserabiliùs nostrum fuisset exitium, nisi ingressa mundi castra Maria virgo gressu suo in calceamẽtis humanitatis nostræ rapuisset illũ, qui tantũ nobis minitabatur malum; atque ita rapuisset, vt grauitatis suæ quodammodò immemor, dum cum illa familiariùs agit, calceos admirando versat manibus, quàm pulchrè ei conueniant, quàm decorè incedat curiosiùs scrutatur, illos ipsos pedibus suis aptasset; iisque indutus, iam malis & insidiis opportunus, morte suâ omnes nos morte æternâ liberauisset. Patet ergo de natiuitate B. Mariæ dici has voces, *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Et patet calceamenta illa humanitatem esse, quâ iam recenter induta rapiebat oculos sponsi in admirationem. Quibus autem humanitatis suæ ornamentis maximè sponsi oculos ea rapuerit, maluit ille casto silentio inuoluere, quàm verbis minùs aptis explicare. Satis tamen indicat Apostiopesi istâ, *Quàm pulchri sunt gressus tui*, eam esse pulchritudinem, quæ numquam poterit nimis deprædicari. Sanctus verò Ioannes in Apocalypsi suâ deinde nobis reuelat, vnde exordium capere liceat laudandi humanitatem Virginis, de qua Sponsus, ne aliquid præteriret tam mysterioso silentio, omnia dixit. *Signum* ille sibi *magnum* apparuisse ait in cælo, mulierem scilicet amictam sole, quę lunam haberet sub pedibus, & in capite coronam gestaret duodecim stellarum fulgore rutilantem. Mihi quidem videtur sub auroræ tempus visio hæc contigisse Apostolo, vt ne putes nos à Virginis natiuitate, quæ fuit Aurora consurgens, discedere. Quando namque sol, luna, stellæ simul apparuissent, nisi manè, orto iam quidem diurno sydere, sed nondum tamen ita vehementi, vt omnibus cæli luminibus tenebras offunderet? Vidit mulierem, hanc ipsam, de qua nobis est sermo, paruulam quidem adhuc mole corporis, sed grandem excellentia virtutis; iam iam prodeuntem in auras luminis, sed gratiæ iam

Apoc. 12.

dum natam; puellulam ætate, sed rationis vsu, sapientiâ, & sanctitate mulieres omnes longissimè superantem. Fulgebat illa solis radiis, lunam calcabat pedibus, stellę in vertice rutilabant; tot nobilitatis insignia, quot mulieris refert ornamenta. Neminem enim latere potest tribus nobilissimis Rebuspublicis (quarum linguam Christus in cruce sua sanctificauit) ea quæ in muliere istâ S. Ioannes admiratur, symbola fuisse nobilitatis Hebræis nempe stellas, quarum multitudini parem se receperat Deus Abrahę daturam posteritatem; Græcis Solis radios, quibus ideo Ægyptij pyramides Regibus demortuis erectas cingebant; Romanis denique lunain calceis, vel quod se ab Arcadibus genus duxisse gloriarentur; vel certè quod cuperent nobiles suos non segniùs virtutum studium decurrere, quàm luna cursum suum omnium planetarum prima absoluit. Liceat ergo cum sponso gressus istos in calceamentis lunâ splendentibus, id est humanitatem Virginis iam nascentem, tantâ nobilitate conspicuam admirari, & cum Euangelista longam proauorum seriem enumerare, qui omnes tamquam stellę præcedant Auroram, non vt lumen suum illi communicent, sed vt officij debito vnde splendorem suum hauserint demonstrent, & grato obsequio illustriorem reddant illius aduentum, cuius omnes lumine fulserunt. Non enim Virgini nobilitatem dant tot insignes progenitores, sed suam in illis Virgo claritatem refundit. Nec ideo tanta est Maria, quia orta à talibus; sed ideo ipsi tam magni, quia talem erant filiam progenituri. Quæres, cùm mirum in modum faciat & ad nobilitatem Virginis, & ad Euangelium clariùs intelligendum, & cognoscendam (quantum quidem hominibus fas est) Dei prouidentiam, qui non omnes virtutibus, sed multis vitiis insignes inter proauos suos connumerari voluit; altiùs non nihil est repetenda. Mirari enim non desinit omnis doctorum industria, quid tandem in populo isto Hebraico fuerit, quod ita fortiter operatum sit in corde diuino, vt illum inter omnes omninò nationes elegerit; tam patienter ingratitudinem, rebellionem, tot eius peccata sustinuerit; tot priuilegiis tantoque honore præuenerit? Omne id quod operatur in alterum, vel quantitate, vel qualitate, vel certè virtute quâdam occultâ vim suam exercet. Ita videmus ignis acerrimam agendi potestatem ab aqua retundi & suffocari, si quantitate flammam superet. Qualitate verò manifestâ humectat aqua, ignis calefacit, glacies torpore cuncta constringit. At verò faces extinctas aquâ fontis accendi, ferrum à magnete attrahi, & sexcenta quæ quotidie fieri videmus, cur autem & quomodo fiant ignoramus, in occultam aliquam virtutem refundimus. Hîc autem quærimus, quid permouerit Deum ad eligendum populum Hebræum; & nominatim stirpem illam, quę longo hodierno die catalogo recensetur in Euangelio, tam singulari sibi ratione adiunxerit? Neque enim erat illa potentissima & populosissima Monarcharum, At numeri quantitate posset Deum allicere. Quid enim erant septuaginta duæ animæ, quas in Ægyptum transtulit Patriarcha Iocob, vt cum infinita Assyriorum, Chaldæorum, Ægyptiorum multitudine comparentur? Et licet postmodùm aucto numero iustum exercitum Ægypto eduxerint, nihil tamen habebat illud seruorum agmen ad tantam, quæ reliquum terrarum orbem implebat, hominũ copiam. Cuius rei Deus ipse illos memores reddit in Deut. 7. *Non quia numero omnes gentes vincebatis, elegit vos Dominus.* Neque iis virtutibus præditus erat populus ille duræ ceruicis, semper rebellis Deo & Moysi ductori suo, semper in idololatriam pronus, semper ad ollas Ægypti respiciens; vt manifestâ aliquâ qualitate posset tantum ingenerare pectori diuino erga se amorem & beneuolentiam: *Non propter iustitiam tuam, & sanctitatem cordis*

B. Mariæ nobilitas.

B. Mariæ est causa amoris Dei erga populum Israël.

Deut. 7.

cordis tui. Manet ergo, latuisse virtutem quandam, quæ tacitâ quidem, sed mirâ efficacia cor Dei furaretur, sibique tam arctè deuinceret, vt ne peccatis quidem posset ab eo distrahi. Sed quid, quęso, lateat in ista rebelli turba, in illa idololatrarum colluuie, in illa peccatorum omnium sentina, quod tantis polleat viribus, vt Deum, pænè iustitiæ suæ & maiestatis immemorem, seruire faciat isti populo? Scio pulchritudinem esse occultam animorum tyrannidem, quæ eô trahat amorem inuitum quò nunquàm ire constituerat. Sed cùm pulchritudinem omnem ita Deus contineat, vt ideò κάλλος eum Græci, id est pulchritudinem, vocent; miror quid illum mouerit, vt ipsam in populo isto amaret turpitudinem? Quid sit, ipse dicit Deuteron. 4. cap. *Non dimittet, neque omninò delebit, neque obliuiscetur pacti, in quo iurauit patribus tuis.* Videsnè quid cogat eum, etiam pænè inuitum, amare, quos delere & destruere aliàs satiùs videbatur? Virtus occulta est pactum, & testamentum obsignatum, quod ipsum obligabat amare populum istum quantumcunque immerentem. Promiserat ex eo nasciturum aliquando Virginem, quæ pareret mundo salutem: & hæc est virtus quę latebat, de quâ ipse fatetur Deus: *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Hæc erat aurea Sampsonis cęsaries, in quâ totam suam fortitudinem habebat collocatam. Hic flauus Nisi capillus, quo tota eius fortuna vertebatur. Hæc occulta virtus, quę non sinebat Deum populum istum non amare. Apud Zachariam hanc ipsam rationem indicare videtur, quæ eum permouerit ad exaltandum populum humilem: *Quis tu mons magne,* inquit, *coram zorobabel in planum, & educet lapidem primarium, & exæquabit gratiam gratiæ eius?* Ad quid tanta lapidum congeries? vt quid tam altè educo montem, quem ex ima planitie excitaui? Dicam. Struitur non alium ob finem, quàm vt educatur lapis primarius. Ænigma foret, nisi paraphrasis Chaldaica lapidẽ istum Messiam interpretaretur: ideo ergo tota substructio cælo æquatur, vt aliquando inde educatur lapis primarius, ex quo Saluator mundi est desumendus. Exæquabo ergo gratiam, quam facturus sum populo huic, gratiæ Matris illius; non tam respiciendo quid ipse mereatur vt sibi faciam, quàm considerando quid fieri debeat ob illam, quam ante omnia sæcula constitui nascituram, vt sit Mater Vnigeniti Filij mei. Vbi per transennam notandum, quanta nobis hac Virginis Natiuitate oriatur fiduciæ occasio, certò nempe confidere possumus illam plurimùm valere ad auertendam à nobis Dei iram, cuius intuitu, antequàm nasceretur, Dominus tolerauerat tam enormes Iudaici populi defectus. Quæ cor eius vulnerauerat antequàm existebat; quàm potentibus illud concutiet machinis posteaquàm omni virtutum suarum armamentario eò incumbet, vt illud in peccatorum fauorem pertrahat. Sed eô nunc accedamus, quò totus hic discursus formatur: nimirum, vt ostendamus Virginem Mariam non participare virtutem, nobilitatem, gratiam à patribus suis, sed illos totum à Maria & per Mariàm habuisse, quare insigni aliquo honore sint venerandi. Credamus hoc Virgini, in laudes suas parcissimæ, quæ de se ipsa ita loquitur: *Ego ex ore altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam,* Nihil hîc non arcanum, nihil non mysterijs plenum, vbi eius natiuitas explicatur, propter quam omnia facta sunt, quæ per Filium eius fiebant. Præcipuum opus, vnde plus honoris & gloriæ in Authorem redundaret in mundi creatione, erat productio hominis: hîc enim consultatione augustissimæ Triados, hîc toto opus diuinitatis iudicio videbatur, vt manibus Dei plasmaretur illud animal, quod dominari in cętera posset. Verùm quid de illo dicemus, quod, tamquàm augustius quiddam ceteris operibus, non in communi

B. Virgo anteceſſores ſuos nobilitat; non nobilitatur ab ipſis.

Eccleſ. 24.

istâ

ista manuum diuinarum officinâ, sed in secretiore pectoris adyto concipiebatur, ibi in ista amoris fornace coquebatur, bonitatis infinitæ versabatur forcipibus, sapientiæ & intelligentiæ spiritu afflabatur, vt dignum ficret quod in ore diuino semper versaretur, forma & idea omnium quæ deinde faceret? Atque hoc est, quod se ex ore Dei prodiisse Virgo dicit primogenitam ante omnem creaturam, id quod verbis illis Geneseos 1. indicatur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Non enim illud verba ista volunt, quod communiter omnibus in mentem venit, vt Deus voluerit sic hominem formare, vt similis suæ diuinitati existeret: nam imbelle telum torsisset calidissimus serpens, dum spe istius similitudinis eos prostrauit, si rem iam factam serâ liberalitate polliceretur. Nihil enim opus erat vt fierent sicut Dij, si Deus illos iam ex communi sententia ad imaginem suam, id est, vt interpretantur, sibi similes fecerat. Aliud ergo & magis arcanum isthîc latêre mysterium S. Athanasius indicat, quem, licet solum, quod sciam, hac in parte non inuitus sequar: quippè eâ sanctitate & sapientia virum, qui tot annos totam Religionis Catholicę maiestatem pænè solus sustinuit. Ex mente ergo Sancti illius, quæ, vt mox patebit, vehementer cum Christi Domini & B. Mariæ Virginis dignitate congruit, dicit Dominus: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, illam scilicet, quam nos in ideis nostris iam factam & fabricatam habemus: *ad imaginem* hominis istius Dei, ad quem, per quem, & propter quem omnia facta sunt. Non enim decet Adam istum terrenum, cælestis ideam existere: sed istum potiùs ad huius imaginem efformari. Non enim tantùm secundum diuinitatem, sed vel maximè secundum naturam assumptâ eo modo, quo iam explicuimus, Christus est *primogenitus in multis fratribus.* Neque nostræ inuentionis est sententia tam sublimis & ardua, neque Parer tam orthodoxus ac S. Athanasius eam, meâ opinione, tam confidenter attulisset, nisi S. Ioannem Baptistam (cuius testimonio tota refragari non potest Ecclesia) authorem habuisset. Ait enim ille: *Qui post me venit, ante me factus est.* Quæ verba profectò neque de natiuitate eius, qua secundùm diuinatem ante omnia tempora ex visceribus intellectualibus Patris sui *genitus, non factus* est; neque de illa, qua secundùm humanitatem in Bethleem Iudæ ex castissimis Matris suæ visceribus prodiit, sic enim sex mensibus post Baptistam venit. Restat ergo vt de isto esse ideali loquatur, secundum quod ipse in mente diuina ante omnes omnino creaturas factus est, dum idea, & forma, & imago omnium constitueretur. Non enim ille talis homo, tali animâ, tali corpore præditus, quia nos tales sumus; sed ideo tales nos homines Deus effecit, quia iam Filium suum talem facere decreuerat. Quæ cùm ita sint, iam vlteriùs notanda verba, quæ cùm in re tanta versentur & ex ore Dei operi suo intento procedant, non possunt non esse mysteriosissima. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Clarè *imaginem & similitudinem* distinguit, sed non ita clarum quod absconditur sub ista distinctione mysterium. Inprimis apud Philosophos extra controuersiam est, latiùs patêre similitudinis nomen, quàm imaginis. Imaginem enim quodcumque vocabis, ego nemine reclamante similitudinem dicam: at similitudinem si quid vocauero, non rectè tu continuò inferas eandem etiam esse imaginem. Ita pater similitudo filij dicitur, imago non item: filius verò patris & imago & similitudo est. Deus ergo hominem creaturus, cùm eius præstantissimam penes se haberet ideam Christum Dominum nostrum, qui esset imago Dei, quod Filius eius existeret, & cuius nos ad imaginem crearemur, cùm ipse futurus esset caput nostrum & Pater huius & futuri sæculi

Gen. 1.

Ad quam Dei imaginem & similitudinem factus sit homo.

Ioann. 1.

Imaginis & similitudinis distinctio.

culi, indistinctè dixit: *Faciamus hominem ad imaginem nostram.* Siue enim ita caperes verba illa, vt dixisse videatur, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, id est, secundùm Christum, qui Filius Dei cùm sit, eius fine dubio imago est: Siue sensu planiore, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, id est, ad eam imaginem, quam nos primam independenter à ceteris hominibus finximus, quando constituimus Verbum carnem sumere; sufficiebat certè dicere hæc verba, *Faciamus hominem ad imaginem nostram*; Cùm neutram in partem dubitandi vel errandi possent dare materiam: quandoquidem Christus, in quantum Filius Dei, verè sit eius imago; & nos ad imaginem eius facti simus, in quantum est pater communis omnium mortalium. Quid ergo opus erat addere, *& similitudinem nostram*? Otiosum profectò verbum, si & illud de Christo intelligendum. Nam cùm *imaginem* illum dixerit, etiam *similitudinem* vocauerat: cùm omnis imago sit similitudo. Quemadmodum quem hominem dixi, frustrà & animal esse affirmabo, cùm hominem esse non possim intelligere, nisi & animal esse concepero. Otiosum autem verbum esse in illa lege, cuius ne apex quidem vnus peribit, nemo sine sacrilegio dixerit. Restat ergo vt dicamus Deum, cùm non simpliciter hominem, sed masculum & feminam creaturus esset, non solùm Christum, sed etiam B. Virginem Mariam hominis sibi proposuisse ideam: atque ita dum dixit, *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*; clarè binas illas ideas distinxisse, vt per imaginem Christum, per similitudinem Virginem intellexerit: tum vt ostenderet inter illas dignitatis diuersitatem, tum vel maximè vt pronas nostras ad errorem mentes instrueret, ne cùm Virginem etiam ideam humani generis fuisse sciremus, induceremus in animam illam perinde ac Christum, Dei imaginem exstitisse, de qua scilicet indistinctè dixisset: *Faciamus hominem ad imaginem nostram*, non ita, sed potiùs, Faciamus hominem masculum ad imaginem nostram, quæ est Christus Iesus, & feminam ad similitudinem nostram Virginem illam sacratissimam. Vbi notandum pronomen, *nostram*, & reliqua possessiua dum nominibus istis repræsentatiuis, *imago, similitudo &c.* coniungitur; triplicem habere posse significationem. Primò, vt merè sint possessiua: sic imaginem meam dico, quæ canem vel equum repræsentet, si eam ego possideo. Secundò, vt sint merè relatiua: Sic mea imago est quæ me refert, etsi dominij aut iuris nihil in illam habeam. Tertiò, vt sint possessiua & relatiua simul: Vt mea vtroque titulo imago est, quæ & me refert, & meo ære comparata est. Atque hoc posteriori modo suam Deus imaginem vocare potest Christum, licet in enuntiatione vna alterutro tantùm modo possit intelligi, quem hic ex vî enuntiationis illius possessiuum tantùm esse putamus, vt cum similitudine, quæ Virgini applicatur, vniuocè conueniat: vt sensus sit, *ad imaginem & similitudinem*, quam nos habemus & possidemus in ideis nostris. De Christo & Maria, hominem masculum & feminam faciamus: vt ita Virgo intelligatur non tantùm esse primogenita ante omnem creaturam, sed etiam causa cur reliquæ creaturæ factæ sint. Quid? dicamnè, & pietatem nostram altiùs excitabo, vt concipiamus Virginem, quam in sermone de Assumptione ostendimus vnà cum Filio suo mundum redemisse, etiam sensu aliquo eundem cum Deo in principio creauisse? Absumus, & longè absumus ab illo errore, qui vel Angelos vel vllam dicebat creaturam Deo coexistentem illi auxiliares manus præbuisse, vt facilius mundum ex ista abysso educeret; quem, quia non erat, concipere non possumus: hoc tamen iam satis probasse discursus superior videtur, Virginem in idea concurrisse ea ratione, quâ genus istud causæ solet ad effectum conniti, ad ipsam creaturarum omnium produ-

Nominum possessiuorum significatio triplex.

B. Virgo idealiter concurrit ad rerum omnium productionem.

productionem. Vbi, vt Virginis maiestatem concipiamus, concipienda est mirabilis Dei species, cuncta è nihilo molientis. Primùm ille, quod pictores, statuarij, & architecti solent, accurratiore studio sibi creandorum omnium ideas quasdam effinxerat, Christum & Mariam: has intuebatur omni in opere, ab his oculos numquam dimouebat. Si quatuor elementa produceret; quatuor istos, qui in illis erant, humores intuebatur: Si Angelos & spiritus; spitirualem eorum animam: si res inanimas & insensibiles; ea quæ sensu in corpore illorum carebant. Deniq́ue ad similitudinem eorum, & quę vegetantur, & quæ sentiunt, & quæ natant in aquis, & quæ volant per aera, & quæ in tetris gradiuntur, exprimebat. Deniq́ue postquàm toties oculos coniecisset in hæc exemplaria, semper nouâ affectus delectatione, & semper nouas creaturas inueniens quas ad eorum similitudinem effingeret; quasi subitò nouo quodam exitatus ex earum contemplatione gaudio, inquit: Quid toties per partes exemplaria nostra exprimimus? tandem faciamus quod ea omninò referat, *faciamus hominem ad imaginem* istam *& similitudinem nostram*, ad quam omnia reliqua expressimus.

Immaculata Virginis conceptio obiter probata.

Vide quanta hinc Virginis maiestas mentibus nostris oboriatur. Eat nunc aliquis, & dubitet num vitiis & sordibus peccatorum illorum, quæ in generis humani progenitoribus & proditoribus reperiuntur, Virgo fuerit conspurcata, an originali isto vitio fuerit coinquinata; cum illi facti ad similitudinem eius sunt. In ipsâ autem, ptout erat idea, maculam aut peccatum fuisse nemo dixerit, nisi qui nouâ, non dicam hæresi, sed insaniâ, velit facere causam & originem omnis peccati illam, quæ est castissima Mater gratiæ, & omnis fons & origo virtutis. Quid autem necesse erat, ideò quòd homines facti ad similitudinem Virginis, purissimam illam suam imaginem infecissent; continuò ipsum exemplar iisdem sordibus conspergere? Nemo qui nobiscum Virginem ideam fuisse creandorum fatetur, hoc dixerit, nisi Deum quodammodò insimulare velit vel imprudentiæ, vel impietatis in Matrem. Si enim non præuidebat ex hominum creatione & lapsu, necessariò (quod illi volũt) contaminandã Matrẽ suam; erat imprudentissimus: si verò eo cognito, nihilominùs volèbat genus humanũ cõdere in opprobrium Matris suæ, erat impiissimus. Sed quomodo sequi potuisset ex labe generis humani coinquinatio Virginis, quę ante omnes colles & ante omnes homines iam in ideis illis diuinis concepta erat? Vnde iam concludere liceat, Virginem, nullam participasse nobilitatem à tam illustri stemmate, tot Regibus, Patriarchis, & Prophetis conspicuo; sed eos omnem suam gloriam traxisse ab illâ, quæ post illos ventura, sed ante eos facta erat. Necesse enim erat illos præcedere, vt naturali modo isto tempore, quo sacratissimum SS. Triados concilium constituerat, in hanc lucem prodiret. Sed hoc negare nemo potest, Virginem nascituram, causam fuisse cur tantum gratię, nobilitatis, maiestatisque illis Deus communicauerit. Rem totam pulcherrimâ Virgo illustrat similitudine. Ego, inquit, *quasi vitis fructificaui.* Nota est omnibus ista vitis natura, quod debeat vlmo aut baculo fulciri vt fructum suum tam desideratum & vtilem orbi producat: quemadmodũ Virgo arbori isti genealogicæ inniti debebat, vt naturali viâ nasceretur. Vbi notandum, *vitem* illam, non hederam, dici, licèt etiam hæc fulcro parietis aut arboris egeat, vt secundùm naturæ suæ congruentem modum crescere possit: ideò quod hedera commodi & vtilitatis plurimum trahat ab arbore, seu pariete, quẽ amplectitur. præterquàm enim quod iis fulciatur, succum omnem meliorem indè ad se trahit, illis q́ue debet quod viget & floret, eò vegetior semper & floridior, quò succi plenioris arbori adhæserit: contrà autem vitis, præter necessarium sustenta-

Cur vitis dicatur B. Virgo. Eccles. 24.

ſtentationis obſequium nihil requirit ampliùs, nihil habet in fronde, flore, aut fructu, quod debeat fulcro ſuo, ſed illi potiùs amœno ſuo virore & vmbra pampinea variæ eſt vtilitati & ornatui. Ita ego, inquit Virgo, *quaſi vitis fructificaui*: carere non poteram neceſſario fulcro iſtius ſtemmatis; (ex hominibus enim longo tempore poſt homines conditos naſcitura non poteram non longam habere arborem progenitorum) ſed ego neque laudibus illorum clarior, neque vitiis obſcurior facta ſum: quia nullam in partem eorum vel egui gratiâ, vel vſa ſum virtutibus, ſed potiùs illis multipliciter profrui, ornans illos frondibus nobilitatis, recreando floribus ſanctitatis, & perficiendo fructu vitæ, qui eſt Chriſtus Ieſus Filius meus. Amœna ſanè Euangelij hodierni ſpecies, quod Virginem nobis offert vt vitem, tam inſigni circumplexam arbori, ac botrum ſuum publicè oſtentantem, *de quâ natus eſt Ieſus*: vnde tantum boni acceſſerit ſtemmatis ſui arbori cui innititur, vt ſolo naſcituræ Virginis intuitu aduerſùs tot impiiſſimos ipſorummet, qui in eâ cenſerẽtur, conatus, hactenus ſteterit: neque perfidæ coniurationis aduerſùs fratrem innocentiſſimum flatibus concuſſa; neque crudeliſſimæ libidinis (quam thori alieni violatio, violationem mariti nefaria cædes, ſequeretur) calore exuſta; neque obruta illis non vndis, ſed diluuio ſanguinis, quo opplebatur Ieruſalem vſque ad os: licet per ſingulas generationum teſſaradecadas Ioſephi fratres, Dauid, & Manaſſes, ex Ruperti ſententiâ, Meſſiæ aduentum per ſcelera iſta diſtulerint.

CAPVT IX.

Arbores genealogicas & omnia ſuperbiæ fundamenta perire: humilitatem verò à Deo exaltari.

DVM toties ingentem iſtam Marianæ genealogiæ arborem viſitamus, iure, puto, noſtro vtemur, ſi folium inde aliquod decerpamus, quod ad moralem inſtructionem ſepoſitum, ſalubrem animo facere poſſit medicinam: *Fructus enim eius in cibum, & folia eius ad medicinam.* Quod in ſacris litteris adeò certum eſt, vt videantur è foliis panaceam quandam aduerſùs omne morborum genus confeciſſe. Si enim infirmitate totius corporis laborabat Patriarcha Iob, vnde vires ſuas non poſſet contra petentem aduerſarium exerere; *Contra folium, quod vento rapitur, oſtendis potentiam tuam*, inquit: vt artificioſiſſimè foliorum comparationi humilitatis ſuæ & infirmitatis agnitionem immiſcens, ſanitati reſtituatur. Aduerſus nuditatem primi parentes conſuerunt *folia ficûs*, & fecerunt ſibi perizomata: vt & nuditatem tegerent, & libidinis iſti pertinaciſſimo morbo, quem iam recenter contraxerant, mederentur. Contra idololatriæ rabiem non aliud malagma componit Iſaias 1. cap. *Confundentur enim ab idolis, quibus ſacrificauerunt &c. cùm fueritis velut quercus defluentibus foliis.* Contra tumorem ſuperbiæ, Eccleſ. 6. *Non te extollas in cogitationibus animæ tuæ, velut taurus, nè fortè elidatur virtus tua per ſtultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & reliquaris veluti*

Folia variam ſuppeditant doctrinam.

Ezech. 47.

Eccleſ. 6.

veluti lignum aridum in eremo. Vis contra ſtultam vitæ huius præſidentiam, Eccli. 24. *Omnis caro ſicut fœnum areſcet, & ſicut folium fructificans in arbore viridi alia generantur & alia deijciuntur; ſic generatio carnis & ſanguinis, alia finitur, & alia naſcitur.* Aduersùs contagionem (neſcilicet Angelorum peccatum exemplo ſerpat ad homines) Iſaiæ 34. cap. *Et omnis militia eorum (cælorum) defluet ſicut folium de vinea & de ficu.* Nec tantum morbi remedia, ſed omnia ſanitatis oblectamenta ex iiſdem arborum foliis decerpunt. Poteratne quid fingere Regius Pſalmiſta ad oblectandum iuſtitiæ ſectatorem iucundius, quàm plantare illum iuxta perennis aquæ fluentem, ornatum foliis, onuſtum fructibus, cum ea promiſſione, quòd *folium eius non defluet?* Hoc didicerat à patre filius Sap. 11. *Iuſti autem quaſi virens folium germinabunt.* Et Ieremias denique de viro, qui confidit in Domino: *Erit quaſi lignum quod tranſplantatur ſuper aquas, quod ad humorem mittit radices ſuas; & non timebit cùm venerit æſtus, & erit folium eius viride &c.* Patet ex omnibus, nihil eſſe generi noſtro ſimile magis, quàm arborum folia; quod Poëta Græcus fatetur: *Perſimilis folijs hominum gens omnis caduca.* Rectè igitur *arborem* vocamus longo ſtemmate continuatam ſtirpis alicuius ſucceſſionem, cùm nihil præter frondes ſint ipſi ſucceſſores, quæ primâ ridente veris tempeſtate, ambitioſius diuitias ſuas oſtentaturæ certatim proſiliunt in lucem; ſed vix September aurâ paulò frigidiore inuertit annum, cùm ſtatim lapſa cadunt folia, & viridia illa ſyluarum decora omnium calcantur pedibus, inter vltimas terræ ſordes connumeranda. Senſu caret, qui in ſtuporem non vertitur, audiens in hodierno Euangelio Dauides, Salomones, Ioſias & tot magna Regum nomina, quæ tam longè & tam magnificè proferebant arboris huius ramos, vt non Iudæam tantùm tegeret frondibus, ſed per orbem vniuerſum ſpargerent vmbram ſui nominis, eò decidiſſe, vt truncus eius in vilia fabri inſtrumenta conflatus eſſe videatur. Animaduertimus quotidie quàm ſit amœnum viſui, dum illuſtris aliqua familia cœpit germinare, ſe in ramos diuidere, ſucceſſores numerare: quis hîc non ſperet æternaturam progeniem? quis non folia & fructus nullo temporis interuallo corrumpendos? Sed mirabere, dum breui videbis ſterilem loco arboris truncum, omni virore ſucci, omni frondium honore, omni ſapore fructuum carentem, cui non aliud remanſerit ornamẽtum, quàm quod dicere liceat, Fuit hęc aliquando famoſa & ſyluæ huius gloria. Neque eſt quod ideo putes arborem aliquam ruinæ expertem fore, quòd denſo obarmata trunco, plurimis diffuſa ramis, cælum ipſum laceſſere videatur cacumine: ipſum enim robur tempeſtates prouocauit, ramorum multitudo ventorum augebit rabiem, & altiſſima quæque primum decident: contra ſi quod vſpiam neglectum folium, humili ramuſculo latitans ſub aliorum gloria; hoc eſt quod ætatem feret, quod tempeſtatum vim contemnet, quia ne ſentiet quidem, ipsâ ſuâ humilitate ſecurum, infractis robuſtiſſimis quiſque ramis. *Feriunt celſos fulmina montes, & Frangunt altos flamina ramos.* Non aliò diuertendum eſt, vt illuſtribus hoc confirmetur exemplis: quam in manibus habemus inſpiciamus arborem, & inueniemus fortunæ vtriuſque extrema. Conſidera ſtemma iſtud tam longo recenſitum ordine: nónne inuenies diuitiarum, potentiæ, ſapientiæ, nobilitatis ipſa faſtigia? Inde verò humilem in Virguncula virgulam contemplare; nihil abiectiùs. Sed idem qui iſta calcabit faſtigia, eriget humilitatem, & faciet illi magna qui potens eſt potentes omnes deponere de ſede, & exaltare humiles. Quid putas Iſaiæ in mentem veniſſe, quod more ſuo illuſtri vaticinio Euangelij myſteria non tam prænuntiaturus, quàm coloribus ſuis veluti

Eccleſ. 14.

Iſai. 34.

Sap. 11.

Ierem. 17.

Nobilitas & gloria mundi caduca.

Humilitas à Deo exaltatur.

res gestas descripturus, eam lumini prophetiæ suæ obscuritatem admiscuerit, vt præter naturam aliarum plantarum ille dicat: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Videmus arborum radices primùm effracto solo virgas emittere, has sese in ramos diuidere, diuisarum extremis flores adnasci: nullam verò tota naturalis refert historia, quæ eâdem ex radice immediatè virgam floremque protrudit. Non abit à more suo Propheta: non enim quid ceteris in plãtis agat natura intuetur, sed clarè ostendit hanc Iesse radicem sibi tamquam præsentem oblatam fuisse, non qualis tunc erat, quando supra omnem humanæ dignitatis altitudinem ramos suos extenderat in vertice regio diademate coronata; sed qualis tum temporis erat futura, quando hanc virgam & florem, de quo sermonem facit, emitteret. Cernebat omnes altiùs sese extollentes ex ea ramusculos paulatim exaruisse: plurimos Herodis crudelissimo gladio dissectos, donec vltimam regni spem septemdecim ante Virginis natalem annis in iuniore Aristobulo aquis præfocauit: ceteros qui ex Dauidis censerentur familia vltra humum se suam non attollere: ita vt radix quidem Iessea supereesset, sed tantùm radix, eaque defossa humi, neglecta, & pænè incognita mortalibus. Hic Propheta rem nouam & admirabilem vaticinaturus: *Egredietur*, inquit, *virga de radice Iesse*; postquàm tot inde exortæ arbores robustissimę conciderint, & virga adeò humilis erit in conspectu hominum, vt flos qui de ea proditurus est, ipsi radici & terræ adhærere putandus sit. Vix enim vmquam veniet in mentem Iudæis, florem hunc tamquam ex virga ortum, sed veluti immediatè radici adhærentem aspicere: nemo enim Marię, sed omnes Dauidis filium appellabunt; ipso Euangelista teste, qui hodierno die nõ Marię filium initio proclamat, sed *Liber*, inquit, *generationis Iesu Christi filij Dauid*: vt tantò clariùs Hebræis ostenderet huius se floris genealogiam describere, quem illi ad radicem immediatè referebant. Ex qua virgæ nostræ humilitate, dum videmus ad quantam eam Deus sublimitatem erexerit, ingens nobis consolatio exoritur & spes, si fortè, dum virtutis semitam constanter premimus, accidat ignorari nos, vel etiam contemni ab hominibus; fore aliquando, vt ille nos respiciat, qui deponit potentes de sede; & omnes producit in Euangelio ad honorandam illam, quam vix aspectu suo dignarentur. Non enim alium ob finem hîc ex cineribus exciti Euangelistæ calamo quasi reuiuiscunt, quàm vt Virginis humilitati glorioſum adornent triumphum, ordine Natiuitatem eius præcedentes: vt isto fateantur obsequio se ab illa omnem suam accepisse magnitudinẽ, de cuius natiuitate tam impensè gaudent in cælis Angeli, & in terra exultat omnis piorum Ecclesia. Quòd autem tota hæc pompa, quantumcumque concinnè adornata, nihil ostentet nisi quandam veteris ruinam magnitudinis, & cadauer quoddam humanæ maiestatis; mirandũ non est considerãti omnem hanc peccato, ruinoso sanè fundamento, superædificatam fuisse magnitudinẽ: quotquot enim Virginem præcesserunt, peccatores fuerunt: peccati autem nulla neque secura, neque diuturna potentia, aut gloria. O vanas cogitationes, & inanes spes mortalium! qui perpetuandi nominis stultâ agitati sollicitudine, æri & marmori illud insculpũt, titulos erigunt, mausolæa struunt eo ipso sæpe tempore (vt notat S. Augustinus) quo nomina eorum delentur de libro vitæ: *Velut è somno surgentium, Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* O quale somnium! destruitur memoria, & omnia monumenta eorum in ista cælesti ciuitate; dum veluti in somno laborantes omnem dant operam, omnemque consumunt industriam, vt in hoc viliſſimo mundi angulo cognoscantur: & quando dormierunt somnium suum, nihil inueniunt in manibus suis.

Isaiæ. 11.

Psalm. 72.

Verùm

Quid vocet hominum imagines Scriptura,

Verùm quid hic Scriptura vocat ipsorummet hominum imaginem, cùm ad Christi Domini nostri, virginisque Matris imaginem creatos homines suprà docuerimus? Est quidem ista naturalis, vt docuimus, similitudo & imago, ad quam nos formati & plasmati sumus; officiique nostri erat omnem nauare operam, vt eosdem per gratiam representaremus, quos per naturam referimus. Sed, pro dolor! nostram nos, id est, vitiorum imaginem inducimus & laruis peccatorum personati partes in hoc theatro agimus non quas Deus dederat peragendas, sed quas ipsi nobis sumimus. Atque ita S. Ioannes orbem vniuersum contemplabatur, dum ait: *Præterit figura* huius mundi. Non ideò quòd omnia pereant, quæ ortum habuerunt; sed quia non aliud est quàm personatorum perpetua quædam comœdia. Nam quæ alia distinctio est inter eum qui officium aliquod re ipsa gerit, & cum qui in scena idem exhibet? quàm, quòd hic exiguo tempore sæpiùs partem mutat, nunc regis, nunc serui personam gerens; qui verò extra scenam seriò agit officium, nisi fortuna (quod sæpe facit) aliud iubeat, non nisi cum vita personam deponat. Nos autem in hoc mundi theatro tanquàm histrionicam professi, nunquam in eadem figura consistimus: iam enim ambitiosi personam induimus, paulò post sub amatoris larua insanimus; rursum adulatoris, inuidiosi irati vultum sumimus: tot enim habemus personarum similitudines, quot peccata. Sed omnes hasce imagines ad nihilum Deus rediget, nulla etenim illi placet, præter imaginem Filij sui, cui vult conformes fieri omnes qui capiunt hæreditatem salutis. Si diutiùs contemplationi huius scenæ inhæreamus, etiam id ex personarum, quam homines sumunt, diuersitate discemus quàm parum iis fidendum sit: qui enim hodiernâ die amici personam agit, cras in hostem capitalem conuertitur. Imò quot sunt, qui duplicem simul personam sustinent? sunt qui te in faciem laudant, & vix digressi, quibus possunt famam tuam proscindunt opprobriis: sunt qui sub humilitatis insignibus nutriunt superbiam: sunt qui Curios simulant, & bacchanalia viuunt: sunt qui confessionis atque sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramenta frequentant sæpissimè, interim vel peccandi occasiones non fugiunt, vel iniustè possessa non restituunt: sūt qui rudi panno induti, nihil præter byssum & olosericum cogitant: sunt qui hodie clamabunt, *Hosanna*, tantâ te sui submissione & honoris significatione venerabuntur; cras autem tanquam ignotam præteribunt. Quid dicemus, nisi monstrorum quorumdam, quæ duplici linguâ & corde prædita sunt, partes agere hosce homines? Quàm pauci istam Amphiarai frontibus & cordi inscriptam gerunt sententiam, οὐ δοκεῖν, ἀλλὰ εἶναι, quo sese non apparere velle amicos, fideles, bonos, & pios, sed esse profiteantur, non ore, sed re ipsa & corde. Sed ea est temporum iniquitas, vel hominum potiùs peruersitas, vt primariæ vbique partes hypocrisi, vitio omnium deterrimo, datę videantur. Hypocrisis enim fucum faciei, vultui lætitiam, verbis suauitatem aspersit: illa vestes diuitis pauperi, equitis animum plebi, agni speciem lupo adaptauit: illa gestum format, Scripturam adulterat, negotia peragit. Hypocrisis omni ætati, sexui, & conditioni se insinuat: adstat altaribus, sedet in tribunalibus: per omnia subsellia vagatur, ambitionis, auaritiæ, luxuriæ laruas, quantumcumque sibi eas arctè adstrinxerint, tamen vnà cum pelle homines in morte deponunt. Hypocrisis adeò firmo adhæret glutino, vt ne quidem à morte detrahi possit. Testantur id tot scelerati cineres, qui magnificis epitaphiis etiamnum mundum conatur decipere. Stulti! Quid, quæso, simiæ profuerit, si ita coram formicis personam suam aptè gesserit, vt iis leo esse videatur, si interim à lupo pro simia deuoretur? Agitis quidem personam, & sæpè

Hypocrytæ,

personam duplicem, imaginem vestram mundo obtruditis, sepulchra ipsa & monumenta ædificatis: sed agite, quantácumque potestis curâ & dissimulatione, vnà cum ædificijs & monumentis; vnà cum elogiis & epitaphiis, vnà cum laruis & imaginibus vestris vos in nihilum rediget Dominus.

CAPVT X.

Quid generis nobilitas ad laudem Virginis contulerit,

STEMMATA *Quid faciunt?* petebat ille Satyricus. Cui petitioni si locus vspiã datus est, nullum puto vnquam assignatum esse magis proprium, quàm illum, quem in hodierni Euangelij explicatione sibi deposcit: vbi cùm Virginis tot propriis virtutibus, tot diuinis fauoribus, tot Spiritus sancti muneribus commendatissimæ Natalis dies proponitur, nihil in laudem eius adfertur, nisi generis nobilitas longo stemmate recensita. Mira profectò nobilitatis vis, si tot ea virtutibus præponenda, aut si (quod multi existimant) vix tantillùm ad laudem referat, quales ij fuerint, quorum neque virtutem promouere, neque vitia frænare tu, cùm non existeres, potuisti. Mirum videtur Spiritus sancti consilium, tam ambitiosè generis splendorem ad deprædicandam Virginem proponentis. Multùm sanè nobilitati tribuit Magni Constantini panegyricus, dum in oratione Treuiris habita, in hæc verba Euangelij nostri consilium approbare videtur: *Mihi Deorum immortalium munus & primum videtur & maximum, in lucem statim felicem venire.* Multùm illi Petrarcha detrahit lib. de Remed. dial. 16. *Omnis propemodùm sanguis concolor, sicubi fortè alter altero clarior inuentus sit, non id nobilitas efficit, sed sanitas.* Occurrit enim isti sententiæ, quæ sola videtur contra omnem Philosophorum, parum nobilitati tribuentium, consensum. Videbatur aliquid dicere, propter quod ne regidissimi quidem virtutum Magistri eam deberent prorsus contemnere: Corpora scilicet eorum, qui claro sanguine nascuntur, meliùs facta, & solertis naturæ manibus quasi artificiosius conformata: vnde sensibus subtilioribus, Spiritu viuaciore, membris meliùs sibi ex proportione respondentibus, gestu decentiore, maiore denique omnibus in rebus gratiâ prædita sint, quod illis virtutis exercitium vehementer facilitet, Si enim *sanitatis* illa, non verò *nobilitatis* sunt priuilegia; laudandi potiùs illi sunt, qui bonâ corporis valetudine vtentibus, quàm qui longo auorum stemmate splendentibus patribus procreantur. Nam illud quod accurratâ sanè & periucundâ disputatione posset confirmari, Hominum nempe animos, licèt quod attinet ad speciem eiusdem omnes sint ordinis, multùm tamen ceteris inter sese virtutibus differre; (Perindè atque in floribus eiusdem nominis & ordinis magnam in colore, figura, odore, atque alijs qualitatibus aduertere est diuersitatem) ne quidem nobilitati fauet. Vt enim manibus pedibusque eatur in illam sententiam; quis ita benè agi credet cum nobilibus, vt illis eæ semper obtingant animæ, quæ plus cælestium & subtilium qualitatum imbiberint, minusque plumbeæ ac terrenæ fæcis adiunctum habent? Quot enim vidimus inter pauperis tugurij angustias natos, qui mundum impleuerint nominis sui gloriâ? Quot contrà nascentes byssus & purpurà excêpit, quos ex ingenij tarditate perpetua sepeliuit ignominia? Sedent multi hodieque ad remos, qui clauum feliciùs regerent: & multi item clauum tenent, quos remi magis deceant. Vnde tandem ea videtur relinqui consequentia, cùm nihil

Quàm stolidum sit sibi ob stirpis nobilitatem plaudere.

nihil faciat nobilitas ad hominem; non infimæ insaniæ genus esse, sibi ob maiorum virtutem, & sanguinis, vt vocant, claritatem, plaudere. Quis enim non rideat cæcum sese aliis, qui cæli aspectu fruuntur, anteponentem, quòd patrem habuerit lynceis præditum oculis? Quis balbum ferat, iactitantem patris aut aui sui eloquentiam? Quis pauperem, maiorum superbientem diuitiis? imò quis Cancri marini non exsibilat vanitatem, qui si piscium ingentium vspiam fortè repererit conchas, iis, se insinuat, atque ibi vanitatem suam nutrit, inflat ventrem & buccas, tanquam domum iam amplam impleturus, & paruitatis suæ oblitus, stolidè sibi de mutuata domicilij plaudit magnitudine? Sed an non idem facit ille, quisquis est, qui se nobiliorem gloriatur, quòd intrusus in familiam, quæ animorum virtute ad vtriusque solis cardines suam protulit gloriam: in quâ illi, quòd maiora virtus eorum caperet, summâ cum laude fuerant versati; ipse verò vt cancer inertissimus vacua in concha se se magnificè circumspicit, quòd eam in vastitatem irrepserit, quam patres aliquando magnitudine sua impleuerunt? Sed quid? an tu nobilitatem insectaris? an nescis, si mundus annulus est, eius esse gemmam? Si oculus est, esse pupillam? si corpus, eius animam esse nobilitatem? Ego verò nobilitatem non carpo; sed hoc dico: non facit nobilitatem atrium plenum fumosis imaginibus, quia quod ante nos est, nostrum non est, non enim ad nostram vixerunt gloriam. Imò adhortor & obtestor eos qui dicuntur nobiles, vt operam dent, cùm ipsi inter homines non secùs ac montes inter plana camporum emineant, ne sint montes illi, de quibus Oseas, pleni laqueorum & insidiarum ad captandum eos, quibus esse debebant duces itineris, sed sint montes pleni myrrhâ & aromatibus, quos in Canticis suis dilaudat Sapiens. Cùm in vasto hoc mundi oceano ipsi supra aquas eleuentur, non sint infames naufragiis scopuli, sed phari quidam salutarem errantibus facem præferentes. Cùm astra sint in hoc cælo, conentur similes esse isti patri vitæ & luminis; non cometis, qui spargant vbique mortes & exitia; vt hac propriâ sibi in bonum humani generis eminentia non tantùm loco excelso sint editi, sed edito in loco splendeant virtutibus; aliàs locus eminentior, ad quem illos parentes clari euexerunt, non eos ostentabit ad gloriam, sed protrudet in omnium conspectum ad ignominiam. At audio me verberari tacitis obiectionibus, fatentium hæc quidem speciosiùs dici tum ad frænandam arrogantiam quandam, quæ facilè nascitur in animis nobilium; tum etiam ad incitandam eorum virtutem, ne ipsi à præclaris parentum factis degenerent: interim & communi hominum iudicio comprobari, & hodierno confirmari Euangelio, esse aliquid in ipsa parentum virtute ad gloriam, quod vnà cum sanguine transfundi videtur ad posteros, vnde venerabiliores existant illi, & veluti sanctiores ceteris mortalibus. Fieri enim, nescio, quomodo; fieri tamen tacito quodam naturæ instinctu, vt quemadmodum vestes sanctorum ideò in honere habemus quòd cum personis illis, quas omni veneratione dignas indicamus, fuerint aliquando coniunctæ; ita illustrium parentum filios propter maiorum gloriam obseruemus tamquàm saeras quasdam istius virtutis reliquias, cui aliquando fuerint per identitatem coniuncti. Imò assignandum videtur aliquid in nobilitate istâ per longam auorum seriem deducta, quod virtutis quandam commendationem habeat: cùm Euangelista hoc putauerit non in postremis Virginis laudibus recensendum. Quâ in re licèt laude dignam esse nobilitatem ego pernegem, cùm solius virtutis comitem laudem esse putem; id tamen libens fateor, vim quandam & pondus ex nobilitate accedere virtutibus, quod gloriam illarum vehemẽter adaugeat; quemadmodum

Nobilitatis laus, & ad nobiles exhortatio.

Nobilitas quid conferat ad laudem.

admodum in câ calculatione, quæ Arabicis numerorum characteribus instituitur, licèt ea nota, quam cyfram vocant, ipsa per se numerum nullum efficiat; aliis tamen coniuncta numerorum litteris, earum vim mirum in modum auget. Pauperum lauare pedes, magna est & omni laude digna humilitas: sed cùm id S. Ludouicus regiâ stirpe & sceptro illustris facit, nescio quâ ratione fiat, vt quantum ipse ceteris hominibus excellit, tantò virtus illa in ipso plus laudis mereri videatur. Addo quod incitamentum quoddam sit viuum & efficax ad virtutem nobilitas: tum ob naturæ conformationem ex Platonis sententia (qui in Alcibiade ait: *Consentaneum est meliores esse naturas nobiles in genere, quàm ignobiles; ac necesse est vt nati si bene educentur, demùm ad virtutem perueniant*) tum propter honestum quendam titulum, quem Deus nobilitati addit, vt animos eorum perpetuò exagitet ad res cum laude coniunctas suscipiendas: eum ferè in modum, quemadmodum sexui imbecilliori instinctum quendam pudoris addidit, honoris puellarum satellitem, qui eas suaui violentiâ compellit ad puritatis custodiam, qui ne à morte quidem illas deserat; adeò vt, Plinio teste, si fortè aquis submergantur, *pronæ fluctuent, pudori earum parcente naturâ.* Cùm autem laudabile sit quidquid ad virtutem quodammodo hominem perducit; sequitur nobilitatem esse laude dignissimam, cùm citiùs Phidiæ à Mineruâ ipsius imaginem, quàm à nobilitate separaueris rerum glorioſarum cupiditatem: iam enim degenerauit à claritate suâ, qui hosce in se exstingui siuit igniculos. Habebimus ergo (si duabus hisce rationibus insistere velimus) imprimis in B. Mariâ Virgine fuisse virtutum quandam sitim inexstinguibilem; tum etiam omnes eius virtutum actus, licèt aliundè non fuissent supra aliorum sanctorum merita subleuati, vel indè omnibus anteponendos fuisse, quòd cùm illâ nobilitate omnes superaret, sese ad ea demitteret quæ vel humilitatis, vel patientiæ haberent exercitationem. Idque satis erat cur Euangelista & Ecclesia in natiuitate eius, nobis generis ipsius splendorem proponeret: nam hoc puto in controuersiam non posse venire an alius quispiam cum ipsa certare possit maiorum gloriâ. Si quis enim diligenter in Euangelium intendat, omnia in stirpe hac reperiet, quæ vllam possunt familiam cõmendare. Quod Bartholomæus Pisanus in hunc modum explicat: Beata Virgo orta est primùm ex multis patribus veteris testamenti, maximè à decimo nono, incipiendo ab Adam vsque Thare; secundò de Patriarchis, tertiò de Principibus, quartò de Iudicibus, quintò de Regibus, sextò de Ducibus, septimò de Prophetis, octauò de Doctoribus, nonò de viris strenuis & fortibus, decimò de Sacerdotibus & summis Pontificibus, vndecimò de populi Rectoribus, duodecimò de cultoribus Dei & iustis parentibus. Vnde augusta oritur Virginis nascentis species, quæ tam magnificè in mundum, quàm Sacerdos in sancta sanctorum, ingreditur. Ille enim non sine pectorali suo (in quo nomina duodecim tribuum Israel cum heroicis maiorum factis scripta erant) ingrediebatur: *Et parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant Scripta*, vt scilicet agnosceret sacerdos, quãdo hanc vestem induebat, se vitæ sanctimoniâ eorum gloriam debere æmulari, quorum nomina eum exornabant: illa verò appensis tot maiorum suorum, bullæ loco, pectori suo nominibus, nascitur, *Attollens humero famamque & fata nepotum*; vt se eorum recordatione excitaret ad omnem eorum virtutem superandam. Quod insigniter deindè imitatus fuit Boleslaus IV. Poloniæ Rex, qui auream patris sui imaginem collo appensam gerebat, eamque, quoties rei grauis vel dicendæ vel faciendæ occasio offerebatur, exosculatus, aiebat: *Absit pater, vt quidpiam nomini tuo indignum admittam.*

B. Mariæ Virginis eximia nobilitas.

Laudem

Laudem ſuam meretur nobilitas, quando ad rem tam laudabilem impenditur.

CAPVT XI.

B. Maria Virgo vltima rerum creatarum linea, per quam optimè eius quaſi-infinitudo explicatur; & pulchritudo eius laudatur.

EVIT illa Pauſiæ pictoris, & Glyceræ coronarię iucũdiſſima, cõtentio: cùm hæc innumeros flores ſummá varietate diſtinctos proponeret; ille verò eorundem formas & colores exprimere, ac diuerſos veluti luxuriantis naturæ ludos artis beneficio conſequi niteretur. Sed nec minùs gratum illud Dei & B. Mariæ Virginis certamen. Quando ille primùm cœlos præparabat; & illa aderat, omnem cælorum ſplendorem nouis quibuſdã coloribus in ſeſe ipſa exprimens: ſi ille terram molieba-tur, hæc terræ virginis nullo vomere proſciſſæ fœcunditatem ſuperabat: ſi ille librabat fontes aquarum; hæc mirabilẽ illam aperiebat aquarum ſcaturiginem, quâ cælum & terram caſtiſſimis gratiarum lymphis mundaret: denique quot & quantas ille res iſtâ voluntati ex æquo reſpondente dexterâ producebat; tot & tantas hæc modo quodam eminentiore, (vt iam multis oſtendimus) tum quidem in diuinis ideis mirabiliter, poſt hodiernum verò diem in carne ſua realiter, exprimebat. Quæ quidem vtriuſque molimina ego oratione (quam operis vmbram nominare ſolet Democritus) imitari hactenus fui conatus, quando Virginis ac mundi tum in genere, tum partim multorum in ſpecie, attuli comparationem.

Sed iam ventum ad extremum eſt, nunc operis iſtius ducenda vltima linea eſt, quæ in arte pictoriâ, ſecundum Plinium, ſummæ eſt laudis atque induſtriæ. *Media*, inquit ipſe, *rerum corpora pingere, magni quidem operis eſt, & in quo multi gloriam tulerint: extrema autem corporum facere, & deſinentis pictura modum includere, rarum in ſucceſſu artis inuenitur.* Cùm verò certum ſit non iiſdem perfectionum terminis Mariam definiri, quibus mundus vniuerſus circumſcribitur; ſequitur nos, ſi cum S. Ioanne Chryſoſtomo mundum velimus tanquam picturam proponere, lineam illam quæ tabulam vniuerſam ambiat & veluti concludat, eſſe Virginem: cùm illi maximè iſta proprietas conueniat, propter quam tantæ difficultatis eſſe dicit Plinius eam depingere. *Ambire*, inquit, *debet ſe extremitas ipſa, & ſic deſinere, vt promittat alia poſt ſe.* Neſcio an verbis ſubtilioribus Theologorum quiſpiam definire poſſit illam, quam omnes admiramur, nemo capit, in Virgine quaſi infinitatem. *Ambire debet ſe extremitas ipſa.* Vides terminum quendam aſſignari: ne infinitatem abſolutam imagineris. *Sic* tamen *deſinere* debet, *vt promittat alia poſt ſe.* Quid hoc eſt dicere, niſi terminum hunc eundem ſine termino eſſe, nec illud vnquam in eo videri poſſe, poſt quod non alia multa lateant? vel, vt rudiùs loquamur, talis eſt iſta linea, quæ, ſi res à Deo productas aſpexeris, omnes ambit, & perfectione ſua complectitur circulo, vt ſic loquar, capacitatis finitæ, cùm ea quę ambiuntur certis limitibus ſeſe ipſa definiunt. Rurſùm ſi eam, ſine iſta cum aliis rebus comparatione, ſecundùm ſe contempleris; *ambire debet ſe extremitas ipſa:* magna & ampla inuenies quidem, ſed rurſùm nihil infinitæ capacitatis. At ſi denique ipſam hanc lineam cum eis, quæ extra illam ſunt (qui ſolus Deus

In lineaam-biente præcipua picturæ ars conſiſtit.

est) contuleris, hic mirabiles mentis & oculorum ludos inuenies, in quibus perfectionē suam pictor vniuersi Deus nobis declarare voluit. Nusquàm enim sic desinet, vt non promittat alia post se. Nam matrem esse, dignitatis cuiusdam & perfectionis est, quam rebus animatis plurimis communicauit; matrem autem esse hominis, plus est: quantum autem sit; ipsa hominis dignitas definit: cùm maternitatis honor à termino maximè sit desumendus. Igitur hominis nobilis matrem esse, Principis, Regis, eâ proportione plus dignitatis continebit, quò filij isti alter alterum nobilitate excedent. Quid ergò, Matrem esse Dei, cuius tandem dignitatis, honoris, maiestatis esse definies? nusquàm hic oculum figes, quin alia multa promittat post se. Rursus matrum amor, secundùm eos quos in filiis vident suauitatis, sapientiæ, dignitatis gradus, incrementa sumit: vbi ergo desinere illum dices, qui fertur in filium, suauitatis, sapientiæ, dignitatis infinitæ? Denique, quò plus valet vel apud Principem gratiâ, vel in repub. authoritate, vel in regno potentiâ filius; eò concipiendæ vires matris ampliores. Dic ergo quem finem pones istius Matris authoritati, fauori, potentiæ, quæ omnia potest apud omnipotentem Filium? Artificiosissimè sanè hanc vltimam picturæ orbis tetrarum artifex Deus depinxit lineam, eâ subilitate, vt ambiat sese extremitas ipsa, & sic desinat, vt promittat alia multa & infinita post se: ita vt nusquam locum assignare possis, vbinam ab infinitis illis distinguatur: sed delicatissimè desinentibus & inter se confusis coloribus, inuenies quidem vbi dicere possis, hoc Virginem non esse, terminum autem vbi dignitas, amor, potentiaque eius desinat, non assignabis. Terminat ergo Virgo Beatissima totā vniuersi huius picturā, imperfectaque erant hâc nonductâ lineâ quę creata erant omnia: tum quod ad hanc ideam facta est omnium creaturarum gratia, pulchitudo, & perfectio; tum quod illa sit, quæ cælum & terram suâ pulchritudine decorauit, Angelorum ruinas reparauit, homines per Filium, &, quemadmodum alibi demonstrauimus, vnà cùm Filio redemit, omnia denique veluti Aurora exorta lumine solis vicini perfudit, sine quo in tenebris & squalore iacebant. Mira hæc est vltima tabulæ huius vniuersi linea, siue mundum contempleris, quem superat; siue illam ipsam, cùm se vix ipsa capiat; siue Deum, cuius infinitudini quadam ratione permiscetur. Sed admirabilius quod de eâ dicit Methodius Episcopus & martyr, qui lineam hanc oratione definiturus, Græcâ, quâ pollebat eloquentiâ, pulcherrimè ludit; quæ ita Latinè reddi possunt: *Tu (Maria) incircumscripti circumscriptio, speciosissimi floris radix, Creatoris mater, nutrix omnia nutrientis, omnia continentis complexio, gestatrix eius qui verbo portat omnia: Porta, per quam carnem ingressus est Deus; purificantis illius carbonis forceps; sinus angustus immensi illius, omnia in se concludentis: incomprehensibilis roris vellus; Bethlemitica cisterna, quam velut vitæ refocillatricem Dauid desiderauit, & ex quâ immortalitatis poculum mortalibus emanauit; propitiatorium, per quod Deus humanam naturam indutus mortalibus innotuit; impollutum illius indumentum, qui lucis vestimento circumfunditur; Deo nullius indigo carnem mutuata, quam ipse non habebat.* Vbi inter tot laudem encomia, quæ natæ Virgini eruntinstar genethliaci, hæc noto, huic maximè discursui inseruientia. ἡ περιγραφὴ ἀπερίγραπτος ἐγκύος ἐστὶ περιέχοντος, ὁ ἔραχις κάλπος πάντων κόλπος, id est, *incircumscripti circumscriptio, omnia continentis complexus; angustus illius sinus, qui sinu suo omnia complectitur.* Quibus verbis lineæ nostræ termini, quos nos citra Deum continuimus, etiam vltra istam infinitatem extendi videntur. Empedocles Deum definierat *circulum, cuius centrum vbique, circumferentia nusquam est*: acuto sanè emblemate illam indicans immensitatem cuius vis vbique tota existit; perindè ac si

Methodius.

B. Maria Virgo perficit vniuersa.

B. Virgo est circumferentia Dei.

ac si cum Methodio fateretur, incircumscriptum, omnia continentem, sinu omnia complexum dicendum esse. Sed *incircumscripti circumscriptionem, omnia continentis complexionem, sinus illius immensi capaciorem sinum* non viderat. Mutanda ergo ex Methodij mente hæc definitio, dicendumque; Circulum esse Deum, cuius centrum vbique, circumferentia Maria est.

Iniuriam feciſſe ſpectatori mihi videbor, ſi manum de hac tabula ſuſtulero antequam paucis verbis Virginis pulchritudinem tanquam coloribus depinxero. Laborat quidem non nihil ſi non infamiâ, certè periculi ſuſpicione hoc præſtantiſſimum Dei munus. Ea enim eſt peccati & naturæ peccato obſequentis peruerſitas, vt non mala tantùm boni ſpecie fucata obtrudat, ſed bonis etiam malorum effectum tribuat. Quapropter S. Auguſtinus lib. 15. de Ciuit. cap. 21. pęnè in medio relinquit, bonumnè ſit an malum quòddam, formæ pulchritudo: adeo tenuiter bonitatem eius dilaudat. *Pulchritudo corporis*, inquit, *bonum Dei donum: ſed propterea id etiam largitur malis, nè magnum bonum videatur bonis.* Petrarcha verò omnia philoſophiæ armamentaria exhauſiſſe videtur, vt tela & iacula reperiret, quibus innocentiſſimam pulchritudinẽ configeret. Audi illum lib. 6. dial. 2. contra eam fulminantem: *Habes hoſtem tuum domi delectabilem & blandum: habes raptorem quietis, tortorémque perpetuum: habes materiam laboris vberrimam, diſcriminum cauſam, fomentum libidinum, nec minorem quærendi odij quàm amoris aditum: habes laqueum pedibus, velum oculis, aliis viſcum; ſuperficie tenus fulget decor, multa fædaque tegens & horrenda, leuiſſimæ cutis obtentu ſenſibus blãditur & illudit.* Neqsiſti philoſophiæ contradicit omnis Theologię noſtrę medulla ſacra Scriptura: nam Eccleſ. 13. *Veſtigium cordis boni, & faciem bonam difficile & cum labore inuenies.* quod ſic quidam expreſſit: *Rara eſt eſt concordia formæ atque pudicitiæ. Fallax gratia & vana eſt pulchritudo*, inquit in Prouerbiis Sapiens. Iob autem maledicere videtur formæ: *Deuoret pulchritudinem cutis eius, conſumet brachia illius primogenita mors.* Timere videbatur ille, ne deuoraretur à pulchritudine; hinc pepigerat fœdus cum oculis ſuis, ne eam curioſiùs intuerentur: iam verò optat vt illa incidat in foueam quam fodit, conſumaturque potiùs à morte, quàm vt eum occidat: quod ſanè nullo eam denouente, heu! quàm contingit breui! Ex cunctis enim quæ mortali cum corpore fugiunt, nihil velociùs quàm forma: quæ mox amœnum floſculùm oſtenderit, ipſos inter oculos mirantium atque laudantium euaneſcit: & cùm breuis hunc pruina percuſſerit, leuis hunc aura decuſſerit; ſubitò vel mortis vngue decerpitur, vel prætereuntis morbi calce deprimitur. Vide quàm fragile ſit quod fortiſſimis hominum fortiſſimorũ corda debellat machinis. Sanè neq; leone ferocior, neq; maior Goliatho, neque Saule potẽtior erat Berſabee: & tamen vnico oculorum obtutu eum proſternit, qui leones dilacerare, Goliathum calcare, & omnibus Saulis viribus reſiſtere ſolebat. Toti Palæſtinorum patriænon ſufficiebant fures ad illigandum Sampſonem, quem Dalilæ pulchritudo captiuam tenet. Paginas multas impleam, ſi vel delibare velim clades, quas fortiſſima hæc ſine ſatellitio tyrannis exercuit: quæ omnia ſi prudentiore iudicio diſputare velimus, in laudem cædere pulchritudinis inueniemus; licèt laudandum non ſit in hominibus, quòd tam admirabili Dei dono non benè vtantur. *Pulchritudo* enim, vt ait Pythagoras, *reuerà mihi videtur quid reuerendum & admiratione dignum.* Imò S. Ambroſius ſic eam extollit, vt iiſdem veſtimentis indutos inſinuet quibus Deus ipſe veſtitur, qui pulchritudine excellunt. *Quæ maior*, inquit, (lib. de dignit. humanæ condit.) *dignitas, quàm iiſdem hominem veſtibus indui, quibus ipſemet Dominus, iuxta illud: Dominus regnauit decorem indu-*

Pulchritudo eſt bonum exiguum & periculoſum. S. Avgvst.

Ecclef. 13.

Pulchritudo citò fugit.

Eadem fortiſſimos debellat.

Pulchritudinis laus.

S. Ambr.

tus est? Ex quâ sententiâ non absurdè sequeretur eam, quàm incircumscripti circumscriptionem anteà ostendimus, non pulchram tantùm & formosam esse, sed ipsum decorem & pulchritudinem. Sed ludere non libet Poëtarum more. In hac venerabili pulchritudine describendâ rationem sequamur, eamque solidam, quâ astruamus Virginem eâ corporis pulchritudine præditam fuisse, quę in femineo corpore vel esse possit naturaliter, vel saltem vnquam fuerit. Vbi facem nobis pulcherrimè S. Scriptura prælucet, quę de Rebecca ait: *Erat enim puella decora nimis, virgoq; pulcherrima, & incognita viro.* De Rachële autem: *Erat venusta facie & decora aspectu.* De Esthere: *Pulchra valde, & incredili pulchritudine, gratiosa omnium oculis, & amabilis videbatur.* De Iudith: *Considerabant faciem eius, & erat stupor in oculis eorum, quoniam eius pulchritudinem mirabantur nimis.* Denique de filiabus Iob: *Non sunt inuentæ mulieres speciosæ, sicut filiæ Iob in vniuersa terra.* Si tanta dicuntur de vmbrarum pulchritudine; de splendore lucis quid non existimabimus? Etiam hîc valet, & hîc maximè: *Multæ filiæ congregauerunt sibi diuitias, Maria autem supergressa est vniuersas.* Proprię enim filiarum diuitiæ esse videntur decor & forma, quę tum solidæ sunt, quando cum modestiâ & castimoniâ coniunguntur. Adde eximiam Filij eius pulchritudinem, qui verè fuit *speciosus forma præ filijs hominum.* Nam quòd Clemens Alexandrinus Pædag. lib. 2. cap. 1. cum fuisse putet facie deformem, ex eo quod Isaiæ 35. dicatur: *Non est species ei, neque decor; & vidimus eum, & non erat aspectus:* Perinde facit atque pictor, qui lunæ speciem pulcherrimam coloribus expressurus, eam depingeret eo in statu, quando terrę interpositione luminis defectu laborat. Constat enim inter ceteros Authores, quorum nonnulli calamo Christi vultum depinxerunt, eum tantâ formę dignitate, taliąue maiestate vultus, & proportione membrorum totius corporis prędituin fuisse, vt nihil ad perfectam pulchritudinis imaginem potuerit addi decoris. Iam verò Philosophorum est ex Principe suo Aristotele 2. Phys. communis sensus, quòd *Natura sit vis insita rebus, similia ex similibus procreans:* vnde necessario sequitur in matre fuisse istius semina pulchritudinis, quæ in Filio elucebant. vnde Nicephorus, postquàm multis venerabilem Christi formam descripsit, concludit: *Persimilis denique per omnia fuit diuinæ & immaculatæ suæ genitrici.* Necessariò autem corpus Mariæ, quod optimâ membrorum proportione, iustâ quantitate, & perpetuâ humorum temperie prædituin erat, habuisse dicendum est etiam coloris venustatem, quam ab illâ bonâ valetudine, tanquam à sole lumen videmus emanare. Sed fortiter, meo quidem iudicio, vrget hanc Virginis speciem laudatissima eius castitas, cui certum est nihil abfuisse laudis vel eminentiæ, quod in virtutem istam cadere potest. Venerabiliorem autem, & laude maiore dignam illam esse castitatem, quæ cum eximiâ corporis pulchritudine coniuncta est, qui dubitat; nę ille pretia virtutum prorsùs ignorat. Vti enim clariùs rutilat paupertas in diuitiis, humilitas in honoribus, mãsuetudo in contumeliis; sic radios suos multò vibrat lõgiùs inter formæ delicias castitas inuiolabilis: quę tantę pulchritudinis sic temperabat radios, vt cùm (ex Alberti Magni sententiâ) *id omne consecuta esset quod natura potest isti sexui aspergere*, totum illud à castitate sic illustraretur, vt non humanum decus, sed supernaturalis & cælestis illius splendoris radij quidam viderentur, quo corpora nostra fulgebunt quando vnà cum spiritu gloriosâ immortalitate decorabuntur. Vnde fiebat, vt non, quemadmodum ceterę virgines, in pectora intuentium flammas iacularetur libidinis, & pestiferas Cyprij amoris faces; sed castitatis quosdam vibraret radios, qui hausti contemplantium oculis mirabiliter pectus omni expurgabant libidine, illudque facie-

B. Virgo fuit omniũ pulcherrima,

Genes. 24.

Genes. 29.

Esther. 1.

Iudith. 8.

Clem. Alex.

Aspectus Deiparæ mouebat ad castimoniam.

faciebant puritatis quodam amore castissimè relucere. Locuples huius rei testis Theologorũ & SS. Patrum consensus. Pro Patribus S. Ambrosius, pro Theologis Doctor Angelicus loquatur; hic enim in 3. d. q. 1. art. 2. ad 4. *Gratia*, inquit, *sanctificationis non solum repressit in Virgine motus illicitos; sed etiam in alijs efficaciam habuit: ita vt quamuis esset pulchra corpore, à nullo concupiscì potuerit.* Sanctus verò Ambrosius de instit. virg. cap. 7. *Tanta erat eius gratia, vt non solum in se virginitatem seruaret; sed etiam si quos inuiseret, integritatis insigne ipsis conferret.* Sed quid egemus testibus? sponsus, omni exceptione maior, plenis buccis hanc eius gratiam deprædicat Cant. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Quantiscumque virtutibus præditæ virgines ceteræ, spinæ tamen in eis erant formæ præstantia, quibus animos intuentium pungerent: ita Catharina tyrannum, sancta verò Agnes procum sauciauerat; aliæ alias orco immolarunt victimas, quas ipsæ, nullâ suâ culpâ, pulchritudinis suæ aculeis confixerant. Fateor candelæ vitium non esse, quòd in eam muscæ & culices inuolantes vel alas sibi adurant, vel prorsùs etiam comburantur: mirum tamen foret spectaculum, si qua omnibus, quibus ceteræ præditę, vtilitatibus innoxia flamma luceret. Ecce Maria accensa candela est, & posita in candelabro, vt luceat omnibus qui in domo sunt: nullum tam exiguum animalculum (etiam ex iis quæ perpetuò circum formæ perituræ lucem volitantes toties sibi animas adurunt) quod non possit tutò hanc lucem contemplari: lucet enim, non nocet; calefacit, non vrit; fouet, & non consumit fax ista, quæ hodie mundo accenditur.

D THOM. AQVIN.

AMBROS.

Cant. 2.

CAPVT XII.

Ad creaturas omnes, etiam inanimatas, gaudiũ peruenit ex natiuitate B. Mariæ Virginis. Ad verba:

Natiuitas tua Dei genitrix virgo, gaudium annuntiauit vniuerso mundo.

SAPIENTISSIMA Mater nostra Ecclesia amplissimis sẽ laudibus ornare existimat Virginis natiuitatem, si ex eâ ad omnes omninò creaturas gaudium peruenisse ostenderit: *Natiuitas tua* &c. Si enim omnes Ethnicorum historias, omnes Ecclesiæ annales, omnes S. scripturę codices peruolueris; vbicumque insigni aliquâ laude vel gloriâ decoratos viros excellentes reperies, licebit animaduertere, eam plerumque in eo fundari, quòd ij non sibi tantùm, sed multis præterea vel ciuibus vel populis nati fuerint qui laudantur. Proprium est enim bono, vt sese ad quamplurimos transfundat, &, vbicumque se intulerit, veluti sol quidam latè radios diffundat, lumen, calorem, vitam disperfurum secundùm capacitatem præsentium. Atqui hodiernâ die summum post Deum bonum nascitur, quod vnquam mundus hic aspiciet: mirari ergo non debemus summum exoriri gaudium ex radiorum eius participatione. Quod quidem de hominibus hactenus satis comprobatum est, qũando tot Librorum (quos vel homines inuenerunt, vel Deus mirabiliore modo exarauit) vtilitatẽ, ex vnâ Virgine percipi posse demonstrauimus: quando

Laus petitur à beneficentiâ in alios.

exorienti auroræ, mari vastissimo, cælo vniuerso illam contulimus: quando debitorum nostrorum chirographum deletum, atque in ea tanquam in pergameno mundissimo nouorum beneficiorum catalogum conscriptum esse ostendimus. Verùm quid ad res mutas & brutas commodi ex hac Natiuitate peruenerit, nondum liquet, cùm tamen generaliter Ecclesia canat: *Natiuitas tua Dei genitrix virgo, gaudium annuntiauit vniuerso mundo.* Quæ verba ad homines ego restringenda non arbitror, cùm Angelorum præcipua quædam, & reliquarum creaturarum non leuis fuerit exultatio. Sed de Angelis, qui Dominam suam & Reginam tam diu exspectatam, toties sibi prædictam, toties conspectam in speculo illo diuinitatis purissimo (in quo omnia contemplantur) iam factam & natam gaudebant adorare; qui lætabãtur illã aspicere, per quam ruinas suas sciebant instaurandas; qui exultabant gratias agere isti Matri, per cuius Filium sese tot millibus cadentibus, stetisse nouerant in gratia, & assecutos fuisse gloriam; alibi suus erit dicendi locus. Hîc de rebus illis quæ, quòd sensu careant, Virginẽ natam sensisse, ac proindè gaudio exultare nonpotuisse, videntur.

S. Ansel. Hominis dominatui omnis creatura subiicitur.

Dico autem ego, & ante me sanctus Anselmus de excell. Virg. cap. 10. liberatas fuisse creaturas turpissimâ, quâ omnes flagrabant, infamiâ. Aduerte quò rem deducat iste laudum Beatissimę Virginis præco eximius: Facturus hominem Deus, eique diadema impositurus, quod venerabilem illum atque formidabilem redderet omnibus, quas illi subiecturus erat, creaturis; id fecit quod Reges ad tuendam authoritatem solent etiamnum imitari. Præmittunt illi, si quando vspiam diuersuri sunt, supellectilem vniuersam, domumque iubent regio apparatu exornari, famulos per officia & cubicula non secùs atque in palatio distribui, curari denique ne quid desit quod vel vsui inseruiat ad necessitatem, vel ornatui ad magnificentiam. Quod eò splendidiùs fecit primus omnium rerum Conditor, quò plus illi gloriæ accederet, si quàm magnificentissimo excepisset hospitio maximum orbis Monarcham & Regum omnium parentem. Igitur Adami creationi omnia præmittit; ingens mundi vniuersi ædificat palatium: claudit hoc egregio cæli fornice, tam iucundis ad aspectum luminibus distincto, tam admirabili circumuolutione vario, tam variis in inferiora influentiis admirabili: secernit in hoc palatio amœnissimum ipsi Regi excipiendo cubiculum, quod, quia ei nihil deerat ex iis quæ fingi possunt ad hominis oblectationem, appellauit *paradisum voluptatis*: postquam autem per singula cubicula decentissimè distribuisset famulantium turbas, & singulos quasi in statione suâ collocasset (ita vt cælos occuparent astrorum lumina, aërem cantu demulcerent volucrum turmę, pisces aquis innatarent, quadrupedes per terram graderentur) disertis verbis omnibus indicauit cui Monarchæ seruiendo lucis vsuram accepissent. Nauarent igitur operam ne quid homini deesset, seu rerum necessariarum ad sustentationem, seu vtilium ad vitę commoditatem, seu delectabilium ad honestam & licitam voluptatem. Et Soli quidem, vt facem illi præluceret, ac terram calore suo salutifero foueret; stellis, vt sexcentis in res sublunares virtutibus influerent; elementis, vt sese nutriendo, fouendo, augendo ipsi homini, totque rebus homini necessariis impartirentur; herbis atque arboribus, vt viuis palatium eius exornarent tapetibus; terræ, vt pedibus se Domini molliter substerneret; & creaturis singulis, vt quantascunque ab authore suo accepissent virtutes, eas impenderent omnes in obsequium illius Domini, qui solus eorum seruitium poterat (quod nemo alius polleret intelligendi facultate) ad sublimissimum Dei famulatum attollere. Dictum factum.

Homo

Homo producitur: gaudet tota rerum vniuersitas domino suo famulari, quem intimum authoris sui amicum eo alacriùs aduertit diuinis iussis obtemperare, quò studiosiùs ab inferioribus colitur. Atque hic, hominis Deo, vt creaturarum homini famulantium, ordo, placidissimè procedebat: viuebaturque non in pace tantùm, sed in placidissimo & suauissimo gaudio: Cùm ecce subitò inobedientiâ suâ homo disrumpit hunc ordinem, negat debitum authori suo obsequium, palam iugum excutit, & apertè rebellat in suum famulorumque suorum omnium creatorem.

Creaturarũ contra peccatorem conspiratio.

Quid facerent hîc creaturæ cæteræ? ipsæ quoque vincula disrumperent, iugum abiicerent, sese in libertatem vindicarent? At vetabat eius, cui summè obedire cupiebant, mandatum. Perseuerarent in obsequio? rebellionis genus videbatur rebellibus inseruire, iisque vires & arma subministrare: Quid enim (vt eas inuicem sic allocutas faciamus) poterat in Deum homo, si nos ei lucem qua fruitur, spiritum quo viuit, alimenta quibus sustentatur, totque res ipsi necessarias negauerimus? Iussit Deus, vt ei tanquam domino subiiceremur; sed hac lege iusserat, vt idem ille Dominum suum agnosceret, & nostrum obsequium se Deo impendendo supra sortem humanam eleuaret, vt non tam homini, quàm Deo in homine & per hominem seruiremus: nunc autem ipse nobis dignissimæ istius seruitutis occasionem eripuit. Quid faciemus? non iam homini, sed peccatori seruiendum, si persistimus: rebellionem fouemus, si obsequimur: probamus, si fauemus. Rebellis est quisquis à partibus stat rebellantium. Ita conspiratione factâ, vltimam homini ruinam natura minabatur, infami Dei sui proditori seruire dedignata, & indignum rata cum hominibus Deo suo rebellare. Pergo, si priùs non fictam hanc creaturarum dubitationem S. Athanasij authoritate comprobauero. Dubium enim non erit quid hic facere voluerint, si, quid alibi fecerint, perspexerimus. Vides tu Seruatore nostro inter diriissimos cruciatus exspirante, solem derepentè lumen suum retrahere, & æternas mundo tenebras minitari? *Negligens*, vt S. Athanasius loquitur, *iam præcepti de hominibus illuminandis, & nunc demùm præuaricari audens, cùm videret Dominum suum ab hominibus excruciari.* Sæpe igitur antè, præuaricationem in animo habuisse videtur, vt dicat: *Nunc demùm præuaricari audens.* Quæ verba solertiùs consideranti, hanc vim habere videbuntur: Cogitauerat quidem sæpiùs ille lucis author facem suam mortalibus subtrahere, quando videbat illos tantâ impudentia Deo suo rebellare; sed continebat illum supremæ maiestatis imperium, quo volebat homini etiam peruicaci semel concessa non denegari obsequia: sed vbi mortale genus eò prolapsum est impudentiæ dicam an insaniæ, vt Deum ipsum tot tormentis excarnificatum infamem in arborem tolleret, & vitam vitæ suæ authori eriperet; non tulit scilicet ampliùs Sol tantam impietatem, tandemque ausus fuit mandatis diuinis (quibus obsequi iubebatur homini) non obedire, ἔνστιχία quadam vsus, putans obedientiæ genus esse, ad scelus tam atrox vindicandum non obedire. Feciisset ergo (quod maximè ad rem nostram facit) sæpius anteà sol id, quod in morte Domini designauit; feciissent cum sole etiam creaturæ ceteræ; nisi eas Deus in officio suo continuisset, mandassetque homini etiam post peccatum admissum famulari. Quâ in re duplici creatura omnis afficiebatur infamiâ: primâ quidem, quòd tam vili peccati mancipio, latâ sententiâ ignis æterni pabulo, morti addicto patibulario, subiiceretur; alterâ verò, quòd ipsa Deo suo fidelissima seruire cogeretur eius proditori. Quæ res quam altè penetraret generosi & fidelis animi medullas, nouit is, cui circa cor nobile salit vel guttula fidelis erga Regem suum cruoris. *Adiecta est eis*, inquit D. Anselmus, *alia confusio (opprobrium & contu-*

S. Athanasius.

Infame erat creaturis peccatori inseruire.

& *Contumeliam* eodem capite appellauerat) *quia huic, quem à suo conditore per mala vitæ merita exorbitare videbãt, per suæ conditionis legem, ministerij sui obsequium nullo tempore abnegare valebant.* Durabatque hoc opprobrium iam indè à primi parentis lapsu vsque ad illam diem, quâ in lucem edita est illa, cuius hodie natalitia colimus, Virgo Maria: cuius Natiuitas gaudium hoc annuntiauit vniuerso mundo, quòd posthac seruire poterit in B. Mariâ Virgine, naturæ, quæ neque rebellauit vnquàm Creatori suo, neque subiecta fuit vllis rebellionem subsequentibus pœnis, vnde notaretur infamiâ: sed quæ semper innoxia à culpâ, & libera à pœnâ promptissimè seruiuit Deo, eumque tam ardenter amauit, vt vicissim ab illo (qui summæ dignitatis gradus est) ita amaretur, vt sese eâdem illa natura vestire voluerit, quò creaturis liceat iam non tantùm homini innocenti & Deo obedienti, sed Homini-Deo, præstare obsequium. Cuius gaudij magnitudo cùm tota ex contumeliæ atrocitate dependeat, rursùs eam nouis coloribus depingam, vt tantò iucundiùs lætitia animum afficiat, quò eam viuaciùs infamiæ imaginatio percusserit.

Infamiam hanc abstulit Virginis Natiuitas.

Nobilissimum dederat creaturis Deus ministerium, quando eas homini primùm subiiciebat, adeò vt non in contumeliam illis cederet tali domino seruire, sed summo honori esset ad tam sublimia per eius obsequium adhiberi: posuerat enim tanquam gradus quosdam creaturas, ex iisque scalas composuerat, quibus ad Deum intellectualis creatura ascenderet. Atque per hosce ascendendo Iob desiderabat recitare illum librum diuinorum mandatorum, quem ipse *scripsit qui iudicat*: *Per singulos gradus*, inquit, *pronuntiabo illum.* Pulcherrimum sanè creaturarum officium, dum hominem pro se quęque allicit, vt ascendat, & posteaquàm illum pro viribus suis supra terram eleuauerit, altiori eum gradui sistat, qui rursùs eundem quasi per manus tradat gradibus altioribus, donec ad ipsam diuinitàtem ascendat. *Inuisibilia enim ipsius à creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas.* Ad Deorebellis homo scalas hasce inuerterat, earumque supremos gradus cælo detractos inferorum abyssо admouerat, vt iam creatura quęque quò perfectione, pulchritudine, virtute maiore prædita esset, eò propiùs ad dæmonem eum adduceret. *Ingemiscebat* autem, *& quasi parturiebat* ob doloris magnitudinem *omnis creatura vsque adhuc vanitati & malitiæ humanæ subiecta, non volens, sed per eum* (hominem scilicet) *qui subiecit eam.* Dolebant campi florentes, & prata viridia (ideò creata, vt iis homo inambulans mente cælorum pauimenta calcaret, componens perituros horum flosculos cum illorum æternâ pulchritudine) quando audiebant: *Coronemus nos rosis antequàm marcescant, nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra.* Plorabat nox atque dies, facta, vt huius lux facem præberet honestis vitæ actiuę actionibus, illius tenebræ silentium pręstarent quietioris vitæ actionibus; quando vident eos qui commessationibus suis *noctem verterunt in diem*, quando inter tenebras suas nox videt furta, rapinas, adulteria, & stupra latentia; quando dies aspicit illos impudentes, qui ne quidem omnia videntem reformidabant oculum; quando palam facere non crubescunt, quæ ne secretò quidem cogitanda, multò minus hic enumeranda sunt. Ingemiscebat omnis creatura, quando audiebat istas impiorum voces: *Venite ergo & fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creatura tanquàm in iuuentute.* Nam quid mundo huic poterat turpius, quid creaturis miserius aut acerbius vsu venire? quod tantum euenire dedecus? quæ tanta ignominia inueniri poterat? Seruituti quidem eas addixerat Deus; dum tamen eius amico homini subiicerentur, facilè consolabatur honestas seruitutem: distare à creatore suo,

Iob, 31.

Rom. 8.

suo, nec ad eius cognitionem (id quod miserrimum est) vnquam posse pertingere, grauiter sentiebant; hoc tamen in miseriis solatio subleuabantur, quòd per eas intellectualis creatura ascenderet. At verò dum & illo quoque per malitiam hominis spoliatæ erant solatio, & turpissimo præterea addictæ seruitio; non tantùm acerbissimè ferebant sortem hanc miserabilem, sed ingemiscebant assiduò, vt liberarentur à seruitute talis corruptionis atque ignominiæ, in libertatem filiorum gloriæ Dei: quam rem consecutæ cùm fuerint natiuitate B. Mariæ Virginis, quando illam aspicere poterant, quę à primo conceptionis suæ momento *ascẽsiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco*, quem hodie ingreditur, semper *procedens de virtute in virtutẽ*; non poterant non summo exultare gaudio, restituræ in illã pristinam suam dignitatem, quâ seruirent isti naturæ, quę illas rectà in cęlum, tanquam scalas quibus ad omnium creatorem ascenditur, dirigeret. Quare meritò canit, quod initio capitis dicebamus, Ecclesia: *Natiuitas tua Dei genitrix virgo, gaudium annuntiauit vniuerso mundo.* Et nos meritissimo lętis vocibus ac plausu exorientem omnibus Auroram, lucis ac salutis æternæ nuntiam, nubium ac tenebrarum fugatricem, vniuersi restauratricem consalutabimus; pæanem præcinente suauissimo Virginis præcone Methodio: *Salue in æternum indeficiens nostra lætitia, Dei genitrix Virgo. Tu festi nostri principium, tu medium, tu finis, pretiosissima regni margarita. Salue amoris Dei Patris thesaure: Salue Filij erga genus humanum fons propensionis: Salue Salue S. Spiritus mons inumbrate. Memoriam indefinentem nostri retine ô sanctissima; nostri, inquam, qui in te ornamur, hymnisq; diuinis memoriam tui nullo tempore defituram celebramus.* METHOD.

T TRA-

TRACTATVS III.

DE PRÆSENTATIONE B. MARIÆ VIRGINIS IN TEMPLO.

Loquente Iesu ad turbas, extollens vocem quædam mulier de turba dixit illi: Beatus venter qui te portauit &c. Luc. 11.

PROOEMIVM.

QVI mulieris illius Euangelicæ, laudes Virginis & Christi decantantis, percepit orationem, & considerauit eas, in quibus dicta est, circumstantias; clarè satis videt nullum esse vel tergiuersationis, vel excusationis prætextum, quo minùs hodiernâ die in laudem Virginis in templo præsentatæ ora, soluamus, atque eius, quatenus per infantiam nostram licet, præconia celebremus. Quidquid enim nos deterrere posset; hac prædicatione suâ Marcella, D Marthæ pedissequa (eam enim fuisse hanc mulierem Lyranus in cap. 10. Lucæ cum pluribus Doctoribus existimat) refutauit, & præterea animauit suâ fortitudine & constantiâ, ne viri inter obsequiosos Virginis cultores laudare reformidaremus, quam femina inter capitales Filij Matrisq; inimicos cum vitæ discrimine celebrauit: præsertim, cùm hoc Festum sit eiusmodi, vt etiam particulari ratione Scriptura exigere videatur vocem laudis. *Dicitur enim Num. 10.* Canetis tubis super holocaustis. *Si vnquam cælum vidit holocaustum perfectum, quodq; Deus odoraretur in odorem suauitatis; post cruentum illud quod de se ab initio ætatis suæ obtulit & in cruce consummauit Mariæ Filius, profectò nullum fuit quod cum eo possit comparari, quod Virgo trimula de se hodiernâ luce in templo obtulit Diuinæ Maiestati. Canendum ergo tubis Euangelicis, hoc est voce concionatoriâ, super isto holocausto. Qui cantus vt gratior accidat auribus; oculos intendamus in victimam, petamusq; per merita eius gratiã, vt cum fructu & profectu spirituali ego dicere, vos audire possitis.*

Num. 10.

CAPVT I.

Confirmatur & narratur Præsentationis historia.

CVM vltimum festorum B. Mariæ Virginis, quæ mysterium aliquod vitę eius celebrandum proponũt, quantum ad institutionem sui in Ecclesiâ, sit festum Prę sentationis, nullaque fiat in Scriptura de ea mentio; piæ curiositatis erit adducere ea quæ possunt dubitantem de mysterio cõfirmare, vel illud impugnantẽ redarguere. Nititur enim duabus firmissimis columnis, quæ nequaquàm cedunt Euangelicæ narrationi, veritas

Præ-

Præsentationis Marianæ; Traditione, & Apostolicæ Sedis approbatione. Traditionem scriptis probare non est opus, cùm ea à primis fidei propagatoribus per manus tradita ad nos vsque peruenerit. Ne tamen pertinaciæ hæreticorum restet ansa cauillandi, factum est diuinâ prouidentiâ vt etiam scripta quorundam exstent sanctorum, è quibus colligere possumus etiam apud antiquissimos viguisse notitiam huius Præsentationis. Nam S. Euodius, ille qui S. Petro in Antiochenâ Sede successit, si Nicephoro lib. 2. cap. 3. Hist. credimus, in epistola quadam, quam *Lumen* inscripsit, ita ait: *Trimula cùm esset, in templum est præsentata, & ibi in Sanctis Sanctorũ traduxit annos vndecim; deinde verò sacerdotum manibus Ioseph ad custodiam est tradita, apud quem cùm menses peregissent quatuor, ab Angelo lætum accepit nuntium &c.* Non ignorauit eandem historiam Gregorius Nazianz. qui in Christo patiente Virginem inducit loquentem:

Simul atq; nata sum, Patris tui, vt arbitror
Ex mente summâ, me meus nutrit pater,
Non inter illos, quos colunt homines, lares,
Sed me sacratæ mater ædi destinat.

Et vt congeram antiqua testimonia, S. Ioannes Damascenus lib. 4. de orthod. fide cap. 13. ita de Præsentatione loquitur: *Editur partu in domo ouilis Ioachim, & adducitur in templum: deinde in domo Domini plantata, & impinguata spiritu, velut oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni sæculari vitâ & carnali concupiscentiâ procul mentem sequestrans; & sic virgineam animam cum corpore conseruans, vt decebat eam, quæ in sinu Deum susceptura esset: sanctus enim existens, in sanctis requiescit. Sic igitur sanctificationem omnem exercet; vt templum sanctum & admirabile altissimi Dei demonstraretur.* Gregorius item Nyssenus serm. de natiuit. Christi, audiuisse se dicit arcanam & occultam historiam, quâ narrabatur votum Annæ susceptum pro conceptione prolis, & quomodo votum impleuerit: *Quum puella* (ita loquitur) *iam ita grandis euasisset, vt mammæ admoueri eam amplius opus non esset, haud cunctata eam ad templum adducere, ac Deo reddere, atque promissum præstare.* Quam historiam deinde confirmat ex verbis Mariæ: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Hæc satis indicant ab Ecclesiæ incunabulis traditam semper per manus fuisse Præsentationis historiam, ita vt opus non sit longâ citatione recensere eos, qui posteà de ea scripserunt, cùm constet ita creuisse pietatem & fidem erga hoc mysterium, vt, in publicè ab Apostolica sede confirmatam Festiuitatem eruperit: quæ altera est probatio, omni Christiano homini sufficiens. Quem enim hęc authoritas non conuincit, ei neque Angelus reuelans de cælo proderit. Exstant itaque litteræ Apostolicæ in registro gestorum Pauli II. Pontificis Romani, quibus Guilielmi Ducis Saxoniæ postulatis assentitur, & concedit vt non secus atque Assumptio Virginis, festum Præsentationis eiusdem in Ecclesiâ celebretur. Celebratum id fuerat multo antè tempore in Saxonia, sed pius Dux Guilielmus pro religione suâ & pietate erga hoc mysterium, petierat id confirmari primùm à Pio II. quo immaturè sublato, institit apud Paulum II. à quo, vt dictum est, impetrauit. Cuius rei mentionem faciunt bina Martyrologia, Vsuardi alterum, alterum Molani. Satis itaque stabilitum est mysterium, quod Præsentationis nomine celebramus. Circumstantias autem notatu dignas, has colligere licet ex ratione & SS. Patribus: quod trimula Virgo sit à parentibus ad templum deducta, ibique (iuxta D. Hieronymum, si is est author lib. de ortu Virg.) in vno quindecim graduum (qui iuxta Ariam Montanum ad Sacerdotum atrium pertinebant) constituta, ac vestibus quas in itinere habuerat exuta, mundioribusque induta fuit, ac deinde cunctos singulatim gradus sine ducentis & leuantis manu ita

Antiquitas opinionis de Præsentatione B. Mariæ Virginis. S. Evod.

Greg. Nazian.

Ioann. Damasc.

Greg. Nyss.

Historia virgineæ Præsentationis.

velociter aſcendit, *vt penitùs* (prout notatur in antiquo libr. de infantia Saluatoris) *retrorſum non aſpiceret, nec, vt ſolitum eſt, parentes requireret.* Hic ſtupentibus præ admiratione ſacerdotibus, fuit (ex mente Epiphanij lib. de vita B. Virginis) à Iodai ſeu Barachia, Zachariæ patre, vel (vti S. Germano placet, referente Surio) ab ipſomet Zacharia Baptiſtæ parente ſuſcepta, atque, vt plurimi SS. Patrum teſtantur, in Sancta Sanctorum deducta, vt ibi perpetuò maneret. Vbi, teſte S. Hieronymo in epiſt. ad Heliodorum, ſic vitam du-

HIERON. cebat: *A manè vſque ad tertiam orationibus inſiſtebat; à tertia verò vſque ad nonam operi manuum intendebat; à nonâ verò adhuc orationem ſuam incipiebat; à quâ non recedebat quouſque Angelus illi appareret, de cuius manu eſcam accipere ſolebat, & ſic ſemper meliùs in Dei amore proficiebat.* Cibũ cœlitùs fuiſse ſubminiſtratum, fusè etiam affirmat Georgius Nicomedienſis in homilia ſuper hoc myſterio. His occupata exercitiis (vt refert Cedrenus in Compendio hiſt. & acceptat Caniſius lib. 1. de Deipara cap. 13.) anno ætatis duodecimo mediâ nocte inter orandũ cęleſtem vocẽ audiuit: *Paries Filium meũ.* Quam hiſtoriam licèt non omninò certam, nullâ ratione refutari poſſe exiſtimo ex perturbatione Virginis tempore Angelicæ ſalutationis: tunc enim non ad annuntiatæ rei inſolentiam, ſed ad laudes ſuas expauit; neque poſteà de ſubſtantiâ myſterij, ſed de modo, quo res ſine operâ viri perficeretur, in-

ORIGEN. terrogauit. Origenes tract. 26. in Matth. dicit Virginem Mariam, etiam poſtquam genuerat Saluatorem, ſtationem ſuam ac precationem eodem in loco cum Virginibus peregiſſe; quod factum cùm ab aliis reprehenderetur, Zachariam patrem Ioannis Baptiſtæ illam defendiſſe, ac dixiſſe: Digna eſt virginum loco, quia virgo eſt; & in eius defenſionem violentam mortem ſuſtinuiſſe; idque ſignificare verba illa, *Quem occidiſtis inter templum & altare*, vbi orta fuerat iſta contentio. Hæc eſt quæ circà Præſentationem Mariæ, vitamque eius tranſactam in templo ex Patribus concinnari poteſt hiſtoria: quibus quemque adhærere neceſſe eſt, vt ſubſtantiam Feſti credens, reliquis tantum fidei adhibeat, quantum authoritas tantorum virorum & rei probabilitas efflagitant. Subiungam ergo mantiſsæ loco, quod S. Bonauentura opuſc. de vitâ Chriſti cap. 3. narrat. B. Virginem, feminã quandam pietati ſingulariter addictã per viſum docuiſse, ſolere ſe ſeptem quotidie à Deo in templo poſtulare: primùm, vti dignaretur ſibi conferre vberrimam gratiam, quâ illum ex toto corde diligeret: ſecundùm, vt proximum ſuum amaret ſicut ſeipſam, & omnia illa quæ à Deo amantur; tertium, vt omnia odio haberet, quę à Deo odio habentur; quartum, vt conferret ſibi humilitatem, patientiam, ceteraſque virtutes, quibus redderetur in oculis eius ſemper gratioſior; quintum, liceret ſibi aliquando iſtâ frui felicitate, vt conſpicere & colere poſſet Virginem Deum parituram; ſextum, vt daret ei perfectam erga Pontificem obedientiam; ſeptimum denique, vt conſeruare dignaretur templum, Pontificem, ac ceteros templi miniſtros, quo cultus diuinus poſſet eſſe perpetuus.

CA-

CAPVT II.

Contra hæreticos ostenditur non refutata à Christo laus, quam mulier Euangelica tribuit Deiparæ, sed intensa. Probaturque, Virginem Mariam magis laudandam ob presentationē, quā ob partum diuinum.

AB historiâ mysterij imus ad Euangelium, vt ab eo possimus ad historiam redire, & ostendere quomodo illud cum hâc consentiat. Maxima enim in Euangelio Deiparæ laus amœbæo mulieris & Christi carmine decantatur, cuius explicatio ad hoc festum propriè pertinet. Nec enim audiendæ hæreticorum calumniæ & blasphemiæ, qui hic reprehendi laudes B. Mariæ Virginis à Christo ganniunt, cùm plurimum ab eo intendantur & commendentur. Antesignanus eorum Caluinus in Harmonia sua Euangelica de verbis, *Beatus venter qui te portauit &c.* ait: *Mirus patûs stupor, quod in Mariæ honorem cantillent hæc verba, quibus tam disertè refellitur eorum superstitio; in agendis verò gratiis mulierculæ vocem decerpunt, omissâ correctione.* Sed benè habet quod hæretici ringantur ad hæc verba, tanquàm canes ad lapidem quo fuerunt percussi. Vide quomodo Eluidiani, Valentiniani, Apollinaristæ (quorum alij effutiebant Verbum Dei non veram, sed apparentem solummodò carnem assumpsisse; alij veram quidem fatebantur, sed non ex matre desumptam; alij cælestem affirmabant; alij nostratē, sed non sine matris corruptione assumptā) omnes vnica voce prostrati sint: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Tam sunt claræ ex hac positione contra eos consequentię, vt nihil opus sit eas commemorare. Vnicum Ven. Bedæ lib. 4. sup. Luc. cap. 49. adferam testimonium, quia multorum simul, quæ deindè dicentur, est fundamentum: *Magnæ deuotionis*, inquit, *& fidei hæc mulier ostenditur, quæ Scribis & Pharisæis Dominum tentantibus & simul blasphemantibus, tanta eius incarnationem præ omnibus sinceritate cognoscit, tanta fiducia confitetur, vt & præsentium procerum calumniam & futurorum confundat hæreticorum perfidiam. Nam sicut tunc Iudæi, Sancti Spiritus opera blasphemando, verum consubstantialemq; Patri, Dei Filium negabant: sic hæretici posteà negando Mariam semper Virginem, Sancti Spiritus obumbrante virtute nascituro ex humanis membris Vnigenito Dei carnis materiam ministrasse; verum consubstantialemq; matri filium hominis fateri non debere dixerunt. Sed si caro verbi Dei secundùm carnem nascentis à carne virginis matris pronuntiatur extranea, sine causa venter qui eam portasset, & vbera quæ lactasent, beatificarent nr.* Omitto superiorum hæreticorum refutationi applicare hæc verba, cùm eos disertè & ex intento refutent: sed pudet me impudentiæ Caluini. Correcta ea dicit à Christo, ac propterea omnem eorum vim retusam esse putat; cùm tantum iis ineſſe virium Beda cum Sanctis aliis Patribus existimet, vt subtilissima & maxima fidei nostræ momenta ijs stabiliantur. Pudet me etiam tui Lamberte, qui tam frigidè & impudenter Comment. in hunc locum, dicere audes de hac muliere, quod *affectu carnis hæc prætulisse videtur, quemadmodum & moris est feminarum, eas felices prædicare, quæ filios ceteris honoratiores genuerunt.* Certè caro & sanguis non reuelant tam profunda fidei mysteria atque mulier hîc profitetur, ad quæ tot abundantes

BEDA.

in sensu suo tibi similes hæretici, aliàs non indocti, hallucinati sunt. Non docet caro & sanguis, se pro Christi Matrisque eius gloriâ manifesto capitis periculo obiicere; neque docet caro, tanto tempore antè vestras, Lamberte, blasphemias refutare, qui laudem Virginis prohibetis, mendacijque Dei Matrem redarguitis. Cùm enim dixerit illa, *Beatam me dicent omnes generationes*; negatis vos eam propter Dei maternitatem ceteris prædicandam beatiorem. Incepit mulier hæc publicè adimplere prophetiam Marianam, eamque beatam prædicare tali Filio Matrem; neque in eo reprehensa à Christo est, sed adiuta: *Non enim* (S. Iustini quæst. 136. ad orthod. verba sunt) *ita loquutus, quasi Matrem priuaret honore debito, sed ostendit quâ maternitate beatior dici debeat Virgo. Nam Dei sermonem audire & exequi virtus est, animæque puræ, quæ tota ad Deum spectet. Et quia non quamlibet feminam eligit Deus, sed omnium feminarum virtutibus excellentissimam; propterea Christus volebat ob hanc virtutem præditari Matrem suam, per quam virtutem illa assequuta fuisset vt virgo mater fieret.* Hic est orthodoxus & genuinus Euangelij sensus: hæc est epitatica siue intensiua Christi correctio, quâ non imminuit allatas Virginis laudes, sed amplificat: hæc denique est ratio quare ad festum hodiernum maximè Euangelium hoc pertineat; quòd nimirum, cùm omnium linguæ & calami publicè cum pientissimâ hac muliere consipirent in deprædicanda Virgine propter felicem partum; in hoc doceatur, aliquid ante ventrem & tumentia vbera in Virgine esse, quod præcipuè in ea laudandum: quòd scilicet tam diligenter audierit, & tam accuratè executa sit verbum Dei. Cuius rei cùm hodie maximum dederit exemplum, seque ideò tabernaculo & sancto sanctorum inseruerit, vt libera à mundi tumultu perpetuò audiret ex propinquo quid loqueretur Dominus; meritò dicimus, ex Christi in hoc Euangelio sententia, tantam laudem tribui debere Virgini propter obsequium Præsentationis, quantam damus propter mysterium diuinæ incarnationis. Imò paulò etiam maiorem tribuendam indicat hic Christus, & etiam aliud agens lamentabundus Propheta Ieremias testatur Thren. 3. vbi ait: *Bonum est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit super se.* Alij legunt, *quia leuauit se supra se.* hoc est, Qui ab initio ætatis (Hebraicè legitur *à pueritiis*) voluntariè iugum Domini assumserit, & spontaneam verbo Dei obedientiam præstiterit, sedens solitarius & tacens, prout Deipara faciebat in templo; is iam sese leuauit suprà se: Nec, si postea is magnis quibusdam incrementis augeatur, Deo remunerante virtutem priorem; non ipsi summa laus tribuenda est propter ea quæ posteà successerunt, sed propterea quod anteà iugum Domini ipse assumserit, & portauerit cum gaudio: tunc enim leuauit se suprà se, quando causam posuit futuræ magnitudinis, & promeritus est cur tantus fieret. Idem prorsùs quod Christus aiebat: Tu quidem, Marcella, laudas Matrem meam quod Filium Dei genuerit; sed ego non ideò tantùm laude dignam esse dico, sed potiùs ideò, quia à teneris vnguiculis portauit iugũ meũ, audiens verbum Dei, & custodiens illud. S. Basilius Seleuciæ Episcopus in orat. de Verbi incarnat. quædam habet, quę dicta mirè illustrant, inducit enim Virginem nato Filio hoc modo secum dubitantem: *Quid aggrediar? Téne lacte nutriam, an verò vt Deum colam? Tibinè maternum præstabo obsequium, an sicut ancilla cultum adorationis impendam? Téne vt Filium amplexu meo fouebo, antequam Deum supplex inuocabo? Tibinè lac porrigam, an offeram thymiama?* Ecce tibi Mariam cum Mariâ compositam: Mariam sc. iam matrem, cum Mariâ præsentatâ in templo, ac dubitantem vtra præstent officia, quæ solet in templo exhibere præsentata, an quæ status prę̃s requirebat à Matre. Diuinus enim cultus, humilis seruitus, supplex

Ivstinvs Mart.

Plus est Deo seruire, quàm Deum pacere.

Basilivs.

suppellex adoratio, suffitus thymiamatis, ea sunt quæ Virgo in templo solet præstare: puerum fouere, lactare, amplecti, deosculari, maternæ sunt curę & deliciæ. Iam autem anceps hæret Maria, an puellæ in templo excubantis, an parturientis Virginis sint exercenda officia: adeò persuasum sibi habebat priora illa præstare hisce, vt dubitaret an etiâm propter præsentem hominis Dei necessitatem illa essent postponenda. Magna ergo est Virgo quia Deum peperit, sed maior quia hodie in templo præsentata fuit, ibique verbo diuino tam studiosè est obsequuta: idque est quod Christus tam disertè docet, prout verba eius explicat omni exceptione maior interpres S. P. N. Augustinus, qui vnus sufficit ad ruborem incutiendum omnibus hæreticis, oraque gannientium obturanda. Hic ergo tract. 10. in Ioannem sic ait: *Beata Virgo, quia fecit voluntatem Patris. Hoc in ea magnificauit Dominus, quia fecit voluntatem Patris, non quia caro genuit carnem. Intendat charitas vestra. Propterea cùm Dominus in turba admirabilis videretur, faciens signa & prodigia, & ostendens quid lateret in carne; admiratæ quædam animæ dixerunt: Felix venter qui te portauit. Et ille: Imò felices qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud, hoc est dicere: Et mater mea, quam appellatis felicem, indè felix, quia verbum Dei custodit: non quia in illa Verbum caro factum est; sed quia custodit ipsum verbum Dei per quod facta est, & quod in illâ caro factum est.* Quæ sic confirmantur & explicantur à Ven. Bedâ lib. 4. cap. 49. in Lucæ 11. *Quia & eadem Dei genitrix, & indè quidem beata, quia verbi incarnandi ministra facta est temporalis; sed indè multò beatior, quia eiusdem semper custos manebat æterna.* Audisné disertè affirmantem, beatam dicendam quia peperit; sed beatiorem, quia Dei verbum audiuit? Quod Christus Seruator noster cupiebat inculcatum.

S. Avgvst.

Beda.

CAPVT III.

Laudatur breuiter Euangelica hæc mulier. Deindè responsio Christi per locum Canticorum: *Quàm pulchri sunt gressus tui* &c. explicatur.

Nisi raperet nos studium imitandi potiùs quàm laudandi hanc mulierem Euangelicam, mira possemus de eâ proferre encomia: nec enim vulgaris virtutis fuit talibus in circumstantiis ita vocem tollere & exclamare in Christi laudem, *Beatus venter qui te portauit.* Specta tempus: tum scilicet id ausa est, cùm acerrimè in Christum fremerent aduersarij. Locum; publicè, congregatâ magnâ Scribarum & Pharisæorum multitudine. Personas; mulier, quæ vel nomine suo præ se fert mollitiem, indocta, viris (pro opinione & sectâ suâ pugnacissimis ac de scientiâ maximè superbientibus) palàm in faciem resistit, eosque ignorantiæ atque infidelitatis coarguit. Deindè mulier erat ignota, ac nullâ earum rerum, quæ animos dare solent & authoritatem, insignis; quod bis notauit Euangelista, dicens: *Mulier quædam*; deindè addit, *de turba.* Augebat præterea timorem, nuperum Pharisæorum edictum, quo iusserant vt extra Synagogam eiiceretur si quis partes Christi sequeretur aut defenderet: quibus non obstantibus fortis hæc mulier, inuenta in millibus, publicè in Christi Virginisque Matris eius laudes exclamat, perfecta charitate foras mittens timorem, ac Apostolis Martyribusque viam demon-

Laus mulieris Christum laudantis.

strans

ſtrans quomodo Chriſti nomen, ac Matris eius gloria, ſit coram frendentibus inimicis propaganda. Sed hiſce, vti dicebam, inhærere non ſinit feſti ſolemnitas, & ſtudium imitandi eam in laude virgineâ: quamquàm hodie ventris atque vberum vix mentionem faciemus, ſed potiorẽ laudis Marianæ partem, quam Filius eius deſignat, arripientes, de Præſentationis myſterio agemus. Etenim quis videns puellam hanc trimulam tantâ alacritate, modeſtia, & feruore, non exclamet cum ſodalibus eius in Canticis: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis?* Cant. 7. Panegyrim Virginis compoſuerat Sponſus Cant. 4. & aliam item Canticorum 6. vtrobique ab oculis, quibus ipſe maximè captus erat, exorſus, ac deindè per membra inferiora orationem educens. Sodales verò Sponſæ, dum etiam molirentur accuratum laudationis genus, non ab oculis aut capite, ſed à pedibus incipiunt, indè paulatim ad ſuperiora tranſeuntes: exemplo nobis, quòd iis maximè in Virgine capi debemus, quæ imitationis præbent facultatem, non iis quæ ſolummodò dant cauſam admirationis. Et quis ſcit, an non hoc docere voluerit mulierem iſtam piam Chriſtus, quando audiebat illam Virginis laudationem à ſuperioribus eius encomiis (quæ tantummodò cadunt ſub admirationem) exordientem, maternitate nimirum diuinâ, quæ caput eſt & fons omnium aliarum laudum in Maria? *Quinimò*, inquit, *beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud.* hoc eſt: Verum quidem eſt beatam, atque adeò beatiſſimam eſſe Matrem meam, quia Filium eundem peperit in tempore, quem Pater cæleſtis genuit ab æterno: ſed hæc non eſt æmulanda vlli gloria, ideoque non valdè ad ſpiritualem profectum præſentium, quẽ modò intendo, accommodata. Si ergo nunc laudare velis Matrem meam in turba hac, virgines Canticorum 7. imitare, atque pedes eius, quos tam decorè foruideque ſemper mouit, gradiens de virtute in virtutem, & ambulans in lege Domini, intuere, vt eam ſi non æquis, ſaltem ſtudioſis paſſibus ſequi poſſit multitudo. Pulchri ſanè & decori fuerunt greſſus Mariæ omnes: ſed gratiora ſunt omnia quæ in prima pueritia geruntur, maximè ſi pluſquàm puerili fiant gratiâ & maieſtate. Hinc cùm greſſus Virginis laudandi ſint, antè omnes occurrunt ij, quibus primùm domo maternâ, & ſimul mundo, quem vixdum intrauerat, eſt egreſſa. Clamemus ergo properanti Virgini cum Sodalibus Cant. 6. *Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.* Siſte tantiſper greſſum, ô digniſſima Salomonis ſupremi ſponſa, cui obuiam ire feſtinas, donec intueamur te, & videamus quo greſſu incedas, quibus paſſibus properes tam gratioſa ei occurrere; & audiemus ab ipſamet Virgine: *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?* hoc eſt: Quidin me intueri exiſtimatis, quam detinere nitimini properantem ad Salomonem dilectum meum? Nullum profectò in Sulamite vobis vtile ſpectaculum, niſi id, cuius pars ipſi fueritis: ſi nimirùm frequenti comitatu veſtro faciatis eam tali cum gaudio & exultatione obuiam dilecto ſuo procedentem, quo caſtrorum chori poſt victoriam ſuo obuiam procedunt Imperatori: ſimilem, inquam, exultationem vnà cum grauitate & maieſtate in me videbitis, quæ ſi à vobis ſtipata fuero, ero tanquam chorus caſtrorum. Nónne hæc coincidunt cum doctrina Chriſti, qui epitaticâ ſuâ correctione nos ad imitandam Virginem incitabat, hoc eſt, ad greſſus eius in lege Domini æmulandos? Hæreamus ergo in iſto ſpectaculo, in quo nihil videbimus (prout Martinus del Rio interpretatur) niſi terrificam quandam & admirabilem maieſtatem, qualis in caſtris conficitur ad pugnam expeditis; nihil in motu languidum, molle, vel inconcinnum; cuncta expedita, robuſta, & animi viriumque plena: ſic vt ad conſpectum eius timeant diaboli,

Cant. 7.

Cant. 6.

diaboli, cùm sacro quodam gaudio homines & Angeli obstupescant, Sponsus verò rapiatur in amorem dilectæ suæ, tam dignâ connubiis suis maiestate occurrentis. Quis non exclamat tali in re ac tempore, *O! quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Quid sponsus dixerit Virgini occurenti, quibus verbis in primo templi ingressu ad cor eius sit locutus, nobis nec eloqui licet, nec tacita cogitatione æstimare: quia fuerunt omni aliâ, quàm Mariæ, capacitate maiora. Fortè primum omnium fuit: *Pulchra es amica mea, suauis, & decora sicut Ierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Et mox sentiens nimiam amoris vim, dicebat: *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* Has & similes amoris delicias sponso sentire & indicare licebat; nobis sufficit si cum pedissequis sponsæ admiremur, & studio æmulandi dicamus: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* vel, quod in idem recidit, in Christi voce clamemus: *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiũt illud.* Nõ enim aliis calceamentis decorè exornantur pedes affectuum nostrorum, quàm verbi diuini obseruatione. Dicamus ergo, & panegyricæ loco dicamus Virgini: Quid in te laudabimus, glorioſissimi principis Salomonis filia & sponsa? certè digno natalibus istis incedis gradu, atque vel ipso calceamentorum ornatu talem te exhibes, qualem esse decebat principis tanti sponsam. Quid ego præfulgida nobilioraque ornamenta, quid membrorum decorem attingam, cùm calceamenta ipsa non nisi ecstaticâ admiratione celebrare valeam? Gressus solos nequeo pro dignitate laudare, quomodo extollam cetera, quæ tam illustria in te video, decoris & pulchritudinis spectacula? Non assurgam igitur nimis audaci pietate, neque dicam: *Beatus venter, aut vbera:* non, quòd etiam laude inferiore ea celebrare non sit laudandum; sed quod Festum hoc satis abundantem, & fortè etiam vtiliorem suppeditet in considerandis gressibus materiam.

CAPVT IV.

Pergitur in eodem discursu, & quidam affectus à Virgine Deipara in hoc mysterio exercitiati attinguntur.

TAM corporalem quàm spiritualem Virginis Deiparę incessum celebrant puellæ, quæ exclamant: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* Et sanè laudandus iste in Virgine trimulâ festinationi & maiestati immixtus decor, cùm Mariæ ascensus ad templum.

Protulit audaces sublatâ cyclade passus
In sublime volans Virgo, turbamq; relinquens.

& concinnis, decoris, grauibusque gressibus procedens tam spectandâ gratiâ, vt vel indè satis clarè pateret eam non vulgaris principis, sed eius, qui hoc nomen præ cæteris mereatur, esse filiam. Hac gratiâ quindecim istos, qui ante atrium Sacerdotum erant, gradus ascendit, canentibus, puto, Angelis psalmos nouos quosdam Graduales in eius honorem; quibus immiscebant: *Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi,* tota flagrantissimis affectibus (quos tamen abscondit fumus humilitatis) accensa? Quæ est ista, quæ assensu suo est veluti fumus acerrimus in oculis diaboli? singuli enim gressus sunt malleorum ictus in capite eius, qui molestum doloris liquorem, fumi instar, oculis eius exprimunt? Quæ est ista, quę ascendit Lunam habens substratam pedibus suis; vt intelligamus breuissimo eam curriculo ad perfectionem peruenturam, sicut planeta iste omnium celerrimè Cantic. 3.

mè cursum suum perficit? Hoc exascensu virgineo ominabatur S. Hieronymus, qui postquàm eum tetulisset in tract. de ortu virg. ait. *Iam quippe Dominus in Virginis suæ infantiâ magnum quid operabatur, & quanta futura esset, huius miraculi indicio præmonstrabat.* Signum & indicium progressus spiritualis, erat gressus extrinsecus; de illo ergo maximè mirantur, dicentes: *Quàm pulchri sunt gressus tui* ! Quia nos pedibus affectuum circà terrena mundique itinera agentes sordes frequenter contrahimus; ideo nullis omninò sordibus contaminatos cernentes pedes Marianos, emphaticè exclamabant: *Quàm pulchri sunt gressus tui*! Pulchros incessus & progressus vidimus Abrahami in montem euntis, & tendentis in spem contra spem: pulchros Isaaci sibimet ferentis ligna ad sacrificium: pulchros Annæ & Samuëlis pari ratione venientium ad templum: sed quantumcunque pretiosis virtutum margaritis & gemmis ornatos habebant calceos & pedes; parte tamen quâ solum contingebant, aliquid adhæserat sordium. At hæc Virgo per terram incedens pura venit, tanquam si per astra habuisset iter. Nota quàm concinat hæc pangyris cum documento illo quod in Euangelio Seruator inculcat: non enim imitatur Marcellam illam, quæ piè quidem, sed nullo directè ad praxim documento exclamabat: *Batus venter &c.* sed Christum, præcepta viuendi tradentem, quando laudat eos, *qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Examina, totam hanc vim inclusam inuenies huic cantico: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis* ! Non dicunt, quàm pulchri pedes tui, sed operationem pedum commemorant, dicentes: *Quàm pulchri sunt gressus tui.* vt doceant cum Euangelio, licet in Deiparâ singula vsque ad infimos pedum affectus sint commendanda, potius tamen celebrandos esse gressus eorum & operationem, quàm otiosos pedes: nec gressum quemcunque, (cùm & impij, quorum viæ peruersæ sunt & infames gressus eorum, perpetuò gradiantur & in circuitu ambulent) sed eos qui fiunt *in calceamentis*, hoc est, in consilijs & præceptis Euangelicis, quibus pedes affectuum constricti & exornati, viam mandatorum Dei summâ alacritate percurrunt. Quam interpretationem suggerit Apostolus Ephes. 6. *Calceati pedes in præparationem Euangelij pacis.* Atque ideo vocant sponsam hanc *filiam principis.* Quam nomenclationem ei conuenire propter verbi Dei obseruationem confirmat Christus pænè simili occasione, documento prorsùs eodem dicens Matthæi 12. *Quicunque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* & alio loco, vbi tradens omnium præceptorum summam: *Diligite inimicos vestros; benefacite his quis oderunt vos*; illicò subiicit: *vt sitis filij Patris vestri qui in cælis est.* Atque hæc est verborum istorum, quæ acclamantur, explicatio.

B. Virgo sola non inquinat vllam calceamenti partem per terram incedens.

Maria, filia Principis.

Restat iam contemplatio gressuum istorum, hoc est, affectuum exercitorum à Diuâ Virgine, qui cogebant in tam emphaticum clamorem erumpere sodales sponsæ. Inter hos primùm se se offert ipsa sui oblatio, quâ se immolauit hodiernâ die in perfectissimum holocaustum Diuinæ Maiestati. Quàm multi venerunt ad templum Ierosolymitanum offerentes animalia, pecunias, agros, domos, vestes, aurum, margaritas, & lapides pretiosos! Sed parua dona sunt Deo, qui non tam nostra, sed nos quærit. Narrat Genebrardus lib. 2. suæ Chronologiæ, quod Antiochus Sedetes præstantem taurum cornibus auro ductili obtectis, bdelliys, omnique prætiosorum lapidum genere cinctum, purpureo panno & summi pretij ornamentis opertum cum vasis aureis & argenteis aromatum plenis obtulerit. ecce pænè omnia quæ Deo offerri consueuerant, pænè in vnum munus conflata.

Quibus affectibus Virgo se in præsentatione exornauerit.

quæ

quæ tamen non magni pretij fuerunt in conſpectu Diuinæ Maieſtatis, qui magis captus fuiſſet datore, quàm munere. Cantat Philomela, ſuauiſſimumque tibi offert ex arbore cantum: audis, & adeo munere delectaris, vt amore capiare offerentis: extendis manum tuam vt auiculam apprehendas; at illa libertatis amans auolat, deluſumque & inhiantem relinquit: ita multi ſua offerentes Deo, dum ipſe eos petit, aufugiunt. Alij ergo ſeipſos Deo obtulerunt in ſacrificium, & odoratus eſt Dominus odorem ſuauitatis: ita fecit Iſaac, ita Samuel, ita Simeon & Anna qui non recedebant à templo. Sed nemo ſe obtulit in holocauſtum, quod eſt omnium ſacrificiorum Deo gratiſſimum. Cùm enim in multis omnes offenderint; id quod peccato dederunt, eripuerunt Deo, atque vel non obtulerunt holocauſtum vel rapinam in holocauſto admiſerunt, quã Deus non poteſt non odio habere. Quid autem virgo Deipara? ita Deo ſe obtulit, vt nunquam terreno affectu commutabili vlli bono adhæſerit: ſed perfectiſſimè arborem cum fructu, corpus cum anima, ſeſe cum omnibus facultatibus actionibuſque immolauit: idque tantâ promptitudine, vt opus non fuerit Sacerdote alio ad offerendum; tantâ amoris vehementiâ, vt neque alio opus fuerit igne ad conſummandum ſacrificium. Orhabant oblationem iſtam affectus omnes, gratiarum actionis, adorationis, ſubmiſſionis, & ceteri; ſed *ſuper omnia*, inquit ille, *vultus acceſſêre boni*, quos vti in conuiuio ſupra omnem eius apparatum nos æſtimamus, ita in holocauſto ſupra omnem eius pinguedinem magni facit Deus. De Virgine autem teſtatur S. Germanus Archiepiſcopus in orat. de oblat. Deiparæ: *Puella autem valde lætans & exultans ibat ad templum, tanquam in thalamum.* Apta comparatio, tum vt exuberantem explicet animi lætitiam, tum vt oſtendat quod per hanc ſui oblationem verè aſſumebatur in ſponſam Dei: ideo enim ſibi moriebatur, vt Deo viueret. Habetque holocauſtum, quod Deo fit, illud præ ceteris ſingulare, quòd habeat cum veriſſimâ morte meliorem vitam coniunctam, tanquam ſi phœnix ſubitò ex cineribus ſuis reuiuiſceret, aut potiùs per mortem vitam acciperet. Deſcribit mortem hanc vitalem Apoſtolus Coloſſ. 3. *Mortui enim eſtis, & vita veſtra abſcondita eſt cum Chriſto in Deo.* Quod (vt S. Gregorius 5. Moral. cap. 5. interpretatur) *tum aſſequimur, cùm à temporalium deſideriorum tumultibus abſtracti, relictis omnibus externis, interiora tantum attendimus; vt dum tota mens in Dei amorem aſpirat, nullâ terrenarum rerum perturbatione tangatur.* Quomodo poterat non exultare ſpiritus ipſius in Deo ſponſo ſuo, cui ſe tam perfectè tradebat? Quomodo potuiſſet non eſſe Deo gratiſſima tam hilaris & tã perfecta oblatio? *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis*, ô filia & ſponſa tanti principis! pulchri ſunt in maieſtate corporali, quâ per viam incedis; pulchri in affectu ſpirituali, quo te hodie in templo ſponſo tuo præſentas. Munda, quæſo, affectus noſtros, & trahe nos poſt te, vt curramus in odorem vnguentorum tuorum, ac ſimus in numero eorum, de quibus Seruator dicit: *Beati qui audiunt verbum Dei, & cuſtodiunt illud*; aut, quod eòdem recidit, de iis, propter quorum comitatum ipſa de te dicis: *Quid videbis in Sulamite, niſi choros caſtrorum?* Si enim te iam comitemur præſentatam in templo, ſpero quod latus aliquando ſtipabimus in cœlos aſſumptæ.

Oblatio Virginis perfectum erat holocauſtum.

CAPVT V.

Virgo Deipara fuit prima virginitatis fundatrix.

NONDVM depono pulcherrimam illam sodalium Virginis admirationem, clamantium: *Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis!* quandoquidem tam aptè cum Euangelio & festo hodierno cogruant. Quod nos legimus, *filia principis*; legũt S. Ambrosius (orat. in ob. Valent. ac lib. de instit. virg. c. 14.) S. Hieronymus (lib. 1. contra Iouinianum) & Cassiodorus, *filia Aminadab*. Quæ lectio nobis eius discursùs suppeditabit materiam, quem nefas erat hac festiuitate omittere. Fuit enim Aminadab ex progenitoribus Virginis: is ipse dux de tribu Iudâ, qui erectis hinc inde in muros non minùs formidabiles quàm admirabiles rubri maris vndis, dubitantibus filiis Israel, audaci sanè fide primus ingressus est iter insolitum, seque ducem præstitit eius viæ, quam nemo anteà calcauerat: quo facinore tribum Iudam, sceptrum regium meruisse putat Comestor apud Salianum anno mundi 2544. num. 223. O quàm pulchri sunt gressus tui, *filia Aminadab!* quæ figuram à patre tuo signatam ita viuis imitaris coloribus, vt nihil sit eius stratagema comparatione tuorum facinorum! Mare vastum & inuadabile erat virginitas. hanc nemo vnquàm ingredi fuerat ausus, & licèt à tergo instaret infernalis Pharao, malebant passim in eius potestatem venire mortales, quàm se istis vndis committere. Lex ipsa deterrebat, & opprobriorum tempestates ac sterilitatis breuia minabatur, si quis ingrederetur: contrà, benedictionum ferè semper prima erat fœcunditas. Vt Deuter. 7. *Non erit apud te sterilis vtriusque sexus*; & Psalm. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans in lateribus domus tuæ: filij tui sicut nouelle oliuarum in circuitu mensæ tuæ.* Quis auderet virginitatis viam eligere, cùm ei oppositam tot audit repletam benedictionibus, ipsam autem vt apparet, periculosam & sterilem? Erat animus Deo bonam populi sui partem insolitâ hac viâ deducere: volebat castitatis semitam frequenti viatore calcâri: quæritur tantæ multitudini dux; noui facinoris author requiritur. Ecce autem, *dux femina facti.* Hodie Maria templum ingrediens, simul carpit iter virginitatis, seque Deo prima mortalium voto consecrat in virginem perpetuam. Oquàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis voti illius, *filia Aminadab!* quàm egregiè laudem istam progenitoris tui æmularis & superas! Miratur, & meritò, rei insolentiam D. Bernardus, & Virginem rogat homil. 3. de Beata Virgine: *Vbi legeras Beata Virgo de virginibus, quia cantant canticum nouum, quod nemo alius cantare potest, & sequuntur agnum quocunque ierit? Vbi legeras, laudatos esse qui se castrauerunt propter regnum cælorum? vbi legeras, in carne ambulantes non secundùm carnem militamus &c.* nihil horum audiuerat, & tamen glorioso se voto obstringit, viamque audacter ingreditur. Quæ res mihi tam ardua videtur, vt nisi Patrum authoritas simul & ratio eam prorsùs factam esse persuaderet, ne quidem de Deiparâ affirmare auderem: sed cùm habeamus certissimas, quibus innitimur, Patrum sententias, quidni in laudem eius decantemus quod omnẽ laudem & virtutem exsuperare videtur? Chorum omnium qui eam laudem Virgini tribuerunt, ducet S. Bartholomæus Apostolus, qui, Abdiâ Babylonico teste in eius vitâ, dixit: *Hæc Virgo cùm execraretur omnem virum, primæ Deo omnipotenti vouit. Primam autem ideò dixi, quia ex quo Deus homo factus est, ab initio sæculi nulla hoc votum Deo obtulit. Hæc ergo prima inter feminas constituit in corde suo, vt diceret: Domine, offero*

Cant. 7.

Prima virginitatis iter calcat Maria.

BERN.

offero tibi virginitatem meam; cùm hoc à nullo homine nec verbo didicisset, nec exemplo; ad imitationem videlicet in vita constituisset, vt virgo pro amore Dei specialiter permaneret. Hæc D Bartholomæus; cuius verba refert & acceptat S.Bonauent.l.1 Pharet.c.5. Sequitur Apostolum Origen. in c. 13.

ORIGEN. Matth: *Arbitror*, inquit, *rationi consentaneum esse, virilis quidem puritatis in castitate primitias fuisse Iesum, muliebris verò Mariam: non enim possibile est alij, præter hanc, virginitatis primitias ascribere.* Ven. Be a Luc.1 *Prima fœminarum tantæ virtuti se mancipare curauit.* Sed quid opus sententiarum struere catalogum, cùm fere liceat integras epitherorum recensere litanias, quibus sancti Patres ob institutam virginitatem appellant Deiparam? Nam S. Ambrosius eam vocat *virginum vexilliferam & virginitatis magistram*: Epiphanius, *principem virginum*; S Ephræm, *coronam virginum*; Cyrillus Alexandrinus simili modo,, *virginitatis coronam*; Damascenus, *virginum reginam, matrem, & gloriam*: Isidorus, *virginum caput*: D. Bernardus, *virginitatis primiceriam*: D. Augustinus, *virginum initium*: Sophronius, *perfectionis originalis exemplum*: Nazianzenus, *virginum lumen*; Sapiens Idiota, *virginitatis primipilam*: S. Ildephonsus, *fastigium omnium virginum*: Ecclesia denique Catholica, *virginem virginum.* Non est hic locus virginitatis attollendæ, eamque præferendę cuicunque alteri statui, cùm Virginis Deiparæ exemplum omnium rationum & sententiarum adinstar sit, cur eam iudicemus esse statum perfectissimum. sed hoc admirari non desino, quod B. Maria est dux & mater omnium in virginitate viuentium, quodque prima sine præcepto, consilio, vel exemplo virginitatis munus Deo obtulit, & per virginitatis votum opprobrium virginitatis abstulit, & eam in se consecrauit, & sic in omnes virgines per imitationem sui genuit, vt ait S. Bernardus. Alcuinus in Genes. quæst.4. petit, *Cur summi Angeli peccatum insanabile fuit, & hominis sanabile?* sibique respondet: *Angelus sui sceleris inuentor fuit; homo verò alterius fraude seductus.* Et Theodoretus expendens humani generis submersionem ex eo quod *hominis cogitatio intenta esset ad malum omni tempore*, Genes. 6. ait: *Non simpliciter peccatum, sed auarâ & studio, quæsitam iniquitatem reprehendit eorum, qui subseruire faciunt affectibus rationem, vt etiam excogitent alias nequitiæ ideas.* Quod si in malo irremediabili pœnâ dignum existimetur esse authorem sceleris, aliisque viam sternere per quam procedant ad iniquitatem; profectò inexplicabili dignum erit præconio, rei alicuius bonæ fuisse authorem, maximè si illa vel ad vtilitatem multorum spectet, vel multos trahat in sui imitationem. Veneti (Blondo teste) plurimi olim habiti fuerunt, quod bellicorum tormentorum essent inuentores. Anaximenes & Anaximander pænè ad cælum fuerunt laudibus sublati, quòd horologia primi excogitassent. Atque ita de ceteris rerum inuentoribus licebit ex historia profana discere quanti eos fecerit antiquitas. At Virgo Maria, quæ machinam inuenit, quâ facillimè à terrâ in cælum conscenditur; quæ tormentum excogitauit bellicum, quo omnis aduersarij vis quasi vento diffletur; quę ordinatissimum excogitauit horologium, quo actiones passionesque omnes mortalium ex rationis præscripto optimè regulantur, quibus vocibus extolletur? quâ digna laude deprædicabitur? Hæc est filia Aminadab, quæ prior mare est ingressa, hęc est glorioſior quàm Ioab, qui nullius præcedente exemplo primus vexillum leuauit suprà muros Hebron: hæc est sacra ista Euandri mater, quæ prima instituit sacrosanctum Vestalium collegium: hęc Maria Mosis soror, quæ prima ad laudes Dei cantandas tympanum, quod est virginitatis symbolum, adhibuit: hæc denique est Maria, Dei mater, quæ virginitatem virtutum omnium sacratissimam, & ordinem virginum omnium sanctissimum prima in Ec-

Primi rerum inuentores merentur laudem vel vituperium.

cleſia Dei inſtituit tunc, cùm ſterilitas contemnebatur, cùm virginitatem mundus ridebat, non exigebat lex, vſus ignorabat, populus deſpicatui habebat, & fragilis feminarum ſexus vix ſuſtinere poterat: tunc, inquam, Virgo Deipara virile, imò Angelicum atque Diuinum opus aggrediens, nihil mundi iudicium attendens, nulli difficultati cedens, carnis blanditias contemnens, ſe Deo in virginem perpetuam conſecrauit: ſperauitque, nec fruſtrà, ſe inſtituti ſui quàm plurimos habituram ſectatores. *Quàm pulchri ſunt* hi *greſſus tui, filia Aminadab!* quàm generoſi pedes, qui primi ingrediuntur viam tam difficilem! quàm felices greſſus, qui tot habent ſequentes, quos omnes trahis in odorem virtutum tuarum! Hoc ſuauiſſimo caſtitatis odore procede, & præcede agmen hoc virgineum quod conſcripſiſti Virgo Maria in terris, ductura idem in cælis quando ſequentur agnum quocunque ierit, canentes cànticum quod paradiſus cæleſtis ſtupebit quidem, ſed imitari non poterit: cantabunt virgines omnes canticum illud ſingulare; & tu inter Virgines tam ſingularis, vt caput coronaque earum exiſtas, prætereà cantabis, quod ne quidem illę puriſſimæ animæ poterunt æmulari. Affirmat hoc S. Bernardus homil. 2. ſup. Miſſus, dicens: *Nouum canticum illud, quod ſolis dabitur in regno Dei cantare virginibus, ipſam virginem reginam cum ceteris, imò primam inter ceteras eſſe cantaturam nemo eſt qui ambigat. Puto autem illam, præter illud quod cum omnibus tantum virginibus ei (vt dixi) commune erit, dulciori quodam atque elegantiori carmine beatificaturam eſſe ciuitatem Dei cuius vtique dulciſonos depromere vel exprimere modulos ne ipſarum quidem virginum vlla digna inuenietur, quia meritò ei decantandum ſeruabitur, quæ ſola de partu, & partu diuino gloriatur.* Hiſce accinit S. Bernardinus tract. de Paſſ. cap. 31. Inſtituit ergo virgo Deipara ordinem nouum, qui non tantùm in militante hac Eccleſiâ, ſed vel maximè in illâ triumphante ab omnibus aliis diſtinguetur: ordinem, qui omnium familiarum religioſarum, quæ felici germine pullularunt in Eccleſiâ quamplurimę, poſuit fundamentum, primaque ingredi auſa virginitatis ſemitas, quas nemo vnquam calcauerat; quid mirum ſi acclamemus: *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis, filia principis?*

BERN.

CAPVT VI.

Quare Virgo Deipara ad templum fuerit deducta, in eoque educata?

CVM Alexander vel tum in puerili ætate magnus, Bucephalum (quem veluti indomabilem perdere Philippus pater cupiebat) mirâ arte ſine verberibus tractaſſet, tandemque conſcenſum ad curſum admiſiſſet, ac molliter flexis habenis reduxiſſet; deſcendentis caput exoſculatus pater emiſſis lacrymis: *Aliud*, inquit, *ô fili, tibi par regnum quære, quando te iam Macedonia non capit.* Dixit parens; & filius deinde executus, deſertâ Macedoniâ, orbem cùm viciſſet, ingemuit quod nimis anguſtis eum natura terminis incluſiſſet. Nata fuit nuper puella quædam Ioachimo & Annæ feliciſſimis parentibus, quam piâ ſollicitudine ferè ad triennium eduxerunt: verùm inter educandum tot animaduerterunt ſigna ſanctitatis, tot miracula cæleſtis cuiuſdam ſapientię, tot prodigia ſingularis Dei erga eam prouidentiæ, vt animaduertere inceperint neque domum ſuam, neque mundum vniuerſum capacem eſſe prolis, quam educabant, iam enim in tantam excreuerat magnitudinem, vt licet corpore tenella, gratiâ omnes ſuperaret qui

Mundus Virginis magnitudinem non capiebat.

ret qui vnquam se se præcesserant: quapropter eam parentes, fluentibus haud dubiè præ animi lætitiâ vbertim lacrymis, allocuti sunt: Aliam tibi, ô filia, habitationem quære, quando te iam ne mundus quidem vniuersus, nedum domus paterna, capere potest. Vix parentes dixerant, & illa iam dudum se premi animaduertens mundi huius angustiis, statim obsecuta est parentum voluntati, quod interiùs audiret Patrem cælestem, quem religiosiùs colebat, eadem admonentem. Dum itaque nouam quærit sibi domum, non aliam latiorem commodioremque arbitratur eâ, in qua Deus suum fixerat cum hominibus habitaculum: eandem elegit, templumque cum parentibus adiit, in eoq; sibi domicilio constituit. Et hæc prima fuit ratio cur Virgo mundo sit hodiernâ die egressa, quòd eam mundus non caperet: maior enim erat, quàm vt eius angustiis claderetur. Probari id potest ex visione Euangelistæ Apocal. 12. *Et signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta sole.* Quæ verba si ita distinguas, vt post *signum magnum* hæreas cum admiratione; & dicas signum illud fuisse, quòd *apparuit in cælo mulier amicta sole*; nónne magnitudinem superimmensam Virginis Euangelista expressisse videbitur? Quàm verè *signum magnum* vocauit, quòd sibi in terra existenti mulieris magnitudo ipso in sole apparuit. Metire Solis à terra distantiam, aut certè assignatam ab Astrologis Solis magnitudinem considera, toties molem terræ excedentem: & facilè ratione assequeris, signum illud, quod in sole mulieris magnitudinem homini in terra existenti exhibuit, toto terrę ambitu non posse comprehendi. Sed nihil opus est Apocalypseos obscuris ænigmatibus, cùm habeamus clariorem luce meridianâ Euangelicum sermonem, qui testatur eum, qui cælum & terram implet, Virginis vtero conclusum fuisse, & hominem in ea factum. nondum, fateor, hæc contigerant: attamen facilè concluditur eam, quę breui spatio in tantam creuit capacitatem, iam indè ab anno tertio mundi angustias superasse.

Apocal. 12.

Mundo igitur Virgo trimula exibat, quia mundus eam non capiebat. Et licet tanta non fuisset; tamen indignum erat diutiùs in mundo commorari, quâ ille nullâ ratione erat dignus. De Sanctis ait Apostolus ad Hebræos 11. *Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ.* Tanquam si diceret, diuinâ dispositione factum esse quod sancti isti in speluncis & cauernis delitescere cogerentur, vt mundus eorum consortio careret, quibus ipse non erat dignus. Sanctorum enim non erat pœna, sed probatio, istud à mundo exilium: at mundi grauissima erat punitio, eorum virorum vsu & familiaritate priuari, quorum ipse precibus sustentatur. Quod si nihil sat mundum in Mundo, vt in eo sancti Dei serui morarentur; quomodo Mater Dei, quæ ipsa erat mundities & puritas, in eo dignum habitaculum reperiret?

Dignus non erat Virgine mundus.

Hebr. 11.

Mundo denique contineri non poterat Virgo, quia ipsa est cælum: terra autem & cælum confundi non debebant, ne antiquum chaos induceretur: itaque necessariò hoc erat supra illam eleuandum, & loco altiori reponendum. Sæpius mirabar Christum *Cælestem* vocari ab Apostolo, cùm fide constet eum verè corpus terrenum assumpsisse de Mariâ Virgine, nec ex alia factum substantia, quam vulgo constent corpora humana. Sed cessit stupor, cùm tot authoritatibus & rationibus intellexi Virginem Deiparam *cælum* vocari, propter celsitudinem, claritatem, firmitatẽ, incorruptionem, amplitudinem, puritatem, propter suam cælestem in terris conuersationem, & suprà reliqua præstantiam, & quia Christum Solem iustitiæ nobis detulit; simul etiam quia, velut cælum in hæc inferiora, multa in nos bona suis precibus & meritis influit: quin

Virgo est cælum.

etiam

etiam instar cæli mentem habuit, omnibus diuitiarum, honorum, & deliciarum cupiditatibus superiorem. Adde quòd sit primarium opus Dei, quod Dominus creauit *in initio viarum suarum*, sicút in principio cælum: quòd contineat arcana Dei, & Conditorem ipsum, qui Deus est absconditus: quòd Deus in ea, sicut in cælo, posuit sedem suam; & similes multas rationes, quę Patres mouerunt vt eam passim cęlum appellarent. Audi S. Epiphanium & S. Athanasium serm. in descriptionem Sanctissimæ Mariæ & S. Ioseph apud Metaphrasten qui habetur in Surio tom. 6. 25. Decembris, dicentes: *Non coinquinatum fuit secundum illud cælum, neque commaculatam vas Mariæ, Dei capax effectum.* Chrysostomus serm. de Annunt. inducit Deum loquentem Gabrieli: *Vade ad alterum cælum, quod est in terra.* Nimis familiaris est hæc Patribus locùtio, quàm vt eorum sententię referantur: tantùm concludo, non conuenisse vt cælum & terra confunderentur: sed necessariò cælo huic quærendum fuisse locum à terrâ separatum, vbi se tota capacitate sua extenderet. Non poterat autem reperiri locus vllus aptus, nisi qui Deum capere posset: itaque ad Templum, quod est domus Dei, tam ipsa quàm parentes eius respexerunt, eoque adduxerunt Virginem, vt ibi quamdiu pateretur templi capacitas commoraretur: vbi se continuit, donec plenitudine gratiæ cælum ipsum & cæli Dominus ad eam descendit.

ATHAN.

CHRYSOS.

CAPVT VII.

Beata Virgo Maria fuit templum Dei, & omnem gloriam templi Salomonis ad se transtulit.

AD Virginem Mariam pręsentatam in templo respexisse videtur Psalmista, quando ait: *Si dormiatis inter medios cleros, erunt pennæ columbæ deargentatæ & posteriora dorsi eius in pallore auri.* SS. Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, alique Patres, *inter medios cleros*, hîc exponunt duo Testamenta, inter quę Virgo Deipara perpetuâ contemplatione dormiebat, voluens testamentum vetus, & indè iam in mente suâ nouum componens, quando contemplabatur viuacibus prophetiæ oculis qualia futura essent tempora quando Deus antiqua promissa compleuisset. dumque ita dormit, &, non somniis, sed contemplationibus reuelationibusque diuinis recreatùr; ecce *pennæ* eius factæ sunt *columbæ deargentatæ.* pennæ columbæ, quales optabat Dauid: *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ?* deargentatæ, virginitate & puritate istâ, de quâ superiùs egimus. *Et posteriora in pallore auri:* tanta enim quotidie capiebat incrementa charitatis, vt quò longiùs procederet, plus eâ fulgeret; donec ipsa charitas vtero eius concepta est, & pallorem auri contulit, non leui incrustatione, sed totali sui communicatione. Mirabiliter in templo per contemplationem continuam dormiebat Virgo, & omnem templi splendorem dormiendo ad se rapiebat. Timotheum ducem, apud Plutarchum, inuidi pinxerant, & circa eum ciuitates & regna, quæ se reti, quod expanderat, vltrò inserebant.

Psalm. 67.

B. Mariæ Virgini templi gloria spontè accessit.

At

At mihi potiùs ad Virginem nostram spectare videtur ea felicitas, quæ suauissimè in templo quiescens, omnia eius ornamenta, prouinciis regnisque præferenda, ad se trahebat. Vix eam templi Antistites receperant, & *statim* (inquit Georgius Nicomed.) *viderunt gloriam suâ sponte ad eam currere, se autem eâ indies priuari animaduertebant.* Erat templum hoc vti Dei, ita glorię vnicum in terris domicilium: ecce autem, vix Virgo Deipara templum ingreditur, & gloria ei obuiam procedit, Legem, sacerdotesque eius paulatim deserit, donec tota Mariæ adhęsit: quo facto etiam Deus templi ad eam venit, templumque inglorium & præsentiâ suâ vacuum reliquit, & Virginem in templum nobilius ac pretiosius consecrauit. Hinc passim omnes SS. Patres in eo conspirant, vt *templum Dei.* Virginem appellent. S. Damascenus lib. 4. de fide orthod. cap. 15. *Ad hunc modum Virgo Sanctissima sanctitatem consectatur, sanctumque & admirabile, ac summo Deo dignum templum existit.* Candidum erat templum hoc sicut pennæ columbæ deargentatæ, castissimo virginitatis argento: ideò *pudoris templum* à S.P.N. Augustino vocatur serm. 17. de natiuit. Christi: *Per fidem Christus in templum pudoris, hoc est, Sanctissimam Virginem, intrauit.* Erat prætereà obductum auro diuinitatis, vt verè dicatur, *& interiora eius in pallore auri.* Petrus Damianus hoc affirmat serm. 3. de natiuitat. *Hodie prodiit ex vtero matris, quæ templũ fieri meruit diuinitatis.*

Idea templi Salomonis vti & Virginis, à Deo monstrata.

Sed age, videamus quænam fuerit templi Salomonici gloria, vt simul intelligamus quod tota ad Virginem confluxerit. Non postrema templi gloria est, quòd Deus architectus eius fuerit, ideam conceperit, ac seruo suo Dauidi reuelarit tam diligenter & accuratè vt singula ordinaret. Patet hoc ex 1. Paralip. cap. 28. vbi dicitur Dauid *dedisse filio suo descriptionem porticûs, & templi, & cellariorum, & cœnaculi, & cubiculorum in aditis, & domus propitiationis, nec non & omnium quæ cogitauerat atriorum, & exedrarum per circuitum in thesauros domus Domini, & in thesauros Sanctorum.* & aliquanto post: *Omnia,* inquit, *venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.* Vnde patet non tantùm ideam templi in tabulâ, lapide, vel membranâ traditam fuisse Dauidi, sed etiam commentarium diuinitùs fuisse additum, qui non sineret vspiam dubitare. Sed quantò in hoc Virgo nostra templo glorioſior, quæ, teste Sophronio, *fuit à Prophetis quidem prænuntiata, à Patriarchis figuris & ænigmatibus præsignata, ab Euangelistis exhibita & monstrata, ab Angelis venerabiliter atque officiosissimè salutata.* Quis autem fuerit, qui tam multiplices eius dederit ideas, S. Idelphonsus declarat lib. de virginit. *Spiritus Sanctus,* inquit, *de illa per Prophetas prædixit, per oracula intimauit, per figuras innotuit, per præcedentia promisit, per subsequentia compleuit.* Nec subitò excogitatum fuisse opus, aut fortuitò inuentum, sed diu præcogitatum. S. Bern. affirmat sup. missus ser. 2. *Nec nouiter,* inquit, *nec fortuitò inuenta, sed à sæculo electa, ab Altissimo præcognita & sibi præparata, ab Angelis seruata, à Patribus præsignata, à Prophetis promissa.*

Sophro.

S. Idelp.

Dauidis in templum, Dei in Virginem, liberalitas.

Alterum quod templum reddit præstupore venerabile, est pia prodigalitas animosissimi Regis, qui 1. Paralip. cap. 22. adhortans filium suum, dicit: *Ecce ego in paupertate mea præparaui impẽsas domus Domini, auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum; æris verò & ferri non est pondus.* Quis non stupeat opulentam hanc paupertatem? Nam si auri hæc talenta ad calculum Romanum reuoces, auri centum millia talentorum, conficient mille sexcentos octaginta tres milliones scutatorum; & argenti mille millia talentorum erunt, mille quadringenti quadraginta milliones scutatorum: quæ posteà aucta fuerunt cùm nouâ Regis liberalitate, tum spontanea procerum & populi oblatione, ac demùm totâ ditissimi Regis Salomonis liberalitate & magnificentia, ita vt in summam prorsùs innumerabilem excreuerint sumptus templo isti impensi. Intereà vix palearum aut sti-

Diuitiæ Templi Salomonici & Mariani conferuntur.

pularum pretium habebit tota hæc opulentia, si cum iis conferantur quę Sanctissima Trinitas templo nostro Mariano ædificando impendit. Nam vt non ineamus viam istam comparandi, quâ cælestia terrenis, diuina humanis, æterna perituris infinito quodam interuallo præferamus; hoc dico, nihil esse in proportione suâ terrenas opes à Dauide in templum collatas, ad diuinas quæ Sanctissima Trinitas in Virginem Mariam effudit. Neque enim omnes mundi opes in vnum collectas superabat hæc summa, neque fortè poterat cum aliarum gentium diuitiis comparari. At Deus, vt templum sibi de corpore & animâ Marię conficeret, quidquid erat in terris sanctum, quidquid erat in cælis eximium collegit, & totum in illam contulit: ita vt ne quidem omnium simul, nedum singulorum diuitiæ queant in comparationem cum eâ adduci. Rursùm notandum, quod pretiosissima lapidum materia adhibita fuerit, non tantùm vt columnarum bases, epistylia, zophori, coronides, portarũ altariumque ornamenta, indè fierent, sed etiam ad pauimentum, atque adeò fundamenta templi: *Strauit quoque pauimentum templi pretiosissimo marmore decore multo.* & de fundamentis Propheta: *Fundabo te in Sapphyris.* At vide quanto candore marmoris Parij, quanto pretio originalis innocentiæ posita sint fundamenta Mariæ, quæ contra omnem morem & consuetudinem naturæ humanę ingentibus gratiarum substructionibus fundata est in puritate & Immunitate ab omni peccato, supra ingentes ruinæ nostræ voragines.

2. Paralip. 3.

Isai. 54.

Omnes lapides quadrabant sine mallei ictu in templo.

Rursùm *tota structura* (inquit Iosephus lib. 8. cap. 2.) *lapidibus politissimis constabat, ita ad vnguem inter se quadrantibus, & commissuris oculos fallentibus, vt intuentibus nullum vspiam mallei aut cuiuslibet instrumenti vestigium appareret; sed connata potiùs omnia, quàm arte congesta viderentur.* Theodoretus dicit, quòd diuina voluerit prouidentia vt inuenirentur huiusmodi suâ sponte nati lapides, qui absq; vllâ arte inter se aptè coniungerentur. Quæ non improbantur à Procopio & S. Ephræm. Et Rabbini fabulantur lapides omnes vermis cuiusdam, quem Samir vocant, sanguine fissos, ita vt opus non esset malleo aut vllo instrumento ad eos aptandos. Sed neque Iosephus audaci hyperbole, nec Theodoretus gratuito miraculo, neque fabulis Rabbini tam altè promouebunt templi gloriam; vt non ad maiora Virgo Deipara peruenerit. Scriptura dixerat: *Domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est; & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* Quę de Virgine non minùs quàm de templo sunt verissima. In ædificatione enim eius à primis fundamentis vsq; ad vltimum ætatis fastigium nihil dolandum, nihil ferro rescindendum fuit, cùm nihil fuerit in ea vitiosum aut superfluum: imò nullum erat vspiam repugnantiæ cum gratia vestigium, sed connata potiùs ei gratia quàm cælitus donata videbatur: prouidentiâ enim diuinâ factum est vt talia corpus organa sortiretur, talibus instrueretur anima facultatibus, vt omnia quadrarẽt ad normam virtutis. Verùm hęc omnia facta erant quidem sine malleo pœnitentiæ aut correctionis, sed non sine sanguine vermis illius, qui de se dicit: *Ego sum vermis, & non homo.* Si cui placet otiosiùs per templi ornamenta discurrere, & eius magnitudinem, altitudinem, proportionem, deindè tectum, muros, columnas, parastades, portas, fenestras, ceteraſq; eius partes considerare; inueniet in singulis quæ suprà omnia mundi miracula obstupescat: quæ tamen Virgini applicata, vix erunt symbola quædam & figuræ eius gloriæ, quam ipsa proportione sumptâ à templo in se deriuauit, vel potiùs quæ spontè ad eam venit. Sacerdotes enim, vt ex Georgio Nicomed. dicebamus, *viderunt gloriam suâ sponte ad eam currere, se autẽ indies priuari animaduertebant*: naturale enim est aduenięte luce, vmbram spontè euanescere. Ædificato ergo viuo animatoq; Dei templo, quod tantâ virtutum gloriâ splendebat,

1. Reg. 6.

Omnes virtutes sine pœnitentiæ vsu conueniebant Mariæ.

splendebat, totque emittebat radios virtutis cuiusdam plusquam humanæ & plusquam Angelicæ, nulla erat ministrorum templi veteris gloria, cùm omnis cultus, omne obsequium debeat ad nouum hoc templum transferri.

CAPVT VIII.

Prosecutio eiusdē discursus, quo Virgo Deipara templo cōparatur.

NON sinit hæc solemnitas, licet properantes, tam citò templo exire, in quo fuit Domina nostra vndecim annis commorata: maximè cùm templum ipsa sit, omnemque Salomonici templi gloriam ad se transtulerit; neque glorioſiùs rei vlli comparetur, quàm isti omnium miraculorum orbis miraculo, quod vnicum erat in terris Dei palatium, nullis impiis neque profanis vsibus destinatum. In quo si singula curioſiùs indagare volumus, & Virgini applicare; ne quidem vndecim annorùm spatium suffecerit: quapropter, peregrinorum more, festinanter oculos circumferentes, summa quędam capita tangemus, quæ ab aliis fuerunt otioſiùs annotata. Ac inprimis templi ista primaria diuisio in Vestibulum, Sancta, & Sancta Sanctorum, neminem potest latêre. Quæ si Virgini Deiparæ applicentur; inuenies in ea *atrium gentium*, ædificatum in illa ex generalibus istis viscеribus misericordiæ, quibus omnes recipit, & omnium curam gerit, vt non sit natio in orbe tam barbara, quæ non sentiat eius protectionem: inuenies *Israëlitarum atrium*, in quo degit populus fidelis, & maximè serui peculiares ipsius: inuenies denique *atrium Sacerdotum*, vbi iuge offerebat sacrificium, semper continuę mortificationis cultro immolans appetitum sensitiuum. Iam *Sancta*, siue, ea pars quæ peculiari ratione templum dicebatur, habebat hinc mensam auream cum duodecim panibus propositionis, significantibus viuam Mariæ fidem, quam adhibebat duodecim symboli articulis: indè consistebat altare thymiamatis ædificatum ex corde Virginis sacratissimo, quod semper in cælum emittebat incensum adorationis. Candelabrum septem brachiorum, totidem sunt Spiritus Sancti dona. Et velum quatuor contextum coloribus, quatuor denotat virtutes cardinales. Atque hæc vti pulchrè à Sanctissimo Florentiæ Antistite 3. part. tit. 31. cap. 4. §. 2. concinnantur; ita certum est, *Sanctum Sanctorum* (quod non licebat vlli præterquam summo Sacerdoti adire) fuisse illud penetrale sanctissimum, quod nemo vnquam intrauit nisi Pontifex summus Iesus, quando se mortalitate nostrâ conuestiuit. Quod si partium singularum, totiusque machinę considerare lubet magnificentiam; in memoriam reuocanda erit auri argentique vis ista incredibilis, quam suprà diximus Dauid Regem in paupertate suâ collegisse, vt templum ditaret; aut potiùs, vt sese vincat stupor, enumeranda breuiter vasa & instrumenta, quibus aurum argentumque impensum fuit; quorum facilè est ex Iosepho construere catalogum lib. Antiqu. 8. cap. 2. Sed non est tam facilè ex tantis diuitiis consurgentem magnificentiam animo comprehendere. dicit enim fuisse in templo *cantharorum viNariorum octo myriades, phyalarum verò aurearum decem, argentearum verò alterum tantum: lancium item aurearum ad offerendam in iis similam maceratam ad altare octoginta millia, duplum verò argentearum: craterarum quoque in quibus similam oleo subigebant, sexaginta millia aurearum, & alterum tantum argentearum. Mensurarum verò, quales Moysi Hin vocantur & Assaron, aurearum erant viginti millia, & duplicatus* IOSEPH. Supellex templi opulentissima.

Quodnam in Virgine atrium? quæ templi Sancta, quæ Sancta Sanctorum?

numerus argentearum. Acerræ quoque, hoc est thuribula, aureæ, quibus odoramenta in templum inferri solent, erant numero viginti millia; & alia, quibus defereba-tur ignis à magno altari in paruum intrà templum situm, quinquaginta millia. Magnæ sanè & incredibiles diuitiæ, sed nondum finis, nec enim minùs admirabilia sunt quæ sequuntur: *Paratæ*, inquit, *erant & Sacerdotales vestes in vsum Pontificum, annumeratis talaribus, & epomidibus, & rationali, & gemmis, mille. Corona verò, in quâ Moyses Dei nomen inscripsit, vnica fuit, & vsque in hodiernum permansit. Stolas autem sacerdotales è byssofieri curauit cum zonis purpureis decies millia: & tubarum, quales Moyses præscripsit, ducenta millia; item alias stolas byssinas Leuitis hymnorum cantoribus, numero ducenta millia: instrumentorum præterea musicorum, quæ naulæ & cinnyræ vocantur, in vsum hymnodiarum, ex electro confecit quadraginta millia.* Anteà recensuerat aureas mensas maiores decem, paullò minorum decem millia, argentearum viginti millia, candelabra maiora aurea decem, minorum decem millia, & duplum argenteorum. Adde his laminas aureas, quibus sæpius scriptura testatur templum omninò fuisse coopertum, quæ affixæ erant clauis aureis, quorum singuli viginti vncias pendebant; capita verò clauorum insertos ostentabant lapides pretiosos, quibus totum templum rutilabat. Quis ad hanc non obstupeat magnificentiam? Sed quis non magis admiretur à S. Bernardino senensi tom. 1. conc. 61. art. 6. cap. 4. contendi Virginem Deiparam, esse, & dici debere *Dei magnificentiã*, quia plus glorię accipit per exaltationẽ & humiliationẽ huius Virginis, quàm per omnes omninò creaturas reliquas: & quia cõtinuâ gratiarũ actione, benedictionibus & adorationibus plus eum magnificat, quàm iuncti ac conspirantes in Dei honorem Angeli & homines possint efficere, ideoque tam singulari ratione Spiritus sancti impulsu dicit: *Magnificat anima mea Dominum? Nihil*, inquit Sapiens, *sub sole nouum.* Quo dicto etiam templum suum, quantumcunque magnificum, inter vetera reponit. At de Virgine Propheta: *Nouum creauit Dominus super terram, mulier circumdabit virum.* Partus nouus erat, & mater noua, quæ repleta omnis gratiæ plenitudine nihil vnquam simile sibi habuerat in cælo, nec in terra. Neque ipsa ad vllam rerum creaturum ideam perfecta erat; sed potiùs omnia ad illam & ptopter illam facta. Aurum, argentum, & lapides pretiosi, tanquam si nullum eorum esset pretium, in templum effusa, maxima sunt magnificentiæ indicia: at quantò his pretiosiora sunt Spiritus sancti dona, gratiçque cælestes, tantò maiori abundantiâ in Virginem Mariam effusa, vt eorum nemo possit vel per computationes arithmeticas numerum assequi, vel per proportiones mathematicas quantitatem attingere. quapropter manet, omnem magnificentiæ gloriam, quæ templo conueniebat, ad Mariam esse translatam.

Dedicatio templi Salomonis, cum Præsentatione & Annuntiatione comparatur.

Rursùm templi maxima gloria fuit, quod in dedicatione, quam Rex Salomon certè splendidissimã adornauerat, *nebula impleuit domum Dei*, quæ repræsentabat gloriam Dei, dicitque textus: *Et non poterant sacerdotes stare & ministrare propter nebulam; impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* Quod & Dauid prędixerat Ps. 17. *Inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius.* Quâ nebulâ Deus ostendit gratũ sibi fuisse opus illud, seque acceptare dedicationẽ templi sibi factã à Rege pientissimo: quod agnoscens Salomon probabiliter exclamauit; *Dominus dixit, vt habitaret in nebula. Aedificans ædificaui domum in habitaculum tuum, firmissimũ solium tuũ in sempiternũ.* Quid dicã de templi nostri dedicatione? Si de eâ loquar, quę hodie celebratur; quando Arca vera, non secùs ac tunc figurata, per quindecim gradus in sancta sanctorum ascendit; Mariæque corpus & anima (in quibus suprà omnes templi

Psalm. 17.

pli partes inuenimus) Deo fuerunt dedicata; profectò non est dubitandum quin gloria Domini impleuerit domum istam Domini, seque Virgini non per nebulam, sed clarâ aliquâ in visione videndum obtulerit, quâse dedicationem istam acceptare significauit. Si verò de ista dedicatione loquamur, cuius Angelus Gabriel erat ministeer, quid habet nebulosus hic descensus gloriæ, quod possit cum incarnatione Filij Dei in visceribus Mariæ comparari? Expende vtrobique descensum Dei, & confer gaudium Salomonis cum eo quod Virgo Deipara tum percepit, & facilè colliges omnem templi gloriam ad eam fuisse translatam.

Sed ne diutius templo inhæreamus, ad extremum considerandus venit finis, propter quem tanta moles constructa fuit, tamque ditibus ornamentis locupletata. Exprimit eum breuissimè Dauid Psalm. 15. *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* Psalm. 15. Siue enim quis Sacerdotem summum propitiatorium intrantem, siue Leuitas ministrantes, siue populum infinita multitudine victimas offerentem, seu gentes vndique confluentes considerabat; vbique reperiebat ingentem laudum diuinarum segetem. Quid autem de Virgine nostra dici potest aptiùs, quàm illud Eccles. 44. *Gloriâ Domini plenum est opus eius?* Opus Domini per antonomasiam fuit Virgo Deipara, quam sibi in templum & habitaculum construxerat: finis autem construendi erat sua ipsius gloria. Nec aliò collineat quidquid vel ipsa fecit, vel in eâ peractum est, quàm vt Dei gloria super omnia amplificaretur: huc cogitationes eius omnes, huc sermones, huc opera referebantur; ad hoc ipsa constituta commune gentium refugium, Christianorum solatium, templum omnium, vt per eam Deus plusquàm per omnes creaturas glorificaretur. Vide ergo quomodo omnis templi gloria ad Virginem translata fuerit; ipsa templum, omnesque templi cęremonias & ornamenta gloriâ suâ spoliarit.

CAPVT IX.

Quid in templo egerit Virgo Deipara?

QVID egerit in templo Virgo Deipara totis annis vndecim, vel duodecim, quibus in eo fuit commorata, breuissimè credo & neruosissimè dixit S. Hieronymus epist. ad Paulam & Eustochium, his verbis: *Si placeat vobis, charissimæ, talis ac tanta Virgo; placeat & opus virtutis eius, cuius vita omnium disciplina est, cuius mores instituta sunt Ecclesiarum.* Quæ verba breuiter dicere videntur, nihil esse in Ecclesiâ laudabile, nihil in legibus sanctum, nihil in moribus pudicum, cuius perfectum exemplar Virgo Deipara non dederit: adeò vt qui eam viderent, opus non haberent præceptis viuendi aliis, quàm huius puellæ vitâ; qui autem non viderunt, tunc scient quid fecerit, quando omnem sanctitatis ideam ex legũ præceptis ac sacrosanctis Ecclesiæ constitutionibus collegerint, sibiq; persuaserint perfectiùs etiam quàm ipsi imaginari possunt omnia à Virgine fuisse obseruata. Ideo non leges aut tabulas adfert S. Ambrosius, vt virginem quamcunque ad sanctitatem instituat; sed solummodò Virginis huius mores ac vitam. *Sit vobis*, inquit, *tanquam in imagine descripta virginitas vitaque B. Mariæ, in qua velut in speculo refulget species castitatis & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi, vbi tanquam in exemplari magisteria sunt expressa probitatis, quæ, quid corrigere, quid tenere debeatis, ostendunt.* Georgius Nicomed. Virgini dicit: *Facem tanquam signum aliquod tolle sublimem, & ad te dirige orbem terræ.* Fax ista fuerunt actiones eius, quibus omnibus viam monstrauit Euangelicæ perfectionis. Profana historia narrat He-

lenam, istam pudicitiæ pestem, quando Græci armis diffidebant, iamque abitum meditarentur ac Troiam desererent, è sublimi Palladis templo accensâ face eos reuocasse, viamque occupandæ ciuitatis ostendisse. Non est Helena, sed Maria; non pestis castitatis, sed norma puritatis, quæ facem è sublimi templo ostendit, quę omnes reuocet in viam salutis per exẽpla virtutũ. Hæc ergo occupatio erat Marię, ita se omnibus virtutibus perficere, vt neque homines, neque Angeli (quibus se spectaculum esse sciebat) quidquam inuenirent, non dico quod reprehenderent, sed aliquid quo fuissent vnquam quidquam perfectius imaginati. Conati sunt Sancti Patres verbis quibusdam conuersationem eius describere; sed cùm verba non haberent satis significantia, hęserunt intrà virtutis à nobis imaginabilis descriptionem; quam tamen non erit inutile ex ipsis repetere: quia licet parum sit ad Virginis laudem, sufficit tamen nobis ad imitationem. S. Chrysostomus in cap. 1. Matth. ait: *Maria non leuis, non iocosa, non cantatrix, non turpium verborum amatrix, sicut solent plerumque puellæ, quæ libenter talia aut loquuntur, aut audiunt; non super virum oculos suos extulit, nec infixit aspectũ.* Sed parua Deiparæ laus vitiis caruisse. Ideò in Domini hypapant. ait idem Sanctus. *Beata Virgo vltrà omnem humanæ naturæ modum modestiam atque temperantiam excoluit, ac ob id vniuersorum Dominum in vtero gestare promeruit.* Ad particularia descendit D. Anselmus in opusc. de formâ & moribus B. Mariæ, vbi ait: *Mos tuus erat modicæ loquelæ, expeditæ obedientiæ, mundæ proximationis, sine audaciâ, sine perturbatione, sine irâ, benignè salutans, eloquentiam eius homines mirabantur.* & paulò inferiùs: *Perseuerans in orationibus, ferens pannum proprij coloris, lectioni, ieiunijs, & labori manuum, & omni bonæ virtuosæ operationi se dederat.* Sed virtutes Marianæ semper imitandæ, non vbique omnes laudandæ sunt. Quare omissis omnibus, duas tantùm in hoc tractatu attingam, quarum gratiâ maximè templum adiisse videtur, Castitatem & Orationem: quamquam omnium non diffiteor spectasse & obtinuisse incrementum in templo, quod alibi non facilè accepisset. Videmus arbores & plantas quæ circa fluenta aquarum sunt, feliciùs adolescere quàm eas quę procul distant ab aquis. Ideò Psalmista virum sanctum, quem primo Psalmo describit, comparat ligno *quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Eumque non in vnica alteraue virtute indè profectum affirmat accepturum; *sed omnia*, ait, *quæcunque faciet*, prosperabuntur. Ita etiam Virgo nostra plãtata circà decursus aquarum diuinæ gratiæ, quæ vberius puriusque fluunt in templo, non tantùm in supradictis virtutibus, sed in omnibus vigorem & augmentum accepit. Deindè *in domo Domini* (ait S. Ioannes Damascenus lib. 4. fid. cap. 15.) *plantata & impinguata spiritu, veluti oliua fructifera omnis virtutis habitaculum facta est.* Fuit tamem Castitas & Oratio, quæ inde maximè efflоruerunt. Notatur id Exodi 38. vbi dicitur Moses fecisse *labrum æneum cum basi suâ de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* Hebræum originale habet, *quæ militabant in ostio taberdaculi*; vt vigilia referatur ad orationem, militia ad castitatem. Clariùs id tactum est in loco Cantic. 7. quem suprà explicuimus: *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* Discors profectò concordia, chori & castrorum: in castris pugnatur, in choris cantatur: in castris sanguis hominum funditur, in choro orationes ad Deum effunduntur: in castris tympana & tuba militum animos excitantia audiuntur, in choris psalterij & organi voces personant, mentes in Deum eleuantes. Optimè tamen hęc in Sulamite nostra & quacumque eius imitatrice conueniunt, in quâ nihil videbis nisi choros castrorum, quia instar chori laudes diuinas semper decantat, & instar castrorum semper contra

Mores B. Mariæ Virginis à Patribus descripti.

Cant. 7. Virgines choros agunt in castris.

contra petulantiam carnis decertat: non quod Virgo Maria positiuè fuerit impugnata; sed quod prudentissimæ Imperatricis munere functa, tantum militaris custodiæ adhibuit in altissima sua pace, quantum ab aliis requiritur in continuo quod gerunt cum carne bello. S. Ambrosius lib. 1. de virg. pulchrè eadem coniungit: *Quid*, inquit, *de virginibus Bononiensibus loquar, facundo pudoris agmine, quæ relicto parentum hospitio tendunt in tabernaculis Christi, indefessæ milites castitatis, nunc canticis spiritualibus personant, nunc victum operibus exercent.* Age, quid castitatis virgineæ honori contulerit secessus in templum, breuiter videamus.

CAPVT X.

Quid Mariæ ad virginitatem contulerit educatio in templo, & solitudo.

MIRABITVR fortè qui Marianæ virginitatis priuilegia agnoscit, quòd eam virginitatis causâ ad templum contendisse, vel in eo subsidia tantæ virtutis reperisse dicamus. Non enim castitas Mariæ similis erat nostræ: quę nisi semper armata sit, non diu potest persistere, adeò sine intermissione ab hostibus, quorum in medio consistit, oppugnatur. Huic certè expediat confugere ad locum aliquem vel fortiorem, vt facilior sit defensio; vel sanctiorem, quo non sit profanis hostibus tam liber accessus. At Virgo Maria forinsecùs stipata tot Angelorum millibus, quę non tantùm hostem infernalem arcebant ne tentaturus accederet, sed etiam occasiones omnes amouebant quę possent imaginem aliquam minùs decentem ingerere; intrinsecus autem in altâ pace constitura, sic vt nullum à naturæ peruersitate motum persentisceret; Quid potuit à templo accipere, quod conferret ad castitatem? Cui interrogationi ex parte satisfacit serm. 2. de Annunt. S. Gregorius Neocesarienſis, vbi ait, *neminem tanta sollicitudine & curâ seruare lampadem ardentem quam per medium ventorum gestare sit necesse; quanta Virgo Deipara castitatem suam seruauerit.* Curam ergo maiorem gerebat Virgo thesauri huius, quàm virgines castissimæ mediis periculis expositæ. Habent enim hoc diuina auxilia, vt non socordem & negligentem reddant hominem, sed magis attentum & vigilantem: quò ergo maioribus stipatam præsidiis, pluribus ornatam priuilegiis Mariæ castitatem fuisse cognoscimus; eò maiorem in ipsa vigilantiam, curiosiorem puritatis custodiam necesse est imaginari. Eo ipso enim quod tot haberet ad castitatem subsidia, accuratiùs explebat omnia virginis castissimæ munia: inter quæ primum & præcipuum est, conuersationis & consortij humani fuga. Vnde passim notant SS. Patres apud Prophetam Isaiam vocem, *Hahalmach*, quâ vtitur quando dicit: *Ecce virgo concipiet* &c. non simpliciter significare virginem, sed virginem secluſam & absconditam: eò quod tam necessarium est virginis ornamentum solitudo, vt vix possimus sine hac virginitatem vllam imaginari. Certè licèt miraculis clarerent istæ nostræ vagabundæ, quæ se dicunt virgines; vix SS. Patribus persuadebunt se nihil de castitate amisisse. Adeant, si tantus discurrendi amor, adeant Tertullianum aut SS. Cyprianum, Hieronymum, Ambrosium, illos inquam vitę spiritualis magistros, qui matribus præscripserunt qua ratione educandæ sint Virgines. dicent illi: *Caue ne domo exeas, & ne velis videre filias regionis alienæ, quamuis fratres habeas Patriarchas, & Israel parente lateris: nam Dina domum egressa corrumpitur. Nolo igitur te sponsum quærere per plateas, nolo te circuire angulos Ciuitatis. Zelotypus est*

Ad castitatis custodiam Virgo secessit ad templum.

Isai. 7.

Iesus

Iesus, non vult ab aliis videri faciē tuam. Dicent illi qua solent libertate; sapientiores & prudentiores te, quæcumque es virgo, cecidisse per conuersationem liberiorem. Dicent, nihil mirum esse, si quid siniſtrè de iis passim suspicentur aut etiam loquantur; homines, cùm ipsæ occasionem dent sermonibus, verendumque sit ne vera loquantur & suspicentur. Ingeminabit S. Ambrosius: *Decet solitudo verecundiam, & gymnasium pudoris secretum est.* Quomodo se pudicitiæ iactabit magisterio, quæ nunquam ingressa est gymnasium pudoris? Plus dicet Tertullianus lib. de veland. virg. *Ipsa concupiscentia non latendi, non est pudica: patitur aliquid quod virginis non est.* Et dum hæc virginibus præscribent præcepta castitatis, solidissimas suppeditabunt rationes quare oportuerit Virginem Deiparam ad templum se conferre. Sciebat enim etiam ipsa, & plus quàm vllus mortalium agnoscebat dilecti sui ingenium, qui zelotypus adeò est, vt ne quidem faciem velit dilectæ suæ liberiùs ostentari. Sciebat etiam castitati non tantùm malum, sed etiam vmbram & suspicionem mali esse fugiendam. Nolebat denique nobis occasionem dare suspicandi, quòd vnquàm passa esset aliquid quod virginis non esset: ideò semper ostendit maximum quod habebat solitudinis desiderium. *Decebat* (inquit S. Anselmus lib. de concept. vir. cap. 8.) *vt Christi conceptio de matre purissimâ fieret: nempè decens erat vt eâ puritate niteret, quâ maior sub cælo nequit intelligi.* Idque ipsum Virgo in templo discebat ex admirabili throni diuini constructione, quem ille ex ebore candidissimo fabricandum curauerat, quamquam aurum lapidesque pretiosi tàm prodigè ac si carerent pretio, toto essent templo diffusi: vt scilicet indicaret non descensurum se ad homines, nisi thronum inueniret ebore castitatis nitentem, quem hactenus non repererat. Tale ebur se Virgo in templo exhibuit, statimque puritatis amatorem ad se pellexit. Quàm pulchrum ac splendidum ebur illud fuit, quod lapidibus omnibus Princeps ille prætulit, cui æquè facilè est gemmas pluere ac grandinem! Quanto frigore præcelluit, quandoquidem nunquam vllâ æstuauit inordinatâ cupiditate! Quàm denique solidum fuit, quod ne quidem partu fuit dissolutum! Quàm candidum, quod recepit candorem lucis æternæ! Magnum profectò Mariæ ad virginitatem erat incitamentum, dum quotidie contemplaretur diuitias tantas vndique à potentissimo Rege congestas fuisse in primo illo templo, nec quidquam ebore repertum esse conuenientius vnde Deo thronus exstrueretur. Decens quippè erat vt mater Dei eâ puritate niteret, quâ maior sub cælo nequit intelligi; quemadmodum thronus Dei fieri debebat ex ebore, quo nihil sub sole purius. Hanc autem puritatem non erat Virgini facilè assequi extrà templum, in quo gaudebat solitudine, & ratione solitudinis triplici istâ virginitatis benedictione, quæ consistit in incorruptione corporis, animi libertate, & conuersatione Angelorum: cui tandem accessit illa benedictio, propter quam beatam eam dicent omnes generationes, vt permanente virginitatis honore Mater fieret sui creatoris.

Ambros.

Tertvll.

Castitatis Virgineæ & eboris collario.

TRA-

TRACTATVS IV.

DE ANNVNTIATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

Missus est Angelus à Deo in ciuitatem Galileæ cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro &c. & nomen Virginis Maria, Luc. 1.

PROOEMIVM.

SI quis forte miretur quod de Incarnationis mysterio dicturus, initio sacro quodam horrore concutia, ac vix verba reperiam ad explicandum quomodò Verbum sit caro factum; is legatum cælitùs ad virginem eâ super re destinatum intueatur; animaduertatq; Spiritum illum tantâ intelligendi facultate à natura præditum, vt rerum omnium inferiorum ideas sibi habeat congenitas, ita perturbari, vt diutiùs videatur inter Virginis laudes tempus ducere, quo sese tandem confirmet: reuocetq; in mentem legationis suæ materiam, quam fortè vnà cum Virginis sacratissimo Nomine trepidatio excusserat. Dumq; statuerit (quod necessariò pietas faciendum decernit) vel propter mysterij, quo de agitur, magnitudinem; vel propter personæ, quæ est alloquenda, dignitatem; Angeli stuporem non esse inexcusabilem; tum videat quid de meâ perturbatione decernendum videatur, cui idem mysterium est attingendum, eadem persona est alloquenda, neque tantâ vi intelligendi à natura donato, neque peculiari ratione à Deo ad obeundum munus illud instructo ac confirmato. Non ergò excusabo infantiam meam, quæ sæpiùs inter dicendum balbutiet; non materiæ infinitatem quæ necessariò multa coget omittere; non radios splendoris à Virginis dignitate euibratos, qui non tantùm ea quæ dicere statueram, sed memet etiam mihi excutient: cùm habeam Angelum trepidantem, & nominis Mariani oblitum, qui apud prudentem rerum æstimatorem stupore suo satis superq; excuset defectus omnes, quos necessariò multos in pertractando Incarnationis mysterio admittam. Nemo igitur hîc exspectet concinnam orationem aliquam, quæ mysterij totius initium, medium, finem cum omnibus rei gestæ circumstantijs ordine quodam persequatur: tantum varias dabo circà varia eius capita considerationes, prout omnia stupenti & ad singula cæcutienti animo occurrerunt: & quò magis excusetur ille meus stupor, à Propheta in eadem materia stupore incipiam.

Angeli Gabrielis in Annuntiationis mysterio stupor.

CAPVT I.

Auditui Dei comparatur Incarnationis mysterium.

NOn me latet illam, quàm superiùs adduxi, perturbationis meę excusationem, ad oratorum diuerticula potiùs quàm ad necessariam veritatis confessionem à quibusdam referri. Etenim quàm frigidè (ita secum taciti cogitant) nobis obtrudis Angeli stuporem, vt tuam excuses balbutiem: tamquam si difficile sit intelligere Angelum rei propiùs admotum (cùm tanta ibi videat & intelligat peragi mysteria, quanta nec ipse in diuinorum arcanorum sacrario conspexerat, nec potuerat vnquam imaginando sibi proponere) iustissimas habere stuporis causas, quæ in nostrûm aliquo (rem actam ex certa quidem, sed obscura fidei relatione tantummodò cognoscentium, & exiguâ mysteriorum magnorum intelligendi facultate præditorum) tantæ esse non possunt. Quibus ego Prophetæ verissimi, rem eandem neque propiùs nobis, neque clariùs cognoscentis, de pauore suo confessionem opponam: vt intelligant nos, licet nõ æquè capiamus mysteria atque Angelus, nec tam propè ea intueamur, posse tamen etiam iustissimè earum consideratione obstupescere. Audiamus Prophetam Habacuc 3. cap. loquentem, & simul videamus quâ allegoriâ sibi proposuerit mysterium, quod licet in se non capiebat, tamen, sub acutissimo emblemate sibi propositum stupebat. *Audiui*, inquit, *auditum tuum, & timui.* Hebræus dicit, *expaui*, id est, hæsi attonitus & quasi impos mentis, & in stupore iusto desiderio accensus propiùs videndi rem tantam, quam veluti in dubio prophetiæ crepusculo conspiciebat, exclamat: *Domine, opus tuum in medio annorum viuifica illud. Audiui*, inquit, *auditum tuum.* Sic ille explicat pauoris sui causam, quam capiens minimè capiebat. Sanè modus loquendi, seu potiùs facultas audiendi mirabilis! Obiectum auditûs notum est non nasutis tantùm Philosophis, sed etiam auritissimis animalibus: & ea, quæ obstupefacere solent, per hunc sensum accepta, ferè sunt vehementes quidam & inauditi soni, vt rugitus leonis, sibilus serpentis, aëris vento commoti sonitus, fragor aquarum cadentium, vox semel edita & à vallium concauitate sæpiùs ad aures remissa, & similia vel magnitudine vel nouitate insolita. Stupenda etiam foret acutissima facultas audiendi, si quâ posset murmur excitatum à grano, quando germinans terram rumpit, erumpitque foras in auram liberiorem; vel concentum, quem aiunt cælorum motu excitari suauissimum, percipere. Nec defuerunt quidam vel tantæ curiositatis vt scirent, vel tantæ vanitatis vt fingerent, hæc à lupis, ceruisque, ac etiam hominibus quibusdam audiri: & potest sermo eorum fieri probabilis, si modò hæc, licèt exiguum, aliquem tamen sonum edant. At auditionem alterius audiri, nec qui dixerit præter Scripturam inuenio; nec qui explicare posset, nisi in Incarnationis haberemus mysterio. Perindè est ac si diceret: Audiui te audire, siue, audiui auditionem tuam passiuam, quæ est receptio specierum soni aut vocis in organo auditûs. Potes tu mihi, vel alius dicere, aut signo monstrare te quidpiam audiuisse: at vt ego te audire audiam, fieri non potest. A prophetia ad Euangelium transeundum est: nullum enim illa habet nodum, quantumcumque indissolubilem, qui non facilè huius gladio dissecetur. Dissoluerem nodum propositũ, si quâ ratione ostendere possem quomodo physicam auditionem Dei Propheta perceperit: disseco autẽ, cùm mysterio-

Angelo iustæ stuporis causæ videnti Incarnationis mysterium.

Etiam Prophetæ illud sub metaphora consideranti.

Habac. 3.

Auditûs obiectum non est auditio.

sam

rioſam Incarnationis auditionem eum oſtendo audiuiſſe. Iam Euangelium percurre, & vide quâ fide & humilitate Angeli legationem Virgo audiuit; quomodo ſtatim vt ipſa aſſenſum præbuit, eodem temporis puncto Deus ſit homo factus, id eſt, deducto, per Spiritum ſanctum ad conſtitutam à naturâ officinam puriſſimo Virginis ſanguine, indeque conformato corpuſculo, anima corpori vnita, Verbumque diuinum copulatum humanitati puræ ac per vnionem hypoſtaticam impeccabili, non quantum ad naturam, ſed quantum ad perſonam. Hæc omnia Propheta videbat, dum actus in ſtuporem, verbaque quærens, quibus ea, quæ vixdum capiebat, explicaret, inquit: *Audiui auditum tuum, & expaui.* Quod ita diſſecandus ſit nodus ille, primus ſuggeſſit S. Ambroſius, qui explicans verba Iſaiæ, *Rorate cæli deſuper*; ea ſic feſtiuitati hodiernæ accommodat: *Myſterium*, inquit, *Angelicæ locutionis, quâ Verbum Deus in interiorem aurem credulæ Virginis deſcendit.* An non manifeſtè alludit ad Prophetę noſtri verba, *Audiui auditum tuum*, vel, *auditionem tuam*; quando dicit intraſſe verbum Dei *in interiorem aurem credulæ Virginis*? ac ſi diceret: Vis ſcire quâ metaphorâ pulcherrimè & apertiſſimè myſteriorum omnium maximum iuxtà atque obſcuriſſimum explicabis? vide quâ ratione formetur auditio, non exterior illa, quâ vox ferit organum ſeu tympanum auditûs; ſed ſecretior illa & interior, quâ ſenſus recipit ſpeciem ſoni, & obiectum ſimul cum potentiâ generant in mente audientis notitiam vocis: inueniesque pulcherrimè auditionem paſſiuam vocari poſſe Filij Dei incarnationem; proindeque optimè & acutiſſimè loqui Prophetam, quando de eo agens dicit: *Audiui auditionem tuam*; illam ſcilicet, quâ Verbum Patris (adeò ſecretum, vt non interruperit perpetuum æternitatis eius ſilentium) intrauit *in interiorem aurem*, hoc eſt, in viſcera B. Mariæ Virginis, permanentia æquè incorrupta, æquè inconcuſſa atque auris interior recipiens ſpeciem vocis, ex qua generetur in ipſâ notitia. Multis doctiſſimiſque rationibus conati ſunt Patres ſancti adumbrare actionem hanc Spiritus ſancti, Viginiſque in incarnatione Filij Dei paſſionem factam ſine vllâ eius corruptelâ: ſed neſcio an ſubtiliùs quidquam adferatur, quodque meliùs eam explicet, quàm hæc à Prophetâ propoſita comparatio. Nec mirum, eum in conſideratione eius hæſiſſe attonitum. quid enim? an non miraretur Propheta res duas ſibi tam vehementer oppoſitas atque eſt Deus & homo, ita coniungi, vt ſcholæ noſtræ Magiſter dicat, eâ, quæ inter ipſas intercedit, vnione, non poſſe maiorem aut magis intimam reperiri? Non ſtuperet id quod ipſas cæleſtes Hierarchias rapit in admirationem, Deo humanas imperfectiones attribui, & diuinæ naturę attributa homini communicari? non timeret ad propoſitiones tam nouas tamque inauditas, Deus eſt mortuus, eſt Deus incarnatus; quę, niſi admirabilis huius auditionis temperarentur myſterio, vel rationem, vel veritatẽ ipſam euerterent? an non expaueſceret auditionem vnicam, quâ tot ſecum adferret myſteria, vt omnium contrariorum pænè conſpirare faceret repugnantiam? Simul enim audiebat virginem, matrem fieri ſine vitio; ſterilitatem eſſe fœcundam; fœcunditatem ſterilem; generationem purificare; puritatem ſine ſui violatione generare; Deum ſine mutatione fieri quod non erat; puerum in ipſo vitæ limine ſtare atque etiamnum carceribus vteri materni coërceri, & iam virilis ætatis omniſque perfectionis metam attingere; eundem ſcientia omni præditum, & adhuc diſcere; in via eſſe, & iam peruenisse ad terminum viſionemque Dei glorioſam? Hæc ſunt, quæ Prophetam in ſtuporem vertebant: quapropter ex ſtupore in vocem erumpit: *Domine, opus tuum, in medio annorum viuifica illud.* Quæ verba tali circumſtantiâ dicta, prorsùs

S. Ambr.

Auditionis & incarnationis comparatio.

Myſteria multa ſequentia ad incarnationem Dei.

merentur in hac festiuitate examinari.

CAPVT II.

Incarnationem antonomasticè dici *opus Dei*, quod ille vtraque manu Misericordiæ & Potentiæ elaborauit. Hîc de dexterâ Misericordiæ.

VIDEBAT Propheta Habacuc extensum Dei brachium, quantum extendi poterat, in incarnationis mysterio: eumque facere potentiam in brachio suo, hoc est, conari quantum vires ferebant. Itaque admirabundus exclamat: *Domine, opus tuum.* Domine, hactenus ego consideraui varia tua opera, qualia sunt abyssus aquarum, elationesque earum mirabiles, fornices cælorum, eorumque reuolutiones stupendæ, terra denique, totque in terra quotidie nascentia & occidentia digitorum tuorum prodigia: at modò, postquam audiui auditionem tuam, tuque mihi dignatus es Incarnationis mysterium reuelare; video quod lubens priora ista feceris, nec opus fuerit curâ vllâ accuratiore, aut conatu aliquo singulari vt ea produceres: proindeque, licèt magnifica sint illa, & talia quæ non nisi à te possint prodire; sunt tamẽ eiusmodi, vt comparata cum eo quod hodie mihi ostendis, vix mereantur inter tua recensèri. Nam opus vnum audio: & cerno quod verè *opus tuum* est, quo vnico gloriari potes, ideò quod adequatè dimetiatur quantum potes. Hoc opus, cui tu secundis curis insudasti, & propter quod molitus es cetera omnia; hoc *opus tuum*, quod non pugillo, quo suspendis orbem terrarum, nec manu vnicâ, quâ metiris aquas, sed toto brachij vtriusque nisu molitus es. Brachia hæc Dei assignat Psalmista, dicens: *Duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.* Nihil curiosis artium admiratoribus iucundius, quàm insigni artifici tum assidere, quando perfectissimum opus quoddam molitur, gestibusque eius intendere, ac videre quomodo iam dextram, iam verò sinistram operi adhibeat, totoque nisi in illud incumbens tandem perfectam artis ideam producat, quâ meliorem nec ipse moliri, nec quisquam aliorum possit concipere. Quod si hoc propter præstantiam artis tantâ afficit contemplatorem eius voluptate: profectò quando Deus molitur opus, quod antonomasticè appellat *suum*, iucundissimum erit iã dexterę, iam sinistræ eius motibus attendere, nosq; ipsâ operationis subtilitate & elegantia recreare. Dextera eius est Misericordia, sinistra Potentia, vt facile est excitato Psalmistæ loco colligere. Primũ dextræ tractus contemplemur, quos in mysterio incarnationis suæ signauit Deus. *Laus cantici ipsi Dauid* (ita habet inscriptio Psalm. 92.) *in die ante Sabbatum, quando fundata est terra.* Hic primus est dexterę diuinæ tractus in opere incarnationis, hęc prima Dauidis nostri laus, quòd in opere hoc fundauerit terram. At hęc ita plana non sunt. Est enim dies ante Sabbatum ea, quam Ecclesia sextam feriam, Gentilitas diem Veneris appellat: hâc autem fundatam esse terram, vix scio quomodo cum historiâ Geneseos concordet, quæ dicit: *In principio creauit Deus cælum & terram.* Volue, reuolue, ac per sex dierum operationes discurre. Primâ die cælum & terram, lucemque eam formosissimam (quæ mundi in tenebris tanquam in morte delitescentis quodammodò est vita) creauit Deus. Secundâ muniuit regionem aëris, sphætasque illas ingentes, atque

Psalm. 61.

Incarnationis mysterio fundata est terra.

Dei per sex creationis dies varia occupatio.

que globos cælorum varios quasi circinio aptauit, ad hoc gelu constringens, atque in chrystallum mundissimam iuxtà ac solidissimam formans alteram aquarum partem. Tertiâ die residuas aquas in alueum vastissimum collegit, diffuditque simul & coërcuit maria ingentia, furori eorum littora & magnos arenarum montes opponens: eodem die terram, caluum aquis caput exerentem, pulcherrimè texit floribus & herbis, totamque induit versicolore plantarum trabeâ, pænè ad inuidiam cælorum nullis adhuc astrorum facibus rutilantium, quas die insequente accendit, orbibusque suis partem earum affixit, parti verò alteri concessit ordinatam vagandi libertatem, cunctisque prætecit Solem, & minore authoritate Lunam; hanc vt nocti, illũ verò vt præesset diei. Quintà die piscibus aquas, aërem verò auibus repleuit. Sextâ denique, animalia quæ terrã calcarent, hominẽq; qui animalibus dominaretur, creauit. Nusquam autem vestigium vnde colligi possit sexto die terram fundatam esse. Cui ego obiectioni respondeo, non siniſtræ, hoc est, omnipotentię ductũ laudari, quando dicitur in die ante sabbatum fundasse terram; sed dextræ, hoc est, misericordiæ: proindeque non tam ad creationem mundi, quàm ab illâ ad redemptionem eiusdem respiciendum. Notandum verò sextam illam feriam, quâ homo creatus est, incidisse in eandem 25. Martij, quâ hodiernum peractum est mysterium, eandemque fuisse quâ Filius Dei passus est in cruce. Est ergo Veneris die fundata terra, quia hæc fundata non esset nisi propter hominem, qui erat sexto die creandus: neque operę pretium erat producere peccaturum hominem, nisi foret redimendus: redimi autem non poterat, nisi hac eâdem sextâ feriâ Deus fuisset incarnatus. Videsne quomodo vacillans inter dubias, vt sic loquar, Dei deliberationes, creandane esset an non; tandem per Dei incarnationem quæ sexâ feriâ accidit.

Misericordiæ opus fuit terræ per incarnationem fundatio.

fundata sit terra? Sit ergo primus Misericordiæ in hoc opere tractus, quòd eo terram vniuersam fundauerit ac stabiliuerit. Neque opponi potest, ad passionem Domini potiùs referendam hanc fundationem, quàm ad incarnationem: nam ex incarnatione tam infallibiliter sequebatur passio, totalisque hominum redemptio, vt illâ positâ nequaquam amplius hæc vacillaret: atque hinc animaduertere est, vota Patrum antiquorum non directa fuisse ad mortem, sed ad incarnationem Saluatoris, quod superuacaneũ esset allatis eorum sententiis comprobare. Mirabilis est loquendi ratio, quâ id affirmat S. Epiphanius de laude Virg. *Dico enim illam*, inquit, *esse cælum thronum, simul & crucem.* Crucem ait esse Deiparam, eò quod intrans corpus eius virgineum Christus spoponderit pro genere humano. Ait autem Sapiens Prouerb. 6. *Si sponderis pro amico tuo, defixisti manum tuam apud extraneos.* Verba quæ sponte suâ cadunt in hodiernum mysterium, per quod Deus homo factus sponsorem se offerebat pro genere humano, vnde tam certa mors ei impendebat, vt censeri posset iam Cruci affixus: *Apud extraneos* enim, hoc est, creditores nostros, iam manum defigebat suam, non refixurus eam nisi nos soluissemus vltimum quadrantem: quod cùm esset impossibile; iam certò erat clauis cruci affigendus, vt morte suâ solueret obligationem, quam pro nobis hodiernâ die adiuit. Perinde ergo dicitur ab Epiphanio quod crux sit vterus virginalis, quemadmodum dicitur certa mors esse res quæpiam, vnde mors certò est sequutura. Illustrat quæ diximus, & misericordiam Dei exaltat querelis suis patientissimus Propheta: *Non est, inquit, qui vtramque valeat arguere, & ponere manũ suam in ambobus.* Querela est non de vulneribus & afflictionibus quæ ipse patitur, sed de misera conditione generis nostri. Siccine ergo, ait, consumetur vita mortalium in lite istâ tam malè comparata, in

Quomodo Virgo Dei para crux dicatur.

Prou. 6.

Iob. 9.

Christus mediator inter Deum & hominẽ.

qua infirmitas aduersatur potentiæ, & miseria misericordiam insectatur? Quid querar, aut quò vertam planctus super lite tam diuturnâ & vergente in perniciem nostram? O si quis arbiter, si quis mediator intercederet! Sed heu! non est *qui vtramque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus*: non est qui tanta simul authoritate sit, vt possit arguere nimiæ seueritatis potentiam; & tantæ humilitatis, vt accomodatè possit instruere infirmitatem. nisi quis sit qui ponat manũ suam in ambabus, coniungatque stabili connubio diuinam naturam cum hamanâ; non video qui possit tam pernicioſæ litis exitus exspectari. *Quarendus mediator est*, dicit S.P.N. Augustinus, *qui non solùm homo sit, sed & Deus*. Quærendum talem etiam sciebat Propheta Iob, & quia difficile sciebat inueniendum, aut saltem non nisi multo post tempore venturum; de præsenti, in qua tum mortales erant, miseriâ conqueritur: *Non est qui vtramque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus*. At de Christo ait S. Cyrillus: *Mediator hac ratione intelligitur, quia ostendit in seipso collatas ac vnitas diuinitatem & humanitatem*. Hæ nimirùm erant partes litigantes, in quibus manum suam ponit hodie, qui per vnionem hypostaticam vtramque sibi vendicat, vendicandoque conciliat, Christus Iesus. Audis epiphonematicè acclamantem huic operi diuino Psalmistam: *Dexteram tuam, Domine, sic notam fac*. tamquam si nobiscum contemplatus operantem dextrâ misericordiæ Deum, diceret: Sic Domine, sic notam facis omnem dextræ tuæ artem: hoc opus eam adæquatè metitur, ita verè dici possit vel solum, vel maximum opus tuum. Age, nunc etiam breuiter tractum vnum alterúmue finistræ in hoc opere contemplemur, videamusque quâ ratione exerat in eo suam Deus potentiam.

CAPVT III.

Quomodo Deus in Incarnatione, finistræ, hoc est, Potentiæ artem ostenderit.

QVAM solerter se potentia Dei operi suo, quod hodie patrauit, impenderit; non aliundè quàm ex Isaiæ 7. petendum est: vbi cùm omnia trepidarent metu apud Iudæos, propter imminentes cum duobus exercitibus Rasin & & Phace; regem Achaz timere prohibet Isaias, certam liberationem promittens à Domino: cumque incredulus rex vix Deo tribueret quod ipse posset ita saluare populum; instat Propheta eum confirmando, dicens; *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà*. Vis vt terra aperiatur, vastoque hiatu ipsos ostendat inferos? loquere, iam patebit. Vis vt sol medio in cursu hæreat, vel etiam in ortum subitò reuoluatur? iam istum cursum stabilem, legemque tam certam mutari videbis: vt credas eum, qui æternis istis dominatur ignibus, facilè posse existinguere *duas caudas titionum fumigantium*? ita vocat duos reges inimicos. Sed hærebat rex impius, & quodammodò Deo inuidebat tantam gloriæ ac potentiæ suæ ostensionem, proindè ait: *Non petam*. & frigidissimam rationem addit, quæ vanitate suâ clarè prodit eius impietatem, *& non tentabo Dominum*. quasi verò tantatio esset, signi tã zelosè oblati petitio, vt Deus glorificaretur corã populo suo. propterea Propheta Isaias maius signum adferens, quàm rex iste vnquàm cogitasset, ait: *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum*. hoc est (licèt communiter aliter Interpretes; tamen Isai. 7.

tamen sensu Scripturæ plane & mysteriis pleno) non vis tu glorificare Deum, petendo signum aliquod, quo confirmeris tu & populus tuus in fide & fiduciâ tantæ potentiæ & bonitatis, quâ valet & vult vos liberare à desperatissimo hoc rerum statu; *Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum*, vnde certius possitis colligere victoriam & liberationem vestram, quàm ex omni prodigio quod posseris postulare. Scitis quàm infallibilis sit Dei promissio, quam iurauit Abraham & vobis semini eius. Scitis quantæ potentiæ suæ prodigia tum edet, quando virgo concipiet & pariet istum filium, qui erit nobiscum Deus fortis. Scitis præterea quod citiùs cælum & terra sus deque voluentur, quàm posset verbum illud Domini nõ adimpleri. Scitote ergo etiam hoc, quàm certò sit adimplendum verbum meum de liberatione vestra ex hac calamitate erit enim hęc ipsa liberatio vestra signum vobis quòd aliquando Virgo pariet, & Emmanuel sit venturus: adeò vt non magis dubitare possitis de hac, quam vobis promitto, diuinæ potentiæ ostensione; quàm de illa, quam toties Patribus nostris iurauit Deus, & in qua stabilitur omnis religio, fides, & spes nostra. Si ergo in mentem fortè veniat dubitare de profligatione duorum regum Rasin & Phacee, propterea quod nimiæ potentiæ videatur eos ita citò disperdere; cogitate quantæ maioris potentiæ erit illud incarnationis mysterium, quod tamen adeò certò scimus ab eodem Domino patrandum. Ex quo Isaiæ discursu patet tale esse potentiæ diuinæ opus in incarnationem, vt etiam quæ impiis videbantur Deo impossibilia, ex hoc vno probentur facillima esse ei qui rem tantæ maioris potentiæ possit moliri.

Duo potentiæ diuinæ effectus mirabiles in incarnatione.

Non est hic locus examinare & contemplari singulos siniſtrę huius tractus: tantùm breuiter noto duo, in quibus videtur hęc iucundissimè emicuisse eius virtus. Quod scilicet per hoc mysterium se exinaniendo cùm nihil sibi adiiceret, seipsum tamen maiorem quodammodò fecit quàm erat: & matrem suam, quę nihil erat per naturam, & minùs nihilo per humilitatem, exaltando eò proue-xerit, vt ipse, qui omnia potest, eam angere non valeat. In vtrumque hunc tractum oculos prȩcipuè coniecit solertissima Dei operantis admiratrix Deipara, celebrans eius in hoc mysterio potentiam. *Fecit potentiam*, inquit, *in brachio suo: deposuit potentes de sede*; En primum; *& exaltauit humiles*, ecce secundum tractum Dei potentiæ. *Deposuit*, iterùm repetendum, *potentes de sede*; in illo scilicet cuncti potente, qui derelicto Patris ȩterni gremio (in quo rerum omnium Dominus veluti in throno gloriȩ suę antè omnia sȩcula considebat) ad nos in terram descendit: adeò vt post descensum ipsius de sede ista maiestatis, iam potentia omnis infirmitas, omnis altitudo demissio, omnis pompa vilitas, omnis gloria ignominia censeatur. O potentiæ diuinæ artificium obstupescendum! Descendit ipse Deus de sede sua & descendẽdo solo adȩquat quidquid vspiam potentię titulo gloriabatur, descendit inquam, sic tamen, vt is qui naturâ suâ essentialiter est altissimus, per hunc descensum ascendat. Nónne hoc dicit Apostolus ad Ephes. 4. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia descendit primum, in inferiores partes terræ?* Vnde putas fieri potuisse, vt Deus naturaliter constitutus in rerum omnium vel imaginabilium fastigio, ascenderit; nisi quia ipse descendit primùm in inferiores partes terræ, hoc est in vterum illius Virginis, quâ nihil fingi poterat humiliùs? Vulgare est enim matris vterum terræ, & vicissim terram vtero materno comparari: vti vel ex illo Iobi constat: *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc*; non vtique in vterum matris, sed in terram, quæ perinde matris vterus dicitur atque contrà hic terra nuncupatur. Quod iterùm de Virginis vtero dicit Psalmista, apud quem Christus ita loquitur: *Non est occultatum os meum*

Luc. 1.

Primus, quod Deus descendendo ascendit.

Iob. 1.

à te, quod feciſti in occulto; & ſubſtantia mea in inferioribus terræ. hoc eſt, in vtero genitricis meæ, vbi me formaſti in virtute tua. Iam ergo quod aſcendit omnium altiſſimus quid eſt, niſi quia deſcendit exinaniendo ſemetipſum, formam ſerui & peccatoris accipiens in vtero matris ſuæ; nihil addens diuinitati ſuæ, ſed ei nihileitatem noſtram admirabili vnione coniugens, itaque exaltans non tantùm potentiam ſuam, ſed etiam ſemetipſum; vt verè dici poſſit Deus aſcendiſſe, & à Patre glorificatus eſſe. Primum ergo potentiæ diuinæ in incarnatione prodigium, à Virgine admirabiliter celebratum his verbis, *Depoſuit potentes de ſede*, eſt; quod Deus, qui ſuprà omnia erat, deſcendendo aſcendit. Alterum non minùs fortè ſtupendum eſt, quod Virgo, quæ nihil erat, per id ſuprà omnia creata, & audeo dicere ſupra ipſum Deum, aſcenderit. Audi ipſam id ore pleno celebrantem: *Fecit mihi magna qui potens eſt*; ponens quodammodò magnitudinem ſuam menſuram, quâ nos dimetiri poſſemus Dei potentiam. Perindè eſt enim atque ſi diceret: Stupes nihileitatem & humilitatem meam ad tanta peruenisse, quanta vix licebit creaturæ vlli ſine pio quodam ſacrilegio cogitare, vt etiam Deo præſim & imperitem? memor ſis eum qui tanta mihi fecit, potentem eſse, ac potentiam ſuam impendiſſe in exaltanda per incarnationem matre ſua. Iam ergo conſtat benè incarnationem autonomaſticè vocari à Propheta *Opus Dei*, Quòd nimirum vtraque manu in illud incubuerit Dominus, maximoſque ſignauerit in eo miſericordiæ & potentiæ ſuæ tractus, quos creaturæ omnes admirarentur. Reliqua, qualia ſunt molitio cœli & terræ, admirabilis ſuſpenſio aquarum, tot plantarum animalium ac hominum productio, opera ſunt quidem Dei, ſed opera tantùm digitorum ipſius: quæ ſcilicet miſericordiâ & potentia ſuâ tantùm leuiter attigit. At incarnationi neceſse fuit vtroque brachio veluti cum labore Aliquo & ſingulari induſtria incumbere: quod inſinuat Apoſtolus, dicens ad Hæb. 2. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit*. apprehendere enim, manus & brachij extentionem dicit cum quodam labore & ſollicitudine, vt indicat Poëta.

Iam tandem Italiæ fugientis prendimus oras.

labor enim, cura, induſtria requirebatur ad apprehendendam terram toties fugientem.

Secundùs, quod Virgo per eam quodammodò ſuprà Deum ipſum aſcenderit.

CAPVT IV.

Exponitur ſecundùm litteram prophetia Malachiæ 3. de feſto Annuntiationis & Incarnationis myſterio.

VLTIMVS Prophetarum ex duodecim Malachias ita incipit caput tertium prophetiæ ſuæ: *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam antè faciem meam: & ſtatim veniet ad templum ſanctum ſuum Dominator quem vos quæritis, & Angelus teſtamenti quem vos vultis.* Quibus verbis nihil potuit clariùs dici de myſterio, quod hac feſtiuitate celebramus. Ad litteram namque puto ea de Angelica ſalutatione atque diuina incarnatione intelligenda: Præſuppoſitâ B. Thomæ 1. p. 1. art. 10. aliorumque interpretum ſententia, quod vnus idemque S. Scripturæ locus varios habere poſſit ſenſus litterales. Conſtat enim indubitatâ veritate ex Matth. 11. Marci 1. Luc. 7. Prophetam hîc ſecundùm litteram de Sancto Ioanne Baptiſta egiſſe; vt Chriſtus ibi diſertè teſtatur, dicens: *Hic eſt*

Primò locus de S. Ioanne Baptista intelligitur.

est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto Angelum meum. Neque absre fuerit ad diuini istius interpretis reuerentiam priusquam sensum nostrum prodamus, cùm veneratione suscipere; & nonnihil explicare eius interpretationẽ. Etenim posset opponere quispiam, Quâ ratione concludere videatur veritatis sapientiæque æternę sermo, qui, ex eo quòd Angelus nominetur Baptista, inferre videtur eum esse plusquam Propheta? cùm dici possit eum qui Prophetæ sit, aut maiorem, aut saltem æqualem esse spiritibus Angelicis, vel ipsis fatentibus Apoc. 22. vbi quidam ipsorum ait: *Conseruus tuus sum & fratrum tuorum Prophetarum.* Ecce æqualitatem agnoscit: ideò se non vult ab Euangelista adorari. Quinimò cum inter seruos etiam sit numerum quædam prærogatiua; excellentius seruitutis genus datũ videtur Prophetæ quàm Angelo; cùm hic futura plerumque ignoret, aut saltem ex officij sui ratione non cognoscat quæ Prophetæ reuelantur. Verùm hæc difficultas vti ingeniosè proponitur, ita habet ex textu planissimam resolutionem. si nempe dicamus non inferri ex eo quod Angelus dicatur Baptista, eum Prophetis esse superiorem; non enim, vt pulchrè probatum est, hoc ex eo sequitur: sed cùm Prophetarum sit futura prędicere, & maximè Messiam venturum annuntiare, eoque magis augeatur eorum dignitas, quò clariùs apertiusque eum annuntiant; duo fortissima sunt in verbis istis argumenta, quibus concluditur quod Christus intendit plusquam Prophetam esse Ioannem Baptistam: quę ita possunt apertiùs exponi. Quid tandem putatis esse Ioannem Baptistam? Prophetámne? immò plusquam Propheta est. Probatur: Nam si Propheta solùm esset Baptista, ipse vt ceteri Messiam venturum annuntiaret: iam verò tantus est, vt etiam ipse annuntietur venturus: *Hic est enim, de quo scriptum &c.* Plurimum refert Prophetas præsentes agnoscere, eorumque sermonibus credere: at Ioannem Baptistam tanti referebat cognoscere, vt etiam tot ante sæculis venturus annuntiaretur, ne quis eum ignoraret. Plus ergo quàm Propheta est, qui non tantùm prophetat, sed de quo etiam prophetant alij. Aliud argumentum formari potest ex verbis Malachiæ hoc modo: Si Prophetarum eò quisque est maior, quò clariùs apertiusque Messiæ aduentum annuntiat; quantò maior Prophetis omnibus erit Baptista, de quo Malachias prædicit quod veluti Angelus & ante ambulo Messiæ non solum eum venturum prædicet, sed reipsa viam præparabit, per quam mox ipse est incessurus. Atque hic est verborum istorum planus sensus, liquidaque difficultatis propositæ explicatio. Quod verò Malachias dicat: *Ante faciem meam;* Euangelista autem referat, *Ante faciem tuam;* non est quod quemquam moretur. cùm enim SS. Trinitatis opera ad extrà sint personis tribus cõmunia, nihil refert quod modò vni tribuatur, quod mox alteri assignatur. ita S. Petrus 2. cap. 1. ait: *Spiritu sancto inspirante locuti sunt sancti Dei homines;* quod S. Paulus ad Hebr. 1. Patri assignat, dicens: *Multifariam &c. olim Deus loquens Patribus in Prophetis;* Patrem enim intelligit, quod patet ex sequentibus, vbi dicit: *Locutus est nobis in Filio.* Isaias verò 52. cap. Filio etiam tribuit hanc inspirationem: *Propter hoc*, inquit, *sciet populus meus nomen meum in die illa, quia ego ipse qui loquebar, ecce adsum;* Filius vtique, qui in terris visus est & conuersatus nobiscum. Idem ergo est, siue Pater mittat hunc Angelum, dicaturque Filio: *Mitto ante faciem tuam;* siue Filius mittat, dicatque; *Mitto eum ante faciem meam:* missus est enim à tribus personis. Pluris refert quærere *templum*, ad quod Propheta dicit statim venturum Dominatorem & Angelum testamenti; difficile enim videtur id assignare. Ecclesia sancta id reperisse videtur, quando in festo Purificationis hæc verba solemniter decantat, tamquam si aduentu Christi in templo adimpleta fuisset prophetia. Sed non puto ego aliter

Cur hic Angelis sit maior.

quàm accommodatitiè ab ea locum exponi, quòd non appareat quamnam præparationem huic ingreſſui pręmiſerit Baptiſta, vt ſtatim poſt eam tamquam rem ſignatam dicatur templum ingreſſus Dominator, quem ita ſtudiosè quęrebamus. Si verò dicatur præparatio à S. Ioanne facta, prædicatione & baptiſmo pœnitentię; reſtat poſt eam aſſignandus ſolemnis aliquis templi ingreſſus, qui tanto tempore ante prædicitur. Non facit hęc difficultas, vt cum Euſebio Cæſarienſi abiiciamus litteralem ſenſum à Chriſto Seruatore noſtro traditum, dicamuſque Angelum qui mittitur ipſum Meſſiam: cùm, præterquàm quod impium ſit primam reiicere interpretationem, etiam ſtolidum foret ita primum Angelum aſſignare, vt ipſe non præpararet viam ſecundo, ſed prorsùs intercluderet aditum, quo nos ad eum, vel ipſe ad nos peruenirent. Si enim Chriſtus eſt Angelus primus, non video qui dici poſsit eſse ſecundus ille, cui ipſe viam ſternat. Facit tamen vt priorem explicationem; vti dicebam, cum veneratione ſuſcipiens, ac quod in ea obſcurum reuerenti admiratione ſuſpiciens, deflectã ad aliam eiuſdem loci interpretationẽ etiam litteralem, quod ea feſtiuitati hodiernæ apertè deſeruiat, & apertiùs poſſint à nobis ſingula eius verba explicari.

Secundò de hoc myſterio prophetia litteraliter explicatur.

Dico ergo quod poſtquam legiſſet prophetiam Iſaiæ 61. cap. apud S. Lucam 4. cap. dicebat Chriſtus: *Quia hodie impleta eſt hæc prophetia in auribus veſtris.* Lege prophetiam, & Euangelio hodierno eam confer qui dubitas: *Ecce ego mitto Angelum meum*, ait apud Prophetam Dominus; & Euãgeliſta dicit; *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo*, nomine ſuo Angelũ appellans, tamquam ſi ex profeſso prophetiam explicaret. Dicit autem *à Deo*, vt vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum ſanctum, vel omnes ſimul perſonas accipias, vt alludat ad hoc quod ſuprà annotauimus, opera ad extrà modò huic, modò iſti perſonę aſsignari. Pergit Propheta: *Qui præparabit viam ante faciem meam.* Feciſſe hoc Gabrielem narrat Euangeliſta, dum refert quàm ſubmiſsâ veneratione, quàm accuratâ oratione, quàm ſolerti difficultatum propoſitarum reſolutione conatus eſt conſenſum impetrare à Virgine. Hic enim erat aditus, hæc porta, per quam Dominus erat venturus. Ne autem vel porta rueret, vel via concuteretur ad tanti Dominatoris inceſſum, omnia ſolidat, auertitque periculum, dicens: *Ne timeas Maria.* Quæ verba ſub iſta, quam dedi, allegoriâ conſiderat S. Petrus Chry- Chrysol. log. ſer. 142. dicẽs: *Denique ne tanto ponderi cæleſtis fabricæ in Maria ſubtilis corporis noſtri arena ſuccumberet; & in Virgine totius generis humani portatura fructum virga tenuis frangeretur; dixit: Ne timeas.* Nec tantùm prohibet timere, ſed etiam adfert ſolida fundamenta, quibus viam muniat, virgamque confirmet, vnde ſuſpendendus eſt totius generis humani fructus: *Inueniſti*, inquit, *gratiam apud Dominum.* Satis enim firma ſunt omnia, quæ à diuina gratia ſolidantur. Præparatâ hoc modo à Gabriele viâ, quid reſtabat ne hiſtoria hodierna ab antiqua Malachiæ prophetia diſcreparet, niſi vt ſtatim veniret ad templum ſuum Dominator? *Statim*, inquit. Vide autẽ quàm non tardauerit Dominus, vt etiam virginem turbauerit ſubitaneo ſuo aduentu. Narrat hoc Euangeliſta: explicat ſerm. 143. Chryſolog. & nos breui diſcurſu illuſtrabimus. Quid enim ſignificat. *Turbata eſt in ſermone eius*; niſi quòd audiuerat ab Angelo, Dominus tecum, iamq; ſentiebat eius præſentiam? *Turbata eſt caro*, ait Chryſologus, *concuſſa ſunt viſcera, mens tremuit, tota cordis obſtupuit altitudo, quia in ingreſſu Angeli ſenſit diuinitatis ingreſſum.* Exemplo res fiet manifeſtior, intelligeturque qualis fuerit ea Virginis Deiparæ turbatio. Si enim ponamus Regem & Monarcham potentiſſimum fortè itet habere, ac de via mittere certum hominem ad nobilem quẽdam virum (ſibi olim in aula notum, quique proinde regiam eius maieſtatem non ignoret) cum mandatis vt petat

Turbatur Virgo ob ſubitaneum Meſſiæ ad ſe ingreſſũ.

ab

ab eo Regem in suam domum recipere ne grauetur, statuisse penes eum non exiguo tempore commorari: dum vix legationem suam alter orditur, alter nonnisi obscurè intellexit quid petatur; ecce tibi vngularum sonitu terra concutitur, iamque ministrorum voces appropinquantium exaudiuntur: Rex, inquit Legatus, adest; nec mora, quod pace tua fiat, hîc opus est hospitetur. An non putas nobilem istum cùm sermone Legati, tum multò etiam magis subitaneo Regis aduentu perturbandum? Sub hac imagine Virginem Deiparam cum Angelo colloquentem considera, & quid ipsa tam vehementer perturbaretur capies: impletamque Malachiæ prophetiam aduertes, quomodo post Angeli missionem statim venerit ad templum suum Dominus. Intrat ciuitatem Nazareth missus à potentissimo cæli terræque Monarchâ legatus: rectà tendit ad virginem desponsatam viro pauperi, & manuum labore victitanti, *cui nomen erat Ioseph*: incipiensque legationem suam, ait: *Aue gratia plena*, ac si diceret: Ex parte istius potentissimi cæli Monarchæ venio, cuius tu maiestatem magnificentiamque ignorare non potes, vtpotè liberalitatem eius plusquàm vlla creaturarum experta, & gratiâ bonisque ipsius vndequaque repleta. Inter hæc verba iam cogitabat virgo *qualis esset ista salutatio*. dumque eò tendere videret legatum, vt ipsa tanto Regi hospitium præberet; humilitatem suam cum hospitis maiestate, suam paupertatem cum iis quibus ille assuetus erat deliciis, denique domûs suæ angustias cũ ipsius immẽsitate componebat. Cùm ecce tibi adest, de quo agebatur, Dominus: atque Gabriel; *Dominus tecum*. Virgo autem turbata est in sermone eius, quem sentiebat videbatque tanti Domini præsentiâ verificari: *Turbata est caro; concussa sunt viscera, mens tremuit, tota cordis obstupuit altitudo, quia in ingressu Angeli virgo sensit diuinitatis ingressum*. Quidni turbaretur, videns iam adesse, quem si venturum solummodò audiuisset, non potuisset non omnibus animi facultatibus commoueri? maximè quòd ita festinaret Dominus, vt cùm legatum misisset, ipse pænè celeriùs quàm legatus aduolaret? Miratur id S. Bernardus homil. 3. sup. Missus: *Itané velocior Angelo fuit Deus, vt festinantem nuntium celerior ipse præueniret ad terras?* & mox tanquàm si ad Malachiæ, quem explico, locum alluderet? *Statimque Rex egrediens de loco sancto suo, exultauit vt gigas ad currendam viam: & licèt à summo cælo egressio eius; nimio tamen peruolans desiderio præuenit suum nuntium ad virginem, quam amauerat, quam sibi elegerat, cuius decorem concupierat.* Ne dubitetur ergo quin impletũ sit quod Propheta dicebat: *Ecce ego mitto Angelum meum*, Gabrielem scilicet; *& præparabit viam ante faciem meam*, eliciendo à virgine consensum, timoremq; eius moderando: *& statim veniet*, imò ferè nuntium præueniet, ad vterum virginalem (quem iam templum Domini sanctum esse ostẽdemus) *Dominator* quem nos quærebamus, *& Angelus testamenti* quem calidis animi votis exspectabamus. S. Bern.

CAPVT V.

Virgo Deipara est templum sanctum, ad quod per incarnationem diuertit Dominator Dominus.

VT singula verba Malachiæ cum hodierna festiuitate & Euangelio conuenirent, assignandum restabat templum, ad quod statim post Angeli missionem diuertit Dominus. S. Augustinus lib. 18. de ciuit. Dei cap. 35. quem

sequitur Theodoretus, templum hoc Christi humanitatem interpretatur, confirmatque ipsiusmet veritatis authoritate: nam Christus interrogatus in qua potestate tam seuerè sacerdotes templo eiiceret, respondit; *Soluite templum hoc.* testatur verò Euangelista Ioannes 2. capit. eum corpus suum ibi vocasse templum: *Ille autem dicebat de templo corporis sui.* Malo tamen cum S. Cyrillo Alexandrino templum, ad quod venisse dicitur hic Dominus, vterum Virginis Deiparæ exponere, tum quòd ex ipsa loquendi ratione præsupponi videatur iam factum esse templum ante aduentum Domini, tum quòd Ecclesia tam disertè canat: *Templum Dei factus est vterus nesciens virum.* Et apud S. Augustinum serm. 7. de natiuit. Christi Virgo ait: *Deus adimpleuit ventrem meum diuinitate, & vterum meum non euacuauit castitate.* Indicans templum Dei fuisse vterum castitate consecratum. Et disertissimè serm. 142.

CHRYSOL. S. Petrus Chrysologus: *Audistis Angelum de carnis nostræ limo templum diuinæ maiestatis arte ineffabili constructum.* Huc enim spectabat tota legatio, vt Deo venienti in mundum, domus atque hospitium præpararetur, hoc est: *Et præparabit viam ante faciem meam.* Domus autem Dei est templū, prout domus Regis est palatium; domus Senatorum, curia: vnde sequitur non aliâ probatione opus esse quod *templum* sit vterus virginalis; quàm quod Deus eum in domum suam elegerit: templum quidem de carne; cum quo tamen nihil habent quod in contentionem adducant vel superbissima mundi artificia. Præterquàm enim quod ex viuis constructum sit lapidibus, parietibusque assurgat viuentibus, & intelligentibus qualem quantumque hospitem recipiat; totum compactum & cæmentatum est immortali gratiæ Dei coagulo, vnde nullam timet corruptionem vel ruinam.

Templi Hierosolymitani & Virginis comparatio.

Comparemus ei, si placet, templum Hierosolymitanum, non tantùm Iudaicæ gentis gloriam, sed stuporem etiam orbis vniuersi. Ædificatum est hoc à Regum sapientissimo: nostrum verò ab eo, qui Regi isti dederat sapientiam, & qui liberè de se dicere audebat: *Ecce plusquam Salomon hic.* Ædificauit suum sex annorum spatio Salomon, reædificationi verò quadraginta sex annos impendit Zorobabel: Mariam verò Deus per quatuor annorum millia ab ipsâ mundi constitutione, imò ab ipsâ æternitate sibi in templum concinnabat: *Ab initio & ante sæcula creata sum.* tantæ molis erat Deo, condere Matrem. Iucundum autem est per sacras paginas relegere, quot ideas sanctissimarum fœminarum (tamquam quædam vel altaris, vel sacelli, vel columnæ alicuius, quæ in templo hoc ponenda erat, compendia) quasi tentando produxerit & inspexerit artifex, vt tandem hoc opus, omnium virtutum consummatione perfectum, erigeret. *Ibunt de virtute in virtutem* (ait Psalmista Psalm.) 83. *donec videbitur Deus in Sion*: quasi ædificando ponentes lapidem super lapidē, conferentes ad operis huius cōstructuram, vel ideam potiùs, certatim quidquid poterant: donec apparuit hæc Sion. templum simul & arx fortissima, & Deus in ea. Eccles. 24.

Templum, quod est Virgo, est simul arx fortissima.

Et notandum obiter, Deum in hac domo ædificandâ Regum morem imitatum fuisse. Ij namque, si finibus eorum diuturnus & validus hostis immineat, non tantùm in ciuitate munitissimâ sibi domū struunt, sed palatium ipsum in arcem fortissimam muniunt. ita Deus, quam templum sibi faciebat, in arcem, Sione fortiorem, muniebat. Hic enim fortem illum deuicit, qui mundū vniuersum tamquam domum propriam possidebat: de quo ait Luc. 11. *Cùm autem fortior illo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, & spolia diuidet.* Quæ verba de incarnatione sumenda & Beda notat, & verbum *superueniens* indicat, quod etiam ibi exprimitur: *Spiritus Sanctus superueniet in te.* Mirabilis arcis huius fortitudo, in qua Deus terribilior est

hostibus

hostibus, citiusque debellatos triumphat, quàm in diuinitate suâ antè fecerat. *Venit humilis* (ait S. Gregorius lib. 1. Moral. cap. 17.) *quem & superbus hostis admiretur; quatenus qui fortia diuinitatis eius despexerat, humanitatis eius infirma pertimescat.* Stupenda sanè Mariæ laus, terribiliorem dæmonibus apparere Deũ, postquàm illum in arcem suam recepit, armisque suis circumdedit; quàm anteà in fulgore diuinitatis suæ fuerat. Non exigo paradoxi tam mirabilis fidem, nisi res acta, Scripturâ narrante, eam confirmet. Leges verò Iob. 1. *Quodam autem die cùm venissent filij Dei, vt assisterent coram Domino, adfuit inter eos Sathan.* Nónne stupes tantam impudentissimi monstri audaciam? coram Domino sedente in throno maiestatis suæ (tunc enim maximè Regibus assistunt proceres, vt intendant obsequio suo reuerentiam) adest diabolus: nec latitat furcifer, sed os suum intrepidè ostentat? Vide autem, qui hanc miraris coram Deo audaciam, eiusdem coram Christo timorem. Luc. 4. cap. & Marci 1. apparet coram energumeno Iesus: hoc est, coram diabolo idem, qui anteà pænè contemptus ab ipso fuerat, Deus; sed iam *procedens de templo sancto suo*, atque armis humanitatis a Mariâ Virgine circumdatus: & statim ille temerarius & audax, ille tam impudens & intrepidus Sathan, exclamauit voce magnâ, dicens: *Sine, quid nobis & tibi, Iesu Nazarene, venisti perdere nos?* Vnde tantus, tamque subitaneus in monstro audacissimo & superbissimo timor? vnde submissio? *Venit* nimirùm *humilis, quem & superbus hostis admiretur, quatenùs qui fortia eius diuinitatis despexerat, humanitatis eius infirma pertimescat.* Si vel diuinitatem ipsam interroges, vnde iam sit hosti suo adeò terribilis? respondebit: *Sic in Sion firmata sum*, sic in Mariâ confortata, sic in templo meo, quod simul in arcem ædificaui, roborata.

S. Greg.

Terribilior diabolo Deus in arce virgineâ, quàm in diuinitate suâ.

Sed ad templum Salomonis, vnde nos abduxit templi nostri fortitudo, redeamus: (& ne infiniti simus) duo, quæ faciebant maximè ad templi magnificentiam; quantis excellentiæ prærogatiuis habuerit Maria, videamus. nam 2. Reg. 6. c. postquam accuratâ oratione narratũ est quidquid vel ad impensam prętiosum, vel splendidum ad magnificentiam templum habebat; tandem additur: *Nihilq; erat in templo, quod non auro tegeretur.* Quis hic non dubitet, pretioue tribuat, an splendori; nihil in tam vasta machina non auro intectum? quæ venæ tam fertiles, quæ Indiæ tam diuites tantum suppeditarunt? Omnia rutilant auro. Quæ magnificentia Dei, in aureo isto cælo potius quàm solio, confidentis? Quis splendor intrantium oculos perstringens? Magna sanè ædificij istius laus: at quantò maior foret de templo nostro, affirmat S. Hieronymus: *Nihil gratiæ nihil virtutis, nihil deuotionis, quod non splendeat in Maria.* Otiosum est apud tam prudentes rerum æstimatores, auro Gratiam, Virtutem, deuotionemque conferre, vt præferam: sed non erit otiosa sententiæ huius cum templi laude collatio. Nihil in templo, quod non auro tegeretur: nihil in orbe terrarum (quid ad terram restringo?) nihil in cælo terraque gratiæ, virtutis, aut deuotionis, quod non splendeat in Maria. Quid iam miraris templi magnitudinem, ornatûs pretium, vtriusque splendorem? Quantum, putas, esse debuit, quod capere poterat omnia? quanti valoris, quod habebat thesauri diuini pretiosissima? quàm splendidum, in quo ornatus omnis nonnisi ornatissimè collocabatur: vt cùm *gratia* esset *plena* nec confusionem pareret copia, nec ordo quidquam vacuitatis admitteret? Non finit mortalitas nostra nos tantum splendorem penitùs intueri. Vni paratũ erat templum, qui solus oculos habebat, qui tantum splendorem non solùm ferrent, sed etiam nouissent æstimare. nobis licet extrinsecùs ædem hanc sacrosanctam aspicere, & adorare *ad templum sanctum eius* non autem in templo. Et ego plus ornatûs, plus quo

Deauratum erat totum templum Salomonis; Virginem omne habet aurum.

S. Hier.

B. Maria foris splendidior.

quàm templum Salomonis intus.

que splendoris reperio forinsecùs, quàm ædes Salomonis habebat in sancto sanctorum: gratiæ enim & Virtutes intus latitantes, etiam foris templum nostrum totum deaurabant. Radiabat namque facies corpusque virgineum luce quadam, omnem auri splendorem vincente, vt dicit Dionysius Carthusianus lib. 1. de laud. Virg. cap. 39. adeò vt miraculo foret opus, quo Deus moderaretur spendori; ne lumina mortalium offuscaret. Audi S. Ambrosium lib. 2. de virg. *De ipsa velut speculo refulget species castitatis & forma virtutis.* Sententia quæ non est ita leuiter deponenda, cum splendorem templi nostri, quem habet extrinsecus, multis partibus auro templi Salomonis, quod intus rutilabat, anteponat. Nihil certiùs ea doctrina, quæ ex Pauli ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei* &c. eruitur: quod scilicet creaturæ sint quodammodo specula Dei, per quę ipse inuisibilis aliqua ratione videri, & in intelligibilis intelligi potest: relucet enim in iis essentia, potentia, bonitas, cæteraque attributa diuinæ naturæ. Sed propter creaturarum imperfectionem & diuinitatis excellentiam, vt Apostolus etiam indicat, valdè analoga & difformis est hęc similitudo Dei & creaturarum: parum est enim in creaturis splendoris, ad referendam lucem illam inaccessibilem. Ideo Deus neutiquam speculis illis vtitur, vt sibi de se complaceat: nobis seruiunt, vt obscuram quandam de Creatore cognitionem hauriamus; Deo non seruiunt: habet enim ipse vnicum speculum sine maculâ, quod & *splendor paternæ gloriæ* dicitur, & imago substantiæ ipsius, cui ipse dicere solet: *Filius meus es tu, in quo mihi benè complacui.* Ipse enim solus eâ luce splendet, quæ possit Deum referre. Captus fuit hic Dei Filius, vt scimus, amore naturæ humanæ, propterea que homo factus ad terram descendit, vt eam procaretur. itaque, vt curiosum est procorum genus, ante omnia circumspiciebat ecquodnam esset satis splendidum in terris speculum, in quo se posset aspicere, sibique de pulchritudine suâ complacere. diu quæsiuit, sed non inuenit, donec incidit in Virginem Mariam: in quâ tantum lucis reperit, vt digna videretur quæ splendorem ipsum referret. *Quid splendidiùs ea, quam splendor elegit*, vt sibi esset speculum, quod omnes perfectiones Filij Dei ea ratione referret, vt ipse sibi in ijs complaceret? peteretque identidem sibi dari speculum suum, dicens, *Ostende mihi faciem tuam*; de quâ velut speculo refulget species castitatis & forma virtutis, hoc est, ipsemet Filius Dei, quo nulla forma virtutis potest perfectior excogitari? Nunc & conclude quantò magis templo Salomonis splendeat nostrum; cum lapides eius extrinsecùs ita fulgeant, vt speculum sint, in quo se ipse splendor contempletur, complaceatque sibi in suis virtutibus, quas videt ita perfectè à Maria referri, vt dubium ferè sit mortalibus vter ab altero eas acceperit. Certè qui hortatur: *Egredimini filiæ Sion, & videte regem Salomonem in diademate, quo coronauit eum mater sua;* multum existimat splendoris à matre accepisse filium: adeò vt ipsum quo fulget diadema, illam, inquam, pulchritudinis, modestiæ, magnificentiæ coronam, quà omnes rapiebat in sui amorem & venerationem, matri suæ debeat.

Quia est speculum Dei procantis naturam humanam.

Matth 17.

Alterum, quod legis antiquæ templum maximè reddebat venerandum, nostræque accommodatum est festiuitati, 3. Reg. 8. cap. narratur: *Nebula impleuit domum Domini, & non poterant sacerdotes stare, & ministrare propter nebulam.* Incutiebat ergo hæc nebula sacrosanctum quendam timorem tam sacerdotibus quàm populo, indicabatque diuinam in templo præsentiam. At in mysterio nostro, dubitanti & trepidanti virgini propter modum peragendi mysterij adhuc sibi incognitum, respondet Angelus: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi.* En nebulam, en vmbram in

Vmbræ, quæ erat in templo Salomonico, & eius quæ Virginem obumbrauit, collatio.

Luc. 1.

in templo nostro sacrosancto. Iam si comparemus inter sese vtriusque effectus; fatendum erit vix vmbram fuisse quod isthic operabatur nebula, eius, quod in Virgine efficiebat spiritûs adumbratio. Glossa interlinealis exponit *vmbram contra omnia incentiua vitiorum.* & Beda suffragatur: *Concupiscentiæ non erit æstus, vbi vmbram facit Spiritus sanctus.* S. Gregor. lib. 18. Mor. c. 12. *Significatur*, inquit, *vtraq; natura: vmbra enim à lumine & corpore fit, erat autem incorporeum lumen incorporandum obumbrabit ergo id est, incorporeum corpus accipiet?* Alia de vmbra hac alij; at rei nostræ accommodatissimè S. Athanasius in serm. de SS. Deipara: *Obumbrauit eam virtus altissimi, corroborans eam. Non enim suspicandum est quod secundùm simplicem naturæ suæ proprietatem Virgo in se habitantem Deum videre potuerit; sed quatenus possibile fuisse: vtpotè obumbrante eam virtute altissimi, & vmbras lineamentaq; faciente, vt videret, quatenus fieri poterat, Deum in se habitantem.* Pinxerat quidē ab omni æternitate fœcundo intellectus penicillo sui imaginem Deus Pater; at eum, quòd nihil esset nisi lux æterna & lumen productum de lumine, ne quidem acutissima Mariæ acies cernere poterat: arripiens ergo iam omnipotentię penicillum, vmbras quasdam lumini huic adiecit, per quas infinitas eius quodammodò includeretur & terminaretur, vt iam possit oculum creatum Virginis Deiparæ sistere, ab eoque videri. Impediebat sacerdotes ministrare nebula templi: at iuuat redemptionis nostræ administram Virginem Deiparam hæc nebula, vt possit vnà cum Filio, qui ministrare veniebat, inchoare & tandem consummare propitiationis nostræ sacrificium. Pergimus iam in explicando proposito themate, quando tot argumentis constat *templum* esse Deiparam: & non quæro, sed vltrò ad templum suum venientem ostendo Dominatorem (ait Propheta) quem vos quęritis, & Angelum testamenti, quem vos vultis: *Dominatorem* eum, quem Angelus *Dominum*, vocat; & *Angelum testamenti*, quem *Angelum fœderis & pacti* S. Hieronymus appellat, vel alij *Angelum promissum*, quia veniebat *ad confirmandas promissiones Patrum*; de quo videri potest S. P. N. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 35. Ipse certè est quem quærebamus, & quem volebamus: ideo Iacobo Patriarchę vocatur *Desiderium collium æternorum*; Aggæo Prophetæ *Desideratus cunctis gentibus*; sponsæ in Canticis *Totus desiderabilis*, vel, vt Theodoretus legit, *Totus desiderium.* Statim ergo *veniet ad templum suum Dominator* iste, & *Angelus testamenti*, si modò consensum suum præbuerit Angelo misso Virgo Deipara, dicatque verbum illud salutiferum, quod æquè ac Messias exspectatur ab orbe terrarum: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.*

Bida. S. Greg. Athan. Malach. 3.

CAPVT VI.

Virgo Deipara est ciuitas Dei glorioſiſſima.

ADquam, veluti ad templum suum, venisse hodiernâ luce Deum ex Malachia probauimus; eandem veluti ciuitatem Dei laudant Prophetæ alij, præsertim Ieremias cap. 31. vbi de festiuitate hodierna spirituali sensu (quem litteralem hîc esse S. Hieronymus, S. Gregorius, & Lyranus contendunt) dicit: *Ecce dies venient, dicit Dominus, & ædificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel vsque ad portam anguli.* Ecce, inquit, *dies venient*, dies exspectatissimi & orbi vniuerso desideratissimi, quando *ædificabitur Domino ciuitas* in vtero Sanctissimæ Annæ, *à turre Hananeel*, hoc est, à forti altitudine gratiæ Dei. Inde enim forti Dei gratiâ ante peccati originalis aduentum sanctificata fundamenta ciuitatis huius incipient: ducenturque continuo ædificio,

Ierem. 31.

dificio, nusquam interruptis operibus, *vsque ad portam anguli*: quæ vbi cõsummata apertaque fuerit, intrabit ciuitatem suam Dominus, eamq; sibi dedicabit. Parietes ex diuersa parte concurrentes, vnde hic angulus consurgit, Virginitas sunt & Maternitas: ex quarum concursu angulus faciendus erat; verùm talis angulus, qui non prorsùs parietes istos committeret: ex eo quod porta in ipso angulo existebat, quæ vtique non aliter fiebat, quàm hinc abscissâ à virginitate (quam necessariò videbatur secum adducere) sterilitate, inde verò maternitati non concedendo corruptionem: ita vt in medio linqueretur spatium, per quod ingrediens Dominus virginem faceret fœcundam, & matrem fineret incorruptam.

Quæ fuerit porta anguli in Virgine.

Constat ergo ciuitatem hanc Dei esse Deiparam, eandemque hodie ad portam anguli esse perductam: proindeque dies hæc festa, est tamquam ciuitatis illius encænia, quando Rex cui ædificata erat, solemni ritu ingrediens eam dedicauit. Præmittit nuntium cælestem, qui eam sibi apperiri curet, dicatque iam adesse eum Dominum, cui tantus hactenus desudat labor. Audis vt pulset ad fores, dicens: *Aue Maria*? quóque citiùs aperiatur, clamet: *Dominus tecum*? ecce ante fores Dominus, aperi citò soror eius & sponsa. Vix more humano faciemus, saltem humanitatis leges non adimplebimus, nisi stipantes Dominum primùm hanc suam vrbem intrantem, curiosè portas eius, plateas, ædificia, munitiones, ceteraque in vrbibus spectanda lustremus, iam singula, iam vniuersa dilaudemus. In qua laude non tam ordo seruandus est, quàm affectus, prout singularum rerum admirationem sequitur, ostendendus. Dauid (qui videbatur sibi omnibus istis, prout à variis variè dicebantur, encomiis interesse) quasi compendio ea recenset Psalm. 56. *Gloriosa dicta sunt de te, ciuitas Dei*: insinuans eam ciuitatem omnium laudem superare vel eo solùm, quod, cùm de aliis possint vel vtilia quædam ad hominum commoditatem, vel mirabilia ad stuporem, vel magnifica ad commemorationem diuturni temporis proferri; de hac sola dicta sunt, & dicantur, quæ spectant ad veram solidamque gloriam. Non enim hæc Regibus, Monarchis, aut potentissimis nationibus pręparatur ciuitas, sed Deo, qui solus potest habitationem suam reddere gloriosam. Compara cum iis quæ dicta de aliis potentissimis ciuitatibus, & confer quæ de hac dicuntur, & videbis quid inter huius splendorem & illarum obscuritatem intersit.

Psalm. 56.

De Babylone dicebant eius artifices: *Venite, faciamus ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum.* Vanitatis & impietatis plenum propositum, prout tunc ab hominibus proferebatur: at si vocem eandem accipiamus, prout ab æterno fuit à Deo pronuntiata; plenam veritatis, plenam clementiæ & bonitatis erga homines eam esse reperiemus. Aiebant enim sibi inuicem tres personæ diuinæ, cum viderent peccatorum diluuium obruisse terram, nec esse in creatura humana locum vbi totus posset à periculosis istis aquis commorari Dei Filius: *Venite, faciamus ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum*, proindeque libera sit ab omni peccatorum inundatione. Dictum, factum. In ideis diuinis concipitur Maria pręparata Filio Dei in habitaculum: tamque altè in cælum, hoc est, ad ipsam diuinitatem attollitur; vt nulla creaturarum sit tam lynceo cernendi acumine, quæ possit absque fidei dioptra distinctionem agnoscere, cum audiamus in terris acutissimos Theologorum cum S. Dionysio dubitasse, in cęlis subtilissimos Seraphinorum obstupuisse, dicentes: *Quæ est ista quæ ascendit de deserto deliciis affluens, innixa super dilectum suum*? hoc est, tantæ altitudinis, vt non solum ipsi cælum incumbere videatur, sed ipsamet cęlo incumbat. Atque hoc etiam suprà

Quæ de Babylone vanè, ea de Virgine verè dicuntur.

insanam

insanam Babylonis substructionē habet ciuitas nostra eximium, quod ad impediendam eius altitudinem *os vnum & labium vnum*, quo pacificè inter se vtebantur homines, *confundatur*, distrahaturque in varias linguas, & cum linguis in varias dissensiones & simultates, vnde postmodùm hostilitates & malorum omnium sentina bellum irrupit. Contrà verò ad promouendam ciuitatis nostræ ædificationem, linguæ, quarum diuersitate Deus & homo sua alebant dissidia, in vnum confusæ sunt: factaque consensio ista & conspiratio stupenda, quâ *Deus homo, Verbum caro* dicitur, vnde tandem orta est nobis bonorum omnium fons & origo, pax firmata sanguinis diuini chirographo. Quæ ergo dicta sunt de ciuitate ista famosissima Babylone, magna quidem erant; sed quia vana, ideò erant gloriâ vacua: eadem verò dicta de ciuitate nostra, solida sunt, verissimaque, atque ideò glorioſissima.

Virginis & Niniue ciuitatis comparatio.

Pergo ad secundam vrbium celeberrimarum, Niniuen, de qua dicitur: *Erat Niniue ciuitas magna itinere trium dierum.* Ion. 3. Non est hîc locus discurrendi per vicos & plateas ciuitatis nostræ, vt metiamur eius magnitudinem, cùm ea tantùm excerpenda sint, quæ singulari quadam ratione ad festiuitatem hanc spectant: licet tamen breuiter assignare tres dies, quos confecit humana natura postquàm perdito dilecto suo per peccatum, dixerat: *Surgam, & circuibò ciuitatem, per vicos & plateas quærens quem diligit anima mea.* Si prudenter quærebat, non circuibat aliam ciuitatem, quam Mariam: in hac enim sola reperiendus erat dilectus. Vide autem quanto itinere eam circumiuerit per figuras & ceremonias errans duobus diebus, in lege naturæ & lege scripta; donec tandem eum inuenit tertio die legis gratiæ, in medio ciuitatis. Sed hæc mittamus: hoc potiùs stupeamus, tres dies simul ab vno eodemque Sole sic causari in hac ciuitate, vt præter omnium temporum rationem simul fluant tres sine vlla vicissitudine dies. Licet enim solus Filius se carne nostrâ vestiuerit, in Maria tamen tres simul personæ aderant, & quæque suos spargebat radios, eam illuminando & illustrando super omnium ciuitatum gloriam. Propter hanc solis præsentiam dicit Isaias 29. *Ciuitas solis vocabitur vna*; de quo mox paulò fusiùs. Isai. 29.

Ierusalem & Virgo conferuntur.

Nunc ad tertiam pergo ciuitatem, de qua magna dicuntur Apocal. 21. *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem nouam, descendentem de cælo; à Deo paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* Multa hic dicit de ciuitate illa, quod sancta sit, quod noua, quod descendat de cælo, quodque sit omnium ornatissima: quorum singula Virgini ita conueniunt, vt de ciuitatum nulla dici possint, quin priùs excellentius de ipsa dicta intelligantur. Nam (vt cum S. Ioanne, quando hæc videbat, efferamur ab Angelo in spiritu in montem magnum & altum, deferentes materialia oppida humumque nostram) vel anima ornata gratiâ, vel Ecclesia sanguine sponsi sui, ac pænè infinitis monilibus refulgens, dici poterat ista Ierusalem, quæ tantâ sanctitate micabat, tantaque nouitate rapiebat oculos Euangelistæ. At vide quàm cunctis animabus sit Virgo Deipara Sanctior, quàm Ecclesiâ vniuersâ, quàm denique vera Ierusalem, hoc est, *pacifica* cùm fecerit vtraque vnum, conciliauerítque per Filium suum pacem inter Deum & homines. De hac ergo ciuitate dicit Dauid, quod dicta sint glorioſa ista, quæ ibi commemorat magnificè; fundamenta, portas, ciues, ceteraque, quibus ciuitas aliqua celebrari solet, describens. Sed nos ad Isaiam, qui præstantissimam eius laudem assignat, redeamus.

CAPVT VII.

Maria, est ciuitas Solis.

IAM dicebamus quomodo in ciuitate Dei nostri ab vno sole triplex fieret dies, propterea que non absurdè ciuitatem solis vocari eam, in qua sol iste iustitiæ tam stupendo modo se ostendit; & ipsa solis tanti ardorem, eiusque in se effectus sentiens, dicit: *Cant. 1.* *Nolite me considerare quod fusca sim, quia decolorauit me sol*, nigredine scilicet, quæ augeat pulchritudinem, ideò dicit: *Nigra sum, sed formosa.* nigra, si attendas ardoris vehementiam; sed formosa, si reflectas ad tanti caloris authorem, qui exurendo illuminat & purgat. De hac namque Iudith agebat in figura, qui dicebat: *Cui etiam Dominus contulit splendorem.* Interrogas quantum? vt non iam *mulier amicta sole*, sed Sol ipse videatur. Laborem scripsit Interpretibus Isaias cap. 3. *Isai. 30.* qnando dixit: *Erit lux lunæ sicut lux solis* &c. eò quod vix in Scriptura locus sit quo difficiliùs se queant, expedire. S. Hieronymus putat in die illa Domini tremenda lunæ splendorem intendendum, vt tantus sit atque modò est solis, huius autem lucem augendam in septuplum. Quam interpretationem Glossa ordinaria probat, quanquàm interlinealis putat planetis illis restituendam lucem quam habebant antè peccatum Adami, per quod cum vniuersa rerum natura hæc mundi luminaria ita abierint in peius, vt sol vix septimam splendoris sui partem retinuerit, & luna ab eo fulgore quem in sole iam miramur, ad hanc suam obscuritatem desciuerit. De quibus sententijs cùm non satis liqueat, censeo ad troporum figurarumque vmbram confugiendum, vt ijs lux in astris istis obscurata illustraretur. Dicit itaque Rupertus lunam vocari Virginem Mariam, solem verò Christum eius Filium: iam verò Euangelicum Prophetam indicare, quàm examussim relatura sit luna ista suum solem. Nam si hinc consideres quantum ipsa lucis accipiat; sol videbitur: adeò cuncta ad se deriuat quæ splendent in sole suo. Si verò inde feruorem amoremque contempleris, quo mysticus ille sol perfectiones suas in lunam transfundat; auctum dices in septulum eius fulgorem.

Ex præsetimysterio probãda, quæ dixi- Virgo conabatur Deo in puritate esse simillima.
mus: vt nec à veritate nec à materiâ abijsse videamur. Cõsideraſtis sæpiùs, credo, verba illa Virginis, quæ totam rerum vniuersitatem commouebant, reformidantem ne fortè ex tanta, quam Virgo opponebat, difficultate vel omissum, vel dilatum fuisset incarnationis mysterium, quando dicebat: *Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?* Agite nunc, peractâ incarnatione extra timorem positi ea mysteriosiùs contemplemini. puto euidenter ostendent, quàm accuratè luna hæc solem referat, & quàm feruenter sol iste lucem suam omnem lunæ communicauerit. Tota similitudo consistit in conformatione voluntatis, in qua præcipuè est lumen sanctitatis. Iam Virgo Deipara adeò se factam ostendit ad voluntatem Dei, vt hoc solùm existimaret sibi gloriosum, in quo Deus positum habet dignitatem. Quid enim maximè diuinitatem commendat? nónne puritas? Quid Deum hominem supra omnes filios hominum reddit speciosum? nónne virginitas? Quid iam Virgo Maria? adeò hanc ipsam puritatem & virginitatem amabat, vt mallet potiùs infinito diuinæ maternitatis splendore carere, quàm huius luce spoliari: nónne hoc est ijsdem cum sole radijs lucere, eâdem cum Deo claritate splendescere? Vehementer desiderabat mater illa filio imperium quæ cùm audiuisset eum ad matris nefandum parricidium scælestissimè vsurum potentiâ, respondit: *Occidat, modò imperet.* At multò magis Virgo Deipara cupiebat conseruare hanc suam cum Deo in virginitate similitudinem, quãdo dicebat: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* hoc est, careàm diuinâ maternitate, carear omnibus quæ eam con- *Luc. 1.*

sequuntur

sequantur ornamentis, modò hoc mihi maneat quod Soli meo, à quo mihi splendor omnis procedit, in puritate sim similis. Ita studiosè Luna sibi aptabat Solis radios: at vide quantò studiosiùs etiam Sol ipse eos conferebat. Sciebat in illa ecclypsi, quâ mortalitatis nostræ opacitas diuinitatis eius radios absconderet, lucem sibi à luna mutuandam, Filijque dignitatem ac virtutem ex matris puritate & Sanctitate æstimandum, itaque non tantùm matris, sed etiam suâ causâ conferebat omnem in eam splendorem: vt ipse, cùm matrizare diceretur, non aspergeretur labe turpitudinis, sed illustraretur gloriâ maternæ virtutis. Hoc est quod ei respondens dicebat Angelus: *Spiritus Sanctus obumbrabit tibi*; hoc est, (Sancto Patre nostro Interprete) Spiritus Sanctus faciet vt sis vmbra Dei, vt sis imago & effigies Dei, ita similis isti soli, vt iam non luna, sed sol, aut saltem *ciuitas solis* sis vocitanda. Aduerte quousque tendat hæc Mariæ puritas: vt non solùm (quod S. Augustinus dicebat) cùm de peccatis agitur, propter honorem Domini, nulla fieri debeat de Beata Virgine mentio; sed eò etiam, vt quando cum Maria agitur, propter reuerentiam eius puritatis, nulla fieri debeat de peccato mentio. Quantâ religione id Angelus obseruet ex Euangelio patet. Cùm enim Iosephum alloquitur, dans rationem cur. *Iesu* nomen imponendum sit filio Virginis, ait: *Quia ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Verùm hanc orationem coram Virgine reticuit, ne puritatem eius vel solâ peccati mentione offenderet. Nec mirum, Angelum legatum omnes humanitatis reuerentiæque apices obseruasse, cùm etiam Deus reuerenter Virginis vterum intrauerit, testante S. Hilario serm. de Ascens. *Sinum Virginis inuiolabiter pertransijt, sicut reuerenter intrauit.*

S. Hilar.

Sed videmur in tanta astrorum luce non nihil cæcutire atque à proposito abduci, quod eam Lunam solis fulgentem radijs dicamus, quam veluti ciuitatem solis proponebamus initio. Sed omnia constabunt, si ciuitatem vocemus Iericho, hoc est *lumen*, vel *odorem eius*: dicamusque de longè aspicientibus, quia sol in ea habitat, cuius odorem, seu potiùs splendorem per virginitatem perfectè refert; videri totam ciuitatem in solem esse conuersam. Iam, credo, respondere poterimus difficili ænigmati, quod proponit Iob. cap. 38. *Indica mihi, si nosti in terris, in qua via habitet lux?* Et antè nos respondit argutissimus diuinator Psalmista, dicens: *Posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus aëris.* Tenebris se abscondit: quid enim erant Sacramenta, figuræ, vmbræ, & mysteria omnia antiquæ legis, nisi antea obscura, & cauernæ tenebrosæ, qualia significantur verbo *latibulum*? tam autem erant hæc omnia lucis expertia, vt meritò tenebræ potiùs quàm tenebrosa dici possent. Fateor quidem quod *in circuitu eius tabernaculum*, hoc est, quod sit in Ecclesiæ suæ cælo: Sed *tenebrosa aqua in nubibus aëris*, hoc est, sermones Prophetarum (per quos tamquàm nubes lucidas videri deberet splendor eius) sunt aqua tenebrosa, abscondens opaco obscuritatis suæ, corpore lucem potiùs quàm prodens ita Psalmista diuinabatur de lege antiqua. At si eumdem interroges in lege gratiæ, *in qua via lux habitet*? æquè promptè respondebit: *In sole posuit tabernaculum suum. Lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* In sole hoc est, in Christo reperitur: vlteriùs autem sol iste in ciuitate est solis, hoc est, Maria; de qua Ezechielis 48. dicitur *nomen ciuitatis Dominus*: vt confirmetur, quod diximus, eam sic referre solem suum Dominum, vt subindè sol vel Dominus esse videatur. Fulget enim eâdem virginitatis luce; quam promittebat ei in figura Isaias cap. 37. quando Ezechiæ promittebat de sua ciuitate Ierusalem, quam Sennacherib obsidebat: *Non iaciet ibi sagittam.* Veniebat terram vniuersam deuastaturus hostis noster, iaciebatque vbique venenatas originalis peccati sagittas, vnde peccati fomes & omnium vitiorum flamma exardebat: quod videns Dominus

Iob.c.38. Soluitur ænigma Iob quærentis vbi habitat lux.

Psalm. 17.

Ezech.48.

minus, ciuitatem hanc elegit, portas eius clausit, sagittam emissam antequàm accederet virtute sanguinis sui confregit, & mittentem eam remisit. Ciuitatem enim ame non ingredietur, dicit Dominus; volo enim illam puram, immaculatam, intactam, vt luce simili splendeat, quâ ego sol ipsius & inhabitator vnicus refulgeo. Ecce quid zelus Domini, amorque fecerit ciuitati huic, vt eam illustraret.

Cur Gabriel & solis speciem induerit tempore Annuntiationis.

Iam, credo, facilè erit explicare, cur Angelus Gabriel (quem describit secundùm quorumdam expositionem S. Ioannes Apocal. 10.) faciem assumpserit solis imagine conspicuam? dicit enim? *Et facies eius erat vt sol.* Pro quo aduertendum, quod mos apud gentes nonnullas & præcipuè apus Ægyptios obtinuit, vt si quis perigrinetur, licèt sit nobilitate aut dignitate conspicuus, non admittatur in ciuitatem, nisi priùs ostendat numisma Sultani, aut illius Regis, ad quem ciuitas illa pertinet. quod non solùm ad loci huius explicationem sed vel maximè ad nostram instructionem duo prudentissimi viri se factitasse dicunt, Dauid & Paulus. Atque hic quidem 2. ad Corinth. 8. indicans se cum reliquis peregrinum esse: *Omnes quotquot sumus, perigrinamur à Domino,* & ad Hebr. 3. *Non habemus hîc ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus;* ne excluderetur ab illa, 6. ad Galatas cap. imaginem Regis ostentat, dicens: *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto.* Dauid autem confessus perigrinationem suam Psalm. 38. *Aduena ego sum apud te & peregrinus, sicut omnes patres mei;* hieroglyphicum humilitatis Christi promit Psalm. 21. ne excludatur: *Vermis*, inquit, *sum & non homo.* Ex hoc more Archangelus, quod se ad ciuitatem solis, hoc est, Mariam missum agnosceret, ne quid fortè ab excubitoribus moræ injceretur suæ legationi, apertè præ se fert Dominæ imaginem: *Facies eius erat vt sol.*

Galat. 6.

CAPVT VIII.

Deus hodierna die fecit ex mendacio veritatem, ex peccato virtutem, & ignominia gloriam.

Legatio serpentis ad Euam confertur cum legatione Angeli ad Mariam.

MIssvs fuit olim à diabolo patre mendacij serpens ad mulierem, vt legatione fungeretur, consensumque abea impetraret comedendi fructum illicitum, quô se, virum suum, atque vniuersam posteritatem perderet. Venit legatus tortuosa per terram agens volumina, arbori se implicuit, & lignum scientiæ boni & mali in cathedram pestilentiæ & suggestum mendacij conuertens, Euam alloquitur: illa auscultat, nec cogitans qualis, aut à quo esset ista legatio consentit, secumque mundum vniuersum in perniciem trahit. Hæc est luctuosæ istius tragœdiæ historia, quam licet tota vita gemitibus & lacrymis deploramus, non licet tamen hodiernâ die prosequi miserationis affectu: quia celebranda est melior legatio, quando missus est à Deo æternâ veritate Angelus ad Virginem, vt consensum ab ea impetraret concipiendi pariendique fructum sanctissimum, quo se, quo virum suum Iosephum, quo mundum vniuersum in veram libertatem & felicitatem asseruit. In qua actione illud inprimis admirandum sapientiæ æternæ Consilium, quod ipsum diaboli toxicum conuertit in antidotum, instrumentum perditionis fecit remedium, ipsumque mendacium in veritatem commutauit. Audi namque sibilantem isthic serpentem, ampla promissa percipies: *Eritis sicut dij*; quibus vanissimus ille veterator aures mulieris imprudentis implens, addicebat ex esu pomi prouenturam nostram cum Deo similitu-

similitudinem: quod cùm ille mendaciſſimè promitteret, veriſſimum tamẽ hodiernâ luce Deus effecit. Si enim communem Theologorũ cum S. Thoma ſupponamus ſententiam, quòd niſi Adam peccaſſet, Deus incarnatus non fuiſſet; nónne clarum erit, ex hoc pomi eſu nos factos eſſe inſtar Dei, quando Deus factus eſt inſtar noſtri? Subtiliter rem declarat Apoſtolus ad Rom. 8. *Deus filium ſuum mittens in ſimilitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iuſtificatio legis impleretur in nobis.* Peccatum enim grande peccauit Peccatum, quando Chriſtum in carne vera peccati ſimilitudinem gerentem, tanquàm ditionis ſuæ eſſet, arripuit; manuſque ſuas ſacrilegas ſanguine innocente contaminauit: quâ audaciâ id meruit, vt ſuorum etiam iuriſdictionem perderet. Itaque Deus de peccato, quod Peccatum commiſit extendendo manus ſuas in Filium Dei, ipſum damnauit, poteſtatemque eripuit ſæuiendi etiam in ſuos. Vide autem quàm id ratione fecerit accommodatâ, vt peccatum peccato deſtrueret. Cùm enim duo peccato inſint, culpa & pœna, noſque hanc per illam incurriſſemus; Filius Dei pœnam in ſe ſuſcepit, vt nos culpâ liberaret. Cumque diabolus mentiendo promiſiſſet, quòd, admittendo in nos culpam, fieremus ſicut dij; Deus ſuſcipiendo pœnam, factus eſt ſicuti nos, peccatorum noſtrorum onere & miſeriâ grauatus, vt nos per pœnas Hominis Dei, fieremus dij: ipſe factus eſt *Benoni*, hoc eſt, filius doloris, vt nos ſecum effigeret *Beniaminos*, hoc eſt, filios dextræ. Quis crederet adeò deformem, adeò ignobilem, adeò infelicem matrem ac eſt pœna peccati, poſſe edere partum tam gratioſum, tam inſignem, atque beatum ac eſt Filius Dei; niſi certum eſſet ex figura, & Theologorum ſententia, quod hic ſit *Benoni*, hoc eſt, filius doloris noſtri? Qui turbidum hunc fontem aſpiciet, non ſperabit riuulum tam clarum: qui arborem conſiderabit, fructum non expectabit tam pretioſum. Vt ergo annuntiaret, perſuaderetque rem tam inauditam, *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo*, docens pœnas delictorum noſtrorum nobis parituras hominem, qui nos ſublaturus eſſet ad dignitatem Dei. Multa paradoxa nuntiabat Angelus: matrem fore virginem ſterilitatem fœcundam, immenſitatem virginis vtero claudendam, æternitatem in tempore naſcituram; quæ licet omnia enumeret, nemo ſatis admiratur. Sed neſcio an minùs ſtupendum ſit, quod hîc noto: ignominiam dignitate eſſe fœcundam, & infamiam parturire gloriam non tantùm hominibus, qui per delicti pœnam conſtituuntur dij; ſed etiam Deo ipſi, qui per eam nouos acquirit titulos dignitatum? Non iam dico in infirmitate noſtra, in qua creſcere poterat & augeri; ſed in ſua ſublimitate, vbi nihil poteſt accipere incrementi. Nam ſi verba legati notaueris, audies; *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.* Quis ille Spiritus ſanctus? ille vtique qui *Spiritus Dei*, & *Spiritus Domini* hactenus vocatus eſt, *ſanctus* verò ante hanc diem numquam: rem quidem ipſam, ſanctitatemque à natura ſua ab æterno poſſidebat, at titulum coram hominibus non habebat. Quid ergo? Rupertus dicit: *Ex hoc opere, quod in Maria operatus, claruit, quòd Spiritus Domini verè ſanctus ſit.* Verè claruit ex illo opere: Quis enim peccatum innocentiæ tam dextrè imponeret, vt ſanctitatem non violaret, niſi Spiritus ſanctus? quis conceptione & partu virginitatẽ matris conſecraret, niſi Spiritus ſanctus? quis de peccato peccati remedium diſtillaret, nullam contrahendo peccati fuliginem, niſi Spiritus ſanctus? Ex hoc opere claruit, quod *Spiritus Domini* verè ſit *ſanctus*; ideoque iam, & poſt hac in perpetuum vocabitur *Spiritus ſanctus*. Ecce nouos Deo titulos gloriæ ex pœna peccati, quàm concepit. Confecit ergo omnipotens Reparatoris noſtri manus hodiernâ die ex mendacio veritatem, ex peccato remedium; ex ignominia gloriam nobis, vt ſimus, quod non eramus, dij; ſibi, vt appareat & vocetur, quod Semper erat ſanctus.

Rom. 8

Spiritus Dei in myſterio incarnationis primum vocatur Sanctus.

CAPVT IX.

Præcipuam Mariæ laudem consistere in virginitate : ideò omissis omnibus Deiparæ titulis, Angelus dicitur missus *Ad Virginem.*

LEGATIONEM extraordinarium à magno Principe, magnis de rebus agendis, qui mitti audit; statim sine indice colligit magnæ dignitatis esse personam illam, ad quam destinatur : quòd non soleant Reges præpotentes res magnas tam solemni formulâ tractare, nisi cum magnis. Qui igitur laudes Deiparæ ex hoc Euangelio magnificè cupit deducere; Deum mittentem, Angelum missum, rem de qua agitur, cetera sque legationis circumstantias consideret & exponat, habebitque eam Mariæ panegyrim, quâ maior non potest excogitari. Sed ego artificioso Euangelistæ compendio magis delector, quàm eloquentissimis oratoris cuiusque amplificationibus. Quapropter Deiparæ titulos non vlteriùs quàm ille opus esse indicat, deducam. Euangelista enim cùm legationem describeret inter personas, omni humanâ eloquentiâ maiores; maluit verbo multa dicere quàm multis orationum ambagibus pauca concludere. Cùm ergo personam mittentem vocabulo vnico indicasset, quod sufficere videbatur ad totam eius declarandam magnificentiam, dicens, *Missus est Gabriel Angelus à Deo*; vicissim laborabat vt simili artificio atque energiâ totam personæ, ad quam mittitur, Dignitatem verbo etiam exprimeret. Quodnam autem verbum illud tam grande, quis titulus ille, Dei matris adæquans dignitatem? Euangeliũ dicit: *Missus est Angelus Gabriel à Deo ad Virginem* O virginitas ô puritas! iam te non Angelicam virtutem appellabo, sed diuinam : tu enim illa es, quæ omnes matris Dei virtutes comprehẽdis : tu illa es, quæ feminam ex eodem nobiscum luto compactam dignam facis, ad quam tantus legatus à Deo de re tam inauditâ & inconceptibili destinetur: tu ab initio ita placuisti Deo, vt mallet generis humani primitias morte immaturâ demeti, quàm ad ceterarum virtutum perfectionem sine tua puritate excrescere. *Sienim longiori tempore Abel maneret* (dicit S. Augustinus lib. 1. de mirab. cap. 3. *Sine vlla dubitatione coniugium iniret; quippè qui tempore illius legis viueret, quæ dixit, Crescite, & multiplicamini: & si illud mandatum expleret profectò virgo non esset.* Tu es, ô Sacra virginitas, quæ vidêris sine culpâ in primogenia permansisse innocentia: quando quidem pœnæ libera, quæ intonatur his verbis: *In dolore paries filios tuos, & ad virum conuersio tua, & ipse dominabitur tui.* Hæc enim coniugij tangit vsum, virginitatem non tangit. Tu es paradiso custos adhibita, quando peccator homo fuit eiectus: quòd enim in hominibus non reperireris, Angelus Dei est ei præpositus, cui similes sunt qui non uubunt, neq; nubentur. Tu denique es, cui fui, terre promissionis addicta: *Generatione autem quartâ reuertentur huc.* quod hodie completur, quando apparet quarta ista generatio tua, anteà nec visa in mũdo, nec cognita. Prima enim fuit hominis sine muliere aut viro, quâ prodijt primus Adam. Secunda ex vire sine muliere, ita prodijt Eua ex casta Adami. Tertia fit concursa viri & mulieris, quâ prodierunt mortales ceteri. Quarta est quæ hodierna die nuntiatur, quâ vir prodiit ex adolescentulâ, concurrente Spiritu sancto: quàm tanto tempore exspectabat nostra mortalitas, vt ipsa per illam regeneraretur, faceretque filios suos vnà cum virginis partu filios Altissimi. Hæc potissimum causa est, cur dicat Euangelista missum esse Angelum ad Virginem, vt intelligamus hanc esse quartam generationem illam, à qua dependet nostra redemptio. *Ad virginem*, inquit Virginitatem

Virginitatis varia laus.

S. Avgvst.

Genes. 15.

Cur Mariam vocet virginem Euangelista.

Virginitatem interpretari videtur sanctus Pater noster in serm. varijs de natiuit. dicens: *Vbi virginitas concipit, virginitas parit.* Ad virginem tantæ puritatis, vt etiam Deus ipse reuereretur tantam munditiam; vt insinuat S. Hilarius serm. de Ascens. *Sinum virginis inuiolabiliter pertransiit, Sicut reuerenter intrauit.* Ad virginem denique tam extraordinariæ virginitatis, vt cùm pæne infinita laus sit esse matrem Dei, magis tamen ipsa tenax sit virginitatis suæ, quàm cupida diuinæ maternitatis. Hanc singularem virginitatem in ea describit Euangelista, quando omnium titulorum loco tam digno epitheto eam vocat per excellentiam *virginem.* Sciebat profectò, sciebat quid mysterij, quid voluptatis, quid gloriæ lateret in tali virginitate virgo illa prudentissima: quæ cum maturè cogitasset quæ quantaque esset Angeli Salutatio, quantum priuilegiũ, quantamque cum Dei maternitate dignitatem offerret; hoc vnum opponit: *Quoniam virum non cognosco.* Hæc virgo erat non solùm corpore, sed & mente, quæ non tantùm corporis blanditiis, voluptatis illecebris, & vitæ delicijs, sed omnium donorum priuilegiorumque (quæ Deus meræ creaturæ conferre potest) maximo præferebat virginitatem. Ideoque optimè tetigisse videtur Euangelista virtutũ medullam, magnitudinumque Marianarum centrum, quando dicit missum esse à Deo Angelum *ad virginem*; nisi enim ipsa indicasset omnem sibi laudem esse à tali virginitate, quæ Deum amore reuerentiaque sui commouebat; non hanc infinitæ isti dignitati, quæ maternitati diuinæ annexa est, prætulisset. Nescio an nobiscum & cum Euangelista non laudet virginitatem tamquàm omnium laudum, quas in sponsa mirabatur, compendium, in Canticis sponsus, quando dicit: *Hortus conclusus, Soror mea sponsa, hortus conclusus.* idem enim valet ac si diceret: Non est quod herbarum excellentiam, florum intactum vigorem, plantationum raritatem, sepium elegantiam, ceteraque producam quæ sunt in paradiso meo voluptatis laudabilia. verbo dicam: *Hortus conclusus soror mea sponsa.* Hortus, inquam, conclusus, hoc est, intacta corpore & mente: ita conclusus, vt nec Spiritibus infernalibus per leuissimam peccati maculam, nec spurcitiæ carnali per minimam tentationis suspicionẽ, nec homini per solam sponsæ meæ concupiscentiam fuerit accensus. Quãdo ergo dico tibi quod hortus sit conclusus, & tam singulari custodia conclusus; satis dico de ea laudum, satisque ostendo plantationes omnes cælestes in ea singulari gratia & pulchritudine virere. Considerabat etiam hanc clausuram Isaias, quando 45. c. exclamabat: *Rorate cæli desuper.* Rorem volebat ad fœcundandum hunc horum. Sed quòd vndique videbat claudi aditum; omni creaturæ desuper eum immitti petit, hoc est, à Deo, qui solus est super virginem. Et Angelus alludens, dicit *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi*, vt scilicet accipias rorem istum, de quo Isaias 26. *Ros lucis, ros tuus*; inde enim nascebatur fructus, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Promiserat se hortum istum suum largiter irrigaturum apud Eccles. *Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum.* Plantationum hortum vocat, vt exprimat istam, de qua agimus, omni virtutum laude fœcundam virginitatem. Concludi enim solent curiosius plantationum hortuli, ne quis homo auidior, vel fera importunior ingrediatur. Itaque mutuò sese hæc inferunt: vt si vspiam sit plantationum curiosarum hortus, benè sequitur ei circumdatam custodiam: & contrà si videamus à viro sapiente horto cuidam singularem custodiam adhibitam, multosque sumptus in sepes & vigiles fieri, benè concludimus raras illic ali plantas & flores pretiosos enutiri. Ideò Euangelista, vti dicebam, ostensurus Mariæ dignitatem, quæ ex multiplici virtutum gratiarumque consurgit plantatione; non eas (quod longum fuisset) commemorat, sed verbo quàm accuratâ & pretiosa custodia sepiantur ostendens, satis eas dilaudat. Sed non est omittendum, quin

Virginitas laudum omnium compendium.

Cant. 4.

Rom. 8

Eccles. 24. 42.

obiter

obiter notemus in verbis quæ Spiritui sancto tribuimus, *Et inebriabo prati mei fructum*, quibus magis illustratur hæc Mariæ virginitas, & in ea virtutum fœcunditas. nam *prati sui fructum* vocat Mariam: *prati*, vt curam sollicitudinemque exprimat, quâ eam edidit in istam omnium virtutum lucem, quâ ipsa cælum terramque illuminat: *prati sui fructum*, hoc est, filiam suam: vt scias tantâ sollicitudine à spiritu sancto virginitatem eius custodiri, quantâ solet prudentissimus parentum vnicam atque dilectam sibi filiam seruare. Quid miraris iam visitari & irrigari hortum Marianum à Spiritu sancto, si eum existimat tamquàm pratum suum? si eam seruat, colit, adornat tamquàm vnicam filiam suam? Totum hoc dicit Euangelista, quando ait: *missus est Angelus Gabriel à Deo ad virginem.* Titulus enim iste tam emphaticè Mariæ datus, non quamlibet, sed eam exprimit virginitatem, cui comparata sordet Angelorum puritas, & quæ non potest sine omnium virtutum perfectione consistere.

CAPVT X.

Christus Dominus præcipuè humilitatis est filius.

Virtutum B. Mariæ virginis in attrahendo Dei Filio certamen.

LICET in B. Maria Virgine ita virtutes omnes in summo gradu inueniãtur, vt cùm grata contentione omnes de palma certent, singulæ vincant: mansit tamen etiamnũ lis vna hactenus indefinita, nõ quænam sit earum maxima, cùm omnes sint in summo; sed quænam præcipuè contulerit vt virgo maxima creaturarum efficeretur, Deique Filium conciperet. Omnes enim & singulas certatim eò incubuisse, vt hanc palmam alijs præriperent, apparet ex hodierno Euangelio: vbi tam ordinatæ & ornatæ singulæ prodeunt, vt videantur hoc temporis punctum obseruasse, quo toto decore suo conarentur cor sponsi cælestis ad se declinare. Si igitur mysterij huius imaginem viuam velimus oculis obijcere; imaginemur Deum, vt Assuerum regem potentissimũ, in Solio maiestatis suæ residentem, cui ex ordine puellæ singulæ, hoc est, Marianæ virtutes, se præsentent quanto fieri potest ornatæ decore, vt oculos & animum eius ad se alliciant. Prima omniũ vultu cogitabundo, oculo perspicaciter micante, passu gratiosè trepido procedit regina Prudentia: & oculo quo ea quibus adiuuatur in Deum, ab his quibus impeditur sagaciter discernit, quãtum potest cor Dei titillat, vt sibi præcipuè tribuat laudem aduentûs sui: & ne gratis id postulare videatur, cõmemorat quomodo ipsa in rerum creatione prima omnium sit figurata, quando omnium prima producta est lux. Quod enim lux est in magno hoc orbe, hoc se esse contendit in microcosmo: & cùm Deus, lucis sit adeò amicus, vt ipsemet lux sit, & lucem habitet inaccessibilẽ, cuius clarâ visione mox creati Angeli perfrui cœperunt; eam sibi postulat fieri gratiam, vt propter illam lucem, quam ipsa in Virgine Deipara accendit, dignetur ad eam descendere. Interea dum hæc partes suas agit, Virgo Deipara *cogitabat qualis esset ista salutatio.* Succedit huic deiectis modestè oculis, genisque verecundo rubore accensis, Deo deuota castitas, propositiq; sui tenax, ait: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* ac si diceret: Contendant de laude virtutes ceteræ, ego pro vita decerto: si enim perire me necesse sit, vt ipse matrem Dei Mariam efficiant; ego me opponam, nec sinam extrudi me de domo, quam non solùm gratiâ tuâ singulari, sed quodammodo naturaliter obtineo. tam enim agnata & cognata sum Mariæ, vt vix ipsa nominari aut intelligi queat, nisi ego adiungar; ferè enim tam propriè virgo atque Maria dicitur. Si ergo propter virtutum vllam ad Mariam venturus es, propter eam certè venies, propter quam ceteræ sunt in eâ tam excellentes, & sine qua venire ad eam non poteris. Vix absoluit orationem

castitas,

castitas, & statim infinitas quædam aperitur æqualibus spatijs ad nihileitatis infinitudinem contendens, quibus creaturæ omnes simul ad Dei (qui infinitè est omnia) magnitudinem assurgunt, atque in eius fundo apparet humilitas ancillaribus obsequijs mancipata: propter quæ sibi optabat eum impendi fauorem, quem singulæ prætendebant. Vix ista comparuerat, cùm statim succincta & expedita ad obsequēdum accedit Obedientia & promptitudine quadam hilari dicit, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*: indicans se vel ipsâ illâ, quam petebat, laude libenter carituram, si quidem ita vellet Altissimus. Eadem ratione virtutes singulæ suas adhibebant machinas. Sed hæ de communi sanctorum opinione fuerunt potentissimæ, multaque sunt quæ dubiam possent relinquere inter has victoriam. nam pro Prudentia stare videtur sponsus ipse Virginis, dicens: *Vulnerasti cor meum, Soror mea sponsa; vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Constat enim prudentiam esse vnicum mentis oculum, & cogitationes crinibus comparari, quorum vnus vulnerasse videtur sponsum, quando tam sapienter cogitabat qualis esset ista salutatio. A Castitatis verò partibus stare videtur communis opinio, appellantium Saluatorem promiscuè *Filium Virginis*, ideò nempè quòd ad eam venerat amore virginitatis. Obedientiæ suffragatur Scriptura; Si enim ex eius sententia *vir obediens loquetur victorias*; non potest obedientia in hoc certamine non esse victoriosa. Difficilè esset litem hanc componere, nisi pro virtutum omnium infimâ esset tam illustris Iudithæ figura, & tam irrefragabile Mariæ testimonium. Adhibuerat sibi vidua ista quidquid ad mundum muliebrem potuit vel curiositas excogitare, vel ars effingere, vel pretiū commendare, vt Holofernem caperet. Ecce autem cùm accedit, capitur ille maximè pulchritudine sandaliorum: vt notaretur Mariam, Deum infima virtutum suarum parte, quæ Humilitas est, maximè ad se inflexuram: quod & ipsa factum testatur, dicens: *Respexit humilitatem ancillæ suæ.* Ita litem antè nos definiuit S. Bernardus in primo serm. super *Missus*, vbi ait: *Patet itaq; quia vt de Spiritu sancto conciperet, sicut ipsa perhibet, respexit humilitatem ancillæ suæ Deus, potiùs quàm virginitatem. Et si placuit ex virginitate, tamen ex humilitate concepit.* Prædixerat hoc etiā mysterium Isaias Propheta his verbis: *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* quibus verbis idem indicat quod dicit suprà S. Bernardus: *Laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas.* Vt enim matris virginitatem magnificè describat & dilaudet Isaias; florem ait ascendisse de virga: sed vt ostendat necessariam fuisse humilitatem, non aliâ parte fœcundam dicit quàm in radicè. Virgæ huius fructus, flos: flos autem non lædit virgam, quemadmodum fructus florem. Folijs pulchrè exornat virgam S. Matthæus cap. 1. commemorans Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, alioſque Virginis progenitores; at tandem florem adfert, sicut præcipuam eius gloriam: *De qua natus est Iesus.* Iam verò nota mysterium. *Flos de radice eius ascendet.* Radix ima pars plantæ est, & plerumque terra obruitur. Talis inter virtutes est humilitas; obruta vulgò terrâ multiplicis humiliationis. Quis fuerit flos ille, prodidit Ecclesiasticus 5. cap. dum ait: *Quasi flos rosarum in diebus vernis.* In rosario non est alius à flore fructus, nec huius vtilitate illlius decor amittitur, vt fit in arboribus ceteris: Ideoque promiscuè iam flos, iam fructus dicitur hic partus glorioſissimus. *Benedictus fructus ventris tui*, dicit sancta Elisabeth. At pulchrè vtrumque coniungit Ecclesiasticus, dicens: *flores mei. fructus honoris & honestatis.* Si virgo quædam peperit filium; iam dicimus eam honorem atque honestatem perdidisse: in Virgine autem Deipara fructus ipse auget honestatem, & consecrat virginitatem. Atque hac de causa sponsus dicit: *Venter tuus sicut aceruus tritici*, (portans scilicet triticum illud electum

S. Bern.

Isai. 11.

Eccles. 24.

Vincit hoc certamine Humilitas.

quod nutrit omnes in vitam æternam) *vallatus liliis*, hoc est virginitate, quia portat eum qui nascitur inter lilia. Hæc de flore & fructu : quem Isaias de radice ascendere dicit, ne dubitetur quin ab humilitate, tanquàm præcipuâ causâ, per reliquas omnes virtutes ad nos descenderit. *Germen Domini*, dicit alibi idem Propheta, *in magnificentia & gloria, & fructus terræ sublimis*. Terræ, hoc est humilitatis, fructum appellat, quem nos colimus supra omnem Angelorum magnificentiam sublimatum.

CAPVT XI.

Turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio.

Timor est prudentiæ famulus domesticus.

MIRABILITER semper placuit reginæ virtutum Prudentiæ ante-ambulo ille, qui vocatur Timor. Solet enim ipse viam explorare, omniaque diligentiùs excutere, necubi lateant insidiæ, quo fit: vt eò præeunte, certo & securo pede Domina incedat, audacterque totum virtutum comitatum isti vitæ committat, quam anteà timor exploravit. Habebat custodes vigilantissimos Virgo Deipara, circumdata Angelorum cohortibus, & peculiari vallata Dei prouidentiâ: verumtamen, licet honorariam istam à Sponso suo datam custodiâ non sperneret, plurimumque in ea confideret; non ablegabat hunc domesticum suum famulum, sed ita occasionibus omnibus adhibebat, vt satis appareret quàm esset ipsi in deliciis. Ex vna occasione de reliquis fieri poterit iudicium. Poteratne esse magis secura, quàm in abdito cubilis sui, altissimis vacans de Filij Dei incarnatione contemplationibus? Poteratné in Angelico consortio trepidare? An non poterat animum quantumuis deiectum erigere tam magnifica legatio, totque laudibus cumulata salutatio? Nõ satis tutam reddere videbatur ipsa securitas: quia ad prudentem, vt ipsa erat, turbandum sufficit sola rei nouitas. *Turbata est* itaque *in sermone eius*: non perturbatione vitiosa, quæ mentem rationemque excutiat; sed quæ eam negotio, de quo agitur, solerti cogitatione adhibeat. *Cogitabat* enim *qualis esset ista salutatio*. Mirum quod neque in rebus honestis suscipiendis omittendus est hic cogitabundus timor. Malè enim frequenter vel ipsa bona eueniunt ijs, qui sese in ea, non præmisso hoc exploratore, præcipitãt. Quàm generosè se Apostolorum Princeps ad carcerem & mortem offerebat! sed quàm damnosa ei fuerit tam secura præsumptio, lapsus iste tam fœdus, & triplicata Magistri sui abnegatio dicet. Contrà, timet Maria, quæ multis ex capitibus poterat esse securissima, ad nostram doctrinam, vt indicat S. Bernardus his verbis: *Vis, ô homo, in periculis esse securus? time securitatem. Vis esse à dæmone liber? etiam Angelos time.* Vide quanta stultitia sit in periculis esse securum, cùm vel securitatem timidam esse doceat prudentia. Pulchrâ imagine eandem doctrinam inculcat S. P. Noster: *Time mare*, inquit, *etiam cùm malacia est.* O fragilem nostram constantiam, ô infidam securitatem, quæ non aliud est quàm fallacis ponti malacia! Ne fide, ô homo: momento vertetur in infamem tempestatem, & fortè in fœda naufragia, ista securitas. *Nihil tutò in hoste despicitur*, ait Curtius, *quia quem spreueris, valentiorem negligendo effeceris*: ipsa enim partis aduersæ securitas, hostis omnia circumspicientis arma sunt, quibus opprimit nihil cogitantem. Quod si hoc in omni vitâ & in omni virtute est obseruandum, vt nunquàm longè ablegetur timor, sed semper stet in excubijs; certè vitæ Deo consecratæ, & in primis castitati, diligenter est adhibendus. Tenera enim res est castitas: & facilè florem suum, aut saltem gloriæ decus, amittit virginitas. Vide quam cautè ambulabant Noe filij, ne paternæ authoritatis ac reuerentiæ integritatem delibarent: *Incedentes retrorsùm operuerunt*

Bona malè fiunt, nisi præcat Timor.

veren-

Vbi omnia secura vel cogitationes aliorũ timendæ.

verenda patris sui, faciesq; eorum erant auersæ; ne paterna reuerentia (inquit, S. Ambros. de Noë & arca c. 31. *)vel ipso minueretur aspectu.* Et fortè hoc perturbat Virginem Deiparam, quòd sub specie virili conspiceret vultum Angelicum. Licet enim satis esset sui secura; poterat tamen etiam pro fama & sui sponsi Ioseph cogitationibus trepidare. Et hoc solum fræni loco seruire deberet hominibus disciplinæ arctioris, & virginibus Deo cõsecratis, quod macula semel nomini iniecta hæreat ferè per vitam vniuersam. Tenax enim opinionis suæ est vulgus, & mundus in vrgenda sententia sua pertinax. Quid mitiùs Dauide vmquàm terra sustinuit, qui non veretur Deo dicere: *Memento Domine Dauid, & omnis mansuetudinis eius?* Attamen numquid audis ei fieri conuitium publicè in via: *Egredere, egredere vir, sanguinum?* Semel innocente Vriæ sanguine magnis adductus vtilitatibus, & pænè necessitate coactus, se contaminauerat, eumque iam toties lacrymis suis diluerat, vt supra niuem esset dealbatus, hæret tamen ista macula, si non in animo, saltem in nomine, & ab aduersariis etiam seni ingeritur. Profectò vix totius vitæ cautela sufficiet ad vnicam aduertendam infamiam, cùm lapsus vnicus sufficiat ad infamandam vitam vniuersam. Falsò impetebatur crimine Susanna fœminarum castissima: *numquam auditus fuerat sermo eiusmodi* de ea, nulla in vita tota leuitatis indicia, nulla conuersatio suspecta, non est ei gestus ad vanitatem, gressus ad numerum compositus: hæc ei cautela proderat in hora illa angustiæ, vt difficilè crederetur de ea tantum flagitium, diceretque stupens fama; *Numquàm auditus est sermo eiusmodi de Susanna.* Et tamen non poterat tam constans vita eam morti eripere: quomodo eripuisset infamiæ, si vmquam simile quid aliàs fuisset auditum de eâ.

Daniel. 13.

CAPVT XII.

Constans Mariæ in virginitate propositum non est rebellio, sed conformatio suæ cum diuina voluntate. ad verba: *Virum non cognosco.*

IN stuporem vertit Sanctos omneshæc tam firma, tamque inconcussa Virginis Deiparæ resolutio, quâ, percepta & bene perpensa Angeli salutatione, difficultatem mouet ex proposito suæ virginitatis. Videtur enim Virgo votum suum diuinæ voluntati æquare, tanquam si diceret: Scio quod citiùs cælum & terra transibunt, qnàm mutetur *iusiurandum, quod Deus iurauit ad Abraham patrẽ nostrum daturũ se nobis*: sed etiã scio, quod, Deo propitio & approbante, iuraui ego in æternùm virum non cognoscere. Iam si immutabilis est promissio, quam Deus fecit homini; certè ea, quam homo fecit Deo, non debet habere minùs firmitatis. Itaque nisi doceas quâ ratione votum meum cum diuino iureiurando consistat; non capio legationem tuam, nec satis quid sibi velit intelligo: hoc certò scio, me non dimouendam à proposito virginitatis, ne quidem propter gratiam diuinæ maternitatis. Verba sunt non arrogantiæ, sed maiestatis: his enim ostendit Virgo Maria intelligere se, quam personam in hoc actu sustineat; eam scilicet, ad quam legatus iste cælitùs veniebat, vt liberum ab ea consensum impetraret, per quem liceret Deo ex ea volente carnem suscipere, eâque suscepta mundum Patri suo reconciliare. Vt ergo libertate eâ vteretur, nec vllâ ratione coacta super tantis rebus contractum cum diuina Maiestate celebraret; magnificè proponit

difficultates quæ ex sua parte occurrunt quo minùs sibi conducere videatur petitioni omnipotentis annuere. Quod ad me attinet, inquit, iam immobiliter statutum est virum non cognoscere, eamque voluntatem meam habeo diuinæ Maiestatis placito comprobatam: ita vt iam æquè sit ipsa, atque Dei verbum, immobilis; dic ergo quâ ratione fieri posse existimas, vt hoc saluo meo proposito, possim legationi tuæ consentire. Hîc admirabundus exS. BERNAR. clamat S. S. Bernardus: *Quis te, ô Virgo prudens, docuit Deo placere virginitatem? Quæ lex, quæ iustitia, quæ pagina veteris testamenti vel præcipit, vel concludit, vel hortatur in carne non carnaliter viuere?* Et posteà respondet. *Spiritus sancti vnctio docuit te.* Tam enim facta erat ad voluntatem diuinam à primo conceptionis instante Maria, vt nisi absolutè sciuisset Deo gratam esse virginitatem, non eam vouisset, neque eam tantâ cõstantia Legato opposuisset. Quid ergo? interrogatio hæc non est oppositio virgineæ voluntatis contra voluntatem, Dei; sed sui potiùs cum illa conformatio. *Angelus partum*
GREG. NYSSENVS. *denuntiat* (ait S. Gregorius Nyssenus orat. de natiuit. Christi) *Maria virginitatem complectitur, castitatem præferens Angelica apparitioni: non quod non esset obediẽs, sed quod vellet, si posset, virginitatem conseruare.* Posse autem se conseruare non dubitabat, quia tanti referre cognoscebat ad Dei gloriam matris virginitatem, vt expediret ei potiùs non nasci, quàm nasci ex matre non virgine, teste S. Bernardo, qui ait: *Decebat ex virgine nasci.* Itaque conformans voluntatem suam diuinæ, ait: Quemadmodum Dei honor in eo vertitur vt nascatur ex virgine tantoque zelo eum honorem suum prosequitur, vt citiùs omitteret incarnationem suam, quàm nasceretur ex non virgine: ita & ego gloriam meam præcipuã pono in virginitate, maloque carere Dei maternitate, quàm corporis animique puritate. Sic enim decet Deum nasciturum, quem passim dicent matrizare.

CAPVT XIII.

Animi tranquillitate est opus, vt recipiatur Dominus Ad verba: *Ne timeas Maria.*

CVTA est Magni Chrysostomi obseruatio, quod Mariæ annuntietur Filij Dei incarnatio antequàm facta sit; Iosepho autem, opere iam perfecto; & duplicem eius adfert rationem: quarum prima pertinet ad Virginis reuerentiam, altera magis ad nostram instructionem. Si enim peractũ in Maria fuisset mysterium antequam fuisset ei annuntiatum; timendum erat, ne postquàm intellexisset, stupentis ac verecundantis animum anxietas tristitiaque consumeret: Si enim iam perturbetur ad rei denuntiationem, cum tempus habeat cogitandi quid sit ad quod consensus eius requiritur; quanta fuisset in ea perturbatio, si subitò res tanta in ea perfecta nuntiaretur? Sed hanc mitto rationem. Altera, quæ magis pertinet ad vitæ nostræ consuetudinem, ita proditur: *Oportebat quippè imperturbatum illum esse verum, quem homo ingressurus erat Creator: decebat illam perfectò animam ab omni esse immunem cogitationum tumultu.* Principum Regumque deliciæ sunt, habere hortum aliquem, aut locum recreationis, vbi se negotiorum tumultu expediti liberiùs depositâ maiestate exhilarent. oportet autem locum hunc ante omnia tumultu & perturbatione carere, vt possit hospes eius in eo quiescere. Eâdem ratione sibi Deus ventrem virginalem elegerat, in quo se deposita maiestate liberiùs cum hominibus oblectaret. Cælum enim maiestatis suæ palatium non tam sibi, quàm electis suis ædificauit, neque enim ipse magis est in eo, quàm in reliquis mundi partibus: at Mariæ corpus sibi, vt diximus, in templum, sibi in Domum, in ciuitatem & hortum elegerat

Vterus Virginis locus deliciarum Deo.

elegerat, vt ibi depositâ diuinitatis purpurâ, hominis & peccatoris pænulâ indutus quiesceret. Igitur antè omnia danda erat opera, ne quid in loco isto perturbationis oriretur, dum ibi Rex versaretur: quapropter necesse fuit anté mitti Paranymphum, qui mysterium annuntiaret, veteretque turbari ac timere Mariam. Vbi namq; Deus est recipiendus, aut singularia eius beneficia, indè perturbatio exulet necesse est.

Quies animi necessaria, vt Deus aut eius dona recipiantur.

Noli flere, dicunt Magdalenæ Angeli iustissimè, vt putabat, ablatum Domini sui corpus deploranti. Et sanè admirabilitate non caret ista prohibitio. Quomodo enim Angeli vetant lacrymas tam pias ob Deum perditum effusas? *Tulerunt Dominum meum* (inquit ipsa) *& nescio vbi posuerunt eum.* Tamquam si diceret: Nemo sanè damnabit has lacrymas. nisi qui expers est amoris. quidni enim flerem, quæ perdidi id quod solùm amabam? quidni flerem, cui ereptum est vnicum cordis mei gaudium? Non lacrymas damnat, ista prohibitio, sed Angelus, (vt inquit Chrysologus serm. 88.) *antequam dona tribuat, fugat timorem*, omnemque perturbationem, quæ solet animum inquietare. Quis hic non facili argumentatione ad se reflectat, seque interroget: Quod si perturbatio tam iusta Virginis Deiparæ propter mysterij insolentiam, si tam pius Magdalenæ planctus sedandus est, vt vel Deus, vel dona eius singularia recipiantur; quid ego sperabo, nisi tumultus istos, qui cor meum tam variè exagitant, sedauero? nisi efferentem sese superbiam & ambitionem repressero? euagantem ad aliena auaritiam in ordinem redegero? luxuriam bullientem, inuidiam frendentem, iramque tumultuantem composuero? Non enim in perturbatione, sed *in aura leui*, Dominus; & manna cælestium beneficiorum, descendit *sicut pluuia in vellus*. Nauigabant, aut potiùs peribant in mari, dormiente Christo discipuli: iam enim tempestatis vehementia artem magistro, nauiculæ clauum abstulerat; iam laxis compagibus imbrem inimicum vndique accipiebat scapha, & vario motu vndas hauriebat, vomebatq; excitant tanto in periculo è somnis Dominum, clamantes: *Salua nos, perimus.* Quid exspectas? quo putas se expergefactus conuertet Dominus? Numquid statim imperabit mari & ventis, vt quiescant? Non ita facit Christus, sed otiosè se ad discipulos conuertens, priùs animos eorum quàm tempestatem sedat. *Quid timidi estis, modicæ fidei?* Matth. 8. Quies nimirùm reddenda erat animis perturbatis, vt capaces essent secuturi beneficij. Si enim tumultuetur in corde passionum turba; nec vocem Domini exaudiemus, nec fructum percipiemus beneficij. Ideò Angelus, qui cupiebat Christo parare locum quietis in Maria, & fructum incarnationis volebat ad eam venire vberrimum, timorem fugat, dicens: *Ne timeas Maria.* Quàm autem breuiter & efficaciter id facit, verbo vnico & potentissimo vocans eam nomine suo! quod non tantùm facit ad consolationem & confortationem nostram, sed etiam sufficit ad Virginem Deiparam, hoc est ipsam constantiam, confirmandam. Quid autem est Maria, nisi *Domina*? Dominam ergo vocat, vt Dominatoris Matrem timor deserat seruitutis: vt ab omni perturbatione libera, dignum ei præparet habitaculum qui semper est *idem ipse*, immotusque manens dat cuncta moueri. Aut sit honor, virtus & gloria, in omnia sæculorum sæcula.

TRACTATVS V.

DE VISITATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

Exurgens Maria abijt in Montana cum festinatione in ciuitatem Juda Et salutauit Elisabeth. Luc. 1.

PROŒMIVM.

QVEMADMODVM *prouerbio Communi celebratur, nusquam inferre pedem diabolum quin relinquat aliqua malignitatis suæ impressa vestigia: ita è contrario videmus neminem à Sanctis visitari sine fructu aliquo sanctitatis. Fatetur id Genes.* 30. *Laban, qui licèt ipse non esset optimus neque gratissimus, tamen Iacobo ait :* Experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te. *quod explicans & exprobrans ipsi Patriarcha, dicit:* Modicum habuisti antequàm venirem ad te, & nunc dilues effectus es, benedixitque tibi Deus adintroitum meum. *Quod fecit Iacobi præsentia, etiam potuit in testamento eodem veteri, Mariæ figura. Scriptura fatetur:* Habitauit arca Domini in domo Obededom Gethæi tribus mensibus, & benedixit Dominus Obededom & omnem domum eius. *Figura hæc erat Visitationis, quam hodie celebramus: nam si tempus commorationis spectas, concordat:* Mansit enim Maria cum illâ quasi mensibus tribus. *Arca virgam, per quam Moyses mirabilia patrarat; tabulas legem continentes, vt panem confectum Angelorum manibus continebat: Maria verò Filium Dei omnipotentem, per quem Pater creauit omnia, legislatorem vtriusque testamenti, & panem, non quem conficiunt, sed quo vescuntur Angeli, suis visceribus conclusum gerebat. Quis non exspectet maiorem benedictionem ab hac arca, quàm à vetere? Et Euangelium narrat totam Zachariæ domum non repletam diuitijs. sed gratijs & benedictionibus cœlestibus, quarum maius est pretium, maiorq; nobis necessitas, quàm diuitiarum. Rogemus ergo virginem Mariam, vti cor nostrum visitando, gratiam abducat, quâ adiuti possimus mysterium visitationis eius pandere, & benedictiones ceteras mereri.*

CAP.

CAPVT I.

Licet tanta fuerint Mariæ gaudia in incarnatione Filij, quanta fortè non sunt Beatorum; non tamen ijs absorbetur, sed *exurgit* ad gaudia accidẽtalia percipiẽda.

SI nullum iota & nullus apex est in lege, qui careat suo mysterio; profectò verbum illud, *exurgens*, tam signanter & emphaticè huic narrationi præpositum, abundare debet arcanis quibusdam, non ita passim obuijs. Nam si sebebat Virgo, non poterat abire nisi surgeret: & ita pleonasmus esset dicere, *exurgens abijt*, nisi quid altius in sessione & surrectione lateret: quod apparebit, dum indè capacitatem animi virginei, gratiæque eius magnitudinem collegerimus. Ante omnia autem, vt fiat dilucidè, statuendum, quòd magnitudo beneficij per Filij Dei incarnationem accepti esse debebat mensura gaudij, indè in animos nostros & Angelicorum spirituum mentes redundaturi. Verùm cùm capacitas tam Angelicæ quàm humanæ creaturæ certis limitibus esset circumscripta; beneficium autem istud in infinitum se extenderet, proindeque fieri nequiret vt par ei gaudium nos occuparet; saltem eò nobis perueniendum erat, ne qua alia minor lætitia nos detineret, quamdiu non plenè huic ex grati animi recordatione indulsissemus. Itaque gaudium vnum gaudere debebat mundus vniuersus, quia iam mortales haberemus fratrem immortalem Deum. Non fuit istud, fateor, hominum culpâ vsque adeò plenum, vt nihil defuerit; magnum tamẽ fuisse vel ex eo colligere licet, quòd Veritas pronuntiet *gaudium* esse inter Angelos Dei *super vno peccatore pœnitentiam agente*: quantum ergo fuerit super instanti totius mundi conuersione? Et si quæque creatura tum exultet, cùm onere seruitutis liberatur; quanta fuerit vniuersarum iubilatio, dum omnium cernerent Liberatorem? Iam si de creaturis ceteris omnibus ascendamus ad Matrẽ Creatoris, sine dubio quò plus ipsa habuit cognitionis de beneficio, plusque ex eo fructus, quam tota rerum vniuersitas simul, percepit; eò plus dicendum est peruenisse ad eam gaudij & exultationis. Iam si, prout dicebamus, mundus vniuersus raptus fuisset in ecstasim præ magnitudine lætitiæ & gaudij, sic vt nullius alterius rei curam vel oblectationem admisisset, dummodo claram habuisset de beneficij magnitudine cognitionem: quid dicemus de capaci Virginis Deiparæ animo, quæ cùm optimè cognosceret se plus omnibus accepisse, paremque haberet cognitioni lætitiam, tamen absorpta non fuit, nec prorsùs aliarum rerum curam lætitiamque animo excluſit?

Sola auditio & cogitatio incarnationis Prophetam Habacuc sibi excussserat, vt alibi explicuimus, dum fatetur: *Audiui auditionem tuam, & timui; consideraui opera tua, & expaui.* Et dicere ausim, non Prophetam tantùm, sed vel ipsos Angelos solâ consideratione tanti mysterij sibi excutiendos, nisi in statu eo essent, qui felicitate beatitudinis excluderet vel vmbram infirmitatis & miseriæ, quales sunt ecstases & raptus: qui licèt oriantur ex beneficij aut mysterij, quod percipitur, magnitudine; supponunt tamen in percipiente imbecillitatem, quâ cùm neque sanctissimi careant in hac vita, eos videmus non rarò extrà se rapi. Testis est Scriptura de Sancto Petro, qui vel guttulam cælestis gloriæ degustans, clamabat: *Domine, bonum est nos hîc esse.* Sed *nesciebat quid diceret*: ita eum lætitia sibi eripuerat. Idem indicabat, quando Christo ad se venienti dicebat, *Exi à me Domine, quia homo peccator sum*: non est in me capacitas recipiendi dona tua, tantamque, quam cum ijs largiri soles, consolationem.

Ecstasis supponit in subiecto infirmitatem.

Vide iam parem beatificis mentibus in Virgine capacitatem. Quemadmodum enim in cælis abundantia ista pænè infinita gloriæ & gaudij essentialis non impedit, quò minùs ad accidentalia quædæm gaudia mentem aduertant: ita in Angelorum Reginâ non obstabat immensum illud pelagus gaudiorum (quod si in omnes creaturas diuideretur, singulas absorberet) quò minùs ad aliam minoris momenti lætitiam, quæ ex cognatæ fœcunditate redundabat, attenderet; atque exurgeret, vt illi de prole tam felici gratularetur. Gutta cælestis gaudij alios etiam sanctissimos pænè extinguit: fons ipse & oceanus cælestium gaudiorum, à Virgine conceptus, ei capacitatem relinquit alijs etiam sese oblectandi. Non enim secundùm leges humanæ imbecillitatis, sed secundùm priuilegia Beatorum, Virgini dispensantur beneficia. hoc est quod hodie exclamat: *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Meritò salutare suum vocat, qui tantam ei & tam singularem salutem contulerat, vt perigrinantis in terris priuilegia superarent salutis æternæ beneficia: caperetque in terris datorem gloriæ cælestis, nec absorberetur, sed etiamnum *exurgeret*, alijsque accidentalibus gaudijs attenderet.

CAPVT II.

Obedientiæ celeritatem docet Maria in Visitatione.

OLENT mulieres, postquam conceperunt, sæpè vehementibus quibusdam desiderijs & appetitibus impelli: quibus si non satisfiat, videmus partui vel præmaturam natiuitatem, vel alia quæpiam incommoda accidere. Appetitus hosce docet Philosophia non tam à matribus, quàm à prole conceptâ originem ducere. Vnde Celsus existimat partum, si ijs non satisfiat, ideo maturari, quòd proles extrà quæsitura veniat quod intus non ceperit. Experientia hoc confirmat: nam si fortè partus propter appetitum similem fuerit acceleratus, non priùs infans poterit ad sugenda vbera materna admoueri, quàm ori eius quasi gustandum admotum fuerit id, cuius desiderio mater agebatur. Tria genera appetituum istorum assignat Auicenna: appetitum scilicet *videndi, edendi, & adipiscendi.* Vix Dei Filium modo supernaturali conceperat Virgo Maria, cùm statim agitari cæpit ijsdem, quibus Filius tenebatur, appetitibus: videndi scilicet S. Elisabetham, & hominibus, quâ posset occasione, benefaciendi. Vehementiam appetitùs Euangelista exprimere conatur, dum singulis verbis Mariæ singulare studium in visenda cognata indicat. *Exurgens*, inquit, id est, minimè morata. *in diebus illis*, id est, paucis post diebus. *cum festinatione*: agebat enim eam conceptus infans qui venerat homines saluos facere, vt statim virtutem eam in Ioannem effunderet, eumque peccato originali expediret, vnde oriebatur tam vehemens in matre Elisabetham videndi desiderium. *Cùm accepisset ab Angelo*, inquit Beda, *quod concepisset Elisabeth, vehementer appetit cognatam videre & salutare: & festinat appetitui satisfacere, ne fortè cogatur Filius, tardante matre, partum maturare, vt desiderio suo seruiat.* Si nobis applicare velimus hoc mysterium, pro quibus maximè gestum est; ex Ven. Bedâ licebit, qui ait: *Typicum pariter exemplum tribuens, quod omnis creatura, quæ verbum Dei mente conceperit, virtutum statim celsa cacumina gressu conscendat amoris, quatenus ciuitatem Iudæ, id est, confessionis arcem valeat penetrare, & vsque ad perfectionem Fidei, Spei, & Charitatis quasi tribus mensibus valeat commorari.* Quisquis, gratiâ cooperante, mente Deum concepit, statim miris impellitur desiderijs ad vitam emendandam, ad conscendenda Iudæ montana, hoc est, confessionis, ac deindè perfectionis exercitia; non ex naturali suo appetitu, sed operante intus, quo imprægnatur, spiritu, qui postulat in ipso

BEDA.

Qui verbum diuinum concepit, agitur appetitibus diuinis.

in ipso & pro ipso desideriis vehementibus. Videndum autem, ne omittamus appetitibus hisce satisfacere, ne conceptus fœtus diuinus exeat, nosque relinquat. Hoc est typicum, quod Virgo præbuit, exemplum, indicans iussa intus concluſi fœtus diuini esse festina, & festinanter iis obtemperandum. In Zachæo patet. Audi intus non minùs quàm foris imperantem Dominum: *Zachæe festinans descende, quia hodie in domo tuâ oportet me manere.* Ille autem *festinanter descendit, & excepit illum gaudens.* Vnde etiam festinanter accepit præmium, *quia salus huic domui facta est.* Non nouit tarda molimina Spiritus sancti gratia, maximè quando felici gratiæ fœtu mentem distendens parturire cupit ingentem aliquam sanctitatem. Nónne apud Ezechielem 1. vers. 14. habemus obedientes Dei ministros, quos ille Seraphinos fingit, volare instar fulguris coruscantis? *Animalia ibant & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* Nota: non suffecisse Prophetæ dare similitudinem fulguris (quod licèt celeriter accendatur, semper tamen aliqua temporis mora interponitur, quâ ignis materiam superat & inflammat) sed adferre tantummodò fulguris coruscationem, quæ vno eodemque temporis puncto vniuersam aëris regionem potest peruadere. Tantâ scilicet in obediendo opus est celeritate, vt non videatur superare difficultates obediens, sed nullas habere. Eleganter S. Bernardus serm. de virtut. obed. & de gradibus eius ad med. *Velociter currit sermo Dei, & velocem desiderat sequentem. Videtis tum quantâ velocitate currit ille, qui dicit: Viam mandatorum tuorum cucurri. Fidelis obediens nescit moras, fugit crastinum, ignorat tarditatem præcipientem, parat oculos visui, aures auditui, linguam voci, manus operi, itineri pedes, totumq; se colligit, vt imperantis colligat voluntatem.* Ab Angelis discere etiam licet, quod mox Angelorum Regina docebit: licet enim ad nostrum ministerium, ferè indignum illorum nobilitate, missi sint; minimè tamen puto reperies (inquit iterùm S. Bernardus serm. de S. Martino) *in Scripturis aliquando quemquam illorum vel contradixisse mittenti, vel erga ipsos tam inferiores se, propter quos in ministerium mittebantur, saltè tenuiter fuisse commotum.* Vt hæc celeritas exprimeretur, pedes & pennas Angelis à sacrâ Theologiâ affictas esse S. Dionysius notat lib. de cæleſt. Hierarch. cap. 15. §. 3. *Pedes*, inquit, *vim mouendi, celeritatem & cursum sempiterni motus, quod ad diuina cientur, propter quod etiam pennatos sanctorum intelligentiarum pedes Theologia finxit &c.* Et mulier nostra, cui datæ sunt alæ vt fugeret draconem, putasnè eas sumere oblita est quando non fugiendum, sed obediendum fuit, & ad ministeria charitatis atque humilitatis contendendum? Certè calamo suo, ei Mercurij talaria affigere videtur Euangelista, dicens: *Exurgens autem Maria in diebus illis, abijt in montana cum festinatione.* nihil eam moratur, non loci in quo erat amœnitas & commoditas, non viæ montanæ asperitas, non ministerij difficultas, sed omnia vincit; & cum festinatione non tam incedit quàm fertur, non tam currit quàm volat, non vt fidem experiretur verborum Angeli, quod Theophylactus insinuat (& Caluinus, quia detrahere videtur honori Virginis, ambabus arripuit) sed vt humilitatem charitatemque exerceret, &, prout Euthymius dicit, glorioſiorem Christi conceptionem, præcursoris exultatione redderet.

Luc. 19. Festinanter exequenda sunt iussa diuina.

Ezech. 1.

Bern.

Psalm. 147.

Psalm. 118.

Dionys. Areop.

CAPVT III.

Incertum quâ viâ & ad quam ciuitatem se Virgo contulerit: sed certum est eam ferri celerrimè ad omnes, qui eam concupiscunt.

QVANTVMCVMQVE festinâter Virgo Deipara viam confecerit, necessarium est tamen priùs quàm ad Elisabethę domum peruenerit, aliquamdiu hæsisse in itinere: quod dum ipsa decurrit, sunt etiam quæ nos aliquâ dubitatione morabuntur. Habent enim suam montana Iudæ, & item ciuitas Iuda dubitationem, quæ non sinit præcurrere. Ardua conscensu erant Virgini, difficilia intellectu sunt nobis ista montana. An enim idcircò montana dicit, quod tota terra in montibus posita esset? nam testatur id Moysses in Cantico Deuter. 32. vbi enarrans beneficia populo suo à Deo collata, ait: *Constituit eum super excelsam terrã, vt comederet fructus agrorum &c.* & apud Ezechielem 36. Idumei & Ammonitæ & Moabitæ *altitudines sempiternas* vocant Israëlitarum terram. & Isaiæ 59. vbi sermo est de terrâ promissâ; *Sustollas te super altitudines terræ.* & propter montium in Iudæa frequentiam, à gentibus Iudæorum Deus, *Deus montium* vocabatur. An verò, quòd regio illa, quam Virgo petebat, fuerit respectu Nazareth alta & montosa, quod ex modo loquendi est probabilius? Sed hæreo in hoc itinere, maximè quod non videam quâ semitâ ducat ad ciuitatem illam Iuda, quam neque Euangelista, neque, vt Maldonatus ait, bonus vllus Author nominat. nam qui dicunt fuisse Ierusalem, inquit, nobiles scriptores non sunt.

Sed quid ego per montana ista diuagor, cùm Virgo sit non passibus, sed affectibus sequenda; neque irritandę curiositatis, sed fouendæ pietatis causâ institutus sit sermo? Crescit autem vehementer erga Virginem amor, si in festinatione hâc genium & ingenium eius cõsideremus: idem scilicet quod in Sapientia adnerterat præco eius Sap. 6. *Præoccupat*, inquit, *qui se concupiscunt, vt se illis prior ostendat.* tanto agitur omnibus benefaciendi desiderio, vt non exspecter donec ad illam accedamus, sed ipsa exurgens cum festinatione properat, vt conferat beneficia. Quis in Canâ eam rogauerat, vt tam insigni haustu tantoque miraculo nuptias honoraret? ipsa mota naturali suo benefaciendi desiderio surgit, ad Filium properat, indicat necessitatem: inde ad ministros festinat, eos instruens quid facto sit opus, ne obicẽ ponant beneficio. Sufficit concupiscere & desiderare beneficiũ à Mariâ: & ipsa vltrò accedet grauida muneribus, manibus digitisque omnibus distillans myrrham probatissimam cælestium donorum. *Non solùm vênit*, inquit S. Ambros. *sed etiam prior salutauit*; salutatione istâ, per quam Filio, Matrique tanta conferebantur beneficia: vt discamus non vacuum esse aduentum eius, quando eos visitat, qui eam concupiscunt. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia*, dicit 7. capite de eâ agens Salomon: quod eâ ratione accommodare licet Matri æternæ Sapientiæ, vt dicamus post Deum nullam esse bonitatem, quę tam facilè trahatur ad benefaciendum aliis, quàm Virginem Deiparam, quæ mobilior est Sanctis & Angelis omnibus, vt succurrat miseris, afflictosque inuisat. Græcus textus dicit: *Omnibus motibus mobilior est*; vt cùm motum nauis vento secundo sinus implente, motum sagittæ potenti manu excussæ, motum denique humanæ mentis omnia peruolitantis cõsideraueris, scias etiam celeriùs properare ad cõferenda beneficia

Beata Virgo benefacit antequam rogetur.

Sap. 6.

Celeritas Mariæ in benefaciendo.

Sap. 7.

cia Mariam. *Omnibus* enim *motibus est mobilior* : & hoc præterea à mobilibus omnibus habet mobilius, quòd non sit determinata vnico tantùm motu simul moueri, sed diuersis etiam simul ferri potest: quod vel in hoc patet itinere, quo simul sursum fertur & deorsum: sursum, nam ascendit in montana; deorsum, nam ad infinitam humilitatis abyssum descendit. Vbicumque ergo miseri, quantumcumque in profundum barathrum ceciderimus peccatores, quacumque viâ à grege deerrauerimus oues fatuæ, non desperemus: quia poterit nos Maria celerrime visitare, & procuratis cælestibus gratiis peccati nebulas dispellere, nosque in viam salutis & prosperitatis reducere : præsentiam enim ipsius lux, gratia, exultatio, & abundantia sequitur donorum cælestium, prout mox ad introitum eius in domum Zachariæ patebit.

CAPVT IV.

Duplex visitatio Dei, quâ homines visitat, exponitur.

QVò maiori cum fructu Visitationem cõsideremus, quâ Virgo Elisabethã, Christus Præcursorem suum inuisit; notandum, duplicem à Scripturâ modum proponi quo Deus solet homines visitare. Vel enim iratus venit, & visitat in rigore iustitiæ; vel pacatus, & accedit cum deliciis amoris. De priore visitatione sunt illa Psalmi 88. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me.* & Isaiæ 26. *Visitasti & contriuisti eos, & perdidisti omnẽ memoriam eorum*; & iterùm cap. 27. *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro & grandi & forti.* At de secunda visitatione loquitur Scriptura Genes. 21. *Visitauit Dominus Saram sicut promiserat, & impleuit quæ locutus est*; item Exod. 3. *Visitans visitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Aegypto, & dixi vt educam vos de afflictione Aegypti*; rursùm Psalm. 5. *Visita nos in salutari tuo*; Ierem. 15. *Recordare mei, & visita me*; & Luc. 1. de visitatione hodiernâ, eiusque effectibus agens Baptistæ pater, ait: *Per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto.* De visitatione iustitiæ non agemus tam fausto die, cùm per amoris bonitatisque diuinæ considerationem magis disponere possimus animum, vt Virgo eum cum Filio visitet, donisque eis locupletet, quibus hodie Elisabetham & Ioannem beauit.

Exod. 3. Psalm. 5.

Visitat ergo Dominus hominem visitatione pacificâ & amoris plenâ tribus modis. Vel enim hoc facit per Filium, de quo Zacharias; *Benedictus Deus, quia visitauit nos oriens ex alto*: vel per Prædicatores, quos constituit Ecclesiæ suę visitatores : *Sicut me misit Pater*, vt nimirùm visitarem gregem meum, *& ego mitto vos*, vt idem impleatis ministerium; & alibi dicit: *Euntes docete omnes gentes*, Matth. 28. *Prædicate Euangelium omni creaturæ*, Marc. 16. vel denique visitat hominem per inspirationes interiores. Neque mutæ sunt hę visitationes, sed quot modis inuisit, tot etiam loquitur. De primo enim dicitur: *Nouissimè locutus est nobis in Filio*, ad Hebr. 1. Prædicatores verò ex officio loqui debẽt: *Quomodo audient sine prædicante?* ad Rom. 10. De tertia vero locutione testatur Dauid: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus*, Psalm. 84. & Oseæ 2. dicit Dominus: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Visitationum harum & locutionum omnium maximè vtilis & necessaria est posterior: nec enim prima vel secunda proderit, neque meretur perfecta amoris visitatio vocari; nisi accedat hęc tertia. Quod manifesto exemplo Scriptura probat. Visione nocturnâ excitatur Paulus, vt in Macedoniam proficiscatur, Deique Euange-

Triplex visitatio diuina in bonum.

Ioan. 20.

Hebr. 1.

Psalm. 88.

Visitatio Dei interior omniũ est optima.

lium annuntiet: cumque die Sabbathorum concionaretur, cùm omnibus loqueretur, dicit Scriptura: *Quædam mulier, nomine Lydia, purpuraria ciuitatis Thyatirenorum, colens Deum, audiuit.* An surdę erant reliquę, quod hęc sola audiuerit? Surdę non erant, sed non dicuntur audiuisse, quia facta non est eis locutio tertia, de qua mox dicebam: quę cùm facta sit Lydię, ipsa audiuisse dicitur: *Cuius Dominus*, inquit Scriptura, *aperuit cor intendere his quæ dicebantur à Paulo.* quòd ergo audiuerit & conuersa sit, fructumque visitationis diuinæ perceperit, debet internæ isti visitationi, sine quâ inutiles sunt reliquæ. Prædicabat Dominus Caino, & potenti interrogatione cor eius verberabat: *Vbi est Abel frater tuus?* sed Cain moneri potuit, mutari non potuit: quia licet Deus ei prædicauerit, tamen, in peccatorum iustissimas pœnas, cor eius interiùs efficaciter non mouit. At quid opus exemplis, cùm Christus ipse carne nostrâ vestitus, & cum hominibus conuersatus, neminem conuerterit, nisi quem tertiâ istâ visitatione & locutione ad se traxit?

Cùm ergo tanti momenti sit vox ista Domini interior, & visitatio amoris perfecta; operæ pretium videtur septem diuersas voces, quibus vtitur Deus, loquens ad cor alicuius, quas Ps. 28. notauit Propheta Dauid, recensere, & tot fallaces mũdi susurros, quibus decipere coantur, opponere. Prima dicitur, *vox Domini super aquas.* secunda, *vox Domini in virtute.* tertia, *vox Domini in magnificentia.* quarta, *vox Domini confringentis cedros Libani.* quinta, *vox Domini intercidentis flammam ignis.* sexta, *vox Domini concutientis desertum Cades.* septima, *vox Domini præparantis ceruos.* Singulas examinemus: *Vox*, inquit, *Domini super aquas.* Vox Domini, naturam imitatur. Spiritus Domini ab initio ferebatur super aquas, vel vt alij legunt, incubabat aquis, iis ipsis inducens mirabilem fœcunditatem ad aues, pisces, cęteraque ex iis orta producendum. Sic vox Domini libenter interiùs lõquitur, quando lacrymarum aquas videt, quibus possit innatare: signumque manifestum est vocem hanc intus operari, quando lacrymarum imbres incipiunt exteriùs fluere. Loquebatur Dauidi Dominus, quando aiebat: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*; quod Septuaginta vertunt: *Exitus aquarum descenderunt oculi mei.* Vtramque lectionem eleganter sanè explicat S. Ambrosius serm. 17. *Granditer*, inquit, *affectum pœnitentiam gerentis expressit, dicens quod aquarum decursus oculi sui descenderint; siue quia per eos tamquam per meatus vndantium fluentorum ita exuberantium lacrymarum se quidam ductus effuderint, & fletus irrigui per continuum quoddam & iuge profluuium; siue quod ipsi descenderint oculi. Habet enim hoc vis summi doloris, vt cum lacrymis oculi quodammodò ipsi videantur descendere, eò quod tanta vis lacrymarum sit vt putentur oculi in fletus resolui.* S. Ambr. Rursùs vocem eam intus loquentem audiebat Propheta idem, quando aiebat: *Lauabo per singulas noctes lectum, lacrymis meis stratum meum rigabo*, Psalm. 6. vel vt Hebræa fortiùs: *Natare faciam lectum meum, stratum meum liquefaciam.* Et quis dubitat quin Magdalenæ loquebatur Deus, quando pedes Iesu lacrymis rigabat? Hanc vocem sequitur altera: *Vox Domini in virtute.* elatis enim profluuio lacrymarum animi sordibus, statim in eo desiderium exoritur proficiendi de virtute in virtutem; ipsaque vox diuina, quæ loquitur ad cor, docet quanta in eo honestas, vtilitas, & iucunditas. Iis colloquiis recreabatur Enoch, quando ambulauit cum Deo: quod bis de ipso in sacris paginis repetitur, semel Numer. 22. sub vitæ eius principium, atque iterùm Numer. 24. cùm refertur eius translatio in cælum: ad explicãdum, inquit Caietanus, quod ab ineunte ætate profecit in via Dei, & perseuerauit proficiendo in ea semper. Inde sequitur, *Vox Domini in magnificentia.* Anima enim paullatim sermone Domini erigitur, seque altiùs extollere conatur, non tantùm

Septemplex visitatio Dei interior.

deserens

deserens abiectas & viles terræ quisquilias, sed nec virtutum mediocritate contenta, imitatur mulierem illam, quæ hodie montana transcendit, descenditque ad ministeria famulatum cùm esset Regina Angelorum, de qua dixerat Sapiens: *Manum suam misit ad fortia*, Prouerb. 31. In magnificentia est ista vox Domini, quæ docet passiones animi indomitas & concupiscentias rationi repu-
Prouerb. 16. gnantes vincere. *Melior est qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium*, dicit idem Sapiens. Quid autem Poliorcetâ triumphatore magnificentiûs? *In magnificentia* denique, secundùm D. Bernardum, est vox ista Domini, quæ docet seruire Deo non formidine pœnæ vilis adinstar mancipij, sed virtutis & Dei amore, idque tantâ magnificentiâ, vt non solùm contemnamus peccati mortalis allicientis delicias, sed etiam blanditias venialis. Hîc iam opus quartâ Domini voce, quæ *Cedros confringit*. Si enim, aspirante Dei gratiâ, tribus prioribus Domini vocibus tamquam Cedrus anima se in cælum extulerit, iamque magnificè stet supra omnia ligna syluarum eleuata: timendum ne nimis in ramos foliaque luxuriet, omnemque diuinæ largitatis succum sibi impendat, complacens sibi in suo augmento, nec dona sua Largitori refundens. Huic opus est Domini voce, quæ Cedros istos pulcherrimè floreſcentes fulguris adinstar mirabiliter confringat, & conterat, & comminuat, sic vt intus fiant puluis & cinis, exteriùs tamen magis magisque floreſcant. Hoc humilitatis spiritu ita comminuuntur, vt in conspectu suo nihil sint, numquamque se de donis Dei extollãt, intereà semper de virtute in virtutem procedant. Et sequetur vox quinta Domini *intercidentis flammam ignis*, hoc est, fornacem animæ cupiditatibus variis accensam, variéque virtutes inceptas carpentem visitabit, excutiétque flammam ignis de fornace, & faciet medium fornacis quasi ventum roris flantem, nec tanget eos ampliùs ignis, abstersâ peccandi consuetudine, & quasi sopito fomite concupiscentiæ. Venietque statim *vox Domini concutientis desertum Cades*. Postquàm enim non ampliùs audietur concupiscentiarum strepitus, nec passionum inordinatarum tumultus, quasi desertum erit anima, quieta & remota à negotijs: ad quam veniet Domini vox, quæ non auditur in foro, non sentitur in publico, sed secretum consilium secretum quærit auditum. Vocem illam desiderans audire sponsa, blandiendo ait dilecto suo: *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis*; & Dominus Oseæ 2. ostendit se mirabilia ibi dicturum, quæ alibi non loquitur, concussurumque desertum Cades, hoc est, sanctitatis. dicit enim: *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius*, Oseæ 2. hoc est, concutiam & cõmouebo cor eius tali ratione, vt iam tota feratur in amorem mei, & mei solius, quando scilicet erit ab omni alio amore & amoris obiecto deserta. Vt exspectet vocem septimam *Domini præparantis ceruos. Montes excelsi ceruis*, ait Psalmo 103. Dauid: & Psalm. 17. clariùs perfectionem significari per ceruos indicat, dum ait: *Qui perfecit pedas meos tamquam ceruorum, & super excelsa statuens me*. Psalm. 17. Præparat hosce ceruos vox Domini, statuens eos in montibus excelsis contemplationis, & illius perfectionis, quam nemo nouit quid sit, nisi qui eò peruenit: ibi enim mira est exultatio & iubilatio: ibi perfectum gaudium & lætitia, qualem scilicet hodie sẽsit paruulus Baptista, quando vnicâ Domini Dominæque visitatione, per vocem Marię accepit omnium istarum locutionum gratiam & virtutem, perueniens statim à purgatione peccatorum vsque ad cumulum perfectionis, ita vt nullus surrexerit maior Ioanne Baptistâ, id est, nullus in conuersione à peccato tantâ gratiâ fuerit perfusus atque hic puer, quando per Virginis Deiparæ vocem peccatis suis expediebatur. Quod sentiens mater, dicit: *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo*:

iam enim facta ei erat vox Domini præparantis ceruos, vnde in monte perfectionis veluti hinnulus ceruorum exiliebat. O desiderandam Virginis Mariæ visitationem, per quam compendio venit ista sanctitas, quæ multis Domini vocibus & visitationibus sæpe non daretur, nisi tamquam instrumentum intercederet vox & visitatio Mariæ, per quam solet Deus citiùs & fortiùs operari salutem & sanctificationem nostram.

CAPVT V.

Visitationes mundi, diuinis prorsùs contrariæ, non sunt admittendæ, neque voces eius audiendæ.

DE I visitationibus opponuntur visitationes dæmonis & mundi: & dæmonis quidem cauti & fraudulenti hostis technæ & machinationes diligenter cognoscendæ. Venit enim sæpe amici specie, transformans se in Angelum lucis, ita vt multi se à Deo visitari existiment, cùm à teterrimo suo & Dei hoste decipiantur. De fraudulētis istis visitationibus inpræsentiarum non agam, quòd eorū cognitio longâ experientiâ & accuratâ spirituum discretione sit addiscenda. Visitationes aliæ, quæ apertiùs superioribus opponuntur, Mundi vocabimus, quoniā is apertè quæ sui sunt fori proponit, seque diuinis directè opponit. Nam si Dei vox est in virtute; vox mundi est in vitiis, stimulatq; ad omnimodam peccandi licentiam, & pessimam omniū de misericordia Dei præsumptionē. *Miseratio Domini*, inquit, *magna est, multitudinis peccatorum vestrorum miserebitur*. O quàm multos dulcis hæc fistula decepit! quàm pauci constanter vocem diuinam sequuntur! statim flaccescunt hác mundi cantilenâ pia desideria: quando nimirùm deliciæ & voluptates gustu præsenti alliciunt, & iustitiæ diuinæ gladius iam iam vibrādus absconditur pallio fucatæ misericordiæ, quæ, quia iustitiæ repugnat, in Deo esse non potest. Vlyssis celebratur prudentia Syrenum cantus obturatis sociorum auribus innoxiè transeuntis, dum se curasset malo alligari. hâc vtere, quisquis mundi decipi non vis blanditiis: malo te Crucis alligandum cura adeò fortiter, vt ne volens quidem possis dissolui: & deinde sociorum, hoc est, sensuum tuorum aures obtura: ita fieri poterit vt rectà feraris in portum salutis.

In magnificentia vox est *Domini*: æmulatur hanc vanitas mundi, & semper magnifica crepans, in vilissimæ abiectionis voragines suos præcipitat. Testes sunt tot vanitatis & ambitionis alumni, qui non ob aliam causam sublati sunt in altum, quàm vt lapsu suo docerent alios non tutò credi bullatæ mundi magnificentię. Eâ efferebatur Nabuchodonosor ad vsque diuinitatis ipsius affectationem, sed inter bestias abiectus ostendit non magna esse quę apparent, sed ea tantummodò quibus inest proposita per Domini vocem magnificentia. Audierunt hanc magna crepantem mundi vocem tot gentium Reges, qui tandem fœdo exitu terminauerunt potentiam, & sanguine suo scripserunt non esse in mundo, nisi quæ ad ruinam vergat, magnificentiam. Nónne hoc ipsum fatetur princeps ipse mundi, quando Christo dicit: *Hæc omnia tibi, dabo si cadēs adoraueris me*, Matth. 4? Quam sententiam sic expendit S. Irenæus l. 5. c. 22. *Ipse*, inquit, *diabolus confitetur, quoniam adore & voluntatem eius facere, cadere est â gloriâ Dei. Et quid, aut suaue, aut bonum participare potest, qui cecidit? Et quid aliud sperare potest qui talis est, nisi mortem? ei enim qui cecidit proxima mors est.* I nunc ambitiose mundi assecla, & vocem eius in magnificentia audi: modò scias eò te propiùs à casu & morte

Vox mundi, opposita voci Domini.

IRENÆVS.

morte abesse, quò magis ad dignitates eius & honores accedis. *Vox Domini confringit cedros*: vox mundi eos exaltat; sed cedri illæ vacuæ sunt & vanę, quibus aquila grandis magnarum alarum abstulit medullã,& ideo sæpe eadem dies stantes videt & cadentes Cedros illas. Psalmista id animaduertit: *Vidi*, inquit, *impiũ super exaltatum, & eleuatum sicut cedros Libani. Transiui,& ecce non erat: quæsiui eum,& non est inuentus locus eius.* Vnde tam subita, tantaque ruina, vt ne quidem locus appareat vbi stetit? flãma ignis hoc fecit, quam vox Domini exstinguit, sed contrà fouet & alit vox mũdi. *Omne enim quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Audi quàm fortiter hunc ignem accendat, aut ventilet vt accendatur. *Venite*, inquit, *fruamur bonis quæ sunt, & vtamur creaturâ tanquam in iuuentute celeriter. Vino pretioso & vnguento nos impleamus, & non prætereat nos flos temporis. Coronemus nos rosis antequam marcescant: nullum pratum sit, quod non pertranseat luxuria nostra. Nemo vestrûm exsors sit luxuriæ nostræ.* Poteratnè oleum huic igni affundi, quod luculentiùs eum quàm voces istę, accenderet? Interim *transit mundus & concupiscentia eius*, & remanent affectæ ipsius æternis ignibus expiaturi ignes istos luxuriæ. Intereà pergit mundus opponere se vocibus diuinis: & si Deus vocet ad solitudinem, concutiens desertum Cades, loquensque ad cor eorum qui sequuntur eum; mundus vocat ad consortia & societates hominum, hoc est, ad seminaria omnium vitiorũ. Proripuerat se de medio eorum, qui dicebat: *Singulariter sum ego donec trãseam.* erat quidem in regia, affluente hominum & negotiorum multitudine: sed, vti inquit S. Chrysost. *solitudo non facit esse solum, sed mens quæ tenetur amore & studio sapientiæ: ita etiam qui habitant in mediis vrbibus poterunt esse singulares homines, dum corruptos cætus fugiant, & se iustorum conciliis adiungãt.* & quasi explicans se Propheta, ait: *Cum hominibus operantibus iniquitatem non consentiebam, & non cõmunicabo cum electis eorũ.* in Hebræo est, *Non vescar deliciis eorum*, hoc est, delicias eorum comedendo, mensisque accumbendo non alliciar ad nefarios mores eorũ. *Præparat vox Domini ceruos*, perficiens pedes eorum vt currant ad mõtes perfectionis & salutis æternę: contrà vox mundi succidit pedes suorũ, ne fugere possint à venturâ irâ, sed *ducunt in bonis dies suos, & in pũcto ad inferna descendunt.* Vnde ergo fit, vt tam pauci Dominum, tam multi mundũ sequantur? inde quod prima vox Domini super aquas, excitetq; ad lacrymas & pœnitentiam, quã plerique auersantur: vox autem prima mundi, gaudia spondet & lętitiã: *Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi*, & dicunt: *Vbicunque relinquamus signa lætitiæ, quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors nostra.*

Psalm. 36.

1. Ioan. 2.

Psalm. 140.

Iob 2.

Ibid.

Sap. 2.

In schemate videre licet, hinc asseclarum mundi frequentiam, inde sequentium Dominum paucitatem. Quid Dauide fingi poterat iustius, quid clementius, quid ad omnẽ virtutis normam exactius? Quis vnquã regni habenas modestiùs suscepit, prudentiusuè rexit? Contra verò quis vnquam exstitit aut proditor infamior, aut homo scelestior Absalone eius filio? & tamen vide populi stoliditatem: *Facta est coniuratio valida, populusq; concurrẽs angebatur cum Absalon; & venit nuntius ad Dauid dicẽs: Toto corde vniuersus Israël sequitur Absalon.* Quid mouebat multitudinem studia sua tam malè impendere? Absalon mundi typus erat, mundique voces sonabat, & *cùm accederet ad eum homo vt salutaret illum, extendebat manũ suam & apprehendens osculabatur eum, & sollicitabat corda virorum Israël.* 2. Reg. 15. Ita mundus falsis promissionibus, fucatis deliciis, mentis voluptatibus sollicitat omnes: & plerique ruunt ad interitum, deserentes Dauidem, hoc est, Christũ, qui verè & ex corde clamat: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 12. In mundum decipientẽ inuehitur S. P. N. Aug. ser. 29. de verbis Domini: *Quid strepis*, inquit, *ô munde immũde, quid strepis? quid auertere conaris? tenere*

Figura multitudinis mundũ sequentis, & eius quæ circa Christum est solitudinis.

vis perieris? quid faceres si maneres? quem non deciperes dulcis, si amarus alimenta mentiris? At hominum stultiam mundum sequẽtium, se deserentium plorat Christus Prou. 1. miniſque deterrere conatur, quando non audiunt inuitantem. *Vocaui*, inquit, *& renuistis: extendi manum meam, & non fuit qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis. Ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis id quod timebatis aduenerit, cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit. Tunc inuocabunt me, & non exaudiam.* Ne tam dira nobis hora aduenias, potiùs audiamus iam Deum vocantem, dum ab eo visitabimur, vocem eius & admonitionẽ admittamus, vt visitationis fructus ad nos perueniat.

CAPVT VI.

Præcepta Dei grauia non sunt, sed peccata grauant: hinc iusti festinant ad bona, peccatores tardant conuerti.

SAtis visitationibus diuinis expendendis temporis dedimus, vt interea Virgo possit iter suũ decurrisse, nisi tanta festinatio, quia per mõtana, id est, loca difficilia instituitur, etiãnum nos iustâ consideratione detineat: licet enim ipsa põdere isto, quod cælum & terram sustinet, minimè grauetur; nobis tamen leuiter transire non licet, quòd tanto onere grauida festinet: considerandaque dicti illius veritas Matth. 11. *Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue.* Non grauant volucrem alæ, sed iuuant: sic neque Deus, neque Dei præcepta aut onera retardant, sed incitant & adiuuant. at mundus cum legibus suis grauat & deprimit, nec finit hominem per plana iustitiæ incedere, nedum currere per montes perfectionis. Peruersum est quorundam iudicium, existimantium nihil grauius esse Deo, præceptisque illius, ideoque conantur ea excutere, clamatque non Moysi, sed mundo & diabolo: *Loquere tu nobis, & audiemus; non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*, Exod. 20. sed nesciunt miseri quod excutiendo Dei iugum, grauius sibi imponant seruitutis diaboli, & castigationis diuinę. Grauierem existimabat Arcam sacerdos Oza, quàm vt ab hominibus ferri posset, imposuitque eam animalibus: sed heu! malo suo didicit quàm sinistrè de Deo rebusque diuinis iudicauerit. ipse enim, titubante Arcâ, morte mulctatus est: & sacerdotes, qui deinde eam exceperunt, ab Angelis Dei adiuti. *Ecce gigantes gemunt sub aquis*, ait concionabundus Propheta Iob cap. 26. vt demonstret quanto errore mortales iudicent, non esse graue onus peccatorum. Philosophi statuunt in loco suo naturali elementa non grauare: non tamen iccircò securi estis, ô impij, qui bibitis velut aquam iniquitatem. licet enim in vobis tamquã in centro suo quiescere videatur inundatio peccatorũ, *ecce* tamen *gigantes gemunt sub aquis.* Gigantes sunt terrigenę isti, qui neque Patrem Deum, neque Matrem Virginẽ Deiparam agnoscũt, sed solummodò terram, vnde facti, adorant, eamque, in quam mox conuertendi sunt, statuũt sibi omnium desideriorum suorum finem, & inde sumunt omnium appetituum suorum escam, excutientes futurorum metum & spem. Nônne hi viderentur securi, & absque onere posse quiescere in medio deliciarum, & natitare in profundissimo oceano iniquitatis? nihilominus *ecce gigantes gemunt sub aquis*, & clamant gemẽtes & dolentes: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me.* Contrà verò hodiernâ die festino passu suo nos docet Maria, & tota prædicat historia Euangelica, quàm leuis portatu sit Deus, eiusque lex sanctissima. Ecce enim mulier Deo grauida discurrit per mõtana *cum festinatione*,

Grauis est impiis ipsa impietas.

Iob 26.

Psalm. 37.

&

& puero nondum in lucem edito, cui rationis vsus acceleratur, tota præceptorum diuinorum moles imponitur: & ille, vt ostendat quàm non sit oneri sibi hæc sarcina, simulatque eam sensit, exsiliit, tanquàm si re ipsâ, cùm verbis nondum posset, diceret: Tantum abest, vt grauet aut impediat onus istud præceptorum Dei, quod per vsum rationis acceleratum mihi tam maturè est impositum; vt è contrario multum subleuet & expediat. Iam enim non tantùm incedēdi per Dei præcepta facultatem accepi, sed & facilitatem exultandi in via Domini. Hoc est quod dicitur: *Bonum est viro, si portauerit iugum ab adolescentiâ suâ.* quò namque citiùs portauit, eò citiùs facultatem illam percepit, quæ facit ne segnis aut tardus, sed cum festinatione tendat ad montana perfectionis: qua festinatione vehementer delectatur Spiritus sanctus, ideoque onere eo, quod videtur esse rebus diuinis, liberat festinantes.

Reprobationis signum est dilatio pœnitentiæ.

S. Basilius contendit esse reprobationis signum in negotiis salutis, maximè pœnitentiæ, differre de die in diem, & non festinare vt quis peccatis absoluatur. Vide confirmatam eius sententiam in reprobo Pharaone. Percussus erat plagâ istâ teterrimâ ranarum, quæ ascendebant & ingrediebantur domum eius, & cubiculum lectuli eius, super stratum eius, & in domos seruorum eius, & populum eius, & in furnos eius, & in reliquias ciborū eius; ita vt cibos omnes, vasa, ollas, lances, sedes, mensas, domos, apothecas, penuaria, cubibula, lectos, vias cunctaque occuparent & fœdarent ranæ, multæque ex eis morientes suâ sanie & putore tam aquas quàm vias & domos inficerent. nónne præsens expostulare videbatur remedium mali magnitudo? Vide tamen tarditatem Regis: ad quem cùm diceret Moyses, *Constitue mihi quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te, & à domo tuâ, & à seruis tuis, & à populo tuo, & tantum in flumine remaneant*; respondit: *Cras.* O barbaram hominis reprobi tarditatem, qui se ad mortem vsque afflictum cùm sentiat, videatque populum suum miserè cum obscænis animalibus colluctantem, non statim velit tantâ expediri miseriâ, sed in crastinum differat remedium, quod statim poterat impetrare! Quis ferat tantam socordiam hominum vitijs suis indormientium qui neque tot stimulis excitentur vt festinent ad remedium? sentiunt mordentem sæpiùs conscientiam, audiunt Deum multifariam minas suas intentantē, sentiunt infirmitates, infortunia, aliasq; afflictiones propter peccata sua irrogatas, & cum dicit eis Spiritus S. inspiratione tacitâ: Constitue mihi quando te liberem, quando vitam istam emendabis &c. illi respondent: *Cras*; cùm nesciant vtrum dies crastinus eis concedetur. dicit enim Scriptura: *Omnis potentatûs vita breuis; ita Rex hodie est, & cras moritur.* Cōstitue potiùs tibi cōuertendi tempus hodie, ne fortè tēpus sit moriendi: imitare Virginem Deiparam, quæ *abiit in montana cum festinatione*, non vt se conuerteret, cùm non peccasset; sed vt Filij sui præcursorem, quem iam conceptum intellexerat, statim peccato originali liberaret: imitare Ioannem, qui sentiens se peccato liberum, & præceptorum diuinorū leui sarcina onustum, exsilijt, & puer cùm esset, exultauit vt gigas ad currendam viam Domini in lætitia & exultatione; cùm ex aduerso gigantes illi terreni, qui declinant præcepta Domini tanquàm grauia, & delitescunt sub aquis nequitiæ, ijsdem ita grauentur, vt gemant nō secùs atque Enceladi quidam Ætnæâ mole grauati.

CAPVT VII.

Visitatio & salutatio Virginis fuit in Ioanne causa sanctificationis. Humilitas in titulis, signum salutis adueniētis.

D. Virgo cytharæ, Dauidicæ cōparata.

SANCTVS Ioānes Damascenus orat. de natiuit. Virginis, inter multa elogia vocat eam, *Harpam*, quod est instrumētum, quo canebat Dauid, vt remoueret spiritū immūdum à Saule. Si quis dubitat an concinnè excogitauerit elogium doctissimus Pater, audiat Euangelium, vbi dicitur:

Et introiuit in domum Zachariæ, & salutauit Elisabeth; & factum est vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius &c. & simul recordetur narrationis istius 1. Reg. 16. vbi quandocumque spiritus Domini malus arripiebat Saul, Dauid tollebat cytharam, & percutiebat manu sua, & leuiùs habebat, recedebat enim ab eo Spiritus malus: videbitque eandem esse virtutem vocis Marianæ, quæ erat cytharæ aut harpæ Dauidicæ. Pessimo tenebatur spiritu vixdum conceptus Baptista, qui ita alligauerat omnes eius potentias, vt licet rationem habuisset expeditissimam, non tamen potuisset se dignè muneri suo & Dei seruitio impẽdere. Venit ad eum paruulus filius Dauid, vixque harpâ suâ seu cytharâ insonuit, matremque Baptistæ salutauit; & statim recessit ab eo spiritus malus, omnisque malitia peccati, & repletus est Spiritu sancto, matremque suam eodem repleuit, quæ statim prophetare incepit: Non aliter quàm Elisæus 4. Reg. 3. cap. qui destitutum se reperiens prophetiæ Spiritu: *Adducite mihi psaltẽ*, inquit, *cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini*, & prophetare incepit. Confer nunc virtutẽ harpæ Dauidicæ & salutantis Mariæ, vt videas quantum hæc isti præcellat. Liberat illa spiritu Domini malo Saülem; hæc peccato, quod est omni diabolo peiùs, Ioannem Baptistam: Saul post liberationem, sæpè recidiuam patitur; Baptista semel liber, in gratiâ confirmatur: Harpa nihil operabatur, nisi quod fortè humores melancholicos sono acutiore dispelleret, & suauitate harmoniæ spiritus lætiores excitaret, quo bilis atra (in quâ spiritus ille nidulabatur) dissoluebatur: at Maria verissimum fuit sanctificationis instrumentum operabaturque (secundum multos) non aliter vox eius sanctificationem in Baptistâ, quàm verba sacerdotis in baptismo operantur iustificationem in neophyto Christiano. Indicat hoc Euangelista, quando dicit: *Et factum est vt audiuit salutationem Mariæ*, hoc est, simulatque audiuit, vel ad ipsam salutationem exultauit infans. Indicasse etiam hoc videtur multò antè propheticè, hoc est, terminis nonnihil obscuris (qui tamen re peractâ clarè applicari possint mysterio) Propheta Iob c. 10. vbi sic Dominũ Baptistæ voce alloquitur: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu; & sic repentè præcipitas me?* Verba Iob mysterio huic applicata. *Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, & in puluerem reduces me. Nónne sicut lac mulsisti me, & sicut caseum me coagulasti? Pelle & carnibus vestisti me, ossibus & neruis compegisti me. Vitam & misericordiam tribuisti mihi, visitatio tua custodiuit spiritum meum.* Præiuit doctissimus Origines, qui ante nos hæc S. Ioanni Baptistæ applicuit. Dicit ergo puer ille magnus, antequàm sanctificatus erat: *Manus tuæ Domine fecerunt*, vel vt originale habet, *elaborauerunt me*: vix enim naturæ vllâ operâ conceptus fuit, quandoquidem vires eius in vtroq; parente defecerant. Tu ergo fecisti & elaborastime, non vtiq; leui labore, vincens naturæ impossibilitatem: *& plasmauisti me totũ in circuitu*, nihil enim in formatione mei est, quod non sit tibi singulari ratione asscribendum: *& sic repente præcipitas me?* Hoc est, (authore S. P. N. Aug. qui hæc de peccato originali intelligit) ita subito me opus tuum perdis & præcipitas in abyssum peccati originalis, in quo existere tantam ego reputo miseriam, vt satiùs ducerẽ nõ esse, quàm esse peccatorem? *Memento quæso*, inquit (deprecantium modo eadem diuersimodè inculcans) *quòd sicut lutum feceris me, & in puluerẽ reduces me?* quæ sinterrogatione acuas, eundem cum superioribus habent sensum. At deinceps metaphoricè mysterium hodiernum indicare, & pro sanctificatione suâ gratias agere incipit. *Nónne*, ait, *sicut lac mulsisti me?* S. Greg. explicat: *Mens nostra cùm per gratiã Spiritus S. ab vsu vetustæ conuersationis abstrahitur, sicut lac mulgetur.* vbi *mulgere* pro eo capere videtur, quod est pinguedinem lactis à reliquo eius liquore separare. Perinde est ergo atque si diceret Baptista: Quamuis cum reliquis Adæ filijs in massâ eadem fuerim, & peccatis cum eis subiectus; nonné citò me ab ijs separasti, *& quasi caseum me coagulasti*, hoc est, gratia me tua circumdedisti, vt solidiore quasi substan-

substãtia consisterem? deindè *pelle & carnibus vestisti me, & neruis compegisti me*. quod est ex mente sancti Gregorij, *Ne peream, virtutibus adstringendo custodis.* licet me ex carne fragili composueris, quæ prona sit ad malum; tamen me tua gratia tanquàm neruis solidis ac firmis ossibus roborauit, vt ad finem vitæ sine culpa persistam. *Vitam & misericordiam tribuisti mihi*, vel vt originale habet, *ordinasti mecum*. quod ex D. Thoma explicare possemus, quod paruulis, dum formantur in visceribus maternis, inserantur vnà cum temperamento semina quarundam virtutum, quibus illi posteà excellent. Et ita Iob, qui primario sensu de se agebat, dicit sibi vnà cum vitæ spiritu inditam fuisse inclinationem quandam naturalem ad misericordiam, quam alibi creuisse secum affirmat: *Ab infantia mea creuit mecum miseratio, & de vtero matris meæ egressa est mecum*, Sed ad S. Baptistam reuertamur, qui ait: *Vitam & misericordiam tribuisti mihi*, vel *ordinasti mecum*, vel vt septuaginta, *dispositi mecum*, quod est: non tantùm indidisti semina virtutum quarundam naturali meo temperamento, sed iam indè ab vtero materno, accelerato vsu rationis, ordinasti & disposuisti vitam meã vniuersam, & misericordiam illam magnam, quam mecũ facturus eras, indicans mihi quod eligeres me in tuum Præcursorem, proindeque docens quomodo me deberem anno ætatis tertio ad eremum conferre, quid ibi agere, quomodo vestiri, quid comedere, qua ratione prædicare, cæteraque quæ diuina tua misericordia de me disposuerat: quæ intelligens ego nimia animi lætitia exilij, agnoscens quod *visitatio tua* per matrem facta, *custodiuit spiritum meum*, eum à peccatis mundando, & in gratiâ tua virtuteque confirmando. Vides vt tantum mysterium pulcherrimè prædictum sit, & quomodo vel tum sanctificatio tota asscripta fuerit Visitationi & salutationi Virginis Deiparæ. Quod summa gratitudine agnoscens. S. Elisabetha, etiam testimonio suo confirmare voluit: *Ecce*, inquit, *vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infãs in vtero meo.* Aduertenda ex Maldonato in in hac sententiâ (præter id quod iam diximus mysterium) ea elegantia, quòd voci Ioãnes, auribus vterus opponitur; quasi dicat, verbum Dei iam in Maria conceptum, & eius ore locutum, & Ioanne in vtero adhuc incluso veluti sympathia quadam recognitum fuisse; & quasi echo, loquente Verbo, resonnisse vocem. Erat enim Christus *verbũ, quod erat in principio apud Deum*: erat Ioannes *vox clamantis in deserto*. Nihil ergo quodammodò naturaliùs, quam, verbo loquente vocem resonare. Quâ subtilitate confirmatur, quod dicebamus, exultationem S. Ioan. eiusque sanctificationem à voce Mariæ verè causatam fuisse, puerumq; per eam implerum fuisse Spiritu sancto, qui mox matrem suã impleuit. *Non priùs*, inquit S. Ambros. *mater repleta, quàm filius: sed cũ filius esset repletus Spiritu S. repleuit & matrẽ.* AMBROS. Superquo egregiè discurrit, & suauiter S. Bernar. *Fuit iam tunc*, inquit, *in vtero matris lucerna ardens & lucens, sed interim adhuc sub modio, donec super candelabrum poneretur. illo autem tempore illuminauit modium suum: soli videlicet potuit lucere matri.* At mater modium erat non opacum, sed pellucidum: vix enim filij lucem acceperat, cùm statim eam sparsit & ostendit tum prophetando, tum vel maximè fidei & humilitatis exercitatione, harum enim virtutum ista vox est: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Verba fide eâdem, & maiori etiam submissione, si fieri posset, à Christiano quolibet iteranda. Quando tantam videt Saluatoris sui dignationem, vt non grauetur eum sub speciebus sacramentalibus visitare; quis non obstupefactus exclamet: *Vnde hoc mihi*, creaturæ abiectissimæ, Vt Creator meus veniat ad me? *vnde hoc mihi*, ægroto miserrimo, vt tantus Medicus veniat ad me? *vnde hoc mihi*, captiuo viliſſimo, vt redemptor meus veniat ad me? *vnde hoc mihi*, sponsæ immerenti, vt sponsus meus, posit toties violatam illi à me fidem, veniat ad me? *vnde hoc* deniq; *mihi*, quod Deus meus veniat ad me? Hanc tenerrimæ & humillimæ pietatis exercitationem docet hodie S. Elisabetha tam æquâ admira-

Exercitatio pia pro ijs qui mensæ Eucharisticæ accumbũt.

tione æstimans visitationis beneficium atque exclamans, *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Vtriusque humilitatẽ considerans Ven. Beda, ait: *Quia per temeritatem seductæ mulieris mors in mundum intrauit, congruũ fuerat vt sub initium vitæ reuertentis seductæ mulieres, humilitatis ac pietatis inuicem præuenirent obsequijs.* Bonum ergo signum erat in hemisphærio nostro horum duorum Syderum occursus: indicabatque vtriusque ad humilitatem inclinatio, iam adesse superbiæ veteris remedium, & salutem magnam orituram nobis, quando hæc præcedens aurora ita blande sub humilitatis obscuritate micabat. Contrà verò signũ est instantis mali & ruinæ, quãdo mortales in titulis suis superbientes, nimis ambiunt magnificas salutationes. Non est opus recensere mundi vanitates, quibus si vel apicẽ quis etiam per obliuionem aut ignorantiam abstulerit, heu quanta minarum tonitura, quot irarum coruscationes, quot fulmina sæpè duellorum! timendum profectò ne nubes ista vanitatis, tot grauida malis, quæ tam facilè erumpunt, aliquando disrumpatur, totaque in fumum & aërem euanescat. Non docent Christianos istam superbiam hæ fidei & humilitatis magistræ, quarum dignissima prior salutat; alterâ non fucatâ humiliatione aut ceremoniâ, sed intimo humilitatis affectu stupens exclamat: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?*

Beda.

CAPVT VIII.

Magna in domo Zachariæ fuit lætitia ob S. Ioannis Baptistæ liberationẽ à peccato, ita vt videãtur institutæ fuisse solemnes choreæ.

QVi sub polari frigore continuas sex mensium viuunt tenebras, vbi solare lumen se supra hemisphærium eorum efferre, faciemque suam ostendere incipit, toti in gaudiũ effusi miris gestiunt lætitijs: tunc scilicet cantus, tunc choreæ totâ eâregione personant: tunc voce, fide, carmine illuminatorem suum consalutant. Simile quid mihi factum videtur hodiernâ die in domo Zachariæ, in quâ sex mensium plus quàm cymmeriæ tenebræ exisserant, iam indè à conceptione infantis, qui iacebat peccati originalis & ignorantiæ tenebris miserè inuolutus. Hinc mutus & tristis incedebat parens: mater, licèt conceptâ prole vtcumque læta, nondum consolationis cumulum acceperat: infans omnium miserrime sub peccati sarcinâ gemebat. At hodie appropinquante iustitiæ Sole, qui contentus animato illo cælo virginei corporis, iam se domui Zachariæ inferebat; omnes incolæ eius insolita edunt lætitiæ signa, & publicè ducunt choreas, & carmina dicũt. Choreas, inquam, institutas in domo hâc nobili & sanctâ videre mihi videor. nam si ad eas conuenire solent matronæ illustres, quid Mariâ & Elisabethâ nobilius? Si admittantur personati, qui subfalsâ specie veram augeant lætitiam, nónne hîc Verbi diuini maiestas carnis contecta velamine? nónne Baptista, rationis particeps, infantilibus absconditus mẽbris eam præbent recreationem? Iam, si choreæ fidium & instrumentorum ducuntur modulamine; hæ non incedunt nisi ad numeros harpæ istius Spiritus sancti, Mariæ dico Virginis. Deinde sepenumerò vocis alicuius iucũda suauitas interrumpit gratâ interpolatione fidium concentũ: habes verò hic cantatrices nobilissimas carmina sua alternis canentes tanta suauitate, vt dubitẽ an cœlesti musicâ Angelorum quisquis eas superarit. hinc enim Elisabeth panegyrico carmine, *Benedicta*, inquit, *tu inter mulieres*: (quo Gabriel Archangelus, cùm diu meditatus esset, nihil inuenerat melius, vt cœlestem suâ exornaret legationem:) indè verò altiore tono incipiẽs Maria, *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum*, cantico tam excellenti, vt penè dubitẽ an non sit illud ipsum, quod à virginibus in cælo Agnũ sequentibus concinnitur. sensus enim habet tam absconditos, tam profunda myste-

Chorearum apparatus in domo Zachariæ.

mysteria; indicatque animi quandam gratitudinem tam singularem; vt nemo videatur intelligere posse, nisi qui similia percepit: quo in genere cùm Virginem virginum proximè sequantur virgines, puto quod qer cæli atria incedunt succinentes, *Fecit mihi magna qui potens est.* ipsæ enim sciunt quàm potenti brachio sint tot castitatis periculis ereptæ. Sed ad choreas nostras redeamus, in quibus exultantes & tripudiantes nō desunt. Chorum ducere videturis, cuius causâ festiuitas præcipuè est instituta, Ioannes Baptista, qui bis notatur in Euangelio saltum incepisse. Prius narrat Euangelista: *Vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero.* & posteà mater testatur: *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Sequitur ipsamet Virgo Deipara festiuo & eleganti cordis tripudio. nam de se fatetur: *Exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Nec dedignatur se miscere choreæ personatus carne nostrâ infans Deus: *Ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum,* vel (vt Philo Hebræus legit) *choreas ducens in orbe terrarum.*

Hæc erat totis ijs ædibus lætitia, visitāte eas hodiernâ die Virgine Deiparâ, & inferente se Sole, quem corporeâ nube circumdederat, per quam ille sic emittebat radios diuinitatis suæ, vt Ioannē primùm, deindè matrem Ioannis mirè illuminaret. Sed præcipuus tamen fructus lætitiæ ad Præcursorem pertinebat: ideò gaudij eius singularis in Euangelio fit mentio. ipse namque Christum præcessurus, hic per Christum seipsum anteiuit. *Quid dicam?* inquit serm. 91. D. Chrysologus: *Ioannes antequàm Christum præcederet, se præcessit.* Magnâ opus erat celeritate Ioanni Baptistæ vt præcederet illum, qui exultabat *vt gigas ad currendam viam.* itaque non solùm præceptum Apostolorum obseruandum erat, ne quem in via salutaret, ac dulcibus hominum fabulationibus se distineret; sed ne quidem inter naturæ necessitates & leges morari debebat, sed, antequàm natura vellet aut valeret, infantiæ fascijs exsilire, *Naturâ ipsâ celerior.* euam inscriptionem meliùs nos Baptistæ dabimus, quàm aliqui perdicis pullo asscripserunt, eò quod auicula ista non exspectet donec sibi putamen oui rumpatur, (prout aues ceteræ,) sedmoræ impatiens illud sibi rumpat, secumque trahens progrediatur. Verum Baptistæ symbolum: qui infantilia trahens membra & fascijs infantiæ inuolutus, iam caput extulerat, rationisque luce perfectâ fruebatur; imò triennis in eremum proreptabat, aggrediens opera perfectorum virorum infans, neque respiciens quàm tardè corpus adolesceret, sed considerans quàm sibi celeriter incedendum foret, vt dignè posset Saluatorem suum præcedere. Hæc præcox maturitas Ioanni non aliter contigit, quàm naturaliter contingere solet fructibus quibusdam præcocitas. Si enim vel arte, vel situ loci solares radij ad fructus aliquos ita deriuentur, vt plus illi fotiui caloris quàm cæteri accipiant; sine dubio ante ceteros maturescent. iam verò diximus iustitiæ solem domum Zachariæ intrauisse, ac Ioanni fuisse vicinissimum: quid mirarisi obscuratio eius & tenebræ infantibus ignorantiæ sint vt Lucifer matutinus, quòd pænè embryonica eius immaturitas vertatur in virilem perfectionem, cùm canere possit cum Dauide Psalm. 70. *In te confirmatus sum ex vtero, de ventre matris meæ tu es protector meus, in te cantatio mea semper.*

Vt Saluatorem præcedat Ioannes, seipsum præcedit.

Chrysol.

CAPVT IX.

Per visitationem B. Mariæ Virginis, Iustitia & Pax conciliatæ sunt.

SI quis Visitationis historiam, quâ par est attentione, velit considerare; impletum inueniet quod Psalmista præcinebat: *Verumtamen propè timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet* Psalm. 48.

bitet gloria in terra nostra. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Toto hoc Psalmo agere mihi videtur de hodierno mysterio; sed his verbis claré prædicit: Hodie lex vetus (quæ lex erat veritatis & iustitiæ) cum lege gratiæ (hoc est, pacis & misericordiæ) conuenit, se inuicem salutant & amplectuntur, & cum summâ concordiâ se inuicem exosculatæ, mutuis certant obsequijs. De re nemo dubitare potest, qui tantum personas visitantes cognoscit. hinc enim mutus senex, vetula effœta & grauida, infans peccatis subiectus, clarè satis veterem Legem (cum inanibus & effœtis ceremonijs parturientem semper, sed nihil ad perfectum adducentem, neque peccatis suis liberantem quemquam) adumbrant: indè verò sponsus virgo (nam & eum adfuisse putamus) virgunculæ grauidæ, puer Deus, cælestibus donis & gratiis efflorescentem legem nouam non tantùm figurant, sed etiam instituunt, & magnâ ex parte constituunt. Hæ duæ igitur leges, ne quid inimicitiarum esset, se modò deosculantur & salutant: pax & misericordia iustitiæ & veritati, quæ olim dominabatur, occurrit, eâque ratione inter se paciscuntur: quod *terra nostra dabit fructum suum*, & germinabit Saluatorem, & quod iustitia per fructum legis suæ nobilissimum (qui est Baptista) *ante eum ambulabit, & ponet in via gressus suos*, prædicans pœnitentiam in præparationem Euangelij pacis. Ea ratione facta est pax, quæ non videbatur aliàs facilè concilianda. Difficile enim erat triumphantem cum lege suâ iustitiam possessione deijcere, & gratiam misericordiamque substituere; nisi opus acceleraſſet Maria, ac summa cum festinatione perrexisset ad Iudeæ montana, tantâ humilitate sese submittens, tantâque gratiarum liberalitate sibi beneuolentiam concilians, vt caperetur, præter opinionem suam, iustitia, &, quæ personam eius repræsentabat, Elisabetha stupens exclamaret: *vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* itaque vltrò dat manus, tota in laudes tam prudentis ac potentis caduceatricis effusa.

Quod Iacobo cum Angelo totâ nocte luctanti euenit, vt hic subitò exclamaret, *Dimitte me, iam enim ascendit aurora*, statimque se proriperet; idem contigisse videtur iustitiæ cum misericordiâ, totâ legis antiquæ nocte, luctanti. Vt enim vidit auroram nostram, Virginem Mariam, per Iudeæ montana ascendentem; ipsa acceptâ in alumnis suis benedictione recessit, apertum relinquens campum gratiæ & misericordiæ. Viderant hunc sponsæ per montana ascensum, victoriamque, quam narraui, præuiderant paranymphæ in Canticis 6. cap. dicentes: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Quo in loco mirum esset, cum rebus tam placidis & gratis atque est Aurora, Sol, & Luna, coniungi castrorum aciem ordinatam, quâ nihil terribiliùs; nisi quod dixi, tangeretur mysterium. Cùm enim tot annorum millibus certatum esset inter misericordiam & iustitiam infestissimis animis & armis, nec machinis vllis misericordia potuisset obtinere victoriam; nónne congruum est dicere, Auroram istam (ad cuius aspectum subitò cedat iustitia, quia solem suum adfert) fuisse instar aciei castrorum benè ordinatæ? Hunc ergo progressum mirantur puellæ nuptiales, & decantant Sponsæ victoriam non violentis armis, sed solâ ostentatione lucis solaris reportatam. sed vim lucis istius clariùs indicat, quæ eam sentiebat, Elisabetha, dicens: *Ecce enim vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Tunè venis Maria, vt iustitiam cum misericordiâ concilies? Tu es fecialis pacis huius? non opus est tibi oratione longâ aut artificiosâ. tam enim potenter radios solis istius, quem nube corporeâ tegis, eiacularis; vt non possit iustitia ad aspectum eius consistere. ecce enim ad primam vocem tuam, locum suum deseruit fortissimum, & ab ipsis peccati originalis castris recessit: *exultauit* enim *infans in vtero meo*, in signum quòd iam locum illum, in quo iustitiæ mandato constrictus iacebat vinculo peccatorum, intra-

Gen. 32.

uerit

uerit misericordia, vinculisque eum expedierit : neque inuita cessit tibi iustitia, sed pacis osculum, quod ad me attulisti, reddens filio meo, nihil aliud in mandatis reliquit, quàm vt prædicando pœnitentiam, efficiat vt iustitia ante eum ambulet, ponatque in via gressus suos.

CAPVT X.

In verba, *Exclamauit voce magnâ, & dixit: Benedicta tu inter mulieres.*

VELVTI auroram progressam fuisse per montana Virginem Deiparam superiore capite diximus: & modò id confirmat canora hæc S. Elisabethæ, aut potiùs S. Ioannis Baptistæ, vox. Quemadmodum enim volucres cæli, quantumuis canoræ, nocte silent, veniente verò aurorâ vocem soluunt in laudem sui Creatoris, testante id per exhortationem Prophetâ; *Benedicite omnes volucres cæli Domino:* ita S. Ioannes, quamuis totus vox esset, tamen sex mensibus siluit, quòd in densa peccatorum & noctis antiquæ nocte delitescceret. At Mariâ, hoc est, aurorâ verâ, appropinquante, statim caput erigit, & per maternum os canere incipit. Ioannis enim potiùs vocem hanc esse, quàm Elisabethæ, testatur S. P. N. Augustinus lib. 3. de mirab. S. Script. cap. 3. dicens : *Ioannes adhuc in matris vtero manens, priusquàm nasceretur, cùm Mariæ matris Domini introitum in domum præsentit, per os matris Elisabeth de nascituro Christo Domino ex ea prophetauit.* Et hæc est vox illa magna; verè magna, nã Ang. prædixerat: *Erit enim magnus corã Domino.* Nõ poterat ergo voce paruâ loqui Elisabeth, quæ loquebatur voce istâ clamante semper: Ioannes enim non erat vox loquens aut susurrans, sed vox magna & clamans. Quamquàm ne quidem opus est eo mysterio, vt vel locutio Scripturæ defendatur, vel nihil contra decorum egisse probetur modestissima illa matrona, quando *voce magnâ* exclamauit, licet namque etiam submissè locuta fuisset, tamen optimè narratio dicens *exclamauit voce magnâ*, rei nouitatem magnitudinemque significaret. ita ex vsu Latinæ linguæ dicimus, *Non est in quo vehementer exclames*, quando significare volumus rem non esse, quæ sui vel nouitate, vel præstantiâ admirationem mereatur. Exclamasse ergo voce magnâ S. Elisabetham, significare potest, cum vehementi affectu lætitiæ atque admirationis dixisse. quamquàm quomodo celare potuisset istum affectum, & non eum vocis intentione prodere; cùm ideò modus loquendi, de quo antè dicebam, obtinuerit, quia naturaliter ad insolitos istos affectus sequitur exclamatio. Neque indecorum erat in talibus circumstantijs, prælætitiâ atque admiratione, *magnâ voce* exclamare; præsertim cùm laudaret & benediceret Virginem Deiparam, cuius laudes neque timidâ, neque submissâ voce debent deprædicari; etiam aliâ muliere id docente, quæ Luc. 11. exurgens de turbâ, dixit : *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*, alta voce matrem præsentis Saluatoris dilaudans, quòd sciret laudes eius in Filium redundare.

S. Ioannes erat vox magna & clamans.

S. AVGVST.

Quid autem dixit plena spiritu sancto de Virgine Deiparâ Elisabeth? profectò non mediocris laus erit, ad quam pronuntiandam purgari à peccato debebat in vtero filius, & mater Spiritu Sancto repleri. *Benedicta*, inquit, *tu inter mulieres.* Non sunt cursim transeunda verba, plura mysteria quàm apices continentia. Atque inprimis si sententiam aspicies, eadem est quam Angelus protulerat : tum vt sciatur ab eodem spiritu impulsa Elisabeth, à quo fuerat Angelus instructus; deindè vt magis laus Virginis confirmetur, cùm *in ore duorum vel trium stet omne verbum*; vel denique, vt S. Ambrosius ad hunc locum dicit, *eâdem voce Maria ab Angelo & ab Elisabeth benedicta dicitur, vt Angelis & hominibus simul veneranda monstretur, quia scilicet vtriusque benedictionem attulit.* Quid autem cecinerunt

S. AMBR.

duo

duo hi Cherubini, Angelus & Elisabeth, ante mysticam arcam assistentes, conuersis ad inuicem faciebus, alternatim clamantes? *Sancta, Sancta,* vel, *benedicta, benedicta. Benedicta,* inquit, *tu inter mulieres. Non est malitia super malitiam mulieris,* ait Sapiens Ecclesiast. Qui locus multorum stylum acuit contra sexum muliebrem, & omne genus vitiorum, per Alphabethi litteras deducentes, ei impingunt. atque ideò, quia tam rarum est inter mulieres quādam reperiri benedictam, appositum est emphaticum illud, *Tu,* quod exclusiuum videtur, omnium aliarum, tanquàm si diceret: Tu sola inter mulieres benedicta, vel, Tu illa, quæ benedicta es inter sexum muliebrem, per quam scilicet & ille rediturus est ad benedictionem maiorem, quàm acceperat in prima sua creatione. Iam particula, *inter,* quæ sequitur, ab Angelo explicabatur per *in.* Inuenio autem similia in figurâ dicta esse quibusdam figuris Virginis. nam Iudithæ dicit Ozias princeps populi: *Benedicta tu filia à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram.* Iudicum 5. dicitur: *Benedicta inter mulieres Iahel;* & Esther 2. dicitur, quod Esther habuit gratiam & misericordiam coram eo super omnes mulieres, & quod dilexit eam Assuerus plusquàm omnes. Ex quibus loquendi modis, cùm omnes dicti sint in figura de Virgine Deiparâ, explicare licet hanc particulam, omnes istas coniungendo: quòd scilicet Maria benedicta sit in mulieribus, præ mulieribus, inter mulieres, & super omnes mulieres. *In mulieribus,* quia sola habuit quidquid boni fuit in omnibus. *Præ mulieribus,* quia eadem illa habuit excellentiùs quàm omnes. *Inter mulieres,* quia maledictionis expers fuit, quam omnes in Eua acceperunt. *Super omnes mulieres,* quia collectis in vnum omnibus mulierum benedictionibus, vix quidquam boni constituent respectu benedictionum Mariæ.

Luc. 1.

Eccles. 25.

Iudith. 13.

Beata Virgo omnem habuit mulierum statum.

Quæ vt breuissimè probemus, notandum triplicem esse statum bonum in mulieribus, coniugalem, vidualem, & virginalem. Virginalem habuit Maria antè desponsationem: post eam, coniugalem: at vidualem, post Filij mortem. & ideò ei dicitur: *In Iacob inhabita,* hoc est, in coniugatis, qui sunt in lucta, quia tribulationem carnis habent huiusmodi, 1. Cor. 7. *In Israël hæreditare,* hoc est, in viduis, quæ enim vidua est, cogitat quæ Domini sunt, 1. Cor. 7. *Et in electis meis,* hoc est, in virginibus, *mitte radices.* Itaque vniuersa habuit bona, quæ sunt in mulieribus. Vide autem quàm ea habuerit præ ceteris mulieribus cumulata: nam virgo fuit perpetua, & tamen non infœcunda: coniux fuit & mater, sed viro suo intacta: vidua fuit, sed post Filij mortem, S. Ioannis plusquàm coniugali sollicitudini commendata. Rursùm inter mulieres hæc sola est benedicta, quia nulla maledictionis expers quàm illa. Ceteris enim, si virgines sint, manet opprobrium sterilitatis: si matres, perditur decor castitatis, præterquàm quod multiplicentur ærumnæ in partus dolore, in molestia nutritionis, & sexcentis alijs miserijs, quibus omnibus fuit Maria absoluta. *Super omnes mulieres benedicta* est, eò quod collectis omnium virginum & matrum priuilegijs & benedictionibus, tandem nullam inuenies, quæ dici possit, aut fuerit mater Dei. Quæ vnica benedictio, fons est & scaturigo tot benedictionum, vt omnes aliarum diuitiæ paupertas, omnis abundantia penuria dici debeat harum comparatione.

Pergit in encomio suo S. Elisabeth: *Et benedictus fructus ventri tui.* Non dixerat hoc Angelus: quia fructus ille tunc adhuc erat id flore. Elisabeth ergo suppleuit, quæ iam animaduerterat fontem, vnde omnia ista bona in se, domumque suam redundabant. itaque, tanquàm si per riuulum eum quæreret & inueniret, priùs Matri, deindè Filio benedicit: & quàm piè doctéque benedicit! piè, ad fouendos affectus nostros, excitandumque appetitum erga fructum tam benedictum; doctè, ad refutandos multos hæreticos, qui etiamnum à pomo Adam palatum habentes nimis corruptum, non rectè de fructu hoc iudicarunt. Nam in primis dicendo, *Benedictus fructus ventri,* contra Valentinianum virginitatem matris post

Verbis S. Elisabethę plurimæ hæreseos refutantur.

post conceptionem & partum subindicauit: quia sicut ex arbore absque eius læsione, imò cum maiori eius decore fructus erumpit; sic Christus Dominus instar fructus arboris ex Virgine matre absque vllâ virginei clausstri violatione prodijt. Sed magis apertè refellit, Cerdonis Marcionisque insanias, impudentissimè delirantium corpus Saluatoris non esse nisi apparens & phantasticum corpus, & non humanum. nam sic ex verbis hisce eos licet clarè redarguere: Fructus omnis est consubstantialis plantæ, cuius est fructus: si ergo Christus, vt hîc asseuerat S. Elisabeth, est fructus virginis Mariæ; debuit ille veram hominis naturam induisse, & matri fuisse similis in substantia. Omitto alios, qui cælestis materiæ aiebant esse corpus Dominicum, cùm fructus ventris Mariæ necessariò ab eâ sanguinem & carnem assumpserit. Sed magis lubet piè verborum veritatem contemplari, quàm indè subtiliter falsitatem hæreticorũ redarguere.

Fructûs virginalis variæ proprietates.

Benedictus, inquit, *fructus ventris tui.* Vide qualis sit fructus ille, vt intelligas quàm verè sit benedictus. Fructus ille, (ait Richardus, à S. Lauren.) miri est odoris, optimi coloris, & viuifici vigoris: odore alliciens, sapore reficiens, colore iucundans, vigore corroborans: tactu lenis, aspectu delectabilis, gustu suauis, durabilitate perennis: hunc appetit esuriens sine tormento, manducat sine fastidio, ipso satiatur sine superfluo, per eum sanatur sine reciduo. Fructus optimus & sapidissimus, suauissimus & iucundissimus, omne delectamentum in se habens, & omnis saporis suauitatem, his tamen qui gustauerunt quoniam suauis est Dominus. Sapit quidem pro diuersitate gustantium; alijs manna, propter dulcedinem; alijs fauum propter contemplationem; alijs butyrum, propter deuotionis pinguetudinẽ; alijs panem, propter fortitudinem; alijs vinum, propter compunctionem; alijs oleum, propter consolationem; alijs lac, propter humanitatem; alijs mel, propter dulcedinitatem; alijs lignum vitæ, propter æternitatem: est enim fructus ligni vitæ, hoc est, Mariæ, qui creuit in vteri virginalis paradiso, de quo qui dignè comederit, mortem non gustabit in æternum. Verè *benedictus fructus*, & in quo nos viuificamur & benedicimur. sicut enim fructum mortiferum Eua viro suo porrexit, quo illum & nos infecit: ita Maria vitalem fructum mundo intulit, quo vescentes à veneno isto purgamur & viuificamur. Ad benedictum fructum hunc anhelemus, rogemusque Virginem, vt benedictum fructum ventris sui nobis in hoc exilio præbeat; & inueniemus in eo, quod Eua in fructu suo maledicto quærebat, nec inueniebat. quærebat enim quod serpens promiserat, *Eritis sicut dij scientes bonum & malum*; & comparata est iumentis insipientibus, & similis facta est illis: nos autem vescentes fructu ventris Mariæ, transformamur in Christum, & facti consortes diuinæ & humanæ eius naturæ, cum ipso benedictionem paternam & hæreditatem æternam accipiemus. Quærebat prætereà voluptatem in fructu suo Eua, quem videbat esse bonum ad vescendum, & gustui suauem; sed inuenit dolorem & confusionem, sensitque nouissima eius amara quasi absynthium: in hoc fructu inueniemus saporem mannæ, omne delectamentum in se habentis. Concludam cum Andreæ Ierosolymitani Episcopi oratione, qui superiora innuit & amplificat hoc modo: *Benedictus fructus ventris tui, Fructus, quem comedens Adam protoplastus euomuit veterem illam deuorationem, quâ deceptionis escam sumpserat. Fructus, vnde ceu ex fonte defluit amarulentæ ligni deguſtationis quædam condulcoratio, humanam purgans naturam: qui fontes fluminum instar erranti in deserto Israëli è petrâ elicuit, & aquas amaras in Mariâ dulces reddidit; panem insuper pluit, nouum alimenti genus. Benedictus fructus, qui steriles & amaras aquas per Elisæum potabiles & fœcundas salis insperſione effecit. Benedictus fructus, ille qui ex incorrupto virginalis vteri surculo, veluti perfectus mirabiliter matureſcens botrus enatus est. Benedictus fructus, ex quo fontes scaturiunt aquæ in vitam salientis æternam: fructus, ex quo vitalis ille panis, corpus inquam Dominicum, producitur, & immortalitatis calix salutaris potio exhibetur,*

hibetur. Benedictus fructus, quem sanctũ omnis lingua celebrat cælestium & infernorum.

CAPVT XI.

Et ait Maria: *Magnificat anima mea Dominũ*, &c. Cantici istius præstantia, & interpretatio.

QVi vel solos titulos recolere velit, quo canticum, quod modò intonat Virgo, decoratur; facilè secum statuet, nihil vnquàm suauius, nihil significantius, nihil diuinum magis exstare in omnibus Poëtarum carminibus, in Sybillarum oraculis, aut in Canticis Scripturarum. Vocatur enim à quibusdam *Virgineum epithalamium*, ab alijs *Carmen triumphale Mariæ*, ab alijs *Compendium diuinorum Sacramentorum*, ab alijs *Euangelica doctrina Mariæ*, *Vaticinium virginale* ab Origine, à Cancellario Parisiensi *Psalterium decachordum*, à Canisio *Primus noui testamenti hymnus*, ab alijs *Insignis & memorabilis Virginis concentus*, *Carmen Sanctissimum & diuinum encomij Mariæ*, *Catholica & humilis professio Mariæ*, *Catechismus perfectorum*, *Marianacythara perfectissimè temperata*: denique ab omnibus tot epithetis decoratur, vt facilè sit librum conscribere ex solis Cantici huius laudibus. quæ omnia indicant Sanctos omnes & Doctores Ecclesiæ tanta in eo reperisse mysteria, vt libris perfectissimis præferri, & diuinis oraculis omnibus adæquari possit breue hoc Mariæ verbum, quo ostendit quàm neruosè loqui posset, quæ ferè perpetuum obseruabat silentium. Pulchrè & floridè quam continet materiam, assignat sæculi nostri lumen & Sanctorum augmentum S. Thomas à Villanouâ in serm. de Visitatione B. Mariæ Virginis: Res ipsa, inquit, quæ concinitur, altissima est, & cui omnis laus nequeat adæquari. non modò insignes Principum victorias, non acies hostium leuiter profligatas, non currus Pharaonis ponto submersos, non sicco per vndas vestigio transeuntem populum Virgo commemorat; grandiùs hæc personat fœmina, mysteria magna canit, ineffabilia dona recenset, pro Filio non Prophetâ solùm, sed Deo Prophetarum, Domino gratias refert: & quia (mirabile dictu) suum & omnium genuit Conditorem, quia diuinam vtero progeniem gestat, quia diuinum verbum ventre recondit; Numini carmen pangit, viscera diuinæ pietatis extollit: deiectos superos, inferosque euectos, diuites exclusos, pauperesq; ditatos, potentiam magnã nimis, inæstimabile pondus amoris, mundi reparationem, diaboli deiectionẽ, peccati euersionem potenti sermone describit.

Mirentur alij inclusam nuci Iliadem: ego profectò tot decem versibus inclusa mysteria nunquàm non demirabor. Quis enim diuina attributa, laudesque magnificentiùs commendauit, quàm eas decem hisce versibus Virgo Deipara expositit? Vis audire supremam Dei potestatem, atque absolutissimum iure creationis in omnia dominium? illud magnificè initio proponit, vocans eum per antonomasiam Dominum: *Magnificat anima mea Dominum.* Delectat magis ineffabile redemptionis mundi mysterium? *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Viscera misericordiæ, per quæ miserias nostras aspicit, & aspiciendo aufert, tertio versu canit: *Quia respexit humilitatem ancillæ.* Operum diuinorum stupendam magnitudinem extollit quarto: *Quia fecit mihi magna qui potens est.* Perge, & quinto inuenies iam esse tempus diuinæ misericordiæ, quam superasse diximus iustitiam diuinam: *Et misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum.* Non tamen deseruit suam iustitia diuina rectitudinem, eosque, qui nimiùm attolluntur, deijcit. audi: *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Brachium illud diuinæ potentiæ metitur in septimo: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Octauo misericordiam erga iustos, iustitiam erga peccatores recensetit: *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes.* Deindè prophetias, oracula, figuras, signa, vaticinia de susceptione carnis à Verbo, Laconicè tangit: *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Ac tandem fidelitatem Dei commendat, qui promissa sua omnia adimpleuerit:

Canticum Marianum tangit præcipua Dei attributa.

impleuerit: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in sæcula.*

Canticum Marianum tangit fines omnibus Canticis propositos.

Quod si examinare quis velit Cantica Scripturarum, & quem ad finem singula celebrata fuerint inuestigare, reperiet omnes omnium scopos hoc vnico suo Cantico Virginem attigisse. Nam si illa tractant de gratiarum actione, vt Numer. 21. hoc agit verbis, *Magnificat anima mea Dominum.* Si de amore inter sponsum & sponsam, vt Salomon in Canticis; dilecto suo congaudet, dicens; *Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* Si componuntur propter liberationem ab ingruente malo, vt fecit Ezechias liberatus à morte; tangit præseruationem à multiplici humanâ miseriâ, cui se videbat in humilitate suâ aliàs subijciendam: *Respexit humilitatem ancillæ suæ, ecce ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Si propter munera accepta, vt Annæ 1. Reg. 2. quid aliud significat, *Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Rursùm ad instruendos ignorantes canebat Moyses Deuteron. 32. *Audite cæli quæ loquor &c.* & Maria carmen hoc: *Misericordia eius à progenie in progenies timentibus eum*, numquid ad pusilanimes instruendos direxit? Debbora propter partam ab hostibus victoriam Iudic. 5. cecinit: & tympanistria nostra Christi victorias pleno ore decantat; *Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui.* Soror Moysis oppressionem inimicorum admirabilem faciebat sibi Cantici materiam: quid autem Maria facit aliud, quando dicit, *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles*? Dauid bonitatem & misericordiam Dei assumit, laudum eius incitamentum; *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia eius*: quid Virgo? nónne magnificentiæ & misericordiæ hoc est, *Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes*? Baptistæ pater, propter reuelationem factam sibi diuinorum mysteriorum, erumpit in Canticum, *Benedictus Dominus Deus Israël, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ*: Maria autem ob eandem causam ait: *Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ.* Denique Simeon ob adimpletam sibi promissionem diuinam, cygneâ voce modulatur: *Nunc dimittis seruum tuum &c.* Maria autem generaliter omnes promissiones eius adimpletas canit: *Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in sæcula.* Quod si libeat per omnia omninò Scripturæ Cantica discurrere, omnium materiam reperies hoc Canticorum Cantico contineri. Nec mirum est hoc præstare omnibus, quod Christus intus dictat, Maria foris cantat. Dixerim ego hanc vocem esse, quam emittit exultabundus Dei Filius, videns se iam hominem factum, & adimpletum vehemens illud desiderium, quo flagrauerat ab æterno. Dixerim hoc esse Canticum sponsæ, tam castis & tam honorificijs nuptijs desponsatæ. Dixerim esse iubilum Mariæ lætabundæ, quod tam inexspectatâ & insperatâ dignitate Matris Dei sit aucta. quòd enim hactenus tacuerit, non ingratitudinis fuit, sed ecstasis vehementis propter mysterium, quod licèt eam non eripiebat sibi, omnibus tamen alijs actionibus abripiebat, donec ordinata charitas & Filij zelus eam fecit ad cognatam tendere: vbi occasione propalati iam diuinitùs mysterij, ipsa putauit non amplius esse conticescendum, sed publicè gratias agendas pro beneficio iam publicato. Hoc Canticum audire voluisset sapientissimus mortalium, qui cùm nemini cederet, hinc tamen volebat discere: ideò excitat Virginem ad cantandum Cant. 8. *Quæ habitas in hortis* (ea est Maria, quæ ipsa est paradisus voluptatis) *amici*, hoc est, Christus & Ioannes, Elisabeth & Iosephus, *auscultant te, fac me audire vocem tuam.* imò auscultant te Angeli, & tota cælestis & Ecclesiastica Hierarchia attenta est, fac audire vocem tuam, Maria, *vox enim tua dulcis.* adeoque dulcedine istâ recreata est Ecclesia, vt quotidie repetat Canticum illud, tanquàm omnium laudum diuinarum compendiũ. Faxit Deus, vti sic voce hâc suauissimâ recreemur, vt Syrenûm ad voluptates illicitas trahentium cantilenas fastidiamus, & mente purâ hîc cantemus cum Virgine Canticum illud continuaturi in sæcula.

TRACTATVS VI.

DE EXSPECTATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

Missus est Gabriel Angelus à Deo in ciuitatem Galilææ cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro &c.

PROŒMIVM.

NIHIL *in rerum naturâ tã sacrum est, quod sacrilegium non inueniat. Sed non ideò diuina minùs in sublimi sunt, si existunt, qui magnitudinem, multum vltrà se positam, non icturi petant. nihil tam purum & castum, quod non blasphemâ suâ voce hæretici conspurcare conentur. Sed putasnè tu, cùm stolidus quispiam Solem conspuere, & vilissimis excrementis oris sui contaminare conatur, vllas sordes ad nitorem illum pertingere? profectò nihil aliud proficiet quisquis eò insaniæ peruenerit, quàm vt sordibus, innoxio sole, decidentibus ipse faciem conspurcetur, sibiq; turpitudinem illam aspergat, quâ splendorem istum inficere conabatur. Infelicia huiusce rei exempla sunt quotquot vnquàm exstiterunt hæretici, semper, nescio quâ rabie, in Deum diuinaque blasphemi: inter quos primi, qui virginalem B. Mariæ Virginis candorem impetiuerunt, Carpocrates & Cerinthus fuerunt ipsis Apostolorum temporibus, vt S. Irenæus, S. Epiphanius, & Tertullianus referunt. Temperabat hunc errorem, vt cum ratione videretur insanire, ac sub specie quadam Sanctitatis impius esse, Iouinianus: dicebatque conceptum quidem felici isti Matri obtigisse citrà pudoris aut virginitatis detrimentum, partum verò non. At qui (vt testatur S. Augustinus lib. de hæresib. cap. 82.) iugulauerat quidem errores istos S. Hieronymus, iugulatosque vnà cum authoribus sepeliuerat: sed, hominum peruicaciam! excitauerunt illum ab inferis Pelagius & Elludius, bina Galliæ Iothicæ portenta, eamque indè in Hispaniam deportarunt. Aduersùm hos circà annum à purissimo Virginis partu sexagesimum supra sexcentesimum conuenerunt in decimum Toletanum Concilium Patres, Martino I. Romanam, Eugenio III. Toletanam sedem obtinentibus, tempore illo quo Recensuinthus Rex Catholicus in Hispania rerum potiebatur: atque hi nunquàm temeratam, nunquàm delibatam Virginis integritatem fuisse vno consensu pronuntiauerunt, decreueruntque in signum debellatæ hæreseos quotannis octauum ante Natiuitatem Christi diem festum haberi; vt vota & deside-*

Occasio institutæ huius Festiuitatis.

& desideria Virginis, quibus partum illum (quo non violandam sed consecrandam virginitatem sciebat) ardentissimè expetijt: cui ideò nomen vel ab aspectatione, *vel ab ipsâ interiectione O (quâ vota & desideria exprimimus) imposuerunt. Atque hoc decretum anno proximè sequenti S. Ildephonsus, qui interim Eugenio successerat, executioni mandandum curauit. Quod quàm gratum fuerit Virgini, ipsa cælitus allata ad eum casula, quâ festiuitatem redderet celebriorē, demonstrauit, quæ hodieque in Ciuitate Ouetensi asseruatur, indubitatum rei gestæ testimonium & pietatis incitamentum. Cuius festi solemnitate, quod sciam, tot iam sæculis sola Hispania gauisa fuit vsque ad annum* M. DC. XXXI. *quo placuit sanctissimo Domino nostro Breui suo nobis facultatem facere, vt Bruxellis in Belgio, dum Sodalitatem Mancipiorum B. Mariæ Virginis in templo Eremitarum D. Augustini institueremus, simul festum hoc promulgaremus, concessis ipso die plenarijs indulgentijs: atque exindè magnâ pietate ibidem quotannis celebratur festum Exspectationis partus Virginei, vti speramus, seminarium vnde eadem pietas in alias Belgÿ ciuitates traducatur.*

Desideria partus probant virginitatem Deiparæ.

Constitit itaque præcipua festi huius Solemnitas, vti nomen ipsum Exspectationis *indicat, in celebrandis votis & desiderijs B. Mariæ virginis, quibus toto quidem vitæ suæ tempore, sed maximè post Filij Dei incarnationem, ad eius natiuitatem anhelabat. Cùm enim de virginitate eam reddidisset Archangelus Gabriel securam, iam solutis omni timore ac trepidatione desideriis, ad tempus illud aspirabat, quo fœcunditate maternitatis virginitas honoraretur. In quo animaduertenda Patrum istorum prudentia, qui nullo efficaciore argumento se probaturos orbi putabant Mariæ in partu, & post illum virginitatem, quàm, si ostenderēt, & publicè colerent vota & desideria ardentissima, quibus eum expetiuit illa, quæ nihil magis horruisset quàm puritatis suæ iacturam facere. Quapropter, cùm virginitas satis per ipsa desideria Mariæ cōprobetur, authoritatem eorum secuti, qui nobis festi huius authores fuerunt, nihil hic præter desideria tractabimus, hoc ordine: Cùm desideria sint id quod paupertatem formaliter constituit; multa indè inferimus, & maximè, ea esse proprium homini peculium: quod si benè impendat, euadere possit ditissimus; si malè, paupertatem suam sibi imputet. Hinc magni faciendam artem benè impendendi desideria. Tum cap.* III. *definimus desideria esse Motum &c. Vnde iam centrum, quo moueantur, inquirimus: & id non esse diuitias, honores, aut voluptates, duobus probamus capitibus. Quinto autem capite id ostendimus esse Deum & cælestia, quæ B. Maria virgo habuit, desideriorum omnium scopum. Indè vsque ad finem magnitudinem desideriorum, quibus primum incarnationem, deindè partum Virgo Deipara expectauit, explicamus.*

CAPVT I.

Desiderare est proprium solis pauperibus. Hinc duo inferuntur paradoxa: B. Mariam Virginem rerum temporalium ditissimam, spiritualium verò pauperrimam fuisse: Discrimen inter paupertatem Spiritus, & vulgarem inopiam.

DESIDERIVM *pauperum*, ait Psalmista, *exaudiuit Dominus*: hoc est, scrutatur renes & corda, & perspicaci diuinitatis oculo peruadit atque perlustrat animæ seu inferioris seu superioris facultates, atque omnes vtriusque actus ponderat & examinat, bonorum singula momenta æstimans ad præmium, malis pœna- *Psalm. 10.*

rum ſtatuens æqualitatem. Sed cur præſertim deſideriorum curam gerit, qui nihil negligit, & cur exſertè pauperis? Magna ſemper paupertatem inter & deſideria fuit affinitas: & plerumque fit, vt vbi res nulla; vota ſint plurima: vt non tantùm egeſtate ſuâ ſed vel maximè habendi deſiderio crucientur inopes. Imò ſi Stoicos, quid Stoicos? ſi veritatem conſulamus; nullius eget, qui deſiderijs non abundat. inops nemo eſt, niſi opes in votis habeat. Cui benè cum paupertate ſua conuenit, pauper nō eſt. Adeò, non quantumquiſq; habet; ſed quantum deſit, quantum cupiat habere, conſiderandum eſt, cùm diuitiarum paupertatiſúe calculos ſubducimus. Vnde patet non reſpicere generis diſtributionem in ſpecies, copulatas haſce voces *deſiderium pauperum*; tanquam aliorum etiam, qui pauperes non ſunt, reperiantur deſideria: ſed eſſe proprij explicationem per appoſitionem ſpeciei, qui illa proprietas conuenit. Vt ſi de riſibilitate quid pares dicere, hoc modo ex cauſâ ſermonem formes: *Riſibilitas hominum oritur ex admiratione*, vnde non inferas, alibi riſibilitatem inueniri quàm in homine; ſed potiùs ita intelligas hoc affirmari, iſti reſibilitati, quæ in homine ſolo tamquàm proprietas reperitur, id conuenire, quod originem ſuam ex admiratione ſumat. Quo poſito, duo iam habemus luce clariora, quæ aliàs paradoxa videantur, non exiguam lucem præbitura reliquo diſcurſui. Primum, Virginem Mariam, ſi ea ſpectes quæ opum, diuitiarum, facultatum, aut ſimili quouis appellantur nomine, neque pauperem, neque vllius egenam fuiſſe: ſed contrà, omnia illi ex voto, & ſuprà votum abundauiſſe, ditiſſimam ac locupletiſſimam fuiſſe mortalium. Alterū, eandem illam rerum cæleſtium, gratiarumque (quarum tantâ redundabat copiâ, vt in omnes effunderet) fuiſſe pauperrimam atque egentiſſimam. Res mira, &, vt credo, antè hunc diem inaudita de Virgine. Repeto tamen, atque aio: Pecuniæ, ceterarumq; rerum, quæ tantâ auaros cruciant cupiditate, ditiſſimam fuiſſe Mariam, cæleſtium verò diuitiarum egentiſſimam. Nunquàm enim ego adduci animum meum eò ſum paſſus, vt tam humilem tamque abiectam de Virgine admitteret opinionem, quâ crederet eam pecuniæ diuitiarumque flagraſſe cupiditate, atq; ita ſemper turpiſſimè excarnificatam fuiſſe præſenti rerum iſtarum, quæ ipſi abeſſent, deſiderio; quæ res, egeſtas atque paupertas nuncupatur, pudenda ſanè atque inhoneſtiſſima. Vt enim rationes omittam; vel experientia docet nullius magis pudere homines, quàm ſi cupiuiſſe aliquid eos appareat, quod aſſequi non potuerint: hinc tam grauis videtur repulſa, vt pleriq; malint res etiam maximas deſperare, quàm illas ambiendo repulſæ ſubire periculum. Imò leuiora hoc docebunt. Si in publico conſeſſu locum, ad quem manum extenderis, altiorem experiare quàm vt attingere poſſis; totus rubore ſuffunderis. Quid erit de animo, qui pudendâ cupiditate nullius momenti reculas & fortunâ mendicans, faſtidioſè ab eâ repellitur; & auidè deſideriorum protendens manum, ne ea quidem contingere poteſt, quæ ſupra hanc noſtram humum non extolluntur? Quæ ſi de Mariâ, cogitare ſacrilegium ſit; nefas erit dicere pauperem eam fuiſſe earum rerum egeſtate, vltra quas vix deſideria ſua miſeri extendūt mortales. Sequitur ergo, abundè ſatis ſuperq; ei fuiſſe diuitiarum. Sequitur etiam, Spiritu fuiſſe pauperrimam, id eſt, rerum Spiritualium cupidiſſimam. Non enim ſi multa poſſideas, (iterùm inculco) id te diuitem facit; ſed ſi nihil deſideres. Etenim lubens ego fateor, quod tacitæ cogitationes veſtræ mihi ſæpiùs obiiciunt, nullū hominem ſanctorum, nullum Spirituum cæleſtiū tantis gratiarum prærogatiuis, tantis ſupernaturalium donorum priuilegijs à Deo locupletatum fuiſſe, quanta Virgo poſſederit. Imò augeo obiectionem veſtram, & dico, plura in vnam hanc matrem ſuam prodigâ manu conieciſſe munera, quàm in omnes ſimul beatos diſpertiuerit. Sed hoc mihi vos negare non poteſtis: vt omnia iſthæc habuerit; tamen neminem tantis flagraſſe plura poſſidendi deſideriis, neminem tam auidâ cupiditate donis cæleſtibus

Deſideriū eſt proprietas conueniēs ſolùm pauperibus.

At cæleſtium egēſtiſſima.

Beata Virgo ditiſsima fuit rerum temporalium.

leſtibus inhiaſſe, neminem tam crebris ad ea anhelaſſe ſuſpiriis, neminem petijſſe votis feruentioribus ipſâ hâc virgine, cuius mens tantum cœleſtis illius auaritiæ pandebat hiatum, vt infinitus quidam ab immenſitate Dei in hanc deſideriorum abyſſum item immenſam pateret deſpectus: qui nec eâ pauperis auaritiæ carebat conditione, quâ bona infuſa haurientis ſitim concitant, ſemperque (tanquàm ſi vtrem diſtendendo adaugeas) cupiditatem capaciorem efficiunt. Quæ cùm veriſſima paupertas ſit, iam vltrò mihi concedetis, pauperrimam ſpiritu ſeu bonorum ſpiritualium fuiſſe Mariam, quæ nunquàm contenta acquiſitis, ab ipſis muneribus cupere plura diſceret, atque inde cupiditatem augere, vnde reſtiguenda videbatur.

Quomodo ſpiritualis paupertas ab alterâ, quæ eſt rerum temporalium, diſtinguatur.

Hæc quidem cùm ita ſint, quærendum eſt iam quid inter hanc atque aliâ quamlibet opum diuitiarumque cupiditatem, quam paupertatem eſſe iam probauimus, interſit. vtraque enim infinita, vtraque inſatiabilis eſſe, vtraque nouis ſemper inhiare videtur. Vbi hoc me dicere ſufficit, quòd hæc cæleſtis atque diuina, illa vilis ſit & terrena: quòd hæc rerum iſtarum cupiditate mentem inflammet, quarum vel minimâ poſſediſſe diuinæ laudis eſt; illa verò, licet omnia aſſequatur quæ deſiderat, ne minimam quidem inter cordatos homines mereatur gloriam: quòd honeſtiſſimum ſit propter harum acquiſitionem Deo ſeruire & hominibus; per illarum verò poſſeſſionem regna acquirere & imperia, viliſſimum. Quid? quod cupiditas hic ab ipſa rerum acquiſitarum præſtantia, ſolidaque illâ voluptate, quâ mentem afficiunt, accenditur; illic verò cùm nihil ad reficiendum languidum auaritiæ animum ſaporis inſit iis quæ perceperit, ſemper ad alia atque alia concupiſcenda inflammetur, quibus ampliùs ineſſe dum ſperat, eâdem vanitate decipitur. Adde, quod in terrena paupertate, in ipſa rerum poſſeſſione mens inquieta diſcruciatur & angitur; in cœleſti verò, inter auidiſſima rei augendæ deſideria ſuauiſſimè conquieſcit: quod de hâc Deus affirmet, *Beati pauperes ſpiritu qnoniam ipſorum eſt regnum cælorum*; de illa verò homines ipſi teſtentur, miſerrimos eſſe, quibus contingit cum eâ conflictari, cùm iis tam deeſt quod habent, quàm quod non habent. Deniqúe quod de hac Scriptum ſit, *Deſiderium pauperum exaudiuit Dominus*; de illâ verò, *Deſiderium peccatorum peribit*. Cuius ſententiæ veritatem cùm maximè ſtabiliat hodierna feſtiuitas, quâ ſpem, exſpectationem, & deſideria B. Mariæ Virginis inter locupletes hos pauperes egentiſſimæ, colimus: non mirabimini, ſi nihil præter deſideria tractare deſideret oratio. nam de virginitate atque verâ Chriſti humanitate, quæ myſteria obliqúe quodammodò reſpicit hæc ſolemnitas, alibi ſuus dicendi erit locus: iam deſideria, vota, ſpes, exſpectatio, cupiditas B. Mariæ virginis tanto in cælum feruntur impetu, vt totos nos atque orationem omnem ſecum auferant. Vbi hoc inprimis noto, quàm verum ſit, non periiſſe exſpectationem & vota illius vnà cum peccatorum deſiderijs: cùm non tantùm ea Deus adimpleuerit in terris, non tantùm eorum ſingula ampliſſimis remuneratus ſit præmijs in cælis; ſed etiam voluerit perpetuâ apud poſteros ea conſeruari memoriâ, inſtitutâ hâc deſideriorum illius Feſtiuitate: quam tum demùm coluiſſe nos exiſtimabimus, quando examinatâ accuratiùs deſideriorum naturâ, quàm malè ea impendimus, quàm benè locare poſſimus; tum, quando Patres ac vniuerſa B. Mariæ virginis deſiderijs præluſerint, quàm vehementibus ipſa Virgo inflammata exarſerit, perſpexerimus.

CAP.

CAPVT II.

Definitio diuitiarum & paupertatis: hæc consistit in desiderio, quod proprium est hominis peculium. Ars illud benè impendendi.

QVÆ superiori capite Philosophati sumus de paupertate spiritus, ac rerum terrenarum indigentiâ, nouitatis suæ lenocinio ita titillarunt animum, vt curiosius indagare voluerit totius tam Sacræ quàm prophanæ philosophiæ, quæ de paupertate atque auaritiâ traditur, fundamentum: vt illi commodè & tutò inædificetur futurus de desiderijs sermo. Atque inprimis certum est hominem nudum atq; omnibus tam gratiæ quàm fortunæ donis destitutum à naturâ in hanc lucem effundi: neque continuò hanc istarum rerum carentiam paupertatẽ siue egestatem appellari. Non enim quibuscumque careo, illis statim egeo, vel eorum paupertate laborare dicẽdus sum: alioquin villicus quantumcumque araret, pauper esset semper quòd vicino careret agro; & Rex, licet Oceano fines clauderet imperij, pauper esset, quia nihil vltrà mundi fines possideret; & rursum pauper esset is, qui suo contentus viueret: quæ communi tum opinioni, tum modo loquendi repugnant. Requiritur ergo ad paupertatem, quocumq; demùm in genere eam accipias, vt adsit capacitas istius rei proxima, cuius defectu hoc alicui nomen possit competere, quæ tum est, cùm hiare istius desiderio, atque os suum aperire animus incipit. Quod ego desiderium instar voraginis alicuius imaginor, quæ tamdiu diductum excruciet animum, donec possessione rei desideratæ adimpleatur: quod vbi accidit, tum istis diuitijs acquiescit, quarum anteà inopiâ torquebatur. Est ergo egestas, siue paupertas, rei desideratæ negata possessio: diuitiæ verò, perfecta rei desideratæ possessio. Atque hinc apparet cur animalia auri, argenti, ac rerum similium, neq; paupertate laborare dicamus si absint; neq; diuitijs affluere, si illis imponãtur: quòd horũ nihil desiderent. Quo posito, clarissimè istius ratio percipitur, cur opibus nullis, nullis honoribus, nullis mundi voluptatibus mẽs vnquam acquiescere possit: hiat enim illa semper; neque externa illa, quorum ipsa tanquam boni sui conceperat desiderium, quantacumque adijciantur copiâ, experitur aduenisse: cùmilla in domum, aut arcam, non in animum recipiantur; ac perinde mentem non tangant, neque hiatum eius expleant, sed tantùm membra quâdam titillent suauitate, cuius illa gustu magis excitata, ampliùs se diducit, maiora appetit, ac se quodammodo tendendo disrumpit, frustrà sperans simili quadam, ac in membris agnoscit, ab illis se perfundendam suauitate, quæ hiatum illum expleat desideriorum. Contrà verò, hàc etiam ratione iam videmus quod toties sensu ipso percipimus, quomodo nimirum fiat quòd cælestia munera quo feruentiùs desiderata fuerint, eò maiori voluptate perfundant animum quando aduenium? quia nimirum ipsum tangunt: capacitatem illam, quam desiderando aperuerat, implent: famem, quam votis suis exacuerat, satiant: sitimque, tot æstuosissimis inflãmatam suspiriis, restinguunt.

Carẽtiarum non est paupertas.

Paupertas quid, quid diuitiæ?

Cur animus non expleatur diuitiis.

Rursum ex eâdem doctrinâ patet, vnde illud contingat quod maximè admirari solemus, mundi res hasce priusquàm possideantur, nescio quo apparente in ijs pretio deceptam mentem allicere, vilescere autem quando possidentur: Contrà verò, diuina omnia ipsâ possessione augere sui æstimationem, adeò vt obstupescamus eorum compotes facti quòd non feruentiùs ea appetiuerimus. Cùm enim horum animus hauriat dulcedinem, sentiat soliditatem, voluptatibus perfruatur; mirum non est, si plus fruendo

Diuitiæ mundi possessæ vilescunt; contrà diuitiæ spirituales.

fruendo percipiat, quàm desiderando poterat imaginari. At verò terrena dum possidet, quia deceptum se ac omni spe frustratum cernit, contemnit scilicet illud quod antea tam improbè efflagitauerat: felix, si ea porrò esset prudentiâ, vt deceptus toties, non semper idem saxum volueret, & semel desideria cetera abijceret, quæ vbi acquisiuerit, eâdem illum deludent vanitate. Vlteriùs verò etiam ex eâdem doctrina liquet illud Magistri voluptatum: *Si vis diuitem facere, non pecuniæ adijciendum, sed cupiditatibus detrahendum.* cùm enim nunquàm possit pecuniis, pecuniarum impleri desiderium (quandoquidem illud sit in animo, quo istæ penetrare non possunt) sequitur non alias restare corporalium istarum rerum diuitias, quàm (vt sic loquar) negatiuas: vt scilicet nullas desideres. Cùm verò diuitiæ (quas adimpletione hiatûs istius quem desiderium facit in animo, definiuimus) nullatenus ab illis sperari queant; Vidésne quàm axiomatum istorum, quorum certa hactenus licèt non perspicua erat veritas, ratio liquidissima petatur ex definitione nostra, quam paupertatis diuitiarumque dedimus? Vnde patet eam minimè fallere: cùm rerum certissimarum quidem, quarum tamen remotior erat à mente nostrâ ratio, demonstret veritatem.

EPICVR.

Atque hæc omnia non alio fine dicta à nobis putes, quàm vt benè stabilito fundamento solidiùs superstruamus eam doctrinam, quam deinceps ad summam vtilitatem nostram, (siquidem eâ vti velimus) sumus tradituri. Illam ego verba in pauca contraham, vt faciliùs memoriæ, altiùs pectori infigatur. Et ne verbis te morer, audi. Quamquàm nudos & rerum omnium egenos in hunc mundum natura nos immiserit; non ita tamen nouerca fuit, quin patrimonium aliquod, aliquam substantiam, aut saltem exiguum quoddam peculium subministrauerit, quod in manu nostra esset vel benè vel secus impendere, possemusque vel per bonum illius vsum ad diuitias, imò opes maximas aspirare; vel certè substantiam illam dilapidando perpetuâ nos ipsos paupertate damnare. Scio te rem non magnam imaginari, dum tecum disquiris, quodnam tandem possit esse illud nostrum peculium? Fateor, magna non est; rerum tamen maximarum vel instrumentum est, vel pretium. Ipsa nostra paupertas est, imò forma paupertatis. Quæso, mentem nonnihil ad priora reuocemus. Diximus naturam nos omnibus destituere: eamque omnium rerum carentiam tum paupertatem fieri vel egestatem, quando desiderium (quod naturaliter fit) ad aliquam earum extendimus, cuius tum paupertate laboramus, donec desiderium illud adimpleatur. Laborare enim anteà dici non poteramus, cùm nullum omnino in actum exirent potentiæ. Iamnè intelligis formam paupertatis esse desideria? atque hæc naturale nostrum sunt patrimonium, substantia sunt, peculium, diuitiæ, opes nostræ sunt, (nec aliæ poterant esse nostræ, quàm quæ nos formaliter inopes & pauperes constituerent;) has si benè impendimus, ditissimi, & felicissimi euadere possumus; si verò eas dilapidamus, si in res friuolas & inutiles expendimus, quid decoctâ substantia nos manet, nisi filij prodigi extremæ calamitates atque miseriæ? Ante nos sapientes omnes Testamenti prioris, philosophiam hanc cognouerunt. Vnus etiam sapientissimi filij parens disertissimè litteris mandauit. Psalmo enim 38. gloriatur de benè expensa atque apud fœneratorem bonum locatâ hâc suâ substantiâ: *Et nunc quæ est expectatio mea; nónne Dominus? & substantia mea apud te est.* Et in lege nouâ Apostolus: *Noui qui potens est depositum meum seruare.* Gaudebant illi hoc suum peculium ibi deponere, vbi non posset non augere quotidie. de nobis autem exclamare libet cum Prophetâ: *Gens absque consilio, vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Intelligerent* quanti pretij, quanti valoris hæc sit desideriorum pecunia, quâ vnicâ

Desideria sunt naturale nostrũ peculium.

Psalm. 38.

possunt diuitias & opes sibi coëmere sempiternas: & ita *saperent*, vt non in vana & inutilia, non in caduca & & transitoria, non in damnosa & nocitura impenderent pretium æternitatis. Et vtinam (quod vehementer faceret ad acquirendam istam tam necessariam sapientiam) vtinam *nouissima prouiderent!* quàm tum scilicet sera in fundo parsimonia, quàm amaræ porcorum siliquæ, quàm miserabiles vel guttulæ vnius emendicationes. Profectò non leuiter adeò absumerent desideria sua, neque tam stultè ea in opes, honores, voluptates, puerorum crepundia, expenderent. Virum ego quendam è primâ nobilitate cognoui, cui quantò plus tinniebat in loculis, tantò minùs saliebat in pectore: is quò stolidiùs iactaret diuitiarum suarum abundantiam, quotidie multo manè egressus domo, binis seruulis quantum ferre poterant auri imponebat, tum ipse se non leuiùs rarioris signaturæ collectâ pecuniâ onerabat: atque ita non solùm (quæ plerorumque est insania) clitellis suis grauis, sed, quò magis Arcadicum proderet ingenium, etiam graui farcina onustus prodibat in publicum obuios quosque interrogans, Quanti id, quod fortè fortunâ ferebant, vendere vellent? vbi illi pretiũ indicassent; hic statim numeratâ pecuniâ vel se, vel seruulorum alterum re coempta onerabat, atque eâ ratione totam peruagatus vrbem, multo vespere iam crepundiis & nugis grauior, quàm manè fuerat pecuniis, domum reuertebatur: atque sic, ne quid deesset ad insaniam, noctem omninò integram ordine disponendis egregiis suis mercibus se seruosque miseros defatigabat. Hoc primo, hoc altero, hoc tertio die factitabat: verbo, ad hanc diebus singulis redibat occupationem miserrimam. Aduertebant hoc è circulatoribus, circumforaneis impostoribus, multi, atque reculas quasdam vel aurichalco splendidas, vel vento tumidas, vel certè ad puerorum oblectamentum nescio quo sibilo loquaces affabrè concinnabant, atque ea ambitiosius circumferentes, mercatori huic nostro fiebant obuij. Ille insanire præ desiderio: quanti ea facerent interrogare. hi verò ex composito negare esse venalia, principibus illa viris concinnata esse munera. Nosser instare, orare, multa se indignâ facere, vt ab impostoribus illis extorqueat, vti se pecunijs suis emungant, atque insigniter ludibrio habeant. Quid multa? conueniunt: emit homo stultus tanti, quanti bipedum isti omnium nequissimi volunt, & porro, vt sibi excogitent delicias, monet: pecuniæ non parciturum, modo nouas illi quotidie merces inueniant, quibus se possit cum seruulis oblectare. Iam dudùm scio molestum est stolidum hominis videre ingenium, pigetque tam fatuam fungi illius audire insaniam. Neque immeritò me illi affidere iudicabitis, si hic admirer breui eum tempore à summis opibus ad extrema paupertatis prolapsum; si commemorem ipsum, vbi vel familiæ suæ decor, vel Reipub. vtilitas, vel Principis sui postulabat obsequium, vt magnificè se ac splendidè gereret, nummos liberali manu profunderet, dignum se isto genere atque istis maioribus demonstraret; non habuisse quo par esset maximis, qui in minimis istis crepundiis patrimonium absumpserat. Sed videte, ne quæ vel audiuisse piget, facere non pudeat. Noui ego virum istum nobilem, atque vtinam vnicum illum tantùm cognouissem! Quàm multos singuli nouimus, qui illud desideriorum patrimonium, pecuniam tam lautam tamque potentem, quâ cælum comparatur, quâ Deus gratias suas vendit, quâ virtutes omnes veneunt, multò etiam expendunt stolidiùs, quàm iste opes suas, quem tacitis omnes cogitationibus vix dignum censuimus, ob tam insignem stoliditatem, quem inter homines recenseremus. Nolo applicare singula. Impostores enim illi Mundus, Diabolus, Caro, omnium iactantur sermonibus: quàm autem futilia, quàm fallacia, quàm sordida sint, quæ vanitatis fumo, bracteâ diuitiarum, fuco volup-

Stoliditas hominum malè expendentiũ sua desideria.

tatis

tatis ad lenocinium imprudentium obduxerunt, omnium Philosophorum inculcatur præceptis, omnium Theologorum celebratur oraculis, omnium Concionatorum resonat pulpitis, imò pænè hominum omnium, experientiâ monstratur, palpatur manibus. Interim nos insani, quò desideria, quò cupiditates, quò vota nostra vertimus? quibus rebus tantas opes impendimus?

Discerecupiebat Dauid artem desiderandi.

Non immeritò iam Dauidem sollicitum fuisse video, vt posset eam addiscere œconomiam, quæ illum benè doceret de desiderijs suis disponere: *Concupiuit*, inquit, *anima mea.* Rem magnam credo, quàm tantus Propheta totâ concupisceret animâ, imò maximam, imò eam vnde dependebant cetera omnia, quæ magnitudinem illi poterant aliquam conferre. Quid ergo? *Concupiuit*, inquit, *anima mea desiderare.* Didicerat, credo, quod ait Ecclesiastes: *Melius est videre quod cupias, quàm desiderare quod nescias.* sciebat certè quanti referret non malè expendi desideria: atque ideo artem illam scire exoptabat, quæ rationem certam modumque præscriberet, quem si sequeretur, non posset in desiderando errare: nec segniùs illam didicit, quàm concupiuit; neque opus est alio testimonio, cùm de se ipse fateatur: *Clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mihi.* Indulsit ingenio suo S.P.N. Augustinus, vt quàm plurimas, easque subtilissimas loci huius inueniret interpretationes, quarum nullam non admiramur, hanc verò amplectimur: Nimirùm, Prophetam hanc adeò calluisse egregiè artem hanc desiderandi, quam anima eius tam calidè concupierat; vt, cùm dies noctesque eam exercendo consumeret, numquam erraret, nusquàm laberetur, ne latum quidem vnguem ab eâ lege decederet, quam Spiritus ei sanctus omnium petendorum regulam præscripserat: *Clamabo per diem, & non exaudies, & nocte*; sic enim, factâ hîc distinctione, legendum, *& non ad insipientiam mihi.* Eum sagittarium laudaremus, qui cùm dies noctesque integras sese ad signum exerceret, nunquàm à scopo deerraret: & Propheta non admirabimur, qui ita omnia desideriorum suorum dirigebat iacula, vt petitio nulla erroris eum redargueret? *Et non ad insipientiam mihi.* An fortè clariùs quisquam videre cupit, quomodo error, si quem hâc in parte admisisset, ipsi ad insipientiam fuisset? Ad humana descendamus, vt inde gradum faciamus ad ea, quæ altiora cùm sint, non ita facilè sine horum adminiculo conscendimus. Fingamus virum quempiam genere, honore, copiis inter suos principem, Regem adire, & faciamus eum, commemorata maiorum virtute, ostensâ propensissimâ suâ eorum vestigijs inhærendi voluntate, adiectâ omni, qua locus vbi natus, & ars quâ educatus est, eum ornauerunt, gratia & humanitate, quàm arctissimè Regem sibi deuincire, adeò vt is fauorem suum & gratiam ei peculiariter addicat: proindè vbi vsus fuerit, ne petere ea reformidet, quibus & gratitudinem suam Rex erga maiores eius demonstrare, & eum ad paria audendum facinora possit excitare. Quis hic non intelligit hominem istum, quamquam inpræsentiarum nihil à Rege abstulerit, magnum tamen in petitionibus ac desiderijs suis thesaurum habere reconditum, quo sibi possit, siquidem ijs sciat vti, res maximas comparare? Redit is postridie, factaque ante alios loquendi potestate, ambitiosiùs paratâ ad ostentationem oratione, postquàm laudes Regis putidè, suas inuidiosè ad tædium vsque ingessit; digno tali patellâ claudit operculo, aitque, Benignitatem illam quâ ita temperabat necessariam imperantibus seueritatem, vt cùm in ceteros iustissimus sit, sibi vni blandissimus voluerit esse, dedisse sibi fiduciam petendi ea, quæ non tam vtilitatem suam spectarent quàm facerent ad honestam voluptatem. Miratur iam dudum Rex prudentissimus, quonam tandem illa temerè compacta verborum moles incumberet: cumque prudentia orantis (quæ nulla erat) finem loquendi non faceret; ne ipse fastidio suo finem fecisse videretur, quasi pudorem eius animaturus, interpellat: Mis-

Desideria malè impensa, sunt homini ad insipientiam.

Psalm. 118.

Eccles. 6.

Psalm. 21.

sum faceret orationis ambitum, ac verbo, quid desideret, proponeret: longæ orationis vicem supplere præcedentia maiorum facta, quæ altiùs grato impressa haberet pectori, quàm vt longâ oratione sint commemoranda. Ille igitur villam se quandam conspexisse dicit, dignam, quantum exterior promittebat ornatus, quæ à se accuratiùs perlustraretur: supplicare se igitur Regem, faceret eam introspiciendi potestatem. Risum mouebat Regi, post montes istos, tanto orationis typho grauidos, tantillæ petitionis prosiliens mus: verùm ne eius causam proderet, eo vultu annuebat postulationi, vt risu benignitatem augere videretur. Non constitit hîc cucurbitæ nostræ vanitas. Vix iterum manè diluxerat, iterum portas Aulæ obsidet, ne prima Regem adeundi tempora perderet. admittitur: non enim dubitabatur quin summi momenti essent, quæ vir tantus eo præsertim tempore adferret. ibi rursùm verbis inutilibus abusus Regis patientiâ, eò dilabitur, vt quoniam venatione inprimis delectatur, cuniculi regalibus in hortis capiendi petat facultatem. Expedit se annuendo illâ rursum miseriâ Princeps sapiens. Quâ ille facultate factus stolidior, tertiùm reuertitur: iamque se recepturum fructum omnium eorum, quæ maiores fuissent promeriti, profitetur, si liceat fonte (quem nominabat) optimi saporis aquas fundente, sitim suam restinguere. hanc summam votorum sibi esse: hoc postquàm impetrauerit, sibi ac suis diuitias, deliciasque Regni habiturum: nihil in iis esse, quod sibi vel debitum peteret, vel gratum exoptaret. Quis non videt istius hominis, tum suam importunitatem, tum rerum, quas petebat, vilitatem esse *ad insipientiam*? Nec enim eum sapere sapiens quis dixerit, qui tantis parentum meritis, tanto Principis fauore & promissis, tam insigni sua occasione, ad res adeò viles tam miserè abutitur: qui pretium sanguinis, & præmium virtutis maiorum suorum faciat inanem stoliditatis suæ oblectationem: qui Regis propensissimam (quantum posset, tantum volentis) benignitatem, aquæ frigidæ hausiu, vilissimæ bestiolæ venatione, palatij contemplatione metiatur: qui denique Prouincias acquirendi occasionem, vertit in ostensionem stoliditatis suæ. Ita nos pænè omnes (quod mox ostendemus) sed non ita Dauid, quod nunc agimus, qui dies noctesque insumebat desiderijs, &, rem miram! *non ad insipientiam illi.* Nulla erat eius petitio, quæ non esset & petenti vtilis, si acciperet; & illi qui rogabatur, glorioſa, si concederet, nulla erat, quæ non egregiam adferret commoditatem, si negaretur; summam vtilitatem, si differretur; vtrique permistam gloriam, si impetraretur. Legenti subindè mihi Psalm. 53. mirum videbatur, cur illi titulus præfigeretur, *Psalmus intellectûs Dauid.* Sed primum eius versiculum deindè contemplanti, res certa fuit, ob desiderij istius tam ardenter in cælum directi sapientiam, à rectè intelligendi prudentiâ ibi & authorem laudari, & Psalmum denominari. Quid enim? an alia ipsius prudentiæ vox esset, si optandi ei facultas daretur, quàm ea quæ huic Psalmo dat initium: *Deus, in nomine tuo saluum me fac?* Diuitias, honores, potestatem, regni propagationem, voluptates, cætera quæ nata in tempore momento pereunt, totis votis expetant alij: mihi salus vna cordi est: hâc ego impetratâ, desiderandi atque vouendi finem faciã: hâc nondum habitâ, nusquam oculos dirigam, nusquàm manum extendam, nusquàm pedem figam, nisi eos in montes, vnde venire potest ad eam impetrandam auxilium: nihil enim desiderijs dignum existimo, nisi quod me in possessione felicitatis æternæ constituat. *Psalm. 53.*

CAP.

CAPVT III.

Desiderium motus est, proindè tendit ad centrum: non sunt illud diuitiæ, honor, aut voluptas, quia hominem nequeunt conseruare.

DESIDERIIS carere nemo potest: sed plerique, vt dicere cœpimus, ad peruidendũ quid desiderandum sit, caligant: adeoque non est facilis ista scientia, vt paucissimi sint, qui hîc non turpissimè hallucinentur. Proponendum est itaque primùm, Quid sit quod petendum est? tum examinandum, Qualia sint quæ passim petuntur? atque ita intellecturi sumus ex ipso discursu, quantum bona à malis desiderijs differant: quid scilicet ista ad vitam tranquillam beatamque faciant, & quantis hæc miseros discrucient calamitatibus. Facem præluceat Doctor Angelicus, qui definit desiderium, *motum animæ ad finem bonum*. Quemadmodum enim res sensu destitutæ naturaliter mouentur ad centrum quæque suum, vt in eo conseruentur facilius; ibi conquiescant; atque vt eo habito nusquàm ex se commoueantur: ita necesse est, cùm per desideria voluntas humana moueatur, aliquid existere quod centri vicem habeat, cùm fieri non possit motus naturâ instigante, qui non habeat quietem propositam. Quærendum ergo solùm id restat, quodnam illud centrum esse videatur, ad quod tendere omnibus debeamus desiderijs. Interest enim istud hominem inter atque cætera ratione carentia, quod (cùm illis naturæ impulsus pro ratione sit, motus pro desiderijs) non possint aliò moueri ex se, quàm in illud, quò ab ipsa natura duce suâ determinantur, atque ita infallibiliter semper ferantur in centrum, nec vlli sint obnoxia errori. Is enim, licet maximè sit rationi inimicus, nusquàm tamen inuenitur, nisi vbi rationi est locus: qui cùm detur in homine; fit, vt ille non secùs falsâ bonitatis imagine, quàm ipso bono (quod vnicum ipsius centrum est) moueatur: quo errore nisi intellectus liberetur, trahet ille semper ac instigabit voluntatem (perindè atque naturæ propensio corpora alia) vt sese per desideria æquè ad fucata, quàm ad solida bona, promoueat. Et quamuis ingenitâ sibi libertate sit porens sui voluntas, nec sequi vsquàm debeat, quantumcunque deindè incitetur, nisi quò ire voluerit; rarò tamen fit, vt non eò feratur, vbi ingens aliquod bonum latêre persuasa fuerit. Id ergo videndum inprimis, an centrum eius possint esse ea, quæ tanto impetu vulgò appetuntur? quæ, claritatis causâ, ad tria reuocabimus capita cum ipso Sancto Ioanne Apostolo: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ*: id est, carnis voluptates, mundi diuitiæ, & honorum vanitates. Possunt aliter quoque proponi falsa hæc bona, eâdem quidem sententiâ, non ijsdem comprehensa verbis. Potest enim eiusdem rei descriptio aliàs diffundi atque exporrigi, aliàs colligi & in se cogi: quemadmodum idem exercitus modò latiùs panditur, modò in angustum coarctatur. Idem itaque erit, si quæsiero, An aurum & argentum pretiosa nequitiæ irritamenta, an cælo minantia immania palatia sub pondere suo ac rupium marmoreis crustis sudantia; an pyramides defatigato mari ab vltimis terrarum deportatæ; an campus populis sufficturus; an imposita montibus in vastum terrarum marisque prospectum ædificia; an hortorum nemorumque læti gratique dominis suis in alienis erroribus ludi; an fontes rupes, speluncæ, valles, montesque locis non suis nati, in peregrino solo syluæ, flumina, lacus; an ad naturæ inuidiam consitorum nemorum in mille

Bona huius mundi non esse centrum desideriorum nostrorum.

2. Ioan. 2.

figuras potentosa varietas; an flores & poma ex alieno orbe in nostrum tradu&ta; an purpura & gemmeæ torques, & vestiendis aulæa parietibus murice & auro grauida, an conchyliata strata, Phrygiâ, Ægyptiâ, aut Babylonicâ pi&ta acu, an reliqua omnia quæ falso diuitiarum nomine mortalium paupertas appellauit (propter quæ nunquàm in orbe pacem gerit ferrum, propter quæ alterno natamus sanguine, propter quæ occisarum gentium glorioſa scelera in triumphum ducimus, propter quæ primum inuicem venales facti, dein virtutem, animam, Deum vendimus) an illa, inquam, *centrum* voluntatis nostræ sint, ad quod totis desiderijs ferri debeamus? Rursusque, an regna & imperia, an semper magnitudinis suæ præcipitium trementia sortis iuuidiosæ fastigia; an illa sæculi prima, & maxima, semper attonita, semper pauida; an sub salutantium blanditijs latentes insidiæ, sub congratulantium exercitu inuidentium agmina, sub ridente vultu liuentia corda; an inaniſſimæ adulationis fuci, leuiſſimi honoris fumi, vaniſſimæ superbiæ flatus, solidum illud erunt quietis fundamentum, vbi se voluntas infinitis lassata desiderijs tandem reclinet acquietura? Denique, an sensuum obleCtamenta, vina per ætates & gentes numerata; pisces à supero inferoque mari, à fluminibus, torrentibus, lacubus euocati; inertiſſima ostrearum caro, & conchylia pigritiam stomachi nauseantis erigentia, feræ defatigatis syluis & montibus, seruorum dominorumque non rarò sanguine purpuratæ, aues cælo detraCtæ; an condimenta nauseanti domino somniata, an deliciæ, quæ quà venerant redire iubentur, ne desit capacitas stomacho; an aues, pisces, feræ, tum castra & propugnacula solido fabricata saccharo, antiquitati incogniti luxus; an ad luxuriæ palatum odoribus domus impletæ, vestes illitæ, corpus à vertice ad talos delibutum; an tibiæ, chori, psalteiæ, turba musica, varij concentus Hispanam maiestatem, Italam prudentiam, agilitatem Gallicam, Germanam grauitatem, Anglicam solertiam, maturitatem Belgicam omniscià & omnicanorâ modulatione exprimentes; an picturæ inuerecundæ, libidinum illices; an ceteræ oculorum taCtûsque non proferendæ deliciæ, *centrum* illud erunt, quo animus noster toto impetu feratur? Frustrà ambitioſiùs colorem aliquem aut fucum verborum bonis hiſce addimus, quò meliore fide statuamus, an in ijs possimus vllâ ratione acquiescere; nisi triplicem statuamus proprietatem: Quæ si diuitijs, honoribus, voluptatibus ad voluntatem humanam relatis conueniat; ego primus à partibus illarum stabo, ac ceteris, quid censere debeant, voce præibo: pronuntiabo eas voluntatis nostræ centrum, desideriorum scopum, vitæ portum, &, quod indè sequitur, bonum esse numeris suis absolutiſſimum.

Proprietates centri.

Inprimis ergo vim quandam conseruandi res naturaliter ad se delatas, *centro* inesse omnes fatentur: atque indè fieri quòd lapis in terrâ, iuxta sphæras cælorum ignis, aqua in mari, proximâ ab aquis regione aër, quàm diutiſſimè conseruentur. Deindè propria rebus sedes est *centrum*, in qua naturaliter quiescant: atq; indè fit tertiò, vt, si quæ ad centrum suum peruenerint, nihil petant vlteriùs; illo contenti, motûs omnis atque omnis appetitûs finem faciant. Hæc si rebus ijs, quas mox descripsimus, insint; tum scilicet incitanda erit voluntas, vt magnis cupiditatis suæ itineribus, duplicatis desideriorum passibus eò tendat. Si verò nihil horum illis conuenit; tum aliò erunt vertenda desideria, aliud quærendum quod centri, quod scopi, quod portûs loco habeamus. Primùm ergo, an ijs aliqua vis conseruandi insit, videamus. Dubito num ab excusatione incipiam, quod non ioci causâ, sed seriò hæc petere videar: an scilicet res istæ nos, desideriaque nostra conseruandi vim habeant, quæ ne seipsas quidem temporis momento conseruant? an isti tuto inædificare possimus fundamento, cuius omnis structura, ruina est? an isti stabiles firmique innitemur basi, cuius esse, perire est? an isti

Bona huius mundi neminem possunt conseruare.

istí pecunias nostras rectè credamus fœneratori, cuius fides, cessio est? an istí tutò incumbamus tabulæ, cuius substantia, vmbra est? an denique ab ijs conseruandi simus, quærem nullam, sed nomen inane rerum habent, solo mendacio vanitateque subsistentes? Docet enim re ipsâ Psalmista Regius Psal. 4. non longis aut exquisitis rationibus opus esse ad conuincenda mendacia diuitiarum, ad ostendendam vanitatem honorum, ad demonstrandam voluptatum infirmitatem: sed potiùs orationis vehementiâ ad excitandum obdormiscentes mortalium animos (qui clausis oculis, abstracti à luce & sensibus, temerè se rebus ijs tradunt conseruandos, quarum vt officium non esset perdere, ea certè imbecillitas & inanitas est, vt nihil possint ad conseruationem:) *Filij hominum* (exclamat ille) *vsquequò graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* Audite S. Ioannem Chrysostomum explicantem illam Psalmistæ exhortationem: *Vanum*, inquit, *illud dicitur quod est inane, quando nomen quidem fuerit, res nequaquàm. Ita apud Græcos nomina quidem Deorum multa, res verò minimè: & in alijs similiter nomen diuitiarum, res autem minimè; & nomen gloriæ, res verò minimè; nomen potentiæ, & remanet solùm nomen. Quis est ergo adeò excors, vt quærat nomina, quæ rebus destituuntur? & persequatur inania, quæ oportet fugere?* & tandem magis ad rem nostram concludit: *An non vitæ voluptates & felicitates tales sunt? an non omnia mentiuntur, & decipiunt? Etiamsi dixeris gloriam, etiamsi diuitias, etiamsi potentiam; omnia sunt vanitas.* Atque hæc de vanitate ipsâ, quæ rebus istis propria est, imò quæ res illas constituit: quæ si constans esset, atque certæ alicuius durationis; fortè ignoscendum esset stultitiæ, quæ in eo posset gloriari, quòd certa esset se quàm diutissimè posse hanc insanire insaniam. Sed quomodo longum aut certum erit, cuius in motu natura est? quomodo permanebit illius substantia, quod venit transitque celerrimè, in ipso vsu sui periturum; quodque dum incipit, spectat ad finem? Idem eloquentiæ flumen audite in Psalm. 41. *Quid in corpora insanitis? quid diuitias amatis? quid gloriam desideratis? quid concupiscitis voluptatem? nihil eorum manet & viuit perpetuò, sed diffluit & præterit, & est vmbrâ vanius, aut somnijs fallacius, & citiùs quèm verni flores corrumpitur & interit.* Et quæ hæc felicitas tam volubili rotæ, tam incertæ insistens; quæ dum crescit perit, dum augetur minuitur; quæ tantis adminiculis vix fulta subsistit, assiduè fatiscens, casúsque sui nuncia? Quoties enim vidimus, vix momentum inter surgentia cælo tecta & vilem interiacuisse cinerem? inter regna & steriles auenas, inter hortorum pratorumque amœna & macri cespitis glebam, inter famulantium exercitus & dirè eundem dominum agmina lacerantia? & quomodo nos conseruabunt tam fluxa, tam caduca, tam infida, tam perfida? quæ, vt casus omnes desint, certè cum tempore & vitâ nos destituent, & fugient torrenti similia, fumo, vento, sagittæ, nubibus. Et cùm temporis nostri exigui momentum aduenerit vltimum, tunc veram sciemus Isaiæ vocem: *Omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.* Absit à Christiano pectore tanta statûs sui ignorantia, tanta Dei obliuio, tanta sui desperatio, vt ad tam vilia confugiat, in tam imbecillibus spem suam collocet. *Simulachra* enim *gentium, argentum & aurum*, diuitiæ & opes, tituli & honores, voluptates & libidines: *Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.* O vocem emphaticam, *Similes illis fiant!* ô diram imprecationem! ô punitionem acerbam! Comparatus erat aliàs homo iumentis insipientibus, & similis illis factus. Noui qui se equo & mulo comparauerit, quibus non est intellectus: sed tamen sensus restabat viro, si non qualis hominem decebat, saltem qualis in brutis reperitur. Sed hîc auro & argento, rebus inanimatis, comparantur, atque infra omnem brutorum conditionem amandantur miseri nostri diuitiarum, voluptatum, atque honorum asseclæ. Cùm enim ea quæ ratione carent, sensu ipso modum quendam statuant appetitui; facultate hâc carere videntur,

Psalm. 4. Quia sunt vana, & fugacia.

Isaiæ 64.

Psalm. 134. Similes rebus concupitis fiunt qui mundi bona desiderant.

qui nunquàm ſentire poſſunt quod illis ſit ſatis. Stultus erat in fabulis, & auribus ſuis dignus, Midas, qui fatuo auri deſiderio, potûs refrigerium, cibi refectionem, lecti mollitiem, omnem vitæ commoditatem ſibi eripuerat: ſed quantaſcunque aures geſtauerit, eò ſtoliditatis non peruenit, vt ſeſe in aurum conuerti voluerit. Plus ergo imprecatur Pſalmiſta, dum dicit: *Similes illis fiant qui confidunt in eis.* Simulachra gentium quidnam ſunt aliud, quàm dæmonia argento auroque veſtita, quibus hoc ipſum cedit in pœnam, quod ſtudioſè ab hominibus coluntur, vel ambitioſè adornantur? His ſimiles cùm fiant qui confidunt in eis, & qui aurum, libidines, inanem gloriam ſibi idolum fabricant; poteritné excogitari punitio maior, quàm hominem admirabili metamorphoſi conuerti in dæmonem deauratum? Necdum abire poſſum ab aurea S. Chryſoſtomi eloquentiâ, qui verba illa Geneſeos, *Terra autem erat inanis & vacua*, vel, vt ſeptuaginta vertunt, *inuiſibilis & incõpoſita*, ita explicat, vt mentem aduertiſſe videatur ad hanc peccatorum cum viliſſimis & nequiſſimis rebus ſimilitudinem. Ideò enim ille contendit Deum terram creauiſſe inanem & vâcuam, ſiue (quod idem valet) inuiſibilem & incompoſitam; ne, ſi mira quædam, atque eo quo nunc ſunt ordine pulcherrimo compoſita, in ea ab initio reſplenduiſſent, adhæreſceret ad eam homo, neque vnquàm ſe ſupra humum illam attolleret, vnde & eius ſumpta eſt ſubſtantia dum efformaretur, & quotidie ſuppeditarentur alimenta dum nutriretur, quæ viam præberet dum perigrinarêtur, quæ locum quietis daret dum moreretur. Quis enim tot terræ adſtrictus obligationibus, totis in terram non ferretur affectibus; ſi præter hæc beneficia, pulchritudinem eam reperiret in terra, quæ vel ſola raperet in amorem ſui incautos? Admonent ergo, ne te fallas, diuina oracula: terram (in qua nunc admiraris alta montium, profunda vallium, plana camporum; quæ nunc oſtentat in herbis virorem, candorem in lilijs, in roſis vabedinem, in mille floſculis totidem diſtinctos colores; quæ nunc præbet arborum fœcunditatem, vbertatem frugum, atque omnium ciborum abundantiam) ex ſe neque diſtinctam varietate, neque pulchritudine exornatam, neque refertam multitudine; ſed incompoſitam, inuiſibilem, atque inanem fuiſſe: idque ideò, ne voluntas in rem tam vilem totis prolapſa cupiditatibus, ſordes eius imbiberet, indueret vilitatem, àtque in terram, terrena amando, conuerteretur. Poſſumus enim nos, quod Philoſophi de intellectu dicunt, quòd intelligendo fiat omnia, veriùs de voluntate pronuntiare, quod volendo conuertatur in omnia quæ deſiderat. Cùm enim feratur extra ſe; & vbi res deſideratæ detinentur, ibi ſuâ propenſione eac lubenter exiſtat; in corpore verò violenter, & quaſi in carcere detineatur; fieri non poteſt, quin intimè rem amatam peruadendo, naturam eius induat, ſeque illi, quod amoris, eſt proprium, aſſimilet. Terræ igitur ſordes, terræ vilitatem, terræ inſtabilitatem induet, ſi terram amauerit: contrà verò, cæli lucem & ſplendorem, cæli valorem & pretium, cæli immutabilitatẽ & cõſtantiam; ſi eò vota ſua & deſideria tranſtulerit. Ex quo S. Chryſoſtomi diſcurſu (præterquàm quòd à terrenorum amore abſtrahat propter eorum vilitatem atque inanitatem) id, quod nunc agimus, maximè conficitur: res tam inſtabiles, tam labiles, atque caducas adeò vim non habere conſeruandi eos, qui in illa tanquàm in centrũ ſuum falsâ boni ſpecie deluſi prolabuntur; vt potiùs amatores ſuos in ſe tranſmutando, ijs, præter ſordes, ipſam ſuam affricẽt inſtabilitatem: vt neceſſarium ſit eos cum terrâ, & propter terram quam amauerint, quàm citiſſimè perire.

Geneſ. 1.

Voluntas volendo fit omnia.

CAP.

CAPVT IV.

Centri est quietem præbere, & appetitum satiare: non faciunt hoc mundi bona, sed habita vilescunt. quod confirmatur Amnonis & Amani exemplis.

INTER equuleos & tormenta tranquillo & læto animo esse sapientem, Stoicorum est sententia. Ecclesia nos docet, homines Deo charos illis adeò non perturbari, vt etiam in votis habeant acerbissima pro eo perpeti, qui illos sanguine suo redemit. Sed neminem hactenus Stoicum adeò stolidum inueni, qui diceret inter angores suos & tormenta animum posse conquiescere: non enim conciliantur contraria, neque potest idem animus conturbari & quiescere, doloribus angi & lætari ijs ipsis quæ illum excruciant. Quid ergo hîc quærimus? an inter diuitias (verissimas animorum spinas) an inter voluptatum desideria (atrocissima spiritûs tormenta) an inter honorum appetitus (subtilissimis mentem puncturis sauciantes) placidè conquiescere & pace altissimâ perfrui possit animus humanus? Fateor insanire me, si de veritate dubius, seriò id inquiram: inquirendum est tamen, quia pauci hanc non insaniunt insaniam. Quotusquisque enim est, qui scopum sibi aliquem non præfixerit honorum, voluptatum, aut saltem diuitiarum, ad quem cùm peruenerit, ibi se conquieturum existimat: ignarus, rerum quas appetit acquisitione non restingui, sed inflammari desideria, aceto voluptatum non sedari sitim libidinis, sed irritari; diuitiarum glebâ, aut honorum fumo non exsaturari famem, sed excitari. Tormenti genus! semper exæstuare desiderijs, nec vllum sperare remedium, nisi quod morbum ipsum exaggeret: semper inhiare Gomorrhæis illis voluptatum pomis, nec vnquàm affici voluptate: semper isti diuitiarum rotæ, cui fortuna insistit, alligatum, circumuolui voluptatibus, nec vnquàm requiescere: semper Sisypheum honorum saxum aduersum in montem voluere irrito labore, & dum in summo esse videris, eluso conatu ad ima relabi. Non immeritò Poëtæ veteres, homines sapientissimi, cùm eos inferorum cruciatus adumbrare vellent, quibuscum nulla possent alia tormenta comparari, eos non à Phalaridis tauro, aut lecto Procustis, vel infami Scyronis scopulo, vel Diomedis crudelibus equis desumpserunt: sed ad eos cruciatus respicientes, quos corporeis omnibus tormentis maiores experiuntur illi, qui cum inutilibus & nocituris desiderijs conflictantur; eos nobis emblematis quibusdam expressêrunt. Vt nos, dum Ixionis pœnam, Sisyphi montem, Titij ipso damno suo semper accrescens iecur, Promethei cor fœcundo in pœnam morsu arrosum, Tantali spe proximâ potiundi magis magisque exæstuantem ac miserè semper delusam famem & sitim, legeremus, duo præcipuè è fabulis vitam nostram ad mores informatura disceremus. Nullo videlicet tormenti genere corpora nostra pôsse affligi, quin illud inferni cruciatus excedant; cùm ab animi pœnâ desumendam censuerint eorum descriptionem: tum etiam illud, quanta sint ista animorum tormenta, quibus impios desideria sua affligunt, quæ sufficientem exprimendis inferni cruciatibus præbeant materiam. Intelligebat id Propheta Regius, quando tam enixè Deum obtestabatur, ne se huic omnium tyrannorum sæuissimo traderet: *Ne tradas me à desiderio meo*, inquit, *peccatori*. Neq; Apost. hâc omniũ seueriſſimam statuisset impiorum punitionem, quòd *tradidit eos Deus in desideria* Rom. 1.

Nemo quiescere potest in mundi bonis.

ſideria cordis eorum; niſi exiſtimauiſſet hanc omnium pœnarum eſſe atrociſſimam. Quænam autem inter tormenta ſperanda quies? Maximè cùm ita animum diſtrahant, vt vix vnum perceperit, quin ſtatim adalia deſiderâda feratur? quod è diametro tertiæ centri proprietati repugnat. Soletenim centrum ita appetitum rei explere, vt nihil illâ deſideret vlteriùs. Audi verò de diuitijs vnum è mundi ſapientibus:

Mundi bona adeo non ſatiant, vt etiam faſtidium ſui poſſidentibus adferant.

SENECA. *Congregetur in te quidquid multi locupletes, poſſederunt, vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te prouehat, auro tegat, purpurâ veſtiat, & eò deliciarum opumque perducat, vt terram marmoribus abſcondas: accedant ſtatuæ & picturæ, & quidquid vlla luxuria elaborauit: maiora cupere ab his diſces.* Audi & hiſtoricum (Criſpum intelligo) non magnitudine ſed bonitate operis primum: *Auaritia*, inquit, *pecuniæ ſtudium habet, quam nemo ſapiens concupiuit: ea quaſi venenis malis imbuta, corpus animumque virilem effeminat: ſemper infinita, inſatiabilis eſt, neque copiâ, neque inopiâ minuitur.* Rationem huius inſatiabilitatis ex parte rei concupitæ Pſalm. 75. allegat Dauid: *Dormierunt omnes viri diuitiarum ſomnium ſuum, & nihil inuenerunt in manibus ſuis.* Vbi nihil ſunt omnia quæ ingeris; quomodo hiatum propemodùm infinitum explere queas? Bulla ſunt omnia, quæ vento turgida mirabilem oſtentat ſpeciem; ſi verò apprehendas, tactu ipſo rumpitur, & nihil relinquit in manibus accipientis. Mentiuntur abſentes res concupitæ, & mira promittunt: præſentes verò re ipsâ oſtendunt, quàm variâ mirantes ſpecie deluſerint.

Probatur id exemplo Amnonis.

Imaginem huius rei coloribus ſuis nobis ipſa Scriptura depingit, in qua omnia videre licet quæ hactenus de cupiditatum & deſideriorum vanitate, vilitate, anxietate, inſatabilitate diximus; & multa prætereà diſcere, quæ nondùm attigimus. Ex 2. Regum 13. capite huc illam transferam. Dubitabitis, ſcio, eam intuentes, quidnam vehementiùs admiremini, an amoris magnitudinem, an odij acerbitatem; an celeritatem potiùs, quâ puncto temporis amor fumus imminutus, prorſùs exſtinctus, odium natum, auctum, amplificatum ſit ita, vt non poſſit excogitari maius. Sed rem ordine contemplemur. Deperibat ſororem ſuam Thamar primogenitus filiorum Dauid, eâ amoris vehementia, quæ faciei colorem demeret, cor & viſcera exederet, ſpiritum torqueret, Amnonem denique (id viro erat nomen) totum conſumeret: quodque tanto in malo erat peſſimum, tectus & intrà præcordia vi detentus ignis, tantò exeſtuabat ampliùs, quò minùs audebat amorem prodere, vel rei turpitudine deterritus, vel prohibitus obtinendi deſperatione. Intereà verò veluti lento igne abſumebatur: perque tot mortes ægram trahebat animam, quot in ſororegratias & virtutes curioſus amor aduertebat, quæ illum ſanciarent. Non fefellit ſuſpicacem auunculi prudentiam vultus mœrore attritus, macieque deciduus, color verſus, crebra ac vehementiùs acta ſuſpiria: atque ipſo ex habitu corporis, non corporis morbum, ſed animi vulnus ſuſpicatus, tandem „ verbis hiſce nepotem adoritur: *Quod „ eo loco ſis natus, Princeps Sereniſſime, „ vnde gradu vno regium poſſis ſolium „ conſcendere, non reuerentiam nobis „ magis, quàm curam & ſollicitudinem „ tui ingenerat. Scimus enim ſalutem „ noſtram, totiuſque Reipublicæ, quæ pa- „ rentis tui prudentiſſimi nunc humeris „ innititur, ſi quid illi, quod Deus auer- „ tat, humanitùs acciderit, capite tuo ſta- „ re aut cadere: te ſceptra illa ſecun- „ dum reſpicere: tuâ proinde valetudine „ incolumitatem, tuâ vitâ ſpiritum no- „ ſtrum contineri. Quæ tes animum meũ, „ publicæ rei ſtudioſiſſimum, maximè „ tui curâ ſollicitant: tantum enim ego „ de omnium ſalute deperditum eſſe „ credo, quantum de valetudine tuâ de- „ ceſſerit, dic ergo, & depone fidis auribus.* Quæ ſic breuibus Scriptura: *Quare ſic attenuaris macie per ſingulos dies, fili Regis?* Verba hæc ſuſpirio tam vehementi excepit Amnon, vt ſatis illud ſagaci auũculo indicaret, quis ignis ſubditus eſſet pectori, qui tales eructaret

flammarum

marum vertices. Nihil ergo interfatus, ſinit illum cum primo ſe prodere volentis amoris impetu tantiſper colluctari, donec in has voces conatus erupit: *Heu morior, morior, mi pater, vulnus tacitum exceptum eſt corde, venis alitur, & cæco igne carpit medullas & ſanguinem: neque, cùm ſoror ſit, quæ ſauciauit, vllum poteſt inueniri malo remedium: mortis verò hoc ſolatium erit vnicum, quod tantæ pulchritudinis non ignobilis victima cadam. Hoc autem gloriari poteris Thamar, cùm mundus aris tuis nobiliorem afferre non poſſit hoſtiam primogenito Dauidis filio, quòd ille non, dum te potiretur, aut ſaltem peteret, occubuerit, ſed ſolo deſiderio tui contabuerit ad ſolũ aſpectum tuum, vt nix ad ſolem, glacies ad Zephyrum, cera ad ignem diſſolutus. Nihil opus eſt*, reſpondet auunculus, *extrema iſthæc præſtolari: ſatis iam omnes dolore tuo ingemuimus, cuius remedium eſt, vel indicaſſe quid doleat. Nec enim plus valent illa quæ te deterrent vana honeſtatis ſimulacra, quàm vita talis tantique Principis, vbi ſalus tua & verò communis in diſcrimen adducitur. Animo obſequare tuo, in reliquis honeſtatem colas.* Quid multa? facilè perſuadet: modum, quo affectui ſatisfiat, oſtendit. Amnon ſorore potitur. O prodigia! ô portenta! ipſo illo inſtante, ipſo temporis puncto omnis ille amor in odium, æſtimatio in contemptum, admiratio in abominationem conuertitur. Quis crederet quicquam maioribus augeri poſſe incrementis, quàm amor ille, qui breui temporis interuallo ad maciem & pænè ad mortem Amnonem deduxerit? Plus tamen auctum eſt odium puncto temporis, quàm amor multis diebus accreuerat. Diſertè Scriptura teſtatur: *Exoſam eam habuit odio magno nimis, ita vt maiùs eſſet odium quo oderat eam, amore quo anteà dilexerat.* Non licet hîc tam ſubitæ commutationis admirationi inhærere: cauſam potiùs quæ admirationem deſtruet, noſque prudentiores alieno exemplo faciet, iuuat inquirere. Certum eſt autem, amorem non poſſe niſi in bonum ferri, quod aut re verâ ſit tale, aut ſaltem amantis opinione: contrà verò de odio (affectu, amori contrario) ſtatuendum eſt, eum ferri non poſſe in bonum, ſed vel in malum ipſum, vel eius apprehenſam imaginem. Quodnam ergo dicemus tantum fuiſſe in Thamare bonum, quod ita ſubitò in omnium malorum extremum conuerſum ſit? vnde tantus in fratre vel amor, vel odium exoriebatur? Nihil de pulchritudine eius deceſſit, nihil de gratiâ: eadem eſt Thamar: hoc ſolùm intereſt, quòd iam eâ potitus ſit Amnon, quam anteà deſiderabat. Attendite hîc ad deſideriorum, quæ in terrena feruntur, vilitatem: quæ adeò abijciunt, & vileſcere faciunt hominem, vt quicquid deinde ipſe contigerit, hoc ipſo quòd illius fiat, nullius pretij ſit aut valoris, ſed odio dignum acerbiſsimo. Fateor quidem bonum illud formæ vanum & fragile: voluptatem illam fœdam & breuem, & quæcunque tot animum eius commouebant æſtibus; tanta non fuiſſe, quanta ipſi falſò offerebantur; eaque iam præſentia cùm inhiantem & ſe explere cupientem animum vanitate ſuâ deluderent, vertiſſe amorem in odium, & vilia facta fuiſſe, quæ anteà ita erant in pretio. Interim fatendum eſt, viliſsimum eſſe hominem, qui iſtis flagrat cupiditatibus. Vel enim res illæ nullo ſunt in pretio priuſquàm appetuntur; adeoque nihil abiectiùs fingi poteſt illo animo, qui ijs ſeſe ſubmittat, ab ijs ſolatium mendicet, ijs ſupplicet: vel ſi valent aliquid, quò plus valere dixeris, eò viliorem neceſſe eſt fateare illum, à quo adeò vileſcant, eo ipſo quo fiunt deſiderantis. Patet hoc ſexcentis quotidie exemplis, nec vnus eſt Amnon qui vilitatem ſuam, quam à deſiderijs inutilibus acceperat, cum rebus ipſis, vbi in poteſtatem eius veniunt, cómunicet. Cur enim tibi vxor tua (poſtulat hîc res liberam loquendi facultatem) pulchritudine, eloquentiâ, morum honeſtate, ceteriſque, quibus ille ſexus ornatur, vel naturæ, vel virtutis donis excellens, multiſque anteà votis expetita, eo ipſo ſordeſcit quòd in poteſtatem venerit? in aliam

Viliſſimæ ſiunt res malè appetitæ, à vilitate ea poſſidentis

2. *Reg.* 13.

gratijs multò inferiorem, sed eò præcellentem quòd nondum sit tua, oculi, vota, desideria feruntur: quâ si fortè potiaris, etiam infra priorem vilescit, quòd tu homo viliſſimus iam eam possideas.

Amani exemplo id probatur.

Nequeo ab hac discedere materiâ, cùm hîc propriâ conuincamus sententiâ eos, qui desiderijs malis exæstuant: nihil ipsis viliùs aut abiectiùs posse excogitari, cùm vilitatem suam rebus, quas contigerint, contagione quâdam aspergant. Opinor Amani, hominis stultissimi, testimonium, quod in quauis aliâ re leue esset, id in hâc, quoniam ipsam eius prodit stultitiam & vilitatem, grauissimum debet esse, maximè quia nihil minùs cogitans, id ex professo egisse videtur, vt ostenderet viliſſimas fieri à malo possessore possessiones eius omnes, eo ipso quo homini tam vili applicantur. Videte illum hinc ea quibus caret, indè verò omnia quæ sibi affluebant, tanquàm lancibus vtrimque imposita ponderantem: *Solus ⌣Mardochæus non flectebat genua⌣, nec adorabat eum.* Esther. 5. hoc lancis vnius est pondus, antisaccoma illius consideremus: *Cuncti serui Regis, qui versabantur antè fores palatij, flectebant genua, & adorabant.* Quis dubitat quin omnes vni, Principes captiuo, serui Regis Mardochæo, præponderabunt? Maximè cùm in honore & laudibus magis honorantis dignitas consideretur, quàm turba venerantium? Quod etiam in vero honore vsu venire Propheta testatur: *Deus qui glorificatur in concilio Sanctorum, magnus & terribilis super omnes qui in circuitu eius sunt.* Plus honoris ait recipere Deum abexiguâ Iudæorum manu, quàm idola ab infinita, quæ mundum implebat, hominum multitudine: quod sancti essent qui illum colerent, hi verò ab impijssimis atque impuriſsimis hominibus adorarentur. Idem Amano, & suo in genere quid ampliùs, licebat gloriari. Nobilium & Principum esse eam multitudinem quæ ipsum adoraret, Mardochæum autem captiuum & seruum qui vnus contemneret. verùm nondum æquis ab horizonte interuallis distare lances videntur: addamus honori diuitias, aut *multitudinem diuitiarum suarum*, vt Scriptura loquitur; hoc est enim pondus, sine quo nullius momenti videntur omnia, & quo addito iusti ponderis sunt quantæcunque leuitatis vniuersa. Addamus subsidia & firmamenta familiæ & magnitudinis, liberos, ad quos hæreditate perueniat quidquid fuit in patre magnum; *filiorum turbam.* iam, credo, plus valebit fulta opibus, culta honoribus, & tot filiorum munimentis insistens felicitas, quàm tantillum honoris quod à Mardochæo denegatur. Non ista Amano mens. Addamus condimentum bonorum omnium (quod solet etiam rebus insipidissimis auferre acerbitatem dum eo condiuntur) Regis fauorem: *Quantâ eum gloriâ super omnes Rex eleuasset.* tantum super omnes eum Rex exaltauerat, vt aulæ maximus toto sesquipede Amano esset minor, quando coram illo debebat genutenùs decrescere. Adijciatur cum ipsâ Reginâ tantùm non familiaritas: *Regina quoque⌣ Esther nullum alium vocauit ad conuiuium cum Rege⌣, præter me⌣; apud quam etiam cras cum Rege⌣ pransurus sum.* Suprà humanam necesse est esse felicitatem, quæ isti vel addat aliquid, vel eam vllâ ratione excedat: & quid erit comparatum ad illam tantillum honoris, quod à captiuo poterat solâ genuflexione deferri? Iudicij sui lancibus omnia imposuit Amanus noster, librauit, examinauit: quid autem? Esther. 5. ipsum audiamus: *Cùm hæc omnia habeam*, (singula verba ponderanda sunt, & maximè: illud, *omnia*, nam verè nihil ipsi ad felicitatem deerat, si qua esset ijs in rebus felicitas) *nihil me⌣ habere⌣ puto.* Quid leuius, quid inanius esse potest, quàm id quod nec rei, nec pretij, nec substantiæ, nec essentiæ quidquam habet? *Nihil me⌣ habere⌣ puto, quàmdiu videro Madochæum &c.* Quid, quæso, causæ, cur hæc omnia, tanta, tamque excellentia, quibus non desideria solùm, sed vitam & sanguinem pleriqúe mortalium cupiant impendere, nihili fiant ab homine, qui totus eorum fertur, feruetque cupiditate

ditate ? Iam ipsemet causam reddidit : *Cùm hæc omnia habeam.* O vilissimum caput ! ergo tute ipse fateris adeò te esse abiectum & abominabilem, vt ea quæ mundus habet omninò maxima & pretiosissima, vel ideò valorem omnem perdant & pretium, quia possidentur à te ? & à te domino suo tantam trahant vilitatem, vt ne quidem possint captiui vnius genuflexioni æquiparari? Tuæ sunt diuitiæ, tui Principes, honores tui, tui filij, tuus Regis fauor, tua Reginæ familiaritas, omnia tua: & omnia, vt ipse fateris, ideò nihil, quia tua. Id autem quod nondum habes, cui nondum vilitatem tuam possidendo affricuisti, licèt exiguum sit atque nullius momenti, omnibus tamen istis præponderat, quæ, si tua non fuissent nullam haberent ad exiguum istud dignitatis comparationum.

Idem probatur aliis exemplis.

Vultis etiam familiariùs hoc ostendamus? Concionatorum aliquis noua, inaudita, pænè somnia sua narrat, & peregrinæ curiositatis studio per inuia, per auia, & quà via nulla, incedit, vel errat. Cõcurritur, auditur omnium maximo silentio & frequentiâ, omnes cum illo errare volunt in solitudine. Si autem prudentior quis, & satis gnarus quòd

Constitit nulli via nota magnò;

Et propterea vadit,

——quà tutum populo priori :

& non nisi nota, nonnisi scripturæ probata testimonijs, conformia Patrũ dictis, vsu confirmata, & ita cum ratione ipsâ consentientia dicit, vt pænè cum ipso sensu humano ea natura inculcauerit; deseritur, contemnitur, auribus nec cogitatione vestrâ digna videntur quæ adfert. Et vnde, quæso, tantum illorum pretium, tanta horum vilitas? ipsi fatemini, nec opus ego illa vobis exprobrem : quia videlicet iam dudum hæc scimus, iste verò noua & inaudita declamat. Irane vero, ista scimus ? scitis quæ recta sunt, quæ vera sunt, quæ nullis erroribus neque periculo errandi obnoxia sunt, & ideo vilis facta est vobis ista scientia tam salutaris, tamque necessaria, quia iam vestra est? Ideone viluit rerum omniũ pretiosissima veritas, quia à tam vilibus iam ipsâ cognitione possidetur ? Quàm benè, quod fastidiosi isti spiritus dum arrogantiam & superbiam suã ostentant, vilitatem suam produnt ! Aduertit hoc Propheta Dauid : *Deiecisti eos dum alleuarentur*, inquit : & explicat S. Augustꝰ *Non dixit quia eleuati sunt ; sed in eo ipso quòd eleuati sunt, deiecti sunt : Si enim efferri iam cadere est, deiecisti eos dum alleuarentur.* Dum enim omnia, quæ iam cognitione perceperunt, fastidiunt ; vilitatem suam ostendunt : fatentur nullius momenti iam esse illam scientiam, quia iam à tam vilibus possessa. Non deducam hoc per alia exempla : quamuis etiam hinc peti posset ratio, quare nemo Propheta sine honore, nisi in patriâ suâ, ita vt etiam Christus ipse à Nazarenis parui fieret. Et multæ præterea deduci possent indè conclusiones : sufficit patere nobis imprimis, quàm viles nos efficiant rerum terrenarum desideria, cùm res ipsæ, antequàm habentur, tanti pretij, vilitatem trahant à possidentibus, qui illas nimis desiderauerunt.

Psalm. 72.

S. Avgvst.

Alterum quod ex discursu superiore sequitur, & exemplis allatis patet, est: terrena omnia absentia vanitate quâdam & splendore fatuo deludere oculos, atque mentiri, nobis promittentia se posse vi aliquâ saturandi cupiditates ac desideria nostra : quam facultatem dum in illis non reperimus, postquàm desideriorum nostrorum substãtiam & proprium peculium (nobis, vt eo solida bona coemeremus, traditum) in ea impendimus ; piget nimirùm, pudetque nos nostri, atque multò maius odium in res possessas exoritur, quàm amor ille fuerat, quo ea anteà desiderabamus. Sequitur prætereà, quietem nullam, nullam saturitatem sperandam hominibus iis, qui non aliis, quàm diuitijs, voluptatibus, aut honoribus inhiabunt : sed eos animali cuipiam esse similes, quod *Lupum cernarium* Plinius vocat, Lyncem aliqui putant : quod, cùm acutissima polleat videndi facultate, adeò vt neque locorum distantia,

Terrena desiderantes comparati Lupo cernario & Hydropicis.

neque opaci cuiuſuis interpoſitio corporis impediat, quò minùs viſu accipiat quæ obijciuntur; fit vt nunquàm cibo, quem tenet, fruatur, ſed vbi vix delibauit, illum deſerat, ad maiora, quæ vndique obijciuntur, ſe accingens: vnde macie & fame perpetuâ diſcruciatur, cùm aliàs opipare lauteque poſſet epulari, ſi præſentibus acquieſceret. Hydropicis auaros comparat Chryſoſtomus homil. 5. in epiſt. 1. ad Corinth. *Rectè*, inquit, *quidam dixit auaros eſſe hydropicos. Quomodo enim illi, multam aquam ferentes in corpore, magis vruntur; ita etiam auari, multas circumferentes pecunias, plures concupiſcunt.* Nos hanc eandē miſeriam in voluptuariis ac ambitioſis poſſemus deplorare, ſi non maiores adferret auaritiæ miſerias idem Sanctus. Quod enim anteà Poëtas veteres ex tormento auaritiæ, ambitionis, & libidinis, inferni cruciatus confinxiſſe diximus; id adeò ipſe non improbat, vt à veriſſimis & fide comprobatis inferni cruciatibus ſumendam eſſe velit imaginem, quâ nobis poſſimus horum deſideriorum tormenta repreſentare. Audite auream illam eloquentiam. Cùm neminem aut certiùs ſciret, aut grauius torqueri exiſtimaret apud inferos epulone illo Euangelico, cuius aridæ fauces & ſicca lingua nemini attentiùs conſideranti ſicca relinquunt lumina; cum illo auaros non dubitat componere. *Ille quidem*, ait, *maximus erat cruciatus, paruam aquæ guttam concupiſcentem non aſſequi. Quod quidem aſſiduò mihi pati videntur auari, & eſſe ſicut ille qui rogabat, vt eâ frueretur, & non aſſequebatur: eorum enim anima magis ardet, quàm illius.* Tragædias ſcripturi ſumus, ſi exprimere velimus, atque his adiungere varios ambitioſorum & libidinoſorum cruciatus: qui poſtquàm eos egiſſent in furias, ita vt etiam per matris viſcera & fuſum patris ſanguinem vel viam ſibi munirent ad imperia, vel libidini parentarent, tandem eos ad luctuoſiſſimos perduxerunt exitus. Abſalon & Amnon germani, hic libidinis, ille ambitionis, triſte exemplum; Mithridates ſumno prohibitus, quàmdiu patri manus violentas non attuliſſet; Amurathes Turcarum Imperator anno 1584. per quinque fratrum cadauera, quaſi per gradus ſibi viam ad Imperium muniens; quid clamant aliud, quam nullum eſſe furiale venenum, quod adeò malignâ contagione viſcera corrodat, atque hæc deſideria, quæ tantis hominem in furias agunt tormentis? Quæ autem in furiâ quies? Maneat ergo, res illas, quas iam tam fluxas & caducas, tam vanas & falſas, tam parùm appetitum exſaturantes oſtendimus, minimè *centrum* illud eſſe, quod totis votis appetere homo debeat, & cui operæ pretium ſit deſideriorum ſuorum peculium impendere.

CHRYSOST.

Inferni cruciatibus comparantur eorum tormenta.

CAPVT V.

Cæleſtia deſiderantur cum delectatione; terrenorum deſideria cruciant. Cæleſtia item nemo poteſt inuito auferre.

INCITATA oratione properanti mihi ad bonorum deſideriorum materiam, vt citiùs perueniam ad omnium optima deſideria, quorum feſtiuitatem colimus; occurrit mater filiorum Zebedæi, duobus comitata filijs; & quantum ex oculis, ore, vultu colligo, tota eſt inflammata deſiderijs, vnde ſeſe ad pedes Seruatoris abiicit, explicatura quid cupiat. Vide autem, vbi poteſtas loquendi facta eſt, quid petat. Vt filiorum vnus dextrum, alter ſiniſtrum latus occupet in temporali regno Saluatoris. Omnia petit, nihil alijs relinquit diſcipulis. Vnde & illi non parum ſcandalizantur, ſibique factam illâ

peti-

petitione iniuriam existimantes, obliquis notant oculis fratrum ambitionem. Vix enim ferunt maiorum nimiam potentiam, qui minores sunt: maximè si ex eo loco vbi ipsi consistunt, ad rerum apicem illi ædscenderint. Hinc fit vt prudentiores, dum secundos blandientis fortunæ ventos animaduertunt nimis vela distendere, sapienter colligant sinus, quodque fortunâ omni melius est, adhibeant fortunæ modum. Verum matri, (quæ non sibi hæc peteret, sed ijs quibus benè cupiebat) quòd longè abesset ab inuidia, & non tam præcipiti ferretur ambitione, res hæc tanta non videbatur: aliquid se petere existimabat, omnia verò istâ petitione comprehendi non animaduertebat. At ij quibus inuidia aliena omnia augebat in maius, & quibus pectus eiusdem rei tumebat ambitione, plus etiam quàm petebatur, sibi persuaserunt, dignitatemque illam, quam fratres petebant, iam maiorem reddebant suis desiderijs. Parua enim esset omnis potestas maiorum, si non tanta esset in inferioribus cupiditas. Vis generosam de omni excellentia vindictam? fac ne eam admireris; & magis, ne illâ egeas: facieque dubitare potentes num aliquid possint. Qui nihil sperat neque extimescit, exarmauit impotentis iram, imò & potestatem: ipsis querelis nostris & desiderijs potentiores facimus illos, de quorum potentiâ querimur. Verùm id iam non agimus, alio res isthæc facit. Audi quo te ducam. Nocte illâ, quæ Christo vitæ huius erat suprema, ipse discipulorum suorum mœrorem & afflictionem solaturus, cuius omnes causâ dolebant; *Vsque modò*, dicit illis, *non petistis quicquam: petite, & accipietis.* quid hoc? iam totum Apostolorum collegium turbatum vidimus ambitione & audaci petione duorum fratrum, qui ne spatium quidem Christo relinquebant vbi liberius brachia sua posset diducere, adeò firmiter illi latus vtrumque claudere cupiebant: & nunc Seruator dicit; *Vsque modò non petistis quicquàm.*

Omnia terrena nihil.

Ioan. 16.

Nihil ergo est prima à Rege in regno sedes? nihil tantus honor, tantæ diuitiæ, tot voluptates, quæ necessariò dignitatem istam consequantur? nihil sunt omnia quæ fratres prætendebant? *Intantæ rei comparatione*, inquit S. Augustinus, *quidquid aliud concupiscitur, nihil est.* Petite ergo aliquid in nomine meo, petite quod vobis accepisse prosit, & quod me dare non dedeceat: nam petere quod parum aut nihil est, non est petere vestrum, neque meum dare vobis: nihil enim sunt ista omnia. Vide quàm sacræ paginæ non existiment illa esse quidquã. De Abrahamo enim, Isaac, & Iacob S. Paulus dicit, eos non accepisse promissionem, sed mortuos in fide promissorum quæ illis fecerat Deus, adeò vt tantùm à longè terram conspicerent. Quomodo, (petit S. Chrysostomus) dicitur Abraham non accepisse promissionem, cùm alibi Scriptura fateatur eum descendisse in Palæstinam? & respondet: *Venit quidem in Palæstinam, non hanc autem spectabat, sed aliam quam desiderauerat in cælis.* Itaque in ipsam illam terram promissam intrare, ex mente Apostoli, non est recipere quidquam: nihil enim est illi quidquid in terrâ accipit, qui in cælo exspectat omnia. Neque alio hoc confirmabo exemplo, quàm ipsius Virginis Mariæ, cuius hæc dies consecrata est Expectationi & desiderijs. Quam enim illa desiderare posset in terrâ magnitudinem, cuius iam ipsum apicem acceperat? Solam spectata nobilitatem, quæ cætera ferè secum trahit omnia: quot in antecessoribus Reges, quàm magni & quàm sanct virii! Dauid, quẽ Deus ipse inuenerat virum iuxtà cor suum: Salomon, portentum illud sapientiæ; quam dummodò vel audire possent Reges alij, lubentes deferebant regna sua: vt omittam non inferiorem ipsi sapientiæ maiestatem, & maiestati pares diuitias: Iosias, Ezechias, sexcenti alij, Ioachim denique & Anna nobilissimi parentes: Tum quæ ipsam tangunt propiùs, forma & pulchritudo corporis, gratia & eloquentia, sanitas & expers omnis doloris corpusculum, quæ nemo non

S. Avgvst.

Mariæ desideria.

omni-

omnibus ceteris humanis ante ponit, quanta fuerunt? sed quantacunque fuerint, non in ijs spem suam locabat Virgo: non terrena hæc ipsi erant scopus desideriorum: perindè enim, atque Patres illi, hospes & peregrina erat super terram. hospitis autem non est, eorum quæ in hospitio reperit pulchritudine ita detineri, vt viæ suæ aque patriæ obliuiscatur. In patriam ergo atque in Deum omnia Virginis tendebant desideria, in Deum spes omnis ipsius ferebatur: eius vti cognoscebat immensitatem, & magnitudinis infinitatem, ita penè infinitis eum votis expetebat, pandebatque immensum sanctæ cupiditatis sinum, qui quo magis impleretur, eò capacior fieret, adeò vt neque acquisitione vllum quærendi modum statueret, neque tamen isto noua semper accipiendi desiderio cruciaretur. Nam quod *spes quæ differtur affligit animam*, de temporalibus dictum existima: vbi tormentum illud, quod ex boni iam cogniti, nondum acquisiti, desiderio nascitur, satis honesto nomine spes appellatur, cùm malum potiùs sit timoris, & nescio cuius alterius anxietatis pleniſſimum. In spiritualibus autem contrarium fit, vt ipsa illa res, quæ nondum acquisita sollicitudinem adfert, afficiat animum honesto quodam sapore, non illo quidem qui ex re percepta oritur, sed alio diuerso quidem, sed qui nihil habeat admistum mali. Vis dicam? Sic illa, quam spes bonorum solidorum habet, sollicitudo iucunda est, quomodo poma quædam sunt suauiter aspera, quomodo in vino nimis vetere ipsa nos amaritudo delectat. Vis aliter dicam? Quemadmodum artifici iucundus est pingendi labor, & sæpè iucundior quam pinxisse (nam illa in opere suo occupata sollicitudo, ingens oblectamentum habet in ipsâ occupatione, vt vix æquè delectetur qui ab opere perfecto remouit manum) & fructu artis suæ fruitur, ac is qui fruitur arte dum pingit: ita acquisito summo bono Virgo Maria, fructu desideriorum suorum fruitur, sed ipsis fruebatur desiderijs dum sperabat. Hinc sæpè confundit scriptura sacro & arcano loquendi modo desiderium & gaudium; vti patet Matth. 12. cap. vbi vir prudens, posteaquàm certò cognouerat in agro quopiam ingentem pecuniæ vim defossam esse, *præ gaudio illius*, id est, præ desiderio (nondum enim habebat) *vadit & vendit omnia quæ possidet.* Tantus verò thesaurus est ipsum rerum diuinarum desiderium, vt omnes mundi deliciæ & diuitiæ vendendæ atque abijciendæ sint, vt gaudium percipiamus, quod in thesauro illo est absconditum; ideoque Psalmista Regius exhortatur: *Lætetur cor quærentium Dominum.* Quærentes Dominum non vult (quemadmodum fieri amat in ceteris) angi sollicitudine, distrahi curis, vexari tristitia, tentari desperarione: sed lætari & gaudere, perfrui pace & tranquillitate animi. *Quia tantum bonum est Dominus*, inquit Bellarminus hîc, *vt melius sit illum quærere, quàm cetera omnia possidere.* Et Apostolus: *Spe gaudentes*, inquit ad Rom. 12. *Ibi iam re gaudebit, modò adhuc spe*, dicit sanctus Augustinus in Psalm. 64. Res adeò certa est, quæ primâ fronte incredibilis videbatur, vt in prouerbium eam verterit Salomon capite 10. *Expectatio iustorum letitia.* Et sanctus Bernardus ex hoc, quod cum spe & exspectatione coniunctum est, gaudio, tanquam ex re magis certâ, cælestis gloriæ magnitudinem probat sermone 4. in Psalm. *Qui habitat. Si exspectatio iustorum lætitia, & tanta lætitia, vt omne quod desideratur in sæculum non valeat ei comparari; ipsum quod exspectatur, quid erit?* Quàm diuino emblemate quietam hanc spem, securam sollicitudinem, lætum desiderium expressit Psaltes, dum hoc summis votis appeteret, tanquàm magnam beatitudinis suæ partem! *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ? & volabo, & requiescam.* Contraria videntur volatus & quies, sed magis videntur

Spes rerum terrenarum cruciat, cælestium delectat.

Desideriũ celestium, cum Gaudio confunditur.

Matth. 12.

Psal. 102.

Rom. 12.

Prou. 10.

S. Bern.

Psalm. 54.

dentur ſpes & gaudium. Imaginabatur itaque ſibi Propheta iſtum columbæ volatum, quando poſt ingentem plauſum librata quietiſſimè per aêrem, *Radit iter liquidum, celeres neque commouet alas*, vt potiùs quieſcere videatur quam procedere, cum tamen nunquam feratur celeriùs: & ita citatiſſimis animi motibus ferri volebat ſpem ſuam, ſic tamen, vt innixa ſecuræ certitudini, gaudio potiùs quieſcere, quàm ſpe ferri videretur. Quâ in re tantam ſibi felicitatem imaginabatur, vt beatos illos appellare non dubitet, quibus contingit ita ſperare in Domino; Pſalm. 39. *Beatus*, inquit, *vir, cuius eſt nomen Domini ſpes eius, & non reſpexit in vanitates & inſanias falſas.* Dauidi ſuffragatur Iſaias 30. cap. *Beati omnes qui exſpectant eum*; & verè beati, nam illiuſmet beatitudinis, quâ Sancti fruuntur in cælis, pars magna, hoc ipſum eſt gaudium, quo ſperantes delectantur in terris: permanet enim aliquâ ratione ſi non idem illud deſiderium ſecundùm ſe totum, aliquâ tamen parte ſui. Nam cùm rerum, quas hîc ſperamus, vel ſatietas nos teneat, vel torqueat deſiderium; fit vt deſiderium dolorem pariat ſi fruſtremur, ſatietas autem dum acquirimus faſtidium: at verò in gaudio illo, quo Sancti gaudent in cælis, ſimul & deſiderium inuenitur & ſatietas, vtriuſque inquam bona malis ſecluſis: neque enim ſatietas faſtidium adfert; neque deſiderium, rei concupitæ laborat inopiâ. Sed ne gratis hoc, vel aliquorum Theologorum ingratiis affirmare videamur, author nobilis & defenſor huius ſententiæ eſt D. Petrus 1. epiſt. cap. 1. vbi dicit: *In quem deſiderant Angeli proſpicere.* Nec enim, opinor, quiſquam eſt adeò inſipiens, vt hanc Petri ſententiam iſti Veritatis, *Angeli eorum ſemper vident faciem Patris mei qui in cælis eſt*, vel opponendam, vel præferendam putet: nam quod cuipiam occurrere poſſet de clariore vel perſpicaciore videndi modo S. Petrum intelligi debere; anteà Dauid refutauerat, quàm Petrus ſcripſiſſet. *Satiabor cùm apparuerit gloria tua.* Reſtat ergo, vt cum ipsâ viſione & viſionis ſatietate conſiſtat videndi deſiderium. Quaſi in labyrinthum contradictionis hîc nos S. Auguſtinus deducit tract. 3. in Ioan. vt ipſi veritati doctiſſimè inerrantes, non intricemur fallaciis, ſed delectemur ambagibus. *Talis erit illa delectatio*, inquit, *vt ſemper ſatieris, & nunquam ſatieris. Si enim dixero, quia non ſatiaberis; fames erit. Si dixero, quia ſatiaberis; faſtidium timeo. Ibi nec faſtidium erit, nec fames.* Vide intricatum, exitûs ignarum, virum doctiſſimum: *Quid*, inquit, *dicam neſcio*; & tanquam Deum ſubtiliſſimum aliquem ex machina exſpectet, qui Ariadnæum filum deſuper porrigat, ſubiungit: *Sed Deus habet quod exhibeat non inuenientibus quomodo dicant, & credentibus quid accipiant.* S. Gregorius, dum viam aliam tentat, etiam ſententiam noſtram eodem ferè luſu verborum confirmat, & explicat: *Quia ipſamet ſaturitas*, ait, *ita abſque faſtidio eſt, vt deſiderium iunctum ſimul habeat, ſitq; deſiderium ſine anxietate.* Addamus & tertium lumen Eccleſiæ, S. Bernardum ſerm. 84. in Cant. vt aliquid hîc habeamus luminis: *Non pedum paſſibus, ſed deſiderijs quæritur Deus. Et vtique non extundit deſiderium ſanctum felix inuentio, ſed extendit. Numquid conſummatio gaudij, deſiderij conſumptio eſt? Oleum magis eſt illi: nam ipſum, flamma, ſic eſt. Adimplebitur lætitiâ; ſed deſiderij non erit finis.* Sed quorſum hæc omnia? vt cùm in cælis maneat ipſum deſiderium, vbi nihil eſt præter gaudium; intelligatur non à veritate nos aberrare, dum dicimus eum, qui contemptis. omnibus quæ in mundo vel irritant nos vel territant, ſpem ſuam locauit in Domino; licet feruentiſſimis vrgeatur deſideriis, ſuauiſſimo tamen perfrui gaudio, & aliquá parte æternæ felicitatis. nam pro diuitiarum crepundiis, pro vanitatibus honorum, pro carnis voluptatibus, & pro illis quæ parua ac fragilia ſunt, & in ipſis flagitiis noxia, in ipſa dulcedine amara, in futili ſuo atque apparenti delectatione triſtiſſima; ingens gaudium ſubit, inconcuſſum; & æquabi-

Deſiderium & gaudium ſimul ſunt in Beatis

1. Petr. 1.

Pſalm. 16.

S. Avgvst.

S. Greg.

Bern.

le, tum pax, & concordia animi, & tranquillitas cum beatitudine. Hoc tantùm eos inter & beatas illas mentes discrimine, quod illæ desiderant fruendo, *Inquem desiderant*, inquit, *Angeli prospicere*: hi verò fruantur desiderando teste Dauid, *Memor fui Dei, & delectatus sum.* At in spe illâ, quæ caduca & peritura ostentat bona, nullus gaudio est locus: timor, metus, formido, sollicitudo, anxietas occupauerunt omnia: nec habent hîc gaudium & dolor suas vices; sed dolor dolorem excipit, atque ideo tantùm cessare videtur priùs tormentum, vt nouis alterum viribus torqueat. S. Augustinus id testatur: *Duo sunt tortores animæ, non simul torquentes, sed cruciatum alternantes.* Ipse Seneca, qui nondum fidei lumen aspexerat, hoc tamen viderat, voluptatem ipsam non sine summo dolore in iis esse atque turpissimâ ignominiâ: *Vides autem*, inquit lib. de vita beata, *quàm malam & noxiam seruitutem seruiturus sit quem voluptates doloresq; inertissima dominia, impotentissimaq;, alternis possidebunt.* Vt enim omnia omittam, quæ sibi quodammodò inuidens prosperitas machinatur, ne quod ad possessorum gaudium perueniat: ipse metus primam incîdit gaudiorum telam vixdum exorsam, tantâque cingit formidine totum hominis animum, vt nusquàm lætitiæ sit aditus. Tum ipsa satietas quantum in voluptate tormentum! circumfundatur enim illa vndique, per omnes vias influat, animamq; blandimentis suis leniat, aliaque ex aliis admoueat, quibus nos totos parteq; nostri sollicitet: Quis mortalium, cui vllum supereſt hominis vestigium, per diem noctemque titillari velit? imò quis per suam, voluptatumque suarum conditionem, si velit, possit? vt duplex sit tormentum inuita satietas. Voluptas enim cùm maximè delectat exstinguitur, nec multum loci habet: itaque citò implet & tædio est, & post primum impetum marcet; & quod omni stultitiæ proprium est, laborat fastidio sui.

Terrenorum tam desiderium quàm possessio, gaudio carent.

LVCVST.

O vanam, volubilemque bonorum istorum fortunam, quæ mundus potest promittere! O spem eorum miseram & anxiam! quantos si fallant, quod plerumque accidit, infligunt dolores! quantas autem, vt maximè veniant, secum adducunt trepidationes! Felicem contrà eorum sortem, qui æterna & solida cæli desiderant bona, ditissimos fidei thesauros, lautissimas gratiarum diuitias, atque opes charitatis, vt verè dicam, opulentissimas: bona denique (vt S. August. ea non ingeniosè magis quàm solidè laudat) *quæ nec dari possunt ab hominibus, neque auferri.* Quod auferri nequeant, ad securitatem facit; quod dari non possint, tum nobilitatem eorum ostendit, tum etiam nostram nobis asserit libertatem. Præterquàm enim quod ignominiâ non careret ab æqualibus & sæpe inferioribus petere; præterquàm quod intolerabilis sit repulsa, maximè quando preces (earum vtique pretium) impedimus; tantum quorundam, etiam annuentium precibus est supercilium, vt iam tum ostendant quantam tibi imponant concedendo seruitutem: adeò vt malim, quamuis & preces perdiderim & petendi verecundiam subierim, adhuc in lucro ponere repulsam; quàm vt subeam tam acerbi beneficij obligationem: beneficij potiùs loco habiturus libertatem, quam abnuendo concedet is, qui cõcedendo petitionem, petenti induceret seruitutem, ob quam nunquam deinde possem beneficio ignoscere. Illis itaque studeamus diuitiis, quæ nec dare possunt homines, neque auferre. Ingeniosè S. Prosperi musa.

Bona vera nec dari ab hominibus possunt, nec auferri.

AVGVST.

S. PROSP.

Omne bonum mundo concretum, & tempore partum,
Quâcumque amitti conditione potest.
At bona, quæ verè bona sunt nec fine tenentur,
Semper habet, quisquis semper habere cupit.

Summa semper habita est felicitas, Dominum esse suæ felicitatis: fortunam sibi fingere; rotam illam instabilem manu regere, & cùm suprà fortunam sis, ipsam etiam inuidiam superare: maiorem neminem timere, ab

inferio-

inferioribus coli, ab æqualibus amari: non pendere à casu, non perturbari hominum de se opinionibus: non extolli fortuitis, nec frangi : extrà metum, extrà cupiditatem poni. Ecce omnia hæc promittit Prosper, si tibi vnicus in votis Deus, & bona quæ ducunt ad illum: si in sola æterna, tua expendis desideria. Quid enim videtur? fierinè potest, vt hominem ita fundatum, ita securum, velit nolit, non sequatur hilaritas continua, & lætitia alta atque ex alto veniens, vt quæ solidis gaudeat, atque iis, quæ licet sibi dare non poterat, non potest tamen semel habitis, nisi ipse velit, spoliari? Inter delicias suas hoc maximè gaudebat gaudio Sponsa, quæ, cùm diu quæsiuisset dilectum suum, *Tenui illum*, exclamat, *nec dimittam*. amittere enim non timebat; nisi ipsum ea dimitteret : atque hinc oriebatur in ea illud inæstimabile bonum, quies mentis in tuto collocata, & sublimitas casum despiciens; expulsisque terroribus, ex cognitione securitatis suæ, gaudium grande & immotum, hilaritasque ac diffusio animi. Tunc enim perfectum est mentis gaudium, cùm innixa cælestibus, fortuita contempserit: statura semper vbi constitit, ac sedem suam, etiam iratâ & infestante fortunâ. vindicatura. *Cant. 3.*

CAPVT VI.

Omnium optima desideria fuerunt B. Mariæ virginis, maximè ea quibus Messiam expetiit.

SATIS, arbitror, pervana hominum vota & spes inanes, sanctissimis illius desideriis prælusimus, quę de seipsâ fatetur: *Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & sanctæ spei.* neque mirum videri cuipiam debet, quod tam diu de Exspectatione dicere, inter hominum cupiditates occupati, exspectauimus. si quid indefastidij, id rei quæ exspectatur, magnitudine vel vincere, vel certè facilè compensare poterimus. Si enim exspectatio, & vota tam diuturna, tam ardentia Patrum nostrorum, abundè pretium operæ suæ tulerunt, quando orta est illa Aurora, quę plus horæ vnius spatio de sole subsequente promitteret, quàm omnia per tot annorum noctem vniuersam stellarum lumina: nobis longum videri non debet tempus illud, quod inter mundanarum cupiditatum caliginem confecimus, vnde gratiùs oboriatur lux istorum desideriorum, quæ noctis tam longæ dispellens tenebras, & vehementi impetu suo penetrans nubes, cælos ipsos disrumpet, vt descendat Sol ille, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.

Fundatur, inquit Psalm. *exultatione vniuersæ terræ mons Sion*: vel, vt paraphrasis Chaldaica interpretatur, *Fundatur speciosa puella, vel nympha gaudium vniuersæ terræ*. Fundatur speciosa puella, de qua dictum: *Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es, & macula non est in te*) non ruinosâ diuitiarum, voluptatum, honorumque materiâ, quæ terrâ obrui debeat vt exsurgat ædificium; sed desideriis & votis radicatis in cælo, vt inde ad nos descendat *desiderium collium æternorum & exspectatio gentium*. Fundatur, inquam, puella illa, ædificium illud, templum illud Dei in monte Sion, altioribus fundamentis, quàm ipsa palatiorum sunt fastigia. Et Eusebius legit, *votis*, vel (vt Vulgata) *exaltatione* (quæ sequitur vbi votorum facti sumus compotes) *vniuersæ terræ*, quia hanc fundationem tot votis terra vniuersa suspirauerat. S. Augustinus per montem Sion Christum ipsum intelligit, qui quando in visceribus Mariæ virginis fundatus fuit, exultatione id terræ vniuersæ accidit, vt potè cuius vota, per tot annos tot suspiriis extracta, hâc fundatione, adimplerentur. S. Chrysostomus (vt in hac fundatione tot operas & administros architecti Spiritûs sancti imagineris *Psal. 47.*

gineris, quot locus hic habet Interpretes) legit: *Benè fundatur mons Sion.* Lubet ad vota properantibus, quod peregrinantes solent, ſicubi pulchra aliqua moles conſpirante artificum multorum ingenio exſurgit, hanc fundationem nonnihil de via contemplari. *Benè* namque (quod eſt, ex artis regulis atque architectonicæ præceptis) eam fundari niſi certò ſciret & examinaſſet vir tantæ authoritatis; non aſſereret. *Benè* autem fundatur ædificium, quando fodiendo terra ſolida reperitur, cui tutò molem ceteram credere poſſis. *Fabrica,* inquit Euthymius, *donec fodiendo peruenias ad terram virgineam, id eſt, nondum viſam: quod ſi magnam molem conſtruere cogitas, altiùs fodias, donec firmiorem ſolidioremq; inuenias materiam, quam cretatam vocant. Ille verò ſapientiſſimus eſt, qui ædificauit domum ſuam ſuprà petram.* Atque hîc animaduertenda architecti noſtri Dei ſapientia, qui molem incarnationis diuinæ exædificaturus, Angelum mittit, qui terram reperiat virginem: *Miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo ad Mariam virginem*; & verò ad virginem *nondum viſam* hominibus, nondum lucipublicæ oſtenſam: thalamo enim ſuo abſcondita Virgo, clauſo oſtio Deo & precibus vacabat. Euangeliſta id innuit: *Et ingreſſus ad eam Angelus.* Iam ſi cuique in ſuâ arte habenda eſt fides, ab ipſo architecto nos diſcere oportet, quænam terra iaciendis fundamentis ſit aptiſſima? Vitruuius enim, vbi de fundandis ædificiis eſt ſermo, id ſolum huic rei optimum eſſe & ſolidiſſimum, ait, quod rubeſcit. Vide autem virginem ad laudes ſuas ipſo ſalutationis Angelicę initio, honeſtatis colore perfuſam, & toto vultu præ verecundiâ erubeſcentem. Verùm id quoque obſeruant ædificandi magiſtri, vt eò altiùs demittant ædium fundamenta, quò moles, quę incumbere debet, eſt maior. Non ignorabat Virgo quanta res ageretur, quam ſtructuram moliretur Spiritus ſanctus, cùm ipſummet manum adhibiturum operi audiebat: *Spiritus ſanctus ſuperueniet in te.*

B. Virgo aptiſſima ſupra quam fundetur incarnationis myſterium.

Curauit ergo vt locus fundamentorum eſſet profũdiſſimus, eâ humilitate, quâ vix excogitari poteſt maior: *Ecce ancilla Domini.* Cùm verò ſapientiſſimus ſit, qui *ædificat domum ſuam ſupra firmam petram*; ſciebat Angelus quid numeris ſui eſſet, neque ignorabat quod Chriſtus poſteà palàm docuit: *Omnis qui audit verba mea, & facit ea, aſſimilabitur viro ſapienti, qui ædificauit domum ſuam ſuprà petram:* Petram nimirùm eſſe obedientiam. Fodere igitur non deſtitit, donec hæc illi vox obedientiſſima occurreret: *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum.*

Atque hæc omnia de ſoli ipſius natura, vbi ædificaturus eſt qui nolit perdere ſumptus & operam. Verũ qui domũ cupit quàm optimè collocare, etiam ſitum & ornatum loci extrinſecum non parùm attendit: quod artificem noſtrũ non neglexiſſe quinta editio oſtendit, quæ ſic habet: *Speciosis ramis ornatus mons Sion*, & litteralem ſenſum proximè reſpicit. Montem enim illum, vbi Templum omnium gentium exultatione conſtructum fuit, denſis vndique arboribus conſitum fuiſſe omnium vnanimis eſt ſententia. Sed quando arbores aſſignandæ, quibus maximè floruit; tum varias in partes diſceditur. Sunt qui Palmarum delectentur viredine, alij Cedri incorruptibilitate, Oliuæ pinguedine alij, quidam pro Cypreſſis Scripturam ipſam facere exiſtimant Eccleſ. 24. *Sicut cypreſſus in monte Sion*: quidam ad Roſarum amœnitatem illam trahunt, atque vbi nos legimus Abrahamum in locum filij Deo *arietem* immolaſſe *inter vepres hærentem cornibus*, illi *inter roſeta* legunt. Ego verò poſt omnes citatus, nihil improbare volo quod priores decreuerunt, ſed hoc ampliùs cenſeo, Non vnius tantùm generis pulchritudine ornatum fuiſſe montem illum, ſed ſingulas ex nominatis arboribus ſymbolum ſuum contuliſſe, quò amœniore varietate plecterent illam venuſtatem, quæ Deum inuitauit, vt ibi potiſſimùm templum ſibi exſtruendum cenſeret. Quòd ſi transferamus ad myſticum noſtrum montem,

Ornatus erat mons Sion arboribus, Maria virtutibus.

montem, in quo Deus templum illud diuinitati suę ex carne humanâ fabricauit; fatendum erit, sordescere omnem materiæ pulchritudinem, quando oculos ad Mariam reflectimus. Vbi ex ipso Festi huius titulo primam se offert Oliua spei; decantata enim iam dudũ est Prophetę Regio Psal. 51. virtutis huius cum arbore istâ cognatio: *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei speraui in misericordia Dei in aeternum, & exspectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum.* Caue autem rerum terrenarum spem aut desiderium cogites, quæ minimâ fortunæ sese vertentis aurâ, aut flatu aduersitatis omnem virorem suum deperdit; sed eam, cuius, ob innatam pinguedinem, folium non decidet, quod assiduè fœcundo gratiarum succo cælitùs fomentetur, quemadmodum oliua aduersùs omnem aëris iniuriam innatâ sibi pinguedine est immunis. Non deerat etiam Cedrus in mõte nostro, quæ BB. Bernardo & Augustino, aliisque, ob incorruptionem (quæ neque tineas neque cariem sentit) virginitatis habetur symbolum: *Missus est Angelus Gabriel ad virginem.* Non deerat Rosa; Bernardo item signum verecundiæ; *Turbata est in sermone eius.* De Palmâ autem quid? mirum est quod de eâ S. Basilius memorię prodidit, quandam inter id arborum genus animaduerti sexûs varietatem; neque fructum sperandum esse à femellâ vllum, nisi ventus per marem transiens, illi inspiret fœcunditatem: sed mirabiliùs quod Angelus promittit Virgini: *Spiritus sanctus superueniet in te*: auram nimirùm illam cęlestem, virginalia eius viscera, palmæ adinstar, fœcundaturam, vt fructum proferret desideratum cunctis gentibus. Inueniemus & Vepres paupertatis, si montem vndique perlustremus: quæ sit autem arboris huius cum animi demissione affinitas, Scriptura lectionis diuersitate ostendit. vbi enim dixit Psaltes, *Respexit Deus orationem humilem*, alia lectio est, *Exaudi Deus orationem pauperum*: humilitatem autem Virginis nemo ignorat, qui intelligit quid sit, *Ecce ancilla Domini.* Complent denique hanc varietatem lento suo & flexibili trunco Cypressi: quas non solùm perpetuitatis causâ tabularum, quæ leges exciperent, volebat esse materiam diuinus Plato; sed vel ideo maximè, quòd lentore suo docerent quàm flexibilia & accommodata ad obediendum deberent esse corda eorum ciuium, quibus præcipuè inscriptas volebat leges. Effert autem hęc in Virgine sese Obedientia inter alias, *quantum lenta solent inter viburna Cypressi*; quando hæc sola mysterium illud admirabile perficit, cui impetrando reliquus omnis seruiebat ornatus. Atque hæc amœna syluarum varietas florebat in monte hoc Sion, non tantùm soli bonitate, sed climatis etiam aëriśque benignitate admirabili. Terra enim illa sola non senserat communem maledictionem, quæ reliquum terrarum sterilescere fecit in laborem & sudorem mortalium. De climate dubitare non finit Tigurina, quæ legit: *Speciosus clima mons Sion.*

Sed interpretandi atq; in lectiones varias formandi locũ hunc, finem faciat S. Augustl. lectio: *Dilatans gaudium mons Sion.* Cui addamus, *vota*, ex Eusebio; vt sit, *dilatans gaudium & vota mons Sion*: & ita locus hic (qui, quamcunque versus in formã, optimè seruiuit huic festiuitati & Euangelio) ea quæ deinde dicturi sumus præclarè quasi digito monstrabit: quàm lata & dilatata nimirũ fuerint Mariæ virginis Filium suum tum concipiendi, tum conceptum foris videndi, desideria. Cui tandem adiungẽtes versionem Septuaginta, *Pulcher propaginibus mons Sion*; videmus an inde possimus propagines quasdam & surculos cordi nostro inserere, vt iis tanquã in quincuncem dispositis virtutum arboribus alliciamus diuinam Maiestatem, vt in loco cordis nostri isto viridario exornato, dignetur sibi ex ædificare domiciliũ. Quod haud dubiè facturus est, si nos, quâ par est sedulitate & diligentiâ, lapides, cæmenta, calcem desideriorum comportemus, vt vilem illam, in quantum

quidem à nobis est, materiam substernat saltem in fundamentis.

CAPVT VII.

Solum Deum desiderauit Maria tam feruenter, vt eum ad se pertraxerit: omniũ antiquorum in eò desideria superauit, incipiendo à primo Conceptionis momento, vsque ad ipsam Incarnationem.

QVAM certum est rerum omnium, quæ infra hominẽ sunt, desideria, cordis sublimitatem inclinare, animi magnitdinẽ inflectere, hominis denique dignitatem ad res viliſſimas abiicere; tam nobis indubitanter persuadere debemus, nullo horum vnquam tactam fuisse virginem Mariam. Nec enim corpore magis quàm animo virgo illa erat: huius autem integritas non in libidinis vnius fugâ, sed in omnium desideriorum quâdam sita est continentiâ, ne videlicet illa ferantur in res eas, quarũ amore possit aliquâ ratione ipsius dignitas delibari. Perinde enim turpe est menti cælestium capaci, lædi ab imbecillibus, aut falsis decipi; quã contaminari à sordidis, aut vanis deludi. Quę omnia sic abfuerunt à Virgine, vt illa verè pronuntiare possit: *Sperauit anima mea in Domino, à custodiâ matutinâ vsque ad noctem*: id est, à primo conceptionis instante, quando tu Deus meus firmam illam ponebas animo meo gratiarum tam multiplicium custodiam, ne vspiam appropinquaret ad eum malum; vsque ad noctem illam, quâ suauissimè in manibus Filij mei obdormiui; *sperauit anima mea in Domino*, omnis alterius expers desiderij, omnis incapax voti, omnis ignara cupiditatis, quæ non rectâ ferretur in Deum. Vnde factũ est, vt cum amoris diuini ignis, qui in tenero illo pectusculo ab ipso conceptionis instante, mirum quantis flammis inardescebat; nouis quot momentis ventilaretur desideriorum flatibus, in immensum crescceret, & non solùm terram impleret ardore suo, sed cælo spargeret incendia, & mentes illas cælestes nouis succẽderet ignibus; Deum certè ita commoueret, vt, qui ipse ignis est, huic se igni per desideria ipsius detractus è cælo coniungeret: adeò vt non iam centrum ignitorum desideriorum Virginis, ignis ille cælestis videretur, qui supra creata omnia sibi propriam æternitatis & immortalitatis sphæram delegit; sed potiùs ille de cælo & de altissimo solio suo ad Virginem, tanquam locum sibi naturalem, descenderet. Quę desideriorum puritas & sublimitas permouit feruentissimos illos Synodi Toletanæ Prçlatos, ac totam deinde Ecclesiam, vt non tantùm res gestas B. Marię virginis, prout reliquorum Sãctorum, sed etiam internas cogitationes eius, piaque mentis desideria Festo peculiari celebranda decreuerint: vt feruore eorũ tepiditas nostras accenderetur; & rectitudine, curuę nostræ in terram & terrena animę erigerentur, ad desiderandum eum, quẽ Virgo solũ cupiebat, qui etiam solus potest saluare & satiare animas nostras.

Psalm. 129.

Sed de horum desideriorũ magnitudine imbecillitas nostra nihil omninò videbit, si directis in eam oculis velit excçcari potiùs, quam cçcutire. Si verò, vt in aqua, aut pelui solis radios intuemur, obliquè tamẽ & quodam flexu; sic in exẽplis & rationibus velimus istæ cognoscere: id fortasse labor efficiet, vt licèt non assequatur quod desiderat, eius tamen quod assequetur, eum non omninò pœniteat. Per exempla, quæ via breuissima dicitur, priùs incedemus: quę ne longiora fiant, vtpotè quæ sunt per quatuor mille annorum extensa spatiũ, sermonis breuitatẽ adiungemus. Vbi hoc

Vota Patrum antiquorum præfigurabant desideria B. Mariæ Virginis.

hoc imprimis notandum, vt omnium ceterarum virtutum, quas in Deipara colimus, vmbrę quędam, & quasi rudi carbone notata lineamenta sunt omnia, quæ antiqui cum laude gesserunt: ita eorum Christum Saluatorem videndi per tot annos à tam diuersis, tantâque sanctitate viris, emissa desideria, tam efficacibus à Scripturâ verbis exposita, licèt omnia in vnum compinganrur suspirium; illud tamen tam efficaciter nõ penetraturum nubes, neque tam directè, tam ardenter, tam celeriter ferendum in Deum, quàm minimum Marię desirium latum fuerit. Non hoc eò adfero, quòd derogatum aliquid velim antiquorum feruentissimis verâque pietate succensis desideriis; vel quod ignorem quanta animarum, quæ limbo detenebantur, quàm pura & ab omni terrenâ cupiditate libera fuerint suspiria, quibus anhelabant tandem aliquando videre liberatorem suum, qui illos è carcere isto tenebroso & vmbrâ mortis educeret: sed quòd sciam, nihil picturam ad vitam, nihil vmbram ad corpus, nihil figuram ad veritatem facere, quantumcunque naturaliter hæc ista conentur exprimere. Audiamus, & siquidẽ possimus, augeamus etiam Patrum vota, vt mente nostrâ Virginis desideria aliquatenus adumbremus. Ecclesia, optima rerum similium interpres, per litteram suspiriosam O sæpissimè repetitam illa depingit, dum canit: *O sapientia, O Adonai, O Radix Iesse, O clauis Dauid, O oriens sol, O Rex gentium, O Emmanuel*: ex imis illa eructabant præcordiis, & toto mentis anhelitu suspirabant, hinc miserias quibus obuoluebantur, inde bona quæ promissa toties Seruator allaturus erat, intuiti. Clamat vnus omniũ votis, & ferè impatientiam prodit dilati desiderij: *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes! Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem*. Quid consilij capiant, vnde auxilium petant, quis opem locus aut salutem adferat dum nesciunt, nusquam non conuertuntur. Cælum fortè tanquam ære fusum opponit tibi ingentes suos fornices, nec viam dat quâ descendas? Vtinam faceres potentiam in brachio tuo, & simul viam pedibus tuis quibus, dummodò velis, nihil potest esse inuium! Si nubes oppandunt tibi ingentia aquarum vela, soluantur. Si terra te gremio suo continet, aperiatur. Si cęlum impedit, rumpatur. Tanti enim nobis est aduentus tuus, vt vel machinæ huius redimendus sit dissolutione potiùs, quàm vt ea moram ponat desideriis nostris: *Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos: excita, quare obdormiscis Domine?* excita potentiam tuam, & moras omnes rumpe, cęlosque ipsos diffringe, & veni, vt saluos facias nos: te enim obtento salui erimus, licèt pereant vniuersa. Longior sim, & nimis abutar desiderio vestro, quo dudum Virginis Mariæ desideria cupitis cõtemplari, si per singula Patriarcharum & Prophetarum vota deducam longam desideriorum catenam, quã illi quadraginta nexuerunt sæculis, vt eâ tandem Filium Dei in terram pertraherent. Verbo sufficit dicere, omnem eorum occupationem, omnem sanctimoniam, omnem denique vitam nihil fuisse aliud, quàm ardentissima Seruatoris desideria. Viri illi erant desideriorum, & omnis eorum virtus desideria, quibus ita mentem occupatam habebant, vt minimâ occasione, aut obiecti similitudine, vbicunque vel de captiuitate, vel de libertate fieret mentio, illi sine lege, sine ordine & connexione statim eò ferrentur, quo totus propendebat affectus, & de Seruatore suo, quem solum desiderabant, sermonem inducerent. Quod tum ad intelligendam Exspectationis magnitudinem, tum ad genuinam multis in locis Scripturæ interpretationem iuuerit aduertisse. *Affectus* enim *& amor*, (S. Bernardo teste serm. 67. in Cant.) *non attendit quo ordine, quâ lege, quave serie, seu paritate verborum ebulliat: interdum nec verba requirit.* Cernere id licet Exodi 4. Moyses ad solam captiuitatis mentionem, vnde populũ liberaturus mittebatur, exclamat statim: *Obsecro Domine,*

Patrum antiquorum desideria.

Isai. 45.

Bern.

Exod. 4.

Domine, mitte quem missurus es. quod fefellit Eugubinum, qui locum hunc non nisi violenta intrepretatione putat de aduentu Messiæ posse intelligi. Magis enim extra rem videtur illud (rem nostram pulcherrimè illustrans) Iacobi suspirium, quo inter describendum Sampsonis, Hebræorum de tribu Dan fortissimi, res gestas atque victorias memorabiles, erumpit: *Salutare tuum exspectabo Domine.* ac si diceret: Erit quidem Dan coluber in via, ceraستes in semita &c. populum suum non semel de manu Philisthæorum saluabit; sed non saluatoribus istis tempus eget: ego certè alium expectabo Saluatorem & salutem, qui sit salutare tuum Domine.

Genes. 49.

Desiderium vehemens à Beatâ Mariâ Virgine primo conceptionis instante elicitum.

Atque hæc Patrum vota & suspiria, Prophetarum spes & desideria, Patriarcharum longa & toties dilata exspectatio, huc tantùm faciunt vt rudem aliquam eius, quod hodie celebramus, concipiamus imaginem: si enim optimis Theologorum credimus, *fundamenta Dei Matris in montibus sanctis.* id est, ipso suę conceptionis instante, tantis ditata fuit gratiis, tot donata prærogatiuis, tam multis magnisque præuenta est priuilegiis, vt nullius sanctorum perfectio eò audeat aspirare. *Fluminis* enim *impetus lætificat ciuitatem Dei.* nec fluuius simplex oriebatur prodeunte Virgine, sed vndique in se cadentibus aquis corroboratus. Omnium enim Sanctorum ipsa scaturiebat virtutibus, quæ collectæ in vnum hunc alueum maximo impetu ferebantur, ita vt tum singulorum affluentium riuulorum dulci susurro, tum totius impetu maximo delati murmure, tanquam harmoniâ suauissimâ cælestis illa Ierusalem, quem fluuius hic præterfluebat, lætificaretur. Quæ vti certissima sunt, ita ad intelligendam Festiuitatis huius vim non mediocriter faciunt. Hoc enim imaginandum est, cuius S. Bernardinus Senensis nobis locuples est testis; ipso illo conceptionis suæ instante totam istam gratiarum copiam, istam virtutum, donorum cælestium, prærogatiuarum, priuilegiorumque abundantiam, totum denique sanctificationis impetum, in vnum collectum fuisse à Virgine, atque eò directum, vt efficax vnum atque omni gladio ancipiti penetrantius conciperet desiderium, idque altissimis suspiriorum amentis libratum, totisque amoris contortum lacertis, ad ipsa diuinitatis demitteret penetralia: quo suauissimè sanciatus Deus, non posset diutiùs claudere viscera, quin totam, quæ iis continebatur, in terras effunderet misericordiam, ita vt vel *montes stillarent dulcedinem, & colles fluerent lac & mel.* Circumspiciebat enim vel tum anima illa mundum vniuersum, & idololatrarum insaniam, qui se iam Deorum loco colendos proponebant; Iudæorum impietatem, qui virtutem omnem nomine religionis conculcauerant: Sacerdotum sacrilegia, qui cultum diuinum vel auaritię suę lucrum, vel superbiæ ostentationem fecerant; tum cælum clausum omnibus, infernum omnes pænè diglutientem intuita exclamabat: *Deus meus. Ne tardaueris.* Tandem aliquando Domine, tandem aduenit illud tempus, quo si diutiùs promissionem tuam differre velis, non possis: ascenderunt enim aquæ vsque ad os, & eò peruenerunt pericula, vt omne eorum incrementum exitium sit: *Veni ergo, veni Domine, & noli tardare. Saluum fac populum tuum &c.* Hoc erat operum & functionum præstantis illius animæ omnium primum, tanquam si non alium ob finem à Deo condita videretur, quàm vt hoc ageret. hæc erat illius toto illo tempore, quod natiuitatem antecedat, occupatio: hæc post natiuitatem, per infantiam vniuersam, continua exercitatio: hæc negotiatio eius per vitam deinde omnem, vt desideria sua non aliis rebus, quàm Deum desiderando impenderet: illum sollicitaret, vt redemptionem nostram ne differret. Quâ illa ratione negotiandi tantum profecit, vt cum nemo hactenus tam pura, tam frequentia, tam calida, tantique valoris desideria cælo repræsentasset;

Psalm. 45.

Psalm. 39.

sola

ſola illa meruerit, quod reliqui omnes ſimul nequiuerant, obtinere: vt non ſolùm impleretur deſiderium eius, ſed etiam, quod omnem eius cogitationem & vota ſuperabat, ipſa in Matrem eligeretur iſtius Seruatoris, quem tam ardenter expetierat. Mittitur itaque ad illam cæleſtis nuntius, qui de re tantâ ſenſum eius inquirat, atque conſenſum impetret. Quâ ille Virginem reuerentiâ allocutus ſit, quantâ ipſa modeſtiâ reſponderit, quomodo tandem verbo iſto potente, *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum*, miraculorum ſummum, & portentorum omnium maximè admirandum in vtero eius perfectum ſit, homo-Deus; alibi ſuus dicendi eſt locus: hîc Virginis, quæ hactenus tam feruenter Seruatorem deſiderauerat, Exſpectatio quæ fuerit, poſtquàm eum iam in vtero ſuo geſtabat, videamus.

CAPVT VIII.

Poſt incarnationem maiora Virginis deſideria.

OMNIA quæ ſuo impulſu eum in locum feruntur, qui illis eſt à natura centrum conſtitutus, eò vehementiùs mouentur, quò propiùs abſunt à quiete. A gratiâ quidem eſt omnis ille impetus, qui hominem ad Deum, finem ſuum naturalem, efficaciter deſiderandum impellit. Sed cùm, quę naturæ in aliis ſunt proprietates, eæ omnes Marię in ſupernaturalibus ita ſint proprię, vt vel gratia illi in naturam verſa eſſe videatur, vel natura eius in gratiam: etiam hoc maximè in deſideriis ipſius fuit reperire, quod celeritatem colligerent ex diuturnitate & eò maiore ferrentur impetu, quò magis Deo appropinquarent. Iam ipſa tot expetitum votis Deum factum hominem, viſceribus clauſum circumferebat. an hic finē deſiderādi exiſtimas? gradus eſt. pręterquàm enim quod matribus omnibus indita ſit incredibilis quædam partum ſuum vidēdi cupiditas, alia etiam erant in hac tum matre, tum fœtu, quę iſtum appetitum exſtimulabant. O quoties tum ipſa illud Ruperti ingeminabat: *Quàm veraciter ille te appellauerit deſiderium collium æternorum, ego maximè experta ſum in viſceribus meis.* Vide hanc Matrem fœtam deſideriis, ob fœtum iſtum tam felicem, Apocal. 12. depictam. Sole amicta eſt, ſtellis coronata, calceata lunari globo, & *in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat.* Apocal. 12. cruciabatur, non vulgaribus parturientium doloribus, non muliercularum pœnâ, quæ cum peccati originalis traduce ad eas peruenit; ſed illo dolore, qui gaudium intendit, de quo ſuprà egimus, & quo (ſecundùm Ambroſium, Origenem, & Theodoretū) etiam Angelos beatos cruciari vult Apoſtolus, quādo ad Rom. 8. ait: *Nam exſpectatio creaturæ, reuelationem filiorū Dei exſpectat. Scimus enim quod omnis creatura ingemiſcit & parturit vſque adhuc; non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritûs habētes, & ipſi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exſpectantes.* Si tanta ſunt creaturæ omnis deſideria, quibus reuelationem exſpectat filiorum Dei per adoptionis beneficium: quanta fuerint Mariæ exſpectantis natiuitatem Filij Dei naturalis, de carne ſuâ hominis facti? Sentiebat quotidie magis nouis gratiarum priuilegiorumque experimētis quis ille eſſet, quem conceperat: ideoque auidiùs ſemper horam illam exſpectabat, quæ illam completè Deiparam efficeret. Exprimit ſtatum hunc Virginis exſpectantis D. Zeno ſer. 4. de natiuit. dicens: *Intereà promouent ſua membra factorem, & opus ſui figurâ veſtit artificem: parturit Maria non dolore, ſed gaudio.* D. ZENO. parturit, inquit, ſiue parturientium ſuſtinet dolores: non illos, quos cauſat materni corporis dilaceratio; ſed quos exſpectatio, vehemenſque deſiderium, atque ex certa ſpe ortum gaudium ſolet animo ingerere. Quanta autem fuerit in exſpe-

B. Mariæ deſideria ſunt inexplicabilia

exſpectatione ac auiditate iſtâ ſuauitas; nemo dicet, niſi qui expertus ipſe fuerit: experiri autem nemo poteſt, niſi illa quæ Deum ipſum ſit paritura. Nos cùm dixerimus omnia, quæ tum ratio, tum Scriptura ſuggerit, aliquid fortaſsè experiemur, aut certè imaginabimur, cuius ſenſum imbecillitas noſtra non refugiat. Id autem quod nouem menſium ſpatio Maria ſenſit in exſpectatione, quietis; in ſpe auidiſſimâ, gaudij; in ardentiſſima cupiditate, voluptatis; ne attingemus quidem. Verba, quibus affectum prodit, audimus: affectum verò iis indicatum, quia ſentire nequimus tantum, quantus verbis illis ſignificatur; neque poſſumus imaginari. Audiamus tamen, & rogemus, vt aliquem ſanctæ huius exſpectationis ſenſum Virgo nobiſcum communicare dignetur.

B. Mariæ deſideria. *Cant* 8.

Quis mihi det te fratrem meum, ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deoſculer, & iam me nemo deſpiciat? Verba ſingula plena ſunt neſcio cuius dulciter aſperæ ſuauitatis, oſtentantia ſpei dulcedinem cum acrimoniâ dilationis. *Quis mihi det?* votum eſt ſapientiſſimè errantis animi, vt in deſideriis ferè ſpem & votum omne ſuperantibus fieri amat, vbi ipsâ difficultate & quadam quaſi impoſſibilitate deſperando ſpem excitat, & à re in alto & arduo collocatâ aliquantulum recedit, vt alacriore ad eam ſaltu contendat. *Quis mihi det?* Aliũ non eſſe, quàm Deum, vnde aliquid illa boni exſpectaret; iam dudum ipſa ſibi renuntiauerat: Sed rei deſideratæ pretium, & deſiderantis voti magnitudinem ſignificat vaſta illa, amplaque, atque indefinita loquendi formula. *Te fratrem meum*: filium enim appellare te nondùm licet, quamdiu me matrem non effeceris: è proximo tamen nomen accipiam, cùm ſi à filio receſſeris, fratre nemo ſit coniunctior, præſertim cùm iis pendeas ab vberibus, quibus ego alta ſum & enutrita. miſericordiæ enim diuinæ eſt quicquid placitũ in me tibi: hæc, omnia in me genuit, hæc aluit: ab iilâ te formatum video totum, & ab eâdem ſuſtentari. Sed, *quis mihi det, vt inueniam te foris?* Pater te ab omni æternitate viſceribus ſuis intellectualibus concepit, & genuit: ego te conceptũ gero in corpore. ſed ardet & auet anima mea partum iſtum mundo ſalutarem, in lucem edere, vt verè & propriè tua appeller Mater, quemadmodum ille eſt Pater tuus. Duo huic meæ felicitati obſtant, vterus & tempus: illi ſuam integritatẽ ſeruaſti ingrediens; ſcio quod nullâ afficies iniuriâ egrediendo. Sed tempus quis contrahat? quis mihi dies abbreuiet, *vt* iam *inueniam te foris, & deoſculer te*, & panniculis faciiſque inuoluã, matriſque officia ſedulò adhibeam? O quænam mihi illa erit dies, quæ hora? quæ tunc mentem hanc non titillabunt gaudia? quàm ſolidis ſpiritus iſte efferetur lætitiis, qui iam ita *exultat in Deo ſalutari meo*! quæ mea Filium Dei & meum manibus geſtãtis dignitas! quę matris Dei ſublimitas! quam iam nemo qui intelliget, deſpicere poterit, niſi velit & Deum contemnere.

His votis & ſuſpiriis ſolidos exercebatur dies, ſed dies qui annorum erant interualla, ſi magnitudinem deſiderij ſpectes. Nihil quidem erant nouem menſes ad tot annorum centurias, quibus Patres eundem Seruatorem exſpectauerant: ſed quia longiùs aberant, minùs illi expetebant. Virgo autẽ quò tempus aberat propiùs, quo venturus erat; eò feruentiùs concupiſcebat. Illi totis cælorum ſpatiis diſtabant, hæc nonniſi tribus digitis à Saluatore diſiungebatur: illis cæli ære fuſi & vincti clauſtris adamantinis obiiciebantur, hîc nonniſi tenerrimus virginalis vteri paries interponitur. Et quoties illa dicebat: *Paries quid amantibus obſtas?* quid vota mea extendis? quid gaudia tanta differs? Facit quidem illa, quod homines ſolent, qui nimio rei alicuius torquentur deſiderio, vt ſeſe vel opere aliquo diſtrahant, ne mens nimis vni obiecto affixa, detrimenti quidpiam patiatur: ſed illa non ideo facit iter vt minuat, ſed vt augeat ſuos ardores, vt flammas illas ventiler, vt ſua domui Zachariæ communicet

nicet incendia, vt quodammodò foris eum videat, cuius tam mirabiles in patre Zachariâ, in cognatâ sua, atque ipso, quod illa gestabat, pignore, cernebat effectus. *Dilatans gaudia & vota mons Sion*, dicebat secundùm Eusebij & Augustini lectionem Propheta Dauid Psalm. 47. Dilatauerat & dilatabat vota, votorumque tantorum capacem animum Virgo quotidie: Sed ecce iam, tanquam si capere plura non posset *pulcher propagine mons Sion*; Zachariæ, Elisabethę, Ioanni, desideria & vota sua communicat, & exultare facit gaudio. Vtinam hæc nobis obtingeret hodiernâ luce felicitas, vt resciſſis nimiùm luxuriantibus vanorum desideriorum ramis, surculum aliquem recti istius desiderij Virgo nobis insereret! vt diuitias, honores, voluptates mens nostra transcurrens, tanquam vanas somniorum species, visusque nocturnos, nihil habentes solidi neque veri; ad Deum vnum, atque ea, quæ ad illum deducunt, totis votis aspiraret, illum concupiscceret, illi soli adhæreret! Longa fuerunt & infinita desideria, quibus ab omni æternitate exspectauit Dominus tempus illud, quo nobiscum faceret misericordiam suam, & beneficio redemptionis non merentes præueniret. Isaias testis c. 30. *Exspectat Deus vt misereatur vestri*, idque tantâ auiditate, atque si rem suam acturus esset, quãdo semetipsum & omnia secum nobis impenderet. imò iam Propheta dubitare non sinit, quin peccata nostra in gloriam suam verterit, *& ideo exaltabitur parcens vobis*. O bonitatem infinitam! ô amorem incomparabilem! An & Deus dum amat, sibi somnia fingit, & causas, quibus seipsum quodammodò decipiat, vt vehementiùs feratur ad benefaciendum nobis? quænam enim ista tantæ maiestati potest esse gloria, si nos auidiùs exspectauerit in nostram vtilitatem? Ignominię nos verteremus, si vir authoritate multum præcellens, seruulum fugitiuum & pistrino dignum, dubitantem & diu tergiuersantem accedere, calidiùs se exspectare ostenderet ad pœnitentiam. Sed aliter statuendum de Deo, eò ipso quod nos exspectet: cùm agere nihil possit, quod ei non cedat in gloriam. Interim hoc mirandum, quod tanto prouocati beneficio, non pudeat & pigeat nos ingratitudinis nostræ, qui tam frigidè Deum exspectemus, cùm non tantùm gloriam & honorem, quod dignitatis est; gaudium & lætitiam, quod voluptatis; saluem & præmium, quod vtilitatis; sed etiam misericordiam & veniam, quod necessitatis est, & ab hâc expectatione speremus & sine eâ nullâ ratione obtinere possimus. Hanc igitur impendamus, si non Deo, ex amore gratitudinem; non Virgini Marię, ex veneratione imitationem; nobis saltem ex necessitate operam: vt desideria dilatemus, vota extendamus, mentis capacitatem diducamus, vt feruentissimè eô aspiremus, vnde salus & beatitudo manare potest. *Beati omnes qui exspectant eum.* Quæ exspectatio & desiderium, si semel bonâ fide animum nostrum intrauerit, nunquam ampliùs intrabit acquirendorum anxia spes, nunquàm conseruandorum sollicitudo, nunquam amissorum dolor, nunquam irritorum desideriorum superuacua vexatio: nulli horum patebit pectus, semel cælesti hâc exspectatione oppletum.

Deus nos desiderat, vt nobis benefaciat: nos illum desideremus, vt benè nobis fiat. *Isai.* 30.

TRACTAT. VII.

DE PVRIFICATIONE B. MARIÆ VIRGINIS.

Postquàm impleti sunt dies Purificationis Mariæ secundùm legem Moysi, tulerunt Iesum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, Luc. 2.

PROOEMIVM.

SCENAM *esse vitam mortalium, clarius est, quàm vt vel disputetur acutiùs, vel probetur luculentiùs. Vel ex ipsa forma patet, Amphitheatrum esse totam hanc vniuersi molem, cuius infimam nos arenam premimus, oculis cælestis illius orchæstræ expositi, vbi agonotheta Deus præmia quò alacriùs mereamur, ambitiosiùs ostentare videtur. Sæpius se ille ad heroicos veterum actus erexerat, generositati eorum maiori attentione nouum fauorem impensurus. Maximè verò omnium diuinos oculos oblectauerat sacrificaturus Abraham, vnus ille senex cum totâ affectuum paternorum mole compositus: qui certâ nixus spe diuinæ promissionis, contra spem omnem, iam manum extenderat, vno in capite, instar arenæ maris, aut stellarum, quæ lucent in firmamento, multiplicandam posteritatem demessurus. Malebat scilicet Patriarcha obedientissimus diuinis fraudari promissis, quàm legi & voci diuinæ non obedire: naturæ nesciebat affectus parens aliàs indulgentissimus, vbi cognouit naturæ ipsius authorem filium suum deposcere: quid sacrificaret non discichat egregius Sacerdos, modò se sciret Deo suo gratam victimam immolare. Sed benè habet, quod lætissimo fine concludatur hæc tragico-comœdia: præmia recipit sine sanguine, quæ tamen non vicerat sine sanguine: iam enim quicquid vi resistendi pollebat, debellatum erat in corde paterno, vt opus non esset inutili nil resistentis pueri sanguine terram conspergere. Sed quò me abducit oculus ille diuinus, tam insigni intentus spectaculo? Imò quâ me inde viâ ad simile quod hodie proponitur, facinus contemplandum deducet? Erraui. quid dixi simile? quod nec personarum dignitate, nec sacrificij magnitudine, nec euentu ipso potest vllam habere cum illo Abrahami sacrificio comparationem? Procedit ad templum vultu serenissimo (quippè tacitum tentabant gaudia pectus) Maria virgo, Filium suũ, non secùs atque Abrahã, immolatura: Deus immortalis, qualis hæc sacerdos! quale sacrificium! Annon toto huc vultu intendet cælũ, vbi Deus immolatur, Dei mater sacrificabat? vbi sese beatissimum prædicat, Abrahamo quâ ætate, quâ virtute suppar Simeon, quòd vel popæ munus obire liceat, tali tantaq; Sacerdoti ministraturo? Sed eloquar, an fileam, acerbam seuerissimæ huius tragœdiæ catastrophen?*

phen? Mater & virgo templum petebat, recedit à templo martyr & virgo: gladium nimirùm illum, quem ab Isaaci iugulo Angelus auerterat, hîc Mariano pectori Simeon infixit, eò seueriori plagâ, quò longiori tempore atque magis dubiâ exspectatione cruciaturum erat vulnus, cæcis verborum inflictum ambagibus. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit; *ac si clariùs loqueretur: Filius hic tuus, quem illæsâ virginalis vteri integritate pro mundi salute in lucem effudisti, idem ille tibi culter erit & gladius quo materna illa viscera, pectus illud, atque adeò anima non sine grauissimo cruciatu transfodietur, & qui erat in salutem omnium editus in lucem, multorum conueretur in scandalum. Quid dicam hîc voluisse Deum? an ideo tam acerbo dolore Matris temperare gaudia, vt iam vix sine lacrymis aspicere posset eum, cuius vnicus ei intuitus erat instar voluptatis paradisi? vt ipsa tot malis exercita, disceret tantò promptiùs miseris succurrere, quantò eam grauior priùs dolor afflixisset? An verò hoc spectabat? cùm illa tanto affectu Filium pro mundo, se pro Filio Patri obtulisset; vt ipsa vnà cum Filio longum pro mundo subiret martyrium? Quidquid sit, operæ pretium fuerit nos hanc, ad quam cælum vniuersum arrigitur, non tantùm spectare tragœdiam, sed singula ad mentem referre quæ aguntur: vt non tantùm oblectent oculos spectacula, non tantùm quæ pronuntiantur oracula aures demulceant; sed animam pascant atque reficiant, quæ peraguntur mysteria. Interdum autem vereor vt nos contineamus, quin, rerum splendore atque dignitate excitati, chori partes suscipientes, exclamemus, deq; rebus ipsis interponamus iudicium. Et benè quod* προτατικὸν πρόσωπον *habeamus legem antiquam, quæ facem prælucebit omnibus quæ deinde sumus spectaturi.*

CAPVT I.

Tribus legibus obedit Maria, quibus minimè tenebatur: tum propter verba legum; tum quòd careret mulierum infirmitate quia virgo, virginum sterilitate quia mater, matrum immunditie quia Deipara.

Deipara à legibus, ipsis earum verbis excipitur.

TRES erant veteris Testamenti leges, quibus hodie virgo Maria, licet ipsa legum verba eam excipe-perent, satisfacere voluit. Operæ pretium fuerit ipsas audire, disertè protestantes nihil se in hanc Virginem iuris prætendere. Prima, Leuit. 12. descripta capite, sic habet: *Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, immunda erit septem diebus, iuxtà dies separationis menstruæ, & die octauo circumcidetur infantulus: ipsa verò triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ, omne sanctum non tanget &c.* atque hæc prima est lex prohibitiua, vetat enim templi introitum, ac rerum omnium sacrarum attactum. Altera verò positiua, eodem capite continetur: *Pro filio, siue pro filiâ, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, siue turturem, pro peccato, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui.* Tertia verò lex Exod. 13. cap. continetur: *Sanctifica mihi omne primogenitum quod aperit vuluam in filiis Israël, tam de hominibus quàm de iumentis, mea sunt enim omnia.* Si tam mihi esset in potestate Angelicam,

imò diuinam, Mariæ puritatem ob oculos ponere, quàm est facilè eam tribus hisce legibus solutam ostendere; is profectò splendor virginitatis, ea munditiæ lux, is fulgor sanctitatis oculos vestros perstringeret, vt non solùm indignum iudicaretis eam immunditiæ legibus subiicere; sed impium, num subiici omninò potuerit, vel tantillum ambigere. Nam, vt hoc nimiùm se magnificè propter Hebraicæ linguæ peritiam admirantibus concederemus, verba scilicet illa, *suscepto semine* (quę Latina vulgata habet) nihil facere ad eximendam Virginem, quæ de Spiritu sancto conceperit; (quamquam mihi vel ad hoc significandum mysterium tam diserte addita videantur ab eo ipso Spiritu, qui non secùs verba in orę hęc scribentium, quàm Christi carnem in Virginis vtero formauit:) quid dicent ad ista, quæ *separationis menstruæ & sanguinis purificationis* mentionem faciunt in prima lege? quid ad hæc, *& sic mundabitur à profluuio sanguinis*, quæ in secunda habentur? quidnam denique ad tertiæ legis verba, *quod aperit vuluam*? Adferant adeò probabile argumentum, quod aliquam relinquat obligationis suspicionem. Neque enim puto Tertullianum audient, qui ex eo quòd Apostolus dicat Christum *natum ex muliere, factum sub lege*, non reformidat existimare eam à partu fuisse aliarum mulierum legibus obnoxiam. *Hac ratione*, inquit Tertullianus, *Apostolus non ex virgine, sed ex muliere editum Filium Dei pronuntiauit. Virgo quantum à viro, non virgo quantum ad partum.* O insignem naturæ scrutatorem! qui, vt legibus naturæ seruiat; sanguine, secundinis, inuolucris, tot sordibus authorem naturæ conspurcat, &, quod amantes Deiparæ Virginis aures exhorrēt, simul Dei Filiū imbubinat, & Dei matrē imbilbitat. Cogis hîc me inuitum subirasci tibi Tertulliane, vel quòd isto ingenio vir quantam virginali splendori & puritati notam isto tuo dicto inuras non vides; vel si vides, quòd eâ sis voluntate, vt parui facias tali Virgini iniuriam facere, quæ tam accuratè solet & præcones laudum suarum, & calumniatores suos quosque ex merito remunerari. Non dicam id quod suspicor, causam cæcitatis deinde tuæ, quâ præceps in tam abominabiles errores prolapsus es, inde initium sumpsisse, quòd ad hunc castitatis nitorem inceperis cæcutire: id potiùs peto à te (cùm eam nobis necessitatem imposueris, vt cogamur, id quod non inuiti facimus, de virginalis integritatis eminentiâ verba facere) vnde nos potissimùm cupias exordiri, vt qualiquali hâc orationis luce nebulam istā dispellamus, quam huic splendori conaris offundere? Vis hoc dicamus, quod à stylo tuo non abhorruisset, quòd in hac muliere sexus deuoratur à virgine, virgo à matre absorbetur, mater denique consumitur à Deiparæ dignitate? Vide quot breui ænigmate cō prehendantur encomia! In hac *muliere* (talem enim sexu agnoscimus, & ita à Paulo loco citato & à Filio moribundo appellatur) non tibi, vt Tertulliano, impuritas; sed sexûs occurrat infirmitas, qui à mollitie mulieris accepit nomenclaturam: & intelliges mulierem *adiutorium* viro datam ad generis humani propagationem; eandemque viro subiectam: *Sub viri potestate eris*: fraudibus opportunam, & in lapsum facilem: *mulier autem seducta in præuaricatione fuit.* denique debiliorem generis humani partem, animal ex occasione, secundùm Philosophum, procreatum præter naturæ intentionem, dum illa quod potest facit, quando virum quem volebat producere non potest. Adde quot quantasque volueris naturę infirmitates, nihil ad virginem: perinde enim atque serpens ille Mosaicus imbecilliores magorum serpentes deuorabat, ita omnis illa debilitas atque imperfectio sexûs fœminei deuoratur à virginei excellentiâ statûs. Quàm tibi pugnare videntur 3. & 21. Genseos capita! illic sententia fertur in virum: *Quia aud-*

Maria manſit Virgo poſt partum contra Terrullianum.

Virginitas eſt ſupra ſexus muliebris infirmitates.

sti vocem vxoris tuæ, maledicta terra in opere tuo. & in mulierem : *Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui.* Hîc verò Abrahamo imperatur: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius.* Noli mirari ait D. Hieronymus, *quia defecerant Saræ muliebria, & ideo Abraham ei subiicitur.* Quid ais, Doctor egregie? nónne *caput mulieris vir?* an non dicebat Deus, *Faciamus hominem ad imaginẽ & similitudinem nostram?* id est, ex D. Augustini mente, faciamus eum qui in terris sic regat omnia, quemadmodum nos sine limite & termino gubernamus vniuersa. Et quod antè dicebamus, numquid exsertè mulierem subiecit virorum potestati ac dominationi? De muliere id vti agnosco, ita mihi Hieronymum audire videor: *Sed Saræ iam defecerant muliebria,* iam illa sexûs sui defectus, ætate superauerat: ac proindè iam vix mulier, viro superior efficitur. Hæc Hieronymus de sene. Quid nos de Virgine, imò quid idem Hieronymus loco non vno? Sexus deuoratur à virgine: nulla istius infirmitatis vestigia, vbi virginitatis sunt trophæa. Quid enim? quod virum ad suam imaginem condidit Deus, ius ei ac potestatem tribuit in mulieres? Audi S. Basilium de vera Virginit. *Magnum quidem, vt verè dicam, est virginitas, incorruptibili Deo, vt ita dicam, hominem similem faciens.* Audi & S. Cyprianum de habitu virginum: *Dei imago est, respondens ad sanctimoniam Domini.* Vnde iam ex pari cum Deo similitudine, æqualia viri virginumque conficies iura : imò virginum maiora, quæ sanctimoniæ habeant comparationem. Sed tu regimen spectas & gubernacula: ego sceptra dabo & diademata. Cur putas in mandatis habuisse Salomonem, 3. Reg. 17. cap. vt columnis lilia quædam affabrè in modum coronæ formata imponeret, nisi vt proponeret omnibus stabile virginitatis imperium? quæ virginum suprema cum imperio dignitas adeò est extrà omnem controuersiam, vt eas præ Regibus & Imperatoribus peculiari in cælos coronâ donandas, sit certa omnium Theologorum sententia: neque adeò obscurè micat hoc earum diadema, vt Ethnicis in ista scientiæ naturalis caligine non splenduerit. Hinc Romani intra vrbis mœnia virgines Vestales (omnibus, præterquam Imperatoribus, interdicto honore) sepeliebant. Hinc vel ipse Imperator hostium onustus spoliis, Capitolium triumphabundus conscendens, virgini Vestali si fortè occurreret, de viâ decedebat: testificãs dignissimo imperio virgines nobiliorem agere de suis hostibus triumphum, quàm eum qui prostratis aduersariorum copijs multa hominum millia necidedisset. Iámne altiùs extollam virgines, vt eas, sexum suum superasse, atque è viri potestate exiisse confirmem? Quid si spiritibus Angelicis æquales, si superiores esse probauero? Cedent, credo, virginibus viri, quibus Angelos viderint plurimum concedere. Atqui hoc ipsimet docent Angeli dum se Genes. 18. profundissima animi corporisque demissione sinunt ab Abrahamo, viro vtique & Patriarchá dignissimo, adorari : Ioannem verò Euangelistam & virginem, idem parantem facere enixè prohibent : *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum.* non aliâ profectò de causa, quàm quòd ipsi agnoscerent veram esse Petri Chrysologi sententiam, serm. 2. de Annunt. *Angelicam gloriam acquirere maius est, quàm habere. Non meum est illud,* inquit S. Ambrosius, *quoniam quæ non nubunt, neque nubentur, erunt sicut Angeli Dei in cælo.*

Quidnam requiris præterea, vt omnem remoueamus à Virgine maculam, quam sexui suo asperserit non virgo, sed mater omnium viuentium, Eua? Infirmitas, inquis, non placet. Age vtris experiri placet, corporis an animi viribus? Omitto Vestalem illam, quam libr. 7. Titus Liuius producit in conspectu omnium, nauem maximam zonâ suâ æquè facilè promouentem atque si ventis ageretur. Nihil dico de S. Theclâ, compresso taurorum cursu glorioſiùs bestiario robustissimo in amphi-

Genes. 21.

Hieron.

Virginitas dat imperium & coronam.

Virgines Angelis pares.

Basilius

Apoal. 22.

Chrysol.

Virginum robur & potentia.

amphitheatro orbis triumphantem: nihil de Sancta Catharina, crudeliſſimas rotarum machinationes ſpiritu ſuo diffiantem. Sexcentas omitto, fortitudine eâ quæ in corporalia vim ſuam exercet, præcellentes: cùm neque prudentiores virum metiantur athleticâ iſtâ corporis firmitate, ſed animi potiùs virtute ac robore. Atque hic vna ſufficit S. Baſilij ſententia: *Virginitatis puritas ad ſe traxit Deum è cælo.* Vulgare eſt illud venatorum inuentum, quo Monocerotem, animal tam indomitum, capiunt, expoſitâ mediis in ſyluis virgine: cui ille, dum ſe præbet demulcendum, ſuauiter accubans, & caput in ſinu eius reclinans, miſerè à ſuperuenientibus intercipitur. Sed vulgare non eſt quod virgo vna, virginum omnium fortiſſima, omnium celeberrima, perpetrauit: quando Monocerotem illum indomitum, adeò ferocem vt etiam *Vltionum Deus* à Pſalmiſtâ dicetetur, infinitâ quâdam vi (quam virginitati ineſſe fateri neceſſe eſt) de cælo, vbi inter ſæuiſſimo fragore mentes humanas purtubantia tonitrua, inter ferales fulgurum horrendorum flammas minitabundus humano generi diſcurrebat, pertraxit in terram; adeoque perdomuit, vt caſtiſſimis ſuis eum viſceribus concluderet, inſtar bouis (quò alludit Propheta Iob) ſibi ſeruire atque ad præſepe ſuum morari cogeret, deinde inſtar agniculi, quò luberet, deduceret. O fortitudinem eximiam! ô robur egregium virginitatis, cuius nimirùm puritas ad ſe traxit Deum è cælo! O caſtimonia! Facit inſignis illa tua per omnia dignitas, vt iam te ad ipſum Chriſti ſponſi tui thalamum deducere non reformidem: atque id aſſerere, quod ante me Sanctus Auguſtinus, quòd virgo Chriſtum portet in corpore, atque ita eum illo vniatur, vt iam non ſint duę, ſed vna caro Chriſti & ſponſæ virginis. Et dubitabitur etiam, num ſexus deuoretur à virgine, à quâ Chriſtus ipſe ſic alliciatur, vt ſe cum corpore virginali & animo vniens, non tantùm ſexûs imperfectiones charitatis ſuæ ardore conſumat, ſed virtutes prætereà ſuas ita communicet, vt & ſponſæ illa dignitatem ſuſtinere poſſit, & hic vna cum eâ caro fieri deſideret?

Virgo eſt Chriſti ſponſa.

Vides quàm nihil virginitati deſit, præter id quod accipere non poteſt, niſi flos ille decidat, vigor marceſcat, ſplendor obſcuretur, vltimam denique honoris dignitatiſque ſuæ ruinam patiatur? O ſi (ſed quid, niſi vota ſuperſint?) ô ſi & hoc poſſemus addere, non ſupra *ſexum* tantùm, ſed & ſupra *matrem* eſſe virginem; vt ſimul honor virginitatis maneret, & accederet fructus maternitatis: atque ita, non ſecùs ac virginitas exhauſit omnem ſexus infirmitatem; maternitas vinceret, quod ſolùm virginibus triſte reſtat & aridum, ſterilitatem! Optandum hoc quidem, ſed nullâ ratione ſperandum videbatur: perfectum eſt tamen in Maria. Hîc virgo ſexum deuorauit, matet virginem abſorbuit: id eſt, quam ſolam virgo deplorabat, ſterilitatem abſtulit: vt habeamus & virginem fœcundam, & matrem caſtiſſimam. Mellifluo hîc Doctore eſt opus, qui inſtar apis puriſſimæ & diligentiſſimæ per prata Scripturarum diſcurrat, vt figuras nobis colligat quibus hæc adumbrentur myſteria. Is ſanè ſerm. de verbis Apocal. hæc adfert: *Hanc ſacerdotalis virga dum ſine radice floruit, hanc Gedeonis vellus dum in medio ſiccæ areæ maduit, hanc Ezechielis viſione orientalis porta, quæ nulli vnquam patuit, præſignauit.* Vides quot partus caſtiſſimi ſymbola collegerit, ne quis audeat tantæ puritati ignauus fucus obſtrepere? Addamus nos totidem aliunde petita Scripturarum oracula, totidem illuſtrata comparationibus, vt vndique pateat verbi iſtius veritas, quod partus hic (vt loquitur Pater meus Auguſtinus) *matris integritatem non minuit, ſed ſacrauit.* Exclamat alibi Propheta: *Propter Sion non tacebo, & propter Ieruſalem, non quieſcam donec egrediatur vt ſplendor iuſtus eius,*

In Maria iuncta eſt virginitati fœcunditas.

Bern.

Iſai. 62.

&

& Saluator eius vt lampas accendatur. Hæreamus paulisper in tantâ luce, dum Aggæum Prophetam industrissimâ vaticinatione hanc ipsam, quam hodie celebramus, diem, prædicentem audiamus: *Quia hæc dicit Dominus Deus exercituum: Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam; & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloriâ, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ, & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Prohetiam hanc non de nouissimo iudicij die, sed de Incarnatione Domini, & sequente eam Purificatione intelligendam esse, vel hoc ostendit, quòd tum non *desideratus*, sed formidatus cunctis gentibus sit aduẽturus: quid verò commoti cæli (de quibus Dauid Psalm. 18. *Inclina cælos tuos, & descende*) quid terra, tumultu bellico post Cæsaris mortem inter Triumuiros exorto, commota; quid motæ Gentes in tribus Magis, in pastoribus, in Herode rege & omni Ierosolymâ, significent; longum foret exsequi. *Desideratus* ille *cunctis gentibus*, ille iste est, qui oculos, qui mentem, qui vocem rapit; imò *electa gentium*, vt septuaginta loquuntur, quo minùs dubites de hâc purificatione fieri sermonem: Christus scilicet *electus ex millibus*, & Maria virgo *electa vt sol.* Vide quanta lux ad Solis huius mentionem oboritur! vide vt ab eo Filius tanquàm radius absistat: & quod Isaias dicebat, *Egrediatur vt splendor iustus eius. Quod enim ex te nascetur, sanctum vocabitur*, denuntiat Angelus. Hæc est illa generatio purissima, quæ non magis virginem corrupit, quàm emissus à Sole radius eundem contaminat. Verùm numquid deducet nos Apostolus de claritate in claritatem, de temporaneâ ad æternam Dei generationem, ad Hebr. 1. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius?* Ecce sicut natiuitas æterna illa Filij ex Patre, inconceptibilis ille partus ex visceribus intellectualibus Dei, illa generatio ex luce inaccessibili, ab Apostolo explicatur per *splendorem*, qui se diffundit sine sui diminutione & separatione radij ab ipso sole: ita per os Isaiæ Prophetæ, partus virginalis eâdem radij solaris deriuatione significatur: *Donec egrediatur vt splendor iustus eius.* O maternæ integritatis claritas! ô Splendor virgineæ fæcunditatis! *O quàm pulchra est casta generatio cum* eâ *claritate*, quam Spiritus sanctus non possit, nisi ijsdem verbis quibus æternam Filij à Patre generationem explicat, describere! Pater sol est, & Maria mater sol est: ab vtroque autem Filius, tanquàm à corpore luminoso splendor, tanquàm lumen à luce, tanquàm radiùs à Sole, producitur. Non primi sumus qui hoc vidimus; in omnium oculos tanta lux incurrit. Iam pridem sanctus Bernardus versum illum Psalmi, *Dies diei eructat verbum*, contendit de Patre æterno & de Beatâ virgine esse intelligendum: vt idem sit atque si Psalmista caneret: Verus ille Sol, pater luminum, apud quem non est transmutatio, neque vicissitudinis obumbratio; *Dies* æternus, qui non inæqualibus horarum spatijs, aut instabili noctis lucisque alternatione perficitur, sed immutabilis vitæ totâ simul existente constat permanentiâ; alteri item *diei*, qui nobis existentibus in tenebris & in vmbrâ mortis lætissimus oboriebatur, *diei* sine nebulâ maculæ originalis exorto, *diei* qui nunquàm vllius obscuratus fuit vmbrâ peccati, eructauit, id est, communicauit *verbum* æternum, Filium suum. An clariùs possit confirmari nostra, quam ex Isaiâ adferebamus, & ex Apostolo confirmabamus, sententia, Christum eâ puritate natum ex virgine, quâ splendor diffunditur à sole, imò simili quâdam in suo generere ratione, quâ Verbum æternâ producitur generatione à Patre? Quod totum significatur in libro Ezechielis, *portæ* illius *orientalis* hieroglyphico, quæ tertiò ibi clausa fuisse ideò repetitur, vt ad-

Aggæi. 2.

Generatio Christi temporanea cum æternâ comparatur.

Hebræ. 1.

Psal. 18.

Varia partus virginis imagines.

uertamus, neque antè partum, neque in ipso partu, neque post partum reserata fuisse claustra vteri virginalis. Iam verò illo versu, *Rorate cæli desuper*, iterum precatur idem Isaias Propheta, vt nouâ puritatis imagine partum virgineum depingat. Fingamus enim te ridente manè cælo in campum egredi, dum omnia contemplaris quæ ibi aspectu læta, grata visu, ad luxuriantis amœnitatis pulchritudinem natura explicauit. Quid suauiore oculos detinet aspectu, quàm si cadenti vspiam lilio argentea crystallini roris guttula insederit, nitore ac puritate suâ transeuntis inuitans oculos, vt sese paulisper in hocce naturæ speculo contemplatus, non suam magis imaginem, quàm speculi præstantiam admiretur? Isti candori floris, isti puritati roris similem concipere te vult Isaias imaginem, dum puritatem virginei partûs tibi cogitationibus tuis vis adumbrare. Nec longè dissimilem, allatum à sancto Bernardo *velleris* Symbolum, describebat figuram. At rursùs alio mentem vocat idem Propheta cap. 11. *Egreditur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* Adeo florida in partu virgineo sunt omnia, vt vix à floribus mens discedere possit, quæ illius aliquam cogitationem assumpserit. Hîc enim virgæ florenti virginem Propheta componit, vt sciamus non magis hanc partum suum effundendo, quam illam suum protrudendo florem, conspurcari. Nec enim vt semel dicam, possunt vlla matrum inquinamenta admitti, vbi, quis in lucem edatur filius, consideratur. Miserum enim virginitas à maternitate acciperet solatium, si illa suis inquinata spurcitijs in auxilium properaret. Sed quomodo infirmitatibus subiecta erit, quæ ipsam perfectionem parit? Quomodo immunditijs sordidabitur, quæ in lucem edit fontem & originem omnis omninò puritatis? quomodo denique omnis infirmitas parientis non consumetnr ab excellentiâ partus, & à Deiparæ dignitate? Maneat ergo verissima hæc magni Leonis sententia: *custodia fuit pudoris, editio veritatis.* Maneat & illud eiusdem: *E Spiritu sancto fœcundata, nouum florem carnis humanæ vtero quidem materno, sed partu est enixa virgineo.* S. Leo. Audisné elidi impiam istam Tertulliani vocem: *Virgo quantum à viro, non virgo quantum ad partum?* Maneat, quod toto hoc capite patet, hanc Mariam, quæ purificanda hodie templum ingreditur, esse sexu fœminam, voto virginem, miraculo matrem, diuinitatis quâdam participatione Deiparam: atque ita omnes omninò sexûs defectus atque infirmitates à virgine; huius sterilitatem à matre, matris verò inquinamenta à Deipara sic absorpta esse atque consumpta; vt fœmina illa exstiterit viro omni perfectior, virgo omni matre felicior, mater Angelis cunctis purior, Deipara denique, & fœminis, & virginibus, & matribus, & Angelis, & omnibus denique Creaturis superior. Vnde nec opus esse puto, vt soli facem addamus, concludamusque, eam castitatem & puritatem ab omnibus hisce tribus legibus exemptam fuisse, quæ nec matrem, nisi quæ fuerit in sanguine puerperij; neque filium, nisi qui vuluam adaperuerit, se profitentur obligare.

Isai. 11.

CAP.

CAPVT II.

Licet verbis suis lex non excepisset Beatam virginem, tamen non obligabatur eam adimplere. 1. quia lex illi erat obseruatu impossibilis, 2. quia deerat in ipsâ causa & finis legis. 3. quia sponsus eam dehortatur ab eius obseruatione, cui ita respondet virgo vt persistat in proposito eam adimplendi.

IHIL suauius, si consitum amœnissimis floribus hortum repereris, vbi iucundâ varietate artem natura prouocet, ars vicissima ad naturæ inuidiam luxurietur; quàm in eo diutissimè commorari, & non solùm vnicò aspectu omnia, sed singula sigillatim & eadem sæpiùs admirari. Nos quidem capite superiore hortum hunc vndiq; concluſum Marianæ puritatis ingressi, flosculos aliquot delibauimus: lubet nunc iterum ijsdem oblectare animũ, & otisè castitatis sanctitatisque eius amoenitate mentem pascere. Quod vt faciamus securiùs, abactis iam porcis illis, qui vbiq; sordes quærunt in quibus volutentur; etiam vulpes quædam, quæ non castiùs sed cautiùs subruere conantur hortum nostrum Marianum, longiùs ab eo coercendæ. Sunt enim earum nonnullæ eâ feritate & audaciâ, vt ista verborum, quæ ipsa legis natura posuit, repagula incom-

posito saltu transmittant: velintque omnia verba, quæ disertè & vulua adapertæ, & concepti seminis, & menstrui, cæterorumque quæ attulimus, mentionem faciunt, nihil aliud esse, quàm peculiares quasdam loquendi formulas, ex ipso pariendi modo desumptas: quibus nihil significetur aliud, quàm fœminas omnes quæ pepererint (particulari pariendi modo pro generali posito) eâ lege teneri. Quas licet ex ipso iure (quod leges, pœnales maximè, strictâ verborum significatione interpretandas ait) satis refutatas possemus dimittere, lubet tamen, ad maiorem securitatem, nouos illis palos præfigere, ne propiùs accedere, possint. Inprimis, satisne eas longè arcuero, si impossibilem fuisse leges obseruationem Virgini demonstrauero? Quid enim lex volebat? Vt mulier, inquis, quæ peperisset, quadraginta dierum spatio templo se, ac manus suas omni rerum sacratiorum contactu abstineret. Sed quânam id ratione præstare poterat illa, quæ ipsum sanctum sanctorum partu suo in lucem edidisset? An hoc etiam dices lege hâc prohibitum matri fuisse, ne, quem purissimis suis visceribus conceperat Filium, eundem castissimis manibus contrectaret? vel si hoc ei natura permittit, quâ ratione, quâ lege, imò quâ fronte templum interdices illi, quæ templi Dominum, quæ Deum illum ipsum, cui templum consecratum est, circumfert manibus suis? Et rursum die, amabo, quid causæ adfers, cur hæc immundorum dierum quadragesima fuerit puerperis imposita? vis hãc à D. Augustino lib. 68. quæst. cap. 25. & S. Ildephonso serm. 1. de Purificat. quòd opus sit quadraginta omninò diebus, quibus infans ita formetur in vtero, vt organa habeat quæ animæ rationali sufficientem dispositionem præbeant, vt iam possit in iis commorari; quibus diebus cum in sordibus esse dicatur fœmina; requiri à lege totidem dies quibus illis expurgetur? An illam cum grauissimis alijs authoribus, quòd post partum immunditiæ quædam matrem comitentur, à quibus illa non potest perfectè nisi quadra-

Lex Virgini erat obseruatu impossibilis.

Cessat in Virgine ratio legis.

ginta dierum ſpatio purificari? Vtrumuis elige : neutrum enim Virginem obligabit. Conſtat enim diuinum illud corpuſculum ex puriſſimis Deiparæ ſanguinibus, Spiritus ſancti operâ, ita momento temporis eſſe formatum; vt nullum prorſus tempus exſtiterit, quo id inceptum poſſes dicere, quin eodem perfectum eſſe verè liceret affirmare. Iam verò de iſtis, quas alij cauſam legis faciunt, immunditijs; inter nos conuenit, ijs florem hunc noſtrum non fuiſſe conſpurcatum : vnde liquidè ſequitur, quamuis nulla forent in lege verba, quæ Mariam à lege abſoluerent; ipſam rei impoſſibilitatem illam ſatis eximere, nec vllam legis eſſe cauſam cur illâ debuerit obligari. Sed de his ſatis. Nec tam audiamus ſi ex impijs vnus aliquis virginem ſubiectam legi fuiſſe blateret, quàm illud, an vnus ille, qui legum omnium eſt legiſlator & Dominus, eam ſuſquàm diſertè excipiat : idque non iam ad rem dubiam probandum, ſed ad illuſtrandum eam, quam habemus ſine omni controuerſia certiſſimam.

Cant. 4. *Vadam*, inquit Sponſa virgo Cant. 4. *ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Hæc enim eius eſſe verba, cum Nyſſeno Gregorio faciamus. Hebræa autem, quod Rabbi Salomon aduertit, dicunt, *Vadam ad montem amarum*, quò clariùs indicetur eam tendere in montem *Moria*, ipſum illum vbi Abraham tam generoſa mente Iſaacum filium ſuum Deo conſecrauit, & vbi poſteà Chriſtus non mente ſolùm, ſed re ipſâ ſeſe pro genere humano obtulit. *Et ad collem thuris*, inquit Sponſa, id eſt, ex eiuſdem Rabbini & Theodoreti mente, ad templum colli iſti, qui monti Moria adhærebat, inædificatum. Aduertit hoc Sponſæ propoſitum is, qui ex amoris magnitudine omnes greſſus eius obſeruat, & gratioſiſſimè ſubiungit : *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te.* Et quid ? tunè ceterarum more mulierum, quæ in peccato concipiunt, pariunt in ſordibus, hærent in ſanguine, tanto honoris exiſtimationiſque tuæ periculo ſiſtes te Sacerdoti in templo purificandam? offeres lauandam munditiem, ornandum ſplẽdorem, ſolem illuſtrandum? *Tota* enim, *tota pulchra es amica mea* : ego te luſtraui antequàm fieres, ego te mundaui antequàm concipieres, ego te conſeruaui dum pareres, ego te mundam iudicaui dum nutrires : neque te peccatum neque lex, neque natura potuit vllâ aſpergere maculâ, quæ ſit emendanda. Eſto me iudice ſecura, nam me fuiſti authore præſeruata. *Macula non eſt in te.* non eſt, mihi crede, vlla neque in anima, neque in corpore macula : nihil in intellectu prauum, nihil in voluntate peruerſum, nihil in ſuperioribus facultatibus ſuperbum, nihil in inferioribus inordinatum : nihil fuit in conceptu pudendum, in partu miſerum, poſt partum ſordidum : omnia perſpexi, omnia examinaui : mihi crede columba mea, roſa mea & lilium : mihi fide, cui puritas tua magis eſt cordi, quàm poſſit eſſe, licet ſis curioſiſſima, ipſi tibi. Nihil itaque opus eſt te moueas, aut greſſus tuos in montem myrrhæ amariſſimum, vel collem thuris promoueas. Lex enim iſta non tibi, ſed mulieribus; non virgini, ſed corruptis; non Deiparæ, ſed immundis poſita eſt. Audiebat amantiſſimi Sponſi ſui plena humanitatis verba Maria virgo. Quid illa? puritatis caſtimoniæque admittit beneficium, ſed non vtitur virginitatis priuilegio. *Vadam* nihilominus, inquit, *ad montem myrrhæ & collem thuris*, adimpletura legem, quâ non teneor, exemplo illius qui circumcidi voluit cùm non eſſet peccator : &, non ex obligatione, ſed *voluntariè ſacrificabo* Patri tuo, ô Sponſe virginum, caſtitatis amator, & zelator humilitatis. Scio enim ex æquo tibi placere lilia & violas, nec magis rapi illorũ eminenti candore, quàm harum oblectari latebras ſectante ferrugine. Satis tu mihi quidem es locuples teſtis, vt credam omni me carere maculâ : ſed ego potiùs habere volo, quam oſtentare munditiem : malo non egere, quàm non gaudere purificatione : ego

vmbram

vmbram non sequor, sed corpus; non famam, sed virtutem: quæro ego aliquid non in speciem bonum, sed solidum & certum, & à secretiore parte formosius; aliquid quod tu videas in animo, non quod ego in apparatu & pompâ ostendam. Nam ista quæ spectantur (ita tu me doces, deliciæ meæ) ad quæ consistitur, quæ alter alteri stupens monstrat; foris nitent, introrsùm misera sunt. quod vulgus ignorat, quod intus splendet; oculis tuis tantùm est perspicuum: id verò est quod ego sector ornamentum; satis de hominum æstimatione secura, vbi de tuo sum certa iudicio, quo me puram declarasti, licèt me sistam ex legum præscripto purificandam. *Vadam* igitur *ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Ducit me hæc Virginis ita certa voluntas, & obfirmata animi inductio in suspicionem, quòd magnæ quædam lateant causæ, quæ illam impellant, vt Sponsi exhortationem, honoris sui æstimationem, myrrhæ amaritudinem, &, præter morem suum ac consuetudinem, tantâ pertinaciâ propositum vrgeat. Has deinceps examinabimus.

CAPVT III.

Rationes variæ, quæ Virgini Deiparæ persuaserunt ne purificationem, & sub eâ peccatricis speciem declinaret.

CVm talem quisque honoris ac famæ suæ curam gerere debeat, vt non absque ratione eam profundere aut dilapidare possit, idque ijs maximè in rebus, vbi etiam honor & gloria Dei periclitatur: necessariò existimandum est, multas, easque grauissimas, rationes fuisse, quæ eò Virginem impulerunt, vt tantum hodiernâ luce famæ suæ, tamque manifestum honoris Filij sui adiuerit periculum. Quis enim non neget eam esse Virginem, quæ vulgari matrum lege se sistit purificandam? Quis credat eum esse Dei Filium, quem suspicetur ordinariâ generationis viâ productum, ijsdem nobiscum naturæ immunditijs subiectum fuisse? Quid tibi in mentem venit, Virgo sacratissima? orbi pessimo, plus nimio in sinistras de te Filioque tuo suspiciones prono, hanc etiam aperire vis fenestram, vnde maiori impetu nequissimus quisque rueret ad male dicendum tibi? Quantò satiùs (agnosce Mater filium, quem honoris tui periculum conturbat, & ignosces, scio, stoliditati, si minùs prudenter non rogatus sententiam tibi suadere audeam) quantò, inquam, satiùs Virgo domi maneres, vbi laudaris ab Angelis, celebraris à pastoribus, visitaris à Regibus: vbi non tantùm de stabulo templum, de castissimo sinu tuo altare conficis sanctissimum; sed locum ipsum, vbi resides, in cælum commutas empyreum, Deum præbens è gremij tui throno omnibus contemplandum. Vide, quæso, de quantâ maiestate, ad quantam te vilitatem abijcias. Virginem colebant Angeli, iam corruptam pleriquè suspiciantur mortales: matrem Dei adorabant Reges, iam vt vulgare fabri adiutorium despiciunt peccatores: felicissimam tali prole canebant pastores, nunc te suum esse mancipium suspicantur dæmones: ipse ille qui tot tantisque te exornauerat virtutibus & donis cælestibus, vt intuitus opus suum, vix crederet tantum se in vnam potuisse profundere, ac proindè interrogaret tanquàm ignarus, *Quæ est ista quæ progreditur?* nunc versâ vice despiciens in istam vilitatis abiectionisque abyssum, quo te ad ipsam peccatorum æqualitatem præcipitas, iterùm interrogat, *Quæ est ista*, iam non mater mea, sed peccatrix; non virgo, sed, quod apparet, corrupta; non munda, sed purificanda?

Rationes, quibus à purificatione videatur deterrenda Deipara.

Subridens ad nostram prudentiam Virgo, ita indubitanter, tanto inflam-

mata zelo, tam intrepidè iter capessit; vt ipsâ agendi ratione timores nostros refutet, iubeatque nos de dæmonum hominumque erroribus nihil esse sollicitos, cùm illa sit de Angelorum Filijque sui suspicionibus secura. Quæ tanta, tamque intrepida in re tam ancipiti securitas hoc mihi persuadet, vel indè rationes petendas esse, cur Maria se purificandam obtulerit, vnde nos eam deterrere conabamur. Non enim dubito quin, pro suâ ptudentiâ, & Filium suum, & nos, & dæmonas, & templum prætereà & legem veterem, & patrem suum Deum, & semetipsam præ oculis habuerit, dum agendam suscipiebat tragœdiam tam nobilem, tam dubijs in vtramque partem suspicionibus ancipitem: quæ ipsam è vilissimæ peccatricis, quam induebat, personâ, ad tantam, quantam mox demonstrabimus, sacrificantis dignitatẽ; indè verò tã luctuosâ catastrophe ad perpetuos luctus præcipitaret. Habebat illa, habebat, ne dubita, propositum sibi Filium, eius exemplum intuebatur, eum sibi præfigebat imitandum, quando cum animo suo hãc de puritatis suæ æstimatione statuebat iacere aleam. Nouerat illa actionem omnem Filij, suam esse ac mundi totius instructionem. audierat Psalmistam canentem: *Tu mundasti mandata tua custodiri nimis.* Sciebat omnium gratiarum istarum abundantiam, quâ ipsa Abrahamum fide, obedientiâ Isaac cum, Dauidem mansuetudine, patientiâ Iobum, Ezechielem pietate, Iacobum fortitudine, sapientiâ Salomonem superabat, è Filio, tanquàm ex fonte suo & origine, scaturire: cùm ipse solus sit omninò plenus gratiæ & veritatis. Viderat interim ipsum illum suum & Dei Filium, peccatorum stigmate notari: viderat membris illis sanctissimis iniquitatis cauterium inuri, vt legibus ipse suis (vltrà etiam quàm lex requirebat) satisfaceret. Et quin ego (ita secum agebat) ambabus manibus auidè exemplum hoc arripio, vt me cum peccatricibus collocem, postquàm Filius ad peccatorum vilitatem se abiecit? quâ ignominiâ, si nihil consequerer aliud; tanti mihi foret tamen hæc qualisqualis cum Filio meo similitudo, tum in mandatis eius obseruandis, tum in contemptu honoris mundani. Quæ similitudo hoc in genere ideò magis eam delectabat, quòd ipsi constaret Filium suum missum à Deo, factum ex se, *factum sub lege, vt eos qui sub lege erãt redimeret*; leuiorẽ feciſſe scilicet eum legem, adimplendo: quod agricola solet, qui iumenti sub pondere fatiscentis misertus, iugo tantisper supponit humeros, dum illud quiescat ac vires resumat. Hoc Oseas præuiderat 11. capite: *Et ero quasi exaltans iugum super maxillas eorum.* Quâ in re cùm de hominibus subleuandis ageretur, non poterat mater illa misericordiæ impetrare à se, vt Filio suo non conaretur adesse, eidemque iugo legis durissimo se subijcere, vt nobis liceret eò securiùs respirare, quò plures auxiliaturi succurrerent. Imò aliud quiddam prætereà Virginem aduertisse, mihi, facta ad misericordiam natura eius suggerit. Mentem discursui huic intendite, & iudicate, si longè à genio & ingenio pientissimæ Matris aberrabit.

Ratio petitaà Filio, cur purificaretur Virgo.

Solerter ipsa & acutè perueſtigauerat, quænam præcipuè ratio impulisset Filium, vt qui se mediatorem ac redemptorem peccatoribus dederat, peccatoris ipse personam indueret? inueneratque esse eam, quam nos ne diuinando quidem assequeremur, odium scilicet ipsum illud, quo Deus peccata peccatoresque ipsos detestatur: adeò acerbum & vehemens, vt vel ijs coniunctum fuisse, satis illi magna causa videatur perdendi hominem. Docuerat hoc vel Angeli istius sollicitudo, qui tam anxiè monebat Patriarcham Loth, vt festinaret discedere ab impijs Sodomæ habitatoribus, ne eâdem cum illis ruinâ inuolueretur. Quod odium cùm satis agnosceret Dei Filius esse adeò flagrans & incitatum, vt sufficeret ad consumendos peccatores, quemadmodum cera à sole dissoluitur, si antè conspectum eius comparuissent: cernebat indè sequi necessariò, licèt ipse passione ac morte suâ efficacia præpararet malis nostris remedia, nemini tamen fore animum petendi illa à Patre, quem sciret odio tanto ferri in peccatores. Iniuit ergo dignum suâ bonitate confi-

Cur Dei filius se peccatoribus assimilauerit?

te consilium, vt ipse se peccatoris specie & habitu circumdaret, mediumque turbæ eorum misceret: vt vel parciùs fulmina vibraret Pater, ne fortè (vt sic dicamus) incautus Filium tangeret, quem vix in turba illa à pessimis distingueret; (Si enim potuisset Deus ignorare Filium suum, certè tum eum non agnouisset, cùm peccatorum in circumcisione patitur cauterium, & eorundem sacrificijs operatur in purificatione) vel vt affectum eius leniret, ne tanto prosequatur odio istud hominum genus, cui vidisset Filium suum annumerari: atque ita passio Domini, spem nobis daret certò impetrandi misericordiam; dignatio autem hæc, quâ se peccatoribus adæquat, tribueret eam postulandi fiduciam. Hanc Filij sui ratiocinationem assecuta Mater, continuò naturæ suæ bonitate & clementiâ adhibitâ in consilium, videbat quid expediret se facere. nec diu deliberauit, an se obijceret iustitiæ diuinæ alterum pro peccatoribus clypeum, atque etiam inter illos eodem vestita habitu conuersaretur, vt iam pœnè amare cogeretur peccatores Deus, nisi vellet vnà cum illis odisse Sponsam suam ac Filium; imò fortassè suspicaretur aliquid ibi esse non omninò malum, cuius speciem videbat adeò à sibi carissimis desiderari.

Stimulus gratitudinis erga Christum & Mariam ob peccatoris personam pro nobis assumptam.

Atque hæc tertia fuit causa Mariæ virgini, cur purificationis ignominiam non reformidarit: quæ quantos nobis amoris gratitudinisque relinquat stimulos, nemo, nisi sit ingratissimus, non videt. Eripuerat hic gratitudinis affectus Dauidem sibi, 2. Reg. 6. 10. 18. & 19. cùm accepisset à Nathan Prophetâ quàm familiari curâ Deus rebus eius intenderet, vt nec domus eius amplificandæ, nec posterorum ab eo descendentium curam abijceret: idque beneficium ex natura gratitudinis, quantum posset, verbis amplificans, cum stupore & admiratione dicit: *Quis ego sum, Domine Deus? & quæ domus mea, quia adduxisti me hucusque? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo, Domine Deus, nisi loquereris etiam de domo serui tui in longinquum: ista est enim lex Adam, Domine Deus.* Quid enim hoc? quænam hæc tanta dignatio? Itâne Maiestatis tu tuæ oblitus es, vt sic vilitatis meæ recorderis? Pastorem metamorphosi tam inauditâ in Regem transmutare, sceptro ligonem vertere, victorias præter spem supra omnes humanæ potentiæ vires concedere, beneficia tua sunt, Deus: quæ licèt ego non merebar accipere, non tamen dedecebat magnitudinem tuam ea concedere: diuinitatis enim est omnibus, quæ contigerit, splendorem ac maiestatem quandam affricare. Sed quid ego de hâc familiaritate tuâ dicam, quâ rebus domesticis interesse, familiæ curam gerere, posteros enutrire dignaris? Humanæ ista necessitudinis argumenta sunt, non autem diuinæ ornamenta liberalitatis. Iuuant illa quidem me tantò magis, quantò te intimiùs rebus meis ingeris atq; infundis; & quò magis iuuant, eò me arctiùs gratitudinis tibi debito deuinciunt. Sed interim satis nunquam possum bonitatem tuam demirari, cùm vilitatem meam aspicio; quòd conuersari tu mecum, res meas hominis instar agere non dedigneris. *Ista est enim lex Adam*, id est, hominum inter se amicitiæ leges vix talia requirunt obsequia, qualia Maiestas tua mihi impendit priuilegia. Ita familiariter, cum demissâ tamen gratiarum actione, Deum alloquebatur Dauid: nobis autem quis animi sensus, quis sermo erit in hâc Dei Virginisque dignatione? non illa misericordia est Dei, non est Regis, non est Domini: misericordia est, & misericordia magna valdè; sed hominis est, paris est, inferioris est. Peccatis ignoscere, genus humanum redimere, febribus, ventis, ac tempestatibus, cæcitati & morti in hominum vtilitatem imperare; talia diuinæ benignitatis sunt opera, vt ijs virtus permisceatur atque potentia, quam nusquàm sit nisi in solo Deo reperire: at peccatoris habitum induere, eorum legibus obtemperare, inter genus hoc creaturarum omnium abiectissimum computari, ideò vt hâc Filij obiectâ specie Pater cælestis discat peccatores

2. Reg. 6. & 7.

peccatores ſine ſulmine videndi patientiam; miſericordiæ genus eſt, quod priuſquàm experti eramus, nemini in mentem venerat, aut ſpe aliquâ, aut voto ſolo concupiſcere. Atque hæc ita concepta de Deo, debent eâdem animi gratitudine Virgini Deiparæ accommodari: quandoquidem Filio ſe illa, in viliſſimo hoc peccatorum collegio, non alium ob finem adiunxerit, quàm vt nobis eandem benignitatis familiaritatem demonſtraret.

Propter ædificationem proximi Virgo voluit purificari.

Qui affectus in nobis plus habebunt teneritudinis, ſi & quartam adiungamus ab vtilitate noſtrâ petitam rationem, quæ ipſam impulit ad opus hoc plenum ignominiâ ſubeundum: vt ſcilicet exemplum daret obſeruantiæ legis, & ne daret ſcandali occaſionem, puritatem virginitatemque eius ignorantibus. Monet enim Apoſtolus: *Ab omni ſpecie mala abſtinete vos.* Et Sponſo dicebat Sponſa: *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, & vt ſignaculum ſuper brachium tuum.* Nunquàm enim abſcondi poteſt amor ſimul. Nam atque imagine eius quod amatur, ſigillauit amantis animum; foras erumpit, & mouet aliquid in vultu, in geſtu, in pedibus, quod palàm teſtetur latentem in corde affectum. Neque opus eſt, vt me demittam ad ſtultorum ſæculi amatorum inſanias, qui & ſericum capillis ſuis innectunt filum, quod dominæ teſtetur fauorem, & palàm præ ſe ferunt imagines, & arboribus ianuiſque nomina ſua inſcribunt, vt domi omnibus nota ſit, & foris creſcat in ſyluis eorum ſtultitia. Quem morem perſtringit Iſaias Propheta cap. 57. *Et poſt oſtium, & retro poſtem poſuiſti memoriale tuum.* Nihil, inquam, hiſce opus eſt vaniſſimorum amatorum crepundijs, vt oſtendatur eam amoris eſſe naturam, qui latêre nec poſſit, nec velit. Satis enim purificatione hâc ſuâ monſtrat Virgo, verum ac vehementem amorem ita difficulter tegi poſſe, vt vel honoris, vel famæ ſuæ diſpendio emere velit, ſe pópulo oſtendiſſe. Hic enim erat obſeruantiæ iſtius legis, quâ non tenebatur, fructus; ne quis eorum, qui neſciebant diuinæ incarnationis myſteria, putaret illam non amare Deum, quæ legem eius negligeret: & ij, qui ſcirent quanta feciſſet ei Deus, hoc cernerent in brachio & operibus eius eximis præcordijs exæſtuantis amoris ſignaculum, quo & ipſi ad accuratam legum allicerentur cuſtodiam, & vehementius amarent illum, cuius tanti ſe facere Virgo præ ſe ferat charitatem.

1. *Theſal.* 5.

Cant. 8.

Item vt diabolum falleret, & Chriſti Saluatoris natiuitatē celaret.

Verùm non tantùm Filium ſuum, & genus humanum, ſed etiam vtriuſque hoſtes cacodæmonas propoſitos habebat Virgo, quando tam generoſo pede per calcatas hominum de virginitate ſuſpiciones gradum promouebat ad templum. Sciebat enim, ſi D. Auguſtino credimus, illa generis humani pernicies, hoc vnum ſiſtere vltimam noſtram ruinam atque extremum exitium, quod Deus aliquando humanâ ſe carne indueret, atque homines liberaturus inter illos homo ipſe conuerſaretur, verùm quodnam ad hanc rem tempus æternis ſuis conſilijs deſtinaſſet, ignorabat. Sedulò itaque dabat operam, vt certò inter tot, quos ſingula producebant ſæcula, præſtantes viros, natum Seruatorem diſtingueret. Tunc enim fore tempus ſciebat, quo ſibi eſſet de ſummâ rei decertandum: illum ſibi parari aduerſarium, in quem eſſent extrema virium exerenda: proindè videndum initio, vt eum poſſet vel in ſemine elidere, vel certè ſeriò in puerili ætate nondum confirmatis viribus aggredi, vt partâ hâc de mundi ſeruatore victoriâ, ſtatueret de genere vniuerſo mortalium crudelitatis ſuæ trophæum. Et iam magnæ illum ac vehementes agitabant ſuſpiciones: viderat accurrentes tantâ cum veneratione paſtores; audierat Angelorum canticum, dantium Deo in cælorum excelſis gloriam, pacem hominibus in terra gratulantium; ſtellam Magorum ducem viſitauerat, nec illud non perceperat, *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum?* Rurſùs autem ſtabuli ſordes, pannorum vilitas, ſocietas animantium, matris inopia, pueri ploratus & lacrymæ debilitabant quidem nonnihil ſuperiora, ne tantas in certum

certam adducerent scientiam suspiciones: hærebat tamen ita inter vtrumque dubius, vt non dubitaret Herodem turbare, scrupulos Pharisæis & Scribis injcere, populum vniuersum rebellionis à Rege nato concitandæ sermonibus commouere, omnia agere vt vel suspiciones suas; perempto hoc puero, in tuto collocaret. Aduertebat hoc Virgo prudentissima, nimiumque videbatur illi serpens, cuius iam caput contriuerat, caudam commoturus, nisi eum fallacijs quibusdam duceret, ac stratagemate nouo securum redderet. Sciebat non adeò ignarum esse rerum diuinarum, quin certò concluderet ibi nullam esse cum diuinâ naturâ vnionem, vbi aduerteret rebellionem peccati: nec fieri posse vt Deus, cuius ipse in peccata odium satis expertus fuerat, eum sibi hominem hypostaticâ vnione coniunctum haberet, quem peccatis inquinatum cerneret. Quid ergo? simulando peccatorem Filium, Matrem corruptam, me Deiparam, illum Dei Filium dissimulabo. Dictum, factum. Iter parat, ad templum properat; non solùm imitatura Filium, ædificatura homines; sed, quod non exigui momenti est, deceptura diabolum: quod adeò illi euenit feliciter, vt nec tunc, nec vllo vnquàm tempore posteà (Alberto Magno teste super *Missus est*) ille cognouerit Christum esse Deum, nisi quando in cruce extensis manibus, protensis pedibus, oblato ad vulnera latere, Patrem suum pro inimicis deprecatus, Deum magnâ voce inclamans, exspirauit. Tunc enim, partâ victoriâ, hosti debellato ostendere voluit, quocum decertasset: quod adeò tum fecit manifestè, vt vel obduratissima Iudæorum corda agnouerint quisnam esset, quem per tot tormenta & ignominias mori coëgissent. *Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum, viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iste.* Nam quod Marci 5. & Lucæ 4. dicantur dæmonia cognouisse Christum per miracula quæ perpetrabat; id D. Thomas in 4. non de distinctâ & clarâ, sed de confusa cognitione explicat: adeò vt non iniucunda hæc censeri debeat tragœdiæ nostræ scena, vbi plaudere licet, & tantam tam insigni stratagemate partam Mariæ victoriam gratulari, quâ ita illusit hosti suo, vt nunquàm seriò vires suas exeruerit, nesciens quod eo in campo versaretur, in quo rei summa vertebatur.

Matth. 27.

CAPVT IV.

Vt templum honoraret, id purificanda adiuit Virgo. Ex occasione dicitur in eos, qui templa fabulis inhonorant.

QVOD hodiernâ die pluribus templa collucent facibus, quod cerei non in altaribus solùm ardeant, sed omnium manibus circumferantur, tanquàm si omnem illustrare oporteat sacræ domûs angulum; mirum mihi videri non solet, cogitanti hanc verè templorum esse festiuitatem. Susceperant enim iam Christum in pastoribus Iudæi, adorauerant in Regibus gentes exteræ: sed nondum ritu solemni publicè templo receptus fuerat, nondum domum illam præsentiâ suâ sacrauerat, quæ castissimo Dei cultui erat singulariter destinata: hodie verò intrat illud palatium suum Dominus, aulam Princeps ingreditur. Vide quanta lætitiæ signa edantur vndique, quis plausus resonet, quæ voces, quæ cantica, quæ gratulationes exaudiantur. Cygnæum Simeon intonat canticum, Anna Prophetissa exultabunda prosequitur, gaudent aræ tam grato munere, lætatur area tam honorato

calcata pondere: tota illa sacra exultat machina, agnoscens dedicatione hâc solemni se supra structuræ Salomonicæ gloriam exaltari. Viderat hoc tanto antè tempore Aggæus Propheta: *Et implebo domum istam gloriâ: & magna erit gloria domus istius nouissimæ, plus quàm primæ.* Vergebat quidem tota legis huius de purificatione solemnitas, ad templi honorem & reuerentiam: sed eo maximè illud honorauit, quod Virginem Mariam istâ, quam alijs ponebat, obligatione in templum pertraxerit. Quod enim fœminæ tanto tempore ab eius introitu arcerentur, tanquam excommunicatæ non ob culpam, sed ob naturalem, quæ ex peccato originem habebat, immunditiem; quid aliud clamat quàm illud, *procul hinc, procul este prophani?* Quod turtures (castum animal) omni ætate, columbas verò (in libidinem proniores) nonnisi tum cùm adhuc erant eius rei expertes offerre licebat, nónne ostendit tantam huic loco deberi reuerentiam, vt etiam videndum sit ne animalia (quæ tam vitijs, quàm virtutibus nostris carent) inferantur quæ addictiora sunt ijs actionibus, quas non solent homines sine flagitio exercere? Liceat hinc nonnihil zelo zelare de domo Domini, liceat pauca pro templo & altaribus, hoc templorum omnium dedicationis festo, loqui: quando eorum puritati tam follicitè à lege veteri prouidetur, & quando tam magnificè à Christo & Virgine sub ipsa nouæ legis initia honorantur. Quid enim? vetat lex ne fœminæ, ob naturalem sexûs illius infirmitatem, ante quadragesimum à partu diem templum adeant, ne adeant supplices, munera, & dona pro peccatis suis oblaturæ, propter eum qui loco isti debebatur honorem & reuerentiam: & quam illis ego legem ponam, qui iam eò prorumpunt audaciæ, impudentiæ, impietatis, vt non aspersi quibusdam naturæ sordibus, sed totis scelerum nubibus compluti; non leuiter menstruo sanguine inquinati, sed toti immersi carni & sanguini, audeant erectâ ceruice, obstipo collo & corpore, gressu ad numeros cadente, membris omnibus ad libidinem compositis templum intrare? & intrare, non ad deponendam, sed ad augendam nequitiam; non ad restuiingendam, sed ad inflammandam libidinem; non ad fundendum supplices Deo preces, quibus illius sibi misericordiam concilient, sed ad accumulandum in ipso Dei conspectu sceleribus scelera, quibus ipsius in se vindictam prouocent? O tempora! ô mores! Magistratus sacer & prophanus hoc intelligit, Deus videt: & illi tamen viuunt. viuunt? imò tanquàm eximij præceteris eminent, sibi de sacrilega hac sua elegantia plaudunt, & blasphemis suis vocibus, quibus sacra omnia ipso in loco sacro irridentem, hæc me dicentem & iustissimam Dei vindictam minitantem exsibilant. O Deus Deorum, & Dominus exercituum, qui expiatricibus diluuij aquis mundi scelera diluisti, qui per vndices flammarum imbres Sodomæ & Gomorrhæ *ciuitates in cinerem redigens, euersione damnasti; exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens*: Deus, cuius iusto iudicio *dirupta est terra sub pedibus Core, Dathan, & Abiron, & aperiens os suum deuorauit illos cum tabernaculis suis & vniuersâ substantiâ eorum, descenderunt que viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis*: vbi nunc tela? vbi fulmina? vbi aquarum vortices, flammarum globi, terræ hiatus? vindica, vindica, ita te rogo Deus, per eum quem tu hîc in Sacramento præsens à me exigis, & quem ego libenter defero, honorem & reuerentiam. Vindica hanc, quam diutiùs neque tu, neque seruorum tuorum vllus sustinere potest, impietatem: erue oculos hîc in conspectu tuo nimis lubricè circumuolitantes: percute linguas, vt inter dentes putrescant eorum, qui ædem tuam conspurcant inhonestis suis fabulis: erue de terrâ nationem istam, quæ nõ contenta peccasse in popinis & ganeis, offendisse te in lupanaribus & gurgustijs, authoritatem tuam spreuisse in plateis & circulis, in hoc plaudere

2. Petr. 2.

Quantus templo debeatur honor.

Inuectiua in eos, qui irreuerenter se gerunt in templo.

plaudere sibi, &, quod ex habitu corporis apparet, gestire videtur, quod hîc in templo tuo atque ædibus sacris spernere te, ac, contemnere sacra omnia non reformidat. Alibi te peccatis prosequuntur, Deus meus, hîc in æde tuâ palàm tibi illudunt: alibit te offendunt, hic contemnunt: alibi tuam prouocant iustitiam, hîc oblatam irrident clementiam: & quousque tandem lentus hæc vides? quousqve pateris sacrilegia hæc tam impia, tam horrenda? ego certè non patiar, non feram, non sinam, non permittam: te potiùs, Deus, hominesque omnes in vltionem & vindictam inuocabo sceleris tanti, tamque execrabilis: Scio quid officij mei sit, scio quid tutè mihi cum hoc sacerdotio imposueris. In ceteris peccatis mansuetudinem, clementiam, pietatem commendatam habeo: scio sacerdotem *primum pro se deindè pro populo* debere intercedere: sed in hoc tanto, tamque nefario scelere non licet esse remisso: peccatores enim ceteros inuitare, & accersere, ad templum admittere; hos verò & funibus & fustibus expellere atque dispergere docuisti. Quis enim, vt Dei omittam honorem, ex hominibus adeò patiens sit, vt ferat vnum aliquem tam barbarum, tamque ab omni sensu & pietatis & humanitatis alienum, qui, vbi reorum turba supplex Iudicis affusa genibus orat, obsecrat, delicti veniam omni demissionis significatione impetrare conatur, ipse è reorum numero vnus proteruiùs Iudicem irritet, authoritatem eius contemnat, clementiam irrideat, hominem denique totum aspernetur; vociferetur, clamet, ne vel supplicum preces exaudire, vel parcere, etiamsi velit, possit, tam recenti ad vindictam prouocatus flagitio? Quis non monstrum illud modis pessimis perdendum censeat? quis non eijciendum non tantùm ex illo consortio, sed omninò ex hominem cætu iudicet? Et quid aliud, quæso, comptuli illi nostri garrones faciunt, qui se tum elegantes putant, quando pessimo exemplo circulos agunt in templis, fabulantur, rident, nugantur, alteri tergum obuertunt, puellis sese ostentant, oculo, gestu, manu, toto denique corporis habitu libidinè spirantes? intereà dum nos conscij scelerum nostrorum, Iudicem illum extimescentes (à quo *misericordia & ira citò proximant, & in peccatores respicit ira illius*, qui *non verebitur magnitudinem cuiusquam, quoniam pusillum & magnum ipse fecit*) fastum omnem relinquentes & pompam, supplices, missis in terram poplitibus, humi defixis oculis, manibus reorum in morem compositis, clamamus gementes & flentes: *Parce Domine, miserere, propitius esto: ne memineris iniquitatum nostrarum, auerte iram tuam à nobis*: quid, inquam, aliud faciunt illi mortalium omnium impudentissimi, nisi ridere preces nostras, Iudicem irritare: eodem in loco vbi nos placare conamur, vindictam prouocare: vbi nos imploramus misericordiam, vetare ne parcat? cùm necessarium euenturum sit, vt ille, vbi despexerit ad clamorem nostrum, indignitate istius sacrilegij potiùs commoueatur vt nos perdat cum impijs illis, quàm vt criminum nostrorum vllâ tangatur misericordiâ. Dicam quod sentio, Auditores, & id dicam, in quo nemo, cui sensus est hominis, à me dissentiet. Siquando publica premit necessitas, preces indicimus: ad templa accurrimus, vrbem supplicantes circumimus: credentes, & verò sæpiùs experti, publicâ istâ humiliatione flecti ad misericordiam Deum, & manum suam in vltionem extentam retrahere: quid è contrario non formidabimus? quid non pertimescemus, si publicè (quod nunc fit) impietas hæc inualescat, vt ipsis in templis suis irrideatur Deus? ibi dies & locus condicatur ad fabulas, eò conueniatur non viritim iam, sed per circulos, vt inhonestâ misceantur colloquia? gestus illi pedum, manuum, oculorum exerceantur & doceantur qui vix ferantur in lupanaribus? Nos ergo, quorum publicè & priuatim interest, hanc tolli impietatem, istam non tolerari audaciam, suffocari impudentiam, expelli sacrilegium, quousque patimur hunc morem inualescere? quousque publica & priuata

Imprudentia eorum qui fabulantur in templo.

uata non ſtatuimus remedia ? cur vultu, geſtu, ardore, ex deprecatoribus verſi in propugnatores honoris diuini, eos templis non eijcimus, vel hæreticorum vel ſtultorum compingendos in carcerem ? ita non ſine fundamento ratiocinantes : Vel homines iſti nobiſcum non credunt in hoc venerabili Altaris Sacramento Deum ſcelerum noſtrorum vindicem & rectè factorum præmiatorem contineri, ædemque hanc ſacram ideò ipſi exædificatam, vt precibus ibi vel pacemus iratum, vel magis reddamus propitium, ac proindè grauiſſimo in fidem impingunt errore: vel certè ſi hæc eadem, quæ nos credimus, illi ſibi perſuadent; quænam iſta tanta in hominem cadere poteſt inſania, vt creatura Conditori, reus Iudici, peccator vindici audeat tam proteruè illudere, vt ipſo eius in conſpectu, ipſo cernente & inſpectante, eo in loco, quem conſtituerat ad petendam veterum peccatorum veniam, non reformidet (ceteris omnibus deprecantibus, gementibus, lacrymantibus) quaſi per iocum & ad oſtentationem peccare, quò magis oſtendat omnem ſe reliquorum pietatem, loci religionem, Dei authoritatem nihili facere, ac prorſùs contemnere ? Hoc eſt vel impijſſimè ſtultum, vel ſtultiſſimè hæreticum eſſe.

Stultorum vel hæreticorum compingendi in carcere, qui irreuerenter in Templo peccant.

Vt intelligatis quanta & eis qui ita peccant, & Reipublicæ in qua degunt, mala impendeant niſi ab hâc caueatur impietate; ad iſtud Matth. 24. pauliſper attendite. Prædixerat ibi Chriſtus miſerandum vrbis Ieroſolymitanæ excidium, cordis timores & anguſtias, ſæuas illas mortalium contrucidationes, maximas ſtrages, altiſſimos cadauerum aceruos, ſubiectas tectis faces, nec intra mœnia coërcitos ignes, ſed ingentia ſpatia regionum hoſtili flammâ relucentia : nobiliſſimæ iſtius ciuitatis fundamenta vix notabilia, & totius exitium Iudaicæ gentis, quantâ poterat verborum exaggeratione amplificauerat: illoque veluti exemplo quid nobis deindè, quid ciuitatibus noſtris eadem peccantibus euenturum eſſet, minitabundus explicauerat. Horrebant, ac ſubrigebantur Apoſtolis capilli, & rerum futurarum exſpectatione anxij hoc paucis interrogabant : *Quando hæc erunt ?* quod ſignum das vel ſingulis vt ſibi caueant, vel vniuerſis ciuitatibus vt boni indè fugiant tempore illius tam terribilis vltionis atque vindictæ ? Verbis paucis, ſed vehementer ad nos pertinentibus, reponit Dominus : *Cùm videritis abominationem deſolationis, ſtantem in loco ſancto.* Non ſignum tantùm quod petebatur, ſed ſigno cauſam implicitam oſtendit : abominationem enim iſtam, de quâ hîc agit Dominus, eſſe ſceleratorum multitudinem, qui peccatorum vinculis irretiti, peſſimis facinoribus circumſeſſi, criminibus & flagitijs omnibus conſepulti, ſine vllâ meliori voluntate in templum confluunt; fusè hîc docet Abulenſis. Docet ergo tunc vrbium clades, tunc totarum exitia gentium eſſe pertimeſcenda, quando mos iſte, quem iam dudum inſectamur, inualuerit: hæc eſt enim *abominatio deſolationis.* Vis clariùs dicam ? *Miſerator & miſericors Dominus, longanimis, & multùm miſericors, non ſecundùm peccata noſtra faciet nobis, neque ſecundùm iniquitates noſtras retribuet nobis* : ille eſt enim, qui peccatorum noſtrorum non recordatur ampliùs, ille qui delet *vt nubem iniquitates noſtras & quaſi nebulam peccata noſtra* : modò, quâ par eſt, animi demiſſione veniam eflagitemus, modò in templum tanquam in aſylum à facie furoris eius confugiamus, ibi remedium omnibus ſceleribus noſtris reperturi. Sed dum quis remedia ipſa vertit in ſcelera, ipſumque templum ingreditur nouis flagitijs locum ſanctum prophanaturus; hæc nimirum abominatio deſolationis, hoc ſacrilegium trahit ſecum vltionem, quæ reliquis peccatis iam dudum debebatur : hoc ſignum eſt in propinquo eſſe ruinam, inſtare deſolationem, iam iam imminere vindictam. Notat Egeſippus in clade Ieroſolymitanâ adoleſcentem quendam Romani exercitûs fortiſsimum, cùm ſolus ipſe per plateas diſcurrens magnam Iudæorum ſtragem ederet, omneſque ante ſe in templum ageret, ſubito

Matth. 24. Signum vindictæ imminentis eſt mos fabulandi in templo.

Vindicta in eos qui templum inhonorãt.

subito concidisse mortuum ; nec sine ratione, inquit iste Author : quia cum Iudæos velut Dei inimicos, è templo expellere debuisset, illos cogebat in illud intrare, ideoque mortem iure merebatur. Mortem ego aliam noto in sacris litteris filiorum summi Sacerdotis Aaron, qui non aliâ de causâ, quàm quod ignem alienum intulissent ; subitò ipso in templo sacrificantes, totâ inspectante multitudine, ambo conciderunt mortui. Concidit Romanus miles, quòd impios persequens, casu eos compellat in templum : & quid ijs futurum censes, qui destinatâ voluntate ipsi peccaturi in templa irruunt ? Moriuntur summi Sacerdotis filij, ob ignem alienum aris illatum ; & viuent illi, qui flammas libidinis ipso in templo vndique conantur accendere ! Tam subitò illorum imprudentiam vindicta excepit ; & quamdiu videbimus horum impietatem impunè per omnia templorum adita volitantem ? Admoneo, nolite vobis plaudere, nolite vos magnificentiùs, tanquàm ceteris elegantiores, efferre : hæc est *abominatio desolationis*, hoc scelus, hoc crimen est, quod nullam veniam, nullam misericordiam meretur, quod non potest nisi vindictam & vltionem, eamque subitam exspectare : hoc peccatum est, in quod sacerdotes ipsum eorum Sacerdotium exasperat, per quod pro reliquis omnibus Deum inter & peccatorem mediatores constituti sunt : nec est quod se in templo asylum in die desolationis reperturos existiment, qui criminibus suis asylum ipsum violant.

Sed nimiùm nos à Purificationis mysterio zelus abduxit : discant illi potiùs exemplo Virginis quis honor templis debeatur, quàm vt eorum scelere abducti, ab honorandâ Virgine per virtutum eius considerationem, desistamus. Tanto enim zelo ferebatur Maria virgo templum hâc suâ Filijque præsentia cohonestandi, vt maluerit illa suspicionem impuritatis subire, quàm quæ ad Templi honorem pertinebant, nõ adimplere. Quod, vti anteà dicebamus, Propheta Aggæus prædixerat : *Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plus quàm primæ.* Dixerat cap. 1. idem Propheta : *Ponite corda vestra super vias vestras, ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus.* In Hebræo pro voce, *glorificabor*, habetur *vbba* cum defectu litteræ *he*. Spero non fore ingratum, quando Virgo tantum templo, &, vti sequenti capite dicemus, tantum legi veteri exhibet honorem, si nos aliquid veteri Hebræorum linguæ tribuamus. Deficit ergo in hâc voce, *glorificabor*, littera *he*, quæ in Alphabetho Hebraico ordine est quinta : quod ex Rabbinorum interpretatione ideò de industria fecit Propheta, quòd videret quinque in templo isto posteriori deesse, quibus maximè templi honor & veneratio continebatur : arcam nimirum testamenti, vrim & thunim, ignem cælestem, gloriam & præsentiam Dei, & spiritum prophetiæ : quorum absentia faciebat, vt non plenè Deus glorificaretur in hoc, sicuti in priori Salomonis templo ; nec glorificandus erat, nisi *he* littera apponeretur, id est (quoniam Hebraizare cœpimus) nisi *ista*, vel *porta*, vtrumque enim *he* significat, templum ingrederetur. Et quæ est *ista* ? iam dixi ; & perge, audies : *quæ progreditur* (hodie scilicet in templum purificanda) *quasi aurora consurgens*, non gravi peccatorum pondere depressa ceruicem in terram, sed læto & sublimi capite consurgens : quæ non debebat amisso pudore *oculos suos declinare in terram*, sed integrâ virginitate egrediebatur recta, sicut *virga de radice Iesse*. Istâ est Maria, *porta* cæli, & ianua paradisi : ista itaque est, per quam Deus exaltauit suam misericordiam in natiuitate æterni Filij sui, & gloriam suam compleuit ; adeò vt Petrus Damianus non dubitet eam appellare *complementum SS. Trinitatis* : ista est, quâ templum ingrediente, illud quinque sublimia (quibus carebat) mysteria recepit, tantò glorioſiùs quàm Salomonis structura, quantum vmbram lux, figuram corpus, symbola omnia res per ea significata dignitate excellit. Nam de arcâ dubium non est, quin hæc Ma-

Virgo templum honorat suo ingressu.

Templo Virgo restituit quintuplicem, quâ carebat, gloriam.

ria fuerit, in quâ manna illud cæleſte & panis Angelorum claudebatur. Duas autem illas Rationalis petras, *vrim & thumim*, quis non videt, dum IESV & Mariæ ſplendorem intuetur? Ignem autem, quem Chriſtus venerat mittere in terram, vtique cæleſtem, nunquàm non ſecum habebat: Deus enim ignis eſt. De *gloria & præſentia* qui ambigit, profecto ille quis ſit infans, quem Maria ſuis lactat vberibus, prorſus ignorat. Iam verò *Spiritus Prophetiæ*, diffuſus in Simeonem & Annam, totis reſonat adytis, perque omnia ſubſellia diffunditur. Maior itaque, & multò fuit maior gloria ſtructuræ huius poſterioris, quàm fuerit primæ: honorificentius multò eſt templum hoc, quàm vnquam fuerat Salomonis: id quod Eccleſia pleno ore decantat: *Suſcepimus Deus miſericordiam tuam in medio templi tui.* Multos miſericordiæ ſuæ effectus Deus cum mortalibus in priore illo templo communicauerat, miſericordiam verò ipſam nunquàm donauerat: in hoc verò templo, hodiernâ luce non fructus tantum aliquos liberalitatis & miſericordiæ, ſed ipſam cum fructibus arborem Chriſtum, arboriſque radicem Virginem Mariam ſuſcepimus. Exvltet ergo meritò fabrica hæc tam eximio, quo à Maria Virgine affecta eſt, honore: gaudeat iſtâ alumnâ, quæ accepta in iuuentute documenta tam diuino compenſat munere: glorietur lege ſuâ, quæ fœminas immundas omnes venire dum cogit, Virginem hanc, omnium quas ſol aſpexit vnquàm creaturarum mundiſſimam, ad ſe attraxit, atque, vt tali aras ſuas ornaret munere, perſuaſit. Nos verò tanto docti Virginis magiſterio, imbibamus eam erga ædes ſacras reuerentiam, vt memores eum in Chriſtianorum templis reſidere, cuius tantilla præſentia hoc ædificium ſupra Salomonis machinam exaltauit; ita nos in illis geramus, vt omnes qui in nos oculos conijcient, aduertant eius nos eſſe fidei alumnos, quæ ſua ita inculcat myſteria, vt credentium opera ipſorum teſtentur veritatem.

CAPVT V.

Legem præterea deficientem honorauit, & quodammodò pro eâ fideiuſſit Maria, dum eam in Purificatione obſeruat.

QVANTO in honore eſſet apud Mariam is locus, qui Dei cultui eſt conſecratus, diximus: quanti autem ipſa & legem fecerit, quæ eundem præcipit cultum, iam dicemus. Nam & hæc illi cauſa fuit, quare purificandam ſe offerret *ſecundum legem*, vt ſcilicet amare ſe, & magni facere legem oſtenderet. Conqueritur ſerm. 4. Saluianus, quod nullus ſit apex in lege diuinâ, qui ſibi non perditos aliquos atque nefarios homines inimicos inuenerit. fures enim & rapaces non poſſunt amici iſtius legis eſſe, quæ manus à rebus alienis abſtinendas, ac vitandam omnem auaritiæ ſuſpicionem præſcribit: proditores ac fraudulenti non poſſunt illi legi non aduerſari, quæ fidem iubet in vitâ eſſe ſanctiſſimam: corruptores, adulteri, non poſſunt animo æquo iſtud mandatum legere, quod cauet, ne quod in vitâ veſtigium libidinis appareat. Quæ lex inculcat iure æquo omnes eſſe oportere; imò ampliùs, quemque ſe infrà proximum ſuum ſtatuere iubet; infeſtiſſimos habet illos faſtu turgidos & ſuperbiæ vento inflatos pepones: quæ temperantiam docet, menſuramque porrigit, ad quam potus & cibus ſit exigendus; quantis non ebrioſorum vapulat inter pocula ſannis & opprobriis! Denique omnia de liberalitate ſtatuta ſpernit, ſi quis ad rem attentior: quæ autem ſtatuunt donandi atque expendendi modum, odio habentur à prodigis.

Verba

SALVIAN. Verba Saluiani sunt: *Pænè omnis sermo diuinus habet æmulos suos. Quot genera præceptorum, tot sunt aduersariorum. Si largitatem esse in hominibus præcepit Dominus, auarus irascitur: si parsimoniam exigit, prodigus execratur. Sermo sacer imperat hostes suos diligere, despiciunt duellatores. Quidquid de iustitia scribitur, abhorrent raptores: superbi, quidquid de humilitate commendatur. Aduersantur ebriosi, vbi sobrietas indicitur: vbi continentia, detestantur impudici.* Nolunt videlicet homines, prauos suos affectus ad legis præscriptum inflectere, nec tantillum subire molestiæ, vt ij fiant qui debent, talesque se fingant, qualem illis lex sanctissima formam proponit. Quæ ratio induxit Virginem Matrem nostram, vt peccatricem se fingeret, cùm non esset: ne homines existimarent quòd talis esse noluisset, qualem ipsam apparere lex velle videbatur: malebatque de sua existimatione quàm plurimùm, quàm de legis reuerentiâ tantillum decedere. Quo facto, quam insignem veteri isti legi Virgo honorem habuerit, tum demùm intelligetis, si præter dignitatem ipsius Matris Dei (præterquàm, quod maximi etiam momenti est, quod id sine omni obligatione faciat) id præcipuè considerare velitis, quo maximè tempore talis tantaque Regina legi se, nullâ compellente obligatione submiserit. Vbi hoc inprimis notandum, quod nemo ignorat, amicitiam veram tanquàm aurum ad Lydium lapidem, ita ad ipsam amicorum aduersam fortunam probari: adeò vt ea demùm magnifacienda sint obsequia, quæ homini, non fortunæ, exhibentur: quod licet aduersis æquè ac lætis rebus fieri possit ab ijs qui verè amici sunt; quia tamen in illis hoc apparet magnificentiùs, fit, vt non tantùm commoditatem adferant obsequia tam opportuno tempore maiorem, sed etiam illustriorem honorem deferant: cùm non obscurè indicetur in ipso illo reperiri homine, cur ab amico dignus sit coli & obseruari. Quibus ita constitutis, aliud à Sapiente discendum est, qui Eccles. 33. ait: *Homo sensatus credit legi, & lex illi fidelis.* Greca dicunt: *Et fideiussor est legis.* Fit itaque, ex doctrina sapientis, legem inter & hominem contractus quidam, quo illa mercedem & præmia spondet ijs, qui colla sibi subdiderint, diligentemque in se obseruandâ nauauerint operam: homo autem sensatus fidem his habet sponsionibus, *credit legi*, volensque illi subijcitur, accuratamque spondet & præstat illi eorum quæ præcipit obseruationem: *& lex fidelis* est in contractibus suis, liberalis in promissis, certa in præmijs, neminemque, qui ipsi obseruantiæ honorem exhibuit, mercede condictâ fraudauit. Ita iam multis annorum centurijs hâc fide & fidelitatis opinione lex vetus illa fuerat: verùm laborare nonnihil sinistrâ fidelitatis opinione etiam inter sensatos hoc tempore incipiebat. Cogitabant multi, quod apertè posteà prædicauit Apostolus ad Hebræos 7. cap. *Translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat.* Hebr. 7. Sacerdotem iam nouum pastores viderant, Reges adorauerant, Herodes & Ierosolyma omnis, quia regale habiturus erat sacerdotium, formidabant. Quid fiet de Lege? prima erat sensatorum omnium interrogatio: quid hæc egena & vacua elementa facient? quid infirmæ & inutiles ceremoniæ? erant & fortè qui Apostolum præueniebant, dicentes: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatē eius & inutilitatē.* Hæc altera erat turbatio, non inter Ierosolymitanos, sed inter Bethleemeticos, non inter reprobos, sed maximè inter sensatos, non inter eos qui persequebantur natum Seruatorem, sed inter eos præcipuè qui eum studiosissimè sequebantur. Faciebant enim non secùs boni omnes, atque homines solent qui mercatori cuipiam opulento atque integræ famæ omnes facultates suas crediderunt, vt eas cum fœnore deindè recipiant: si fortè de eo murmur aliquod aut suspicionem audiuerint, continuò expallescunt, de se rebusque suis sunt anxij, quid futurum sit interrogant, vario sermone miscent colloquia: collabascit interim (siue veris siue falsis ex causis sit orta suspicio) mercatoris fides, nemoque facilè credit

Lex antiqua honoratur à Virgine per purificationē.

dit illi, quem propediem ceſſurum foro exiſtimat. Hîc, niſi vel eos, quibus cognitas & perſpectas eſſe ſciant mercatoris iſtius rationes, videant cum illo ſocietatem & pacta continuare; vel certè niſi vir aliquis, cuius fides extra controuerſiam eſt, pro eo fideiubeat; actum eſt de illo, nemo illi credet, perijt fides eius, & ipſe cum fide. Cuius verò amicitiæ foret cuius amoris & beneuolentiæ, ſi quiſpiam, qui & deploratum ipſius ſtatum cognoſceret, & breui ceſſurum foro certò ſciret, interponeret tamen fidem ſuam, publicéque, non ſine maximo fortunarum ſuarum diſcrimine, pro eo fide iuberet? magna profectò & admiranda foret iſta amicitiæ vis, quæ eò amicum impelleret: magnus honos, qui ex tam honorificâ fideiuſſione ad mercatorem, cuius fama laborabat, redundaret! Non minor ſanè fuit illa, quàm hodiernâ die legi veteri Maria oſtendit, amicitia: non minor honor, quem illi exhibuit. Deficiebat enim iam illa, vt ex Apoſtolo audiuimus; & Sponſus Virgini apertè prædixerat Cant. 4. Antequàm enim illa reſolueret, *Vadam ad montem myrrhæ & collem thuris*, id eſt (quemadmodum cap. 11. docuimus) ad templum me conferam purificandam; dicebat ei ſponſus, *Duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui paſcuntur in lilijs, donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ*: quaſi ſi inter haſce verborum delicias conaretur eam à purificationis, quod illi iam ſubolueſat, propoſito deterrere, dicendo: Vbera quidem tua matrem te teſtantur, dilectiſſima; ſed an neſcis, gemellis capreæ hinnulis ea eſſe ſimillima, tenellulis, virgunculis, & qui paſcuntur in lilijs, in ijſque permanere atque hærere debeant *donec aſpiret dies* legis nouæ promulgatæ per orbem vniuerſum, *& inclinentur vmbræ* legis huius Iudaicæ, quæ nihil habet niſi vmbram futurorum? quapropter nihil opus eſt, vt lilia hæc candidiſſima deſeras, inter quæ cum ſplendore, candore, & opinione caſtitatis paſceris: monteſque illos templi leroſolymitani myrrhâ & thure refertos petas, vbi bonæ iſtius, quæ de te habetur, opinionis dulcedo, ſiniſtrarum ſuſpicionum amaritudine temperabitur, & ſplendor iſte gloriæ tuæ fumo neſcio quo variorum rumorum offuſcabitur. Sciebat ergo reprobationem iam inſtare præcedentis mandati propter infirmitatem eius & inutilitatem: & tamen vt legem honoret, obſeuare eam deſiderat. *Vadam*, inquit, *ad montem myrrhæ, & ad collem thuris*; purificandam me ſiſtam, legem adimplebo, & adimplendo ſpondebo, & fideiubebo pro eâ, cum maximo opinionis de meâ caſtitate periculo: ſed tanti eſt eam legi exhibuiſſe amicitiam, tanti eſt omnes ex me intelligere quòd quicumque ſenſatus eſt, *credit legi, & quod lex ſit illi fidelis*. Satis dixit, abundè fecit Virgo, vt ruborem incutiat, nobiſque exprobret diffidentiam dicam, quod legi non credamus; an ſocordiam, quod laborioſum nimis videatur, ea quæ præſcribit exequi? an peruicaciam, quod leuibus etiam mandatis non obediamus? an denique ſtoliditatem noſtram, quòd non videamus neceſſitatem obligationis, quâ cogimur accuratiſſimè ſtare legis præſcripto, niſi pœnas rebellionis velimus luere ſempiternas: quas non euademus, niſi ſummo noſtro emolumento parati ſimus iſtum præſtare honorem nouæ legi, (cuius apex unus vel iota vnum non præteribit) quem tanto æſtimationis ſuæ diſpendio Maria veteri exhibuit legi, iam pœnè abrogatæ atque inutili.

Fideiubet pro lege Maria.

Cant. 4.

CAP.

CAPVT VI.

Exercitium virtutum in Purificationè ſpectabat Virgo, præcipuè Humilitatis & Obedientiæ.

TAM multa ſpectauit virgo hæc ſapiens, in hoc nobiliſſimo purificationis ſuæ actu, vt difficile ſit nobis enumerare ſingula, quæ ipſa nobiliſſimis cogitationibus amplificata gerebat in mente. Accuratiſsimè enim & cum maxima animi attentione obiuit hoc myſterium, in quo illa ſibi fructum colligere videbatur omnium acceptorum hactenus à Deo beneficiorum. Hîc namque quæ toto vitæ ſuæ decurſu, tanto ſtudio, tantâ diligentia, tanto filij ſui fauore collegerat, quaſi in vnum compacta Deo offerebat, quâdo honorem ſuum, & ſanctitatis caſtitatiſque æſtimationem lubens perdebat in obſequium illius, cui omnia referebat accepta. Atque hæc ſumma creaturæ felicitas eſt: cùm ex ſe nihil prorſus illa ſit; & nihil, poſtquàm Conditoris munere eſſe cœpit, habeat à ſe; vt poſsit, poſtquàm diuinâ eius largitate accepit quàm plurima, eadem illa, iam quodammodò ſua, diuinis impendere obſequijs. Nec fructus poteſt fingi, omnium eorum quæ poſſidemus, ſublimior aut iucundior, quàm is, quòd creaturæ pauperculæ poſsimus cum opulentiſsimo rerum omnium Conditore certare liberalitate atq; munificentiâ, eumque donis ſuis, eadem illi rependendo, cogere ad noua largiendum munera: quæ ſi non ceſſemus iterùm iterumque in Authorem dirigere, fit quaſi flexus in circulum riuus perpetuus, quo gratiæ donaque cæleſtia in nos à Deo profecta, rurſus à nobis deriuentur in Deum: vnde nouæ liberalitatis aucta impulſu largius ſemper atq; abundantiùs ad nos redeant. Nemo perſpexerat hoc clariùs, nemo datarium hunc liberalitatis luſum exercuit feliciùs Virgine illâ, quæ prodigioſo genere munificentiæ profundiſſimam illam nihileitatis atque humilitatis ſuæ abyſſum ita ſine intermiſſione vacuabat, omnia refundendo in Deũ; vt continenti fluxu gratiarum, perpetuo deſuper impetu decurrentium, momentis ſingulis reddita profundior, eò ſemper plus acciperet, quò plura exhauriret. Quo in genere, cùm hactenus nihil adhuc egiſſet præſtantius illo, quem hodie deſcribimus, Purificationis actu: quo nimirùm non tantùm intrinſeca ſua omnia (quod momentis faciebat ſingulis) Deo offerebat; ſed honorem ſuum bonamque apud homines de caſtitate ſuâ exiſtimationem immolatura veniebat. Exiſtimo ego, quemadmodum prudentiores ſolent munera ſua verbis quàm aptiſſimis exornare; ita operam dediſſe Virginem, vt hæc famæ honoriſque ſui oblatio foret omnium virtutum generibus ornatiſſima: quarum cùm ſciamus quantâ ſemper arſerit cupiditate, erunt hîc tot rationes cur Purificationem hanc obiuerit, quot in eâ virtutes in gradu aliquo eminenti reſplendebunt. Inter quas primùm ſeſe offert ſanctitatis quoddam incredibile deſiderium: quo illa, tot tantiſque gratijs imbuta cæleſtibus, quæ veram ſolidamque ſanctitatem conſtituunt, cùm videret fulgorem quendam ſine luce, colorem ſine corpore, legalem aliquam ſanctimoniam ſine habituali eam fulciente gratiâ; ſtatuit ne hoc quidem decus, quoniam ad ſanctitatem quoquo modo faciebat (licet cariſſimo famæ conſtaret pretio) ſibi eſſe negligendum: pulcherrimo mortalibus exemplo omnia infrà virtutem eſſe ducenda, cum illa ne quidem honorem ac famam ſuam huic virtutis vmbræ præpoſuerit. Sed ab vmbra virtutis, quæ neſcio quo ſplẽdore Virginem alliciebat, ad peccatorum vmbram tranſeamus, quæ acerbiſſimo maledicentiæ armata flagello,

Maximus diuinorum beneficiorum fructus, quòd ea poſsimus Deo reddere.

Obtulit Deo famã ſanctitatis & caſtitatis Virgo.

denſiſſimâ opinionum impuritatis circumſeſſa nebulâ Mariam inſequitur, minitans ſi in templum purificanda aſcenderit, dilaceraturam ſe diriſsimis flagelli ſui ictibus famam eius, necnon ſpurciſſima iſta nebulâ offuſcaturam. Inſequebatur eadem hæc tartari progenies quondam Saram, lectiſſimam fœminam, atque innocentiſſimam magni Abrahami coniugem, quando ab Abimelecho ſublata facilè in ſuſpicionem incurriſſet temerati lecti coniugalis; niſi Deus verbo monſtrum depuliſſet, inque nebulas ſuas feciſſet euaneſcere, dum Saræ luculentum dat innocentiæ teſtimonium: *Abimelech verò non tetigerat eam*; & ipſi: *Cuſtodiui te, ne peccares.* Curioſè indagat Theodoretus quæſt. 62. in Genes. quare hic potiſſimum adiungatur caſtimoniæ coniugalis atteſtatio, cùm illa in ſimili occaſione cap. 12. Geneſ. quando eadem Abrahami coniux à Pharaone ob ſingularem formæ præſtantiam abducta fuerat, non addatur? & reſpondet: *Sara tunc paritura erat Iſaac. Ne igitur ſemen Abrahæ ſuſpectum eſſet, illic manifeſtè declarauit Scriptura diuina, quod Abimelech illam non tetigiſſet.* Itané verò? Sara paritura erat Iſaac: & tanti refert conſtare illum, qui tam inſignis Chriſti erat figura, non dubio ſanguine eſſe progenitum? Et Maria iam peperit Ieſum, neque Deo cordi erit, vt maculam iſtam auertat à Filio, ne matre non virgine exiſtimetur procreatus? an negligentior erit in amouenda à ſe iniuriâ, quàm in Iſaaci honore procurando fuerit? Quid autem Virgo? tam vbique circumſpecta an non cogitat, vix credendum ab hominibus iſtum Filium eſſe Patris luminum, cuius matrem viderint latentem ſub vmbra impuritatis? non conſiderat perſuaſu fore difficile, hunc eſſe ſplendorem ſubſtantiæ Patris, ſpeculum ſine maculâ, lucem increatam, quem viderint purificandæ matris geſtari brachijs, foueri ſinu, pendere ab vberibus? non intelligit vix credituros homines, quem putauerint lacte emaculando nutriri, impuro formatum ſanguine, hunc eum eſſe, qui mundi peccata omnia, omnes criminum ſordes, omnes iniquitatis maculas ſit deleturus? De te autem, ô Virgo, quæ tacitæ cogitationes, quæ opiniones, quis rumor, quis ſermo fururus, ſi hoc egeris, ſi hanc ſiniſtræ ſuſpicionis cauſam dederis? Fruſtrà, ſi Mariam noui, eam deterrere conabimur hâc vmbrâ infamiæ, denſiſſima licèt obſeſſa falſarum opinionum nebulâ. Hæc enim feruentiſſimis diuinæ charitatis ardoribus exæſtuanti gratiſſima eſt vmbra: hæc deſiderata eſt nubes humilitatis, ſub quâ illa ſolet quàm iucundiſſimè conquieſcere. Vſa hoc ſemel erat remedio aduerſus nimias diuini amoris flammas, cùm Angelo nuntiante intellexiſſet Deum ipſum in corpore eius delegiſſe ſibi nouem menſium habitaculum, extimuiſſetque, vt par eſſet tantis, quos ille neceſſariò ſecum trahebat, charitatis ignibus. Audiens enim quod Spiritus ſanctus ſuperueniret, eique vmbram faceret; ipſa opportunum vmbræ locum, profundiſſimam humilitatis vallem, conſpicata, ſtatim ad eum confugit, à ſublimitate Matris Dei deſcendens ad ancillarum conditionem, ita directè maternitati oppoſitum, vt (teſte Philoſpho 1. polit.) fieri non poſſit, vt pater aut mater, licet bello ſubiugentur, fiant ſerui aut mancipia filiorum: *Quia patris poteſtas abſorbet omnem ſeruitutem vndecunq; profectam.* Quod adeò tunc Mariæ ſucceſſit feliciter, vt ſemper circumſpiciat, creſcentibus indies amoris incendijs, eccubi poſſit profundiorem reperire abyſſum, quò confugiat pectori anhelanti præbitura refrigerium: quem cùm iam in templo inter peccatorum mancipia conſpexerit, nunquàm tam bellè dicemus, vt Virginem à tam grato deterreamus humilitatis ſolatio.

Geneſ. 20.

Humilitas eſt Deiparæ locus vmbroſus ad quietem.

Neque mirari quiſpiam debet, quod profundiorem humilitatem exercuiſſe dicamus Mariâ in Purificatione, quàm in Annuntiatione exercuerat. Licet enim tantam Mariæ Dei eſſe dignitatem libens fatear, vt nihil illâ, quod quidem infra Deum ſit, reperiri poſſit ſublimius, cui directè oppoſitum

ancillæ

ancillæ titulum Virgo deligens, videtur ad infimum omninò locum descēdisse: si tamen diligenti consideratione mentem ad dubitationem illam adieceris, quâ non videbatur admissura maternitatem, nisi priùs virginitati cautum fuisset; non temerè statues, quòd isti dignitati hunc castitatis nitorem prætulerit. Si prætulit; id profectò sequitur, cum in Purificatione eo descendat, vt etiam virginitatis videatur iacturam fecisse; tantò humilitatem, quàm hodie exercet, alteri isti quam in Annuntione exercuit, esse præferendam, quantò vilius est peccatorum, quàm Dei esse mancipium. Vnde non immeritò sanctus Bernardus hanc humilitatem Mariæ cum eâ confert, quam in circūcisione Seruator noster exercuit, de quâ sic ait: *Si quo modo posset Deus non agnoscere Filium, in quo ei benè complacuit; ex hoc signo maximè poterat ignorare eum.* Iam ad rem nostram. Si quâ ratione fieri posset, vt Pater æternus non agnosceret filiam, Filius matrem, Spiritus sanctus sponsam; ex hâc sanè purificatione debebat eam sanctissima Trinitas prorsùs ignorare. Quid enim? Pater diceret: Egoné talem Filio meo elegerim matrem, talem sponsam Spiritu sancto dederim, quæ abiectissimas inter mulierculas sordibus ijs debeat expiari, quibus ego decreto æterno vetui, in Filij honorem, matrem inquinari? Et puriſſimus ille Sanctissimæ Trinitatis Amor, quomodo non abominaretur sponsam illam, quæ eò ipso quod purificandam se offerat, fateri videtur operâ se alterius concepisse: cùm ab obumbratione puritatis istius æternæ, nihil sordium, nihil relinqui possit contaminationis? Filius autem, ad quem magnâ ex parte redundabit infamia, an non tenellulis illis manibus pedibusque eam auersaretur matrem, quæ facto accusare illum videretur, tanquàm si præceptum Patris, singularem Spiritus sancti commendationem, suam ipsius voluntatem imprudens vnà cum claustro virginali matris suæ violasset? non feci, non volui, clamaret ille: matrem ego meam intactam inueni, integram reliqui, nec est cur me egrediente vllâ sit impuritate inquinata. Hæc quæcumq; est, si purificationibus indiget, mea non est: reijcio, respuo, non agnosco. Quinimò dicamné tanto humilitatis præcipitio quasi vertiginem aliquam passam Virginem, vt ne se ipsa iam quidem agnouerit? Indicare id videntur Angeli Cant. 1. *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Iuuant Chaldaicæ, quæ sic exponunt: *Egredere & deduc Filios tuos tanquàm hædos, vt appareant in domo sanctuarij.* Quæ inuariato sensu sic nos exponere possumus: Nisi te ignoras, ô pulcherrima inter mulieres, nisi humilitatis vehementissimum desideriū, pulchritudinis, castitatis, dignitatisque tuæ tibi cogitationem excussisset; numquàm egredereris, & deduceres Filium tuum, (qui vnus est instar plurium, dignitate suâ abundè numeri damum compensans) tanquam hædum olentem peccatum originale, ceteraſque humanæ natiuitatis miserias, *vt appareret in domo sanctuarij*, tanquàm si & ille redimi & tu purificari ceterorum more deberetis. O animi demissionem admirabilem! ô profundam abyssum humilitatis! hoc est latere, hoc est lucem splendoremque omnem effugere, vt non hominum æstimationem, sed & tui ipsius & Dei pænè cognitionem effugias. In hoc gaudet, in hoc se oblectat Virgo, sub hac personâ impuritatis ita grātiosè se nouit abscondere, vt scenam agat Sanctissimæ Trinitati incundissimam, sibi vtilem, & nobis, siquidem velimus exemplum æmulari, non mediocriter profuturam. Si enim laruam istam vanissimæ superbiæ & insolentissimæ vanitatis tantisper nobis detrahamus, quâ nosmetipsos Deo & Angelis odiosum, hominibus ridiculum, dæmonibus acceptum ludum facimus; eosdemque nos in propria, vt sic dicam, personâ aspiciamus; non sine horrore obstupescemus, eò nos loci non per humilitatem, vti Maria Virgo, sed per peccatorum grauitatem, per actuum impudicorum deformitatem, per luxuriæ obscenita-

BERNAR.

Si Deus posset ignorare Mariam; propter purificationem ignoraret.

Cantic. 1.

Peccator non agnoscitur à Deo.

tem descendisse, vbi extra omnem Dei notitiam constituti, nullo afflamur auræ cælestis fauore, nullo Dei benignioris aspectu recreamur. Si enim, propter personatam istam peccatricis ad humilitatis exercitium repræsentationem, virgo Maria Deo, vti iam diximus, pœnè exciderat: an nos qui pudicitiam contemnimus, castitatem abijcimus, in sordibus ac libidinibus noctesque diesque volutamur, agnoscendos speramus à Deo, quando notos & amicos suos æterno excepturus conuiuio, vnicà voce *Nescio vos*, facessere iubebit ceteros? Sanctus Ambrosius ad virginem lapsam, quid senserit indicat: *Quæ est ista repentina mutatio? de Dei virgine, facta es corruptio Sathanæ; de sponsâ Christi, scortum execrabile; de templo Dei, thorus immunditiæ; de habitaculo Spiritus sancti, tugurium diaboli: quæ incedebas cum fiduciâ vt columba, modo lates in tenebris vt stellio: vt in summâ dicam, nesciris à Sponso.* Formidabile est nesciri ab eo, à quo amari salus æterna est; ignorari verò, omni gehennâ luctuosior damnatio. Et tamen affirmat sanctus Gregorius Nyssenus imaginem illam & similitudinem Dei quæ relucet in hominibus, esse virginitatem & puritatem, in quâ homo creatus fuit: vt iam nihil restet, vnde Deus agnoscat illum, qui abiectâ per impuritatem eius imagine, diaboli, peccati, aut monstri nescio cuius figuram induit.

S. Amer.

Habuimus desiderium sanctitatis, habuimus humilitatis exercitium, causas quæ Virginem impulerint ad Purificationem: Habemus & obedientiam, quam Euangelium indicat: *Secundùm legem Moysi.* Cuius virtutis cùm infima laus sit, operis, quod imperatur, expediata, integra, sine tergiuersatione, sine murmuratione executio; non explicabo quantâ celeritate, quanta promptitudine, vbi dies aduenerat, se ad iter Maria expedierit: non commemorabo quàm perfectè mandatum sit executa, se purificando, Filium redimendo, munus offerendo: non laudabo etiam voluntatis (quæ maior est obedientiæ perfectio) cum ipsâ lege consensionem, quàm libenter, quàm voluntariè sacrificauerit. Non enim volo vllam magni fieri virtutem in Virgine, quâ aliquid datur sublimius. summus in obedientiâ gradus est cœcitas illa, quâ, sine vllâ disputatione statim se intellectus captiuum reddit in obsequium obedientiæ, quemadmodum sese assueuit inclinare, vt toto impetu feratur ad credendum, ea quæ fides proponit. Quam obedientiæ præstantiam necessariò dicendum est hic admirabili quodam modo exercuisse Virginem, cùm præcepto (quod suæ & Filij sui æstimationi repugnaret, quod eam inviolatæ castitatis suspicionem adduceret, quod Filij diuinitatem, diuinam suam maternitatem suspectam redderet, ad quod denique nec ipsa nec Filius eius obligabatur) tantâ alacritate & gaudio obediuit. Quam virtutem tanti fecit sponsus eius amantissimus, vt, cum membra eius penè omnia (Cantic. 4. 5. & 9.) ingeniosissimis comparationibus descripsisset, nullam auribus dignam inuenerit similitudinem: quòd scilicet obedientia eius prorsus esset incomparabilis. Quod non obscurè quædam sponsa testatur, dum gloriatur accepisse se inaures pretij omninò inæstimabilis. Sine dubio non erat nisi obedientiæ præmium tam pretiosum aurium ornamentum.

Mariæ cœca obedientia.

CAPVT VII.

Iter Virginis ad templum, in eoque summum Sacrificantis gaudium mox intristitiam incomprehensibilem commutatum.

HO res superiori capite deducta est, ea facta perturbatio, vt pænè opus sit aliquo ex machinâ Deo, qui ad agnitionē perducat hallu-

hallucinantes. Iam enim insolitâ suâ humilitate id effecit Virgo Maria, vt vix Pater cælestis illam, vix suum, quem illa genuerat, Filium agnosceret: Filius quodammodo in matre erraret, de Sponsâ ambigeret Sponsus eius Spiritus Sanctus; & (quod in comœdijs maximè oblectare solet spectatores) ipsa se Virgo falleret, neque secùs qnàm Plauti Menæchmus aut Sosia, vbinam se sibi exuisset, inquireret. Verùm exitum præstolemur, simul ad templum, quo Virgo properat, ascendamus: si fortè ibi se sacrificantis maiestas prodat, quam Purificationis humilitas abscondebat. Tot igitur, tantisque, quot & quantis iam attulimus, rationibus permota, quadraginta à natiuitate expletis diebus, iter ad templum parat Maria: itineris solatium & causam, Filium assumit: hæret fidus comes lateri Ioseph us, auxilium, consilium, vbi vsus erit, allaturus. Quis mihi hîc Cherubim pectus emolliat? quis Seraphim flammatâ amoris cuspide cor transuerberet, vt affectuum suauitatem, ardorem charitatis, desideriorum flammas concipere valeam, quibus toto hoc itinere in vicem pater materque Filium, Filius vtrumque oblectauit? Quoties illa Filium intuita, dicebat: Verè *dilectus meus candidus & rubicundus*! & ille, ore ad suauitatem composito, gratiosè obliqua tuentibus oculis, & vultu reponebat: *Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es.* Quoties impresso labellis osculo, immuruminabat illa: *Speciosus forma præ filijs hominum*! & rursùm exuberante affectu vberibus imprimens, quem tanto pepererat gaudio (nescius illum esse, qui dolorem sibi pariturus erat propemodùm infinitum) vaticinabatur: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur*! ille verò iam patrem, iam matrem intuitus, ita dispertiebatur affectus, vt quocumque se verteret, ardentissimas eiacularetur flammas, quibus corda parentnm ita liquescebant, vt nunquàm vires ad iter suffeciissent, nisi idem ille, qui vibrabat, suppeditasset fortitudinè & robur ne in via deficerent? Et ecce inter cælestes hasce delicias templum attigerunt. Assurge, assurge è solio maiestatis tuæ, æterne Deus: ecce spectaculum illud, quod mille trecentis iam annis anes aspicere tam propenso desiderio, vt tot antè sæculis locum ipsum nomine suo testari volueris tuam accensam sacrificium hoc, quod iam instat, videndi cupiditatem: *Vnde vsque hodie dicitur, in monte Dominus videbit.* Gen. 22. Videratibi Deus patris sublatam manum, iam iam filium percussuram, nisi tam pia & prompta voluntas habita fuisset pro opere: quo in negotio summa Patriarchæ istius laus est, quod adeò viuaciter adumbrauerit hodiernum sacrificium, vt iam eam saliuam Deo mouerit, quæ illum non sineret huius diei cogitationem deponere. Et certus ego sum, si vel minimam eius maiestatis partem, qua Virgo rem hanc verè diuinam fecit, hæc oratio posset attingere; nunquàm vos huius scenæ deposituros esse memoriam. Præconem enim illa habuit Sanctum Spiritum, qui ipse mundum peruagatus vniuersum, nonnisi binos reperit, quos huic spectaculo (cùm dignum eo inueniret neminem) aptandos iudicaret. Euocat ergo Simeonem & Annam: Deus bone, quale hominum par! quid in eis desiderari potest, quod non sit ad summam dignitatem compositum? Ætas? suprà communem hominum sortem est, in hoc solùm producta, vt maior eorum esset humanâ species. Pietas? ipsa erant templi columina, ieiunijs & obsecrationibus ædis illius sustentantes maiestatem. Dignitas? Sacerdos vterque, &, quod ex responsis patet quæ cœlitùs accepisse commemorantur, Deo vterque familiaris. Priuilegia denique? vt prophetiæ donum, visiones rerum diuinarum eximias, miraculo extractam ætatem, ceteraque innumera præteream; nullum argumentum requiro maius, quo ijs authoritatem conciliem, quàm, quòd in hoc spectaculo (ita calidè per tot annos à Patre cælesti desiderato) ipsis suæ datæ sint partes, vt non spectatores tantùm, sed etiam actores rei tantæ exisserent. His subsellia sua in sacratissima ædis parte obtinentibus, cortina

Virginis iter ad templum delicijs plenum.

Simeonis & Annæ laus.

panditur: Iesus, Maria, Ioſephus procedunt: ille futurus ſacrificium, Maria Sacerdos: honorarij partes miniſtri Ioſephus acturus eſt; ideò adhibitus, vt ſcena foret concinnior, quando non ſine patre natus videretur, cuius mater purificanda procederet. Non vacat ad paſſus ſingulos ſubſiſtere. Simeonis & Annæ ad primum ſcenæ conſpectum raptus, extaſes, iubilationes, cæteraque (quæ nemo, niſi qui ſenſerit intelligere poteſt) indicare; Patris cæleſtis attentionem, Angelorum omnibus cæli portis effuſionem deſcribere; Ieſu in partibus ſuis obeundis gratiam, matris ſine anxietate ſollicitudinem, Ioſephi plenam maieſtate diligentiam, vt maximè vacaret, & cetera mihi adeſſent omnia quæ homini Deus conceſſit vnquàm, per hanc tamen mortalitatis conditionem non licèt commemorare.

Deiparæ Filium offerentis deſcriptio.

Interim ad aras peruenitur: ante Patris ſe æterni conſpectum Virgo ſacrificatura collocat: hoſtiam aris, quibus cælum digniores non elaborauerit, manuum ſuarum ſuſtinet: atque oculis, dubium ſublimiori maieſtate, an gratioſiori humilitate, in cælum vnà cùm manibus eleuatis, ita Patrem cæleſtem „alloquitur: Aſpice, Deus æterne, tibi „& mihi communem Filium. Tu eum „ex vtero antè luciferum, ego eun„dem quadraginta ab hinc diebus ge„nui: tu ei dicis, *Filius meus es tu, ego* „*hodie genui te*; à me audit quotidie, „Filius meus es tu, ego diebus hiſce „nouiſſimis in Bethleem perperi te: „naturalis eſt tibi, eſt & mihi natura„lis, tibi ex naturæ tuæ neceſſariâ fœ„cunditate, mihi ex ſingulari tuâ & in„comprehenſibili benignitate. Siſto i„gitur tibi hunc meum Filium, certa „non diſpliciturum, quia & tuus eſt, & „offero pro humano genere vniuerſo: „offero peccatricis induta ſpeciem, Fi„lium quoque inſignitum cauterio „peccati, non quòd ille poſſit, aut ego „velim peccatum vllum aduerſùs diui„nam Maieſtatem tuam admittere, ſed „vt tu memineris placabiliùs iraſci „peccatoribus, ſub quorum habitu vi„deris me Filiumque tuum tibi non „diſplicuiſſe: offero tibi ſacrificium „hoc magnum, ne poſthæc miſeros il„los Prophetarum tuorum ore exani„mes, dicendo: *Ne afferatis vltrà ſa„crificium fruſtrà, incenſum abominatio „eſt mihi: Holocauſtomata veſtra non „ſunt accepta, & victimæ veſtræ non pla„cuerunt mihi.* Scio enim hanc te vi„ctimam non reiecturum: neque igi„tur proijcias illos à facie tuâ, pro qui„bus eam tibi offero. Indigna quidem „ego tanto fungi ſacerdotio, ſed non „indignum munus offerens: neque e„nim terra hæc profert, neque cælum „poſſidet, neque tu Pater (quod gratâ „animi recordatione commemoro) „cùm omnia mihi dare velles, dignius „quid inueniſti iſto dono, quod ego ti„bi hodie ſacrifico. Suſcipe ergo bene„dictionem hanc, quam attulit ancilla „tua, & propter hanc benedicas popu„lo iſti, pro quo deprecor. Trado illum „tibi: ius omne meum lubens, quo„niam tu ita vis Deus meus, tibi per „manus huius miniſtri tui reſigno. Atque ita ſuauiſſimè exoſculata Filium; eum in manibus Simeonis depoſuit, omni ſe iure abdicans maternitatis. Hæreo hîc ego, & Virginem anteà contemplatus iſtâ oneratam ſarcinâ, maternâ poteſtate & iure præditam; & rurſùs eandem, reſignato iure omni, in manibus Simeonis Filium illum ſuum tanquàm alienum aſpicientem intuitus, dubito, vtra mihi ſe auguſtior offerat ſpecies. neque enim ſatis adhuc ſtatui, vtrum ſit diuiniùs eâ pollere in Deum poteſtate, vt eum habeas & dicas Filium; an iſtâ tam ſublimi præcellere dignitate, vt dicere poſſis, Filium te tuum, qui Deus erat, immolauiſſe æternæ maieſtati?

Simeonis cum puero Ieſu puerique cum Simeone colloquiũ.

Intereà non ſegniter tempore iſto tam exſpectato vtebatur Simeon: iam ſcilicet fructum capiebat productæ per tot vitæ tœdia ſenectutis: iam non lacrymam, ſed dolorem omnem detergebat ab oculis ſuis, tenerrimis indulgens affectibus, & totus lætitiæ ſolutus in lacrymas. Modò ad Patrem cæleſtem conuerſus, generis humani agebat partes; modò reuerſus ad Chriſtum & homines, mandata referebat Patris. Nec enim ego dubito, quin priùs Filio in aurem inſuſurauerit triſtia illa, quæ de Paſſione cælitùs acceperat, nuntia,

priùs

prius quàm ea Matri palàm prædixit. Ibi verò Seruator paruulus voce, quæ cor penetraret, in silentio loquens, significabat Simeoni lubentem se ac Matrem exultabundam in templum aduenisse, vt matutino hoc sacrificio inter brachia eius extensus præluderet isti vespertino doloris pleno, quod vix ille sibi auderet denuntiare. Scio enim „sub vitæ meæ veſperam, aiebat Chri„stus, brachia mea in crucem exten„denda, in eaq;, non secùs atq; mox in „hac mensâ nummos, omnia ossa mea „dinumeranda: sanguinisq; guttas om„nesomninò profundendas in pretium „redemptionis generis humani: quãdo „mihi (quasi ludibundus hæc cum se„ne loquebatur) sol obscuratus & om„nia è cælo fugientia lumina, non se„cùs atque iam densa barbæ tuæ sylua, „præbitura vmbraculum, Regiq́ue „suo factura sunt conopæum. ego „diem istam desiderio desidero, & ex„spectans expecto, & coarctor vsque „dum veniat. tu itaque hanc mitte cu„ram: sed postquàm gentis tuæ lega„tione ad Patrem meum cæleſtem, Pa„trisque ad eos mandatis fueris perfun„ctus, ibis celer nuntius meus, Patri„busque per tot annorum millia ad„uentum meum præstolantibus venis„se me, tibiq́ue non visum tantum, sed „manibus contractatum, hæcq́ue ipsa „locutum annuntiabis. Quisque hic secum statuat, an non anima ista liquefacta est, quando ita ei dilectus suus locutus est? Quis miretur omnẽ ei morã longam fuisse, quâ per vinculũ corporis prohibebatur tanta cũ Patribus limbo detentis communicare gaudia, statimq́uead Patrem cæleſtem exclamasse: *Nũc dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum?* Egòne ad Annam Prophetissam, ad Ioſephum parentem oſationem conuertam, explicaturus quanto quisque gaudio sit delibitus? Rapiunt me singuli, sed sola Maria detinet: tantis enim illa incedit lætitijs, tantâ vndique voluptate perfunditur, vt mirum sit vitam tam vehementi cordis dilationi superfuisse. Iam enim sibi non inter peccatrices conuersari, sed super Angelos exaltari videbatur; non se perdidisse Filium, sed mundi partem nobilissimam per eum sibi adoptasse existimabat: cùm ecce subitò conuertuntur omnia, & luctuosissimâ cataſtrophe scena tota concluditur. Senex enim ille medijs in delicijs cæleſtibus, ipsa inter Matris, Filij, sua, circumstantium omnium gaudia, ex improuiso frontem contrahit, oculos demittit, ingemiscit, iterumq́ue eximo corde altissima trahens suspiria, vultu nihil prosperi annuntiante Matrem intuitus, grauiter protensa ipso cum Seruatore brachia, lento motu bis terq́ue concutiens, voce tristissimâ hæc seuerè Matri denuntiat: *Ecce positus est hic in ruinam multorum in Israël, & in signum cui contradicetur; & tuam ipsius animam pertranſibit gladius.* Vide mihi tactam dolore cordis intrinsecùs Virginem Mariam. Matrem exuerat immolando Filium, martyr effecta est tam tristi vaticinatione, & eum, quem summo gaudio nostri causâ tradiderat, non sine acerbissimo dolore est receptura. Obstupescenda mysteria! Incruento sacrificio offertur Filius, sed cor Matris grauissimè cruentatur: in vespertino crucis sacrificio Filius morietur; hîc Mater, si doloris spectes acerbitatem, nimis manè tam luctuoso vaticinio ad mortem longissimam condemnatur. Nec tamen minùs artificiosè partes suas agit in luctu, quàm anteà fecerat in gaudio: ibi tantâ in dignitate adoranda, hîc ob constantiam admirabilis: vtrobique pia, vtrobique Deo consentiens, vtrobique digna Filio tali Mater, tali Patre filia, vtrobique Spiritu Sancto sponsa dignissima. Stat igitur mente ad tam seueram denuntiationem immota: non intacta dolori, sed imperturbata passionibus: sentiens plagam in corde grauissimam, sed mente generosâ perferens atque exsorbens omnem eius acerbitatem. O Mater! quid agam? laudabo te, an consolabor? profectò nihil hîc silentio melius: nam infra dolorem omne solatium est, & supra laudem constantia. Hoc breuiter dico, tantam esse doloris acerbitatem, quam verbo hoc Virginis pectori inflixit Simeon, vt nisi à tali mente prorsùs sustineri non possit; &

B. Mariæ Virginis in dolore constantia.

Luc. 2.

men-

mentem talem fruſtra alibi, quàm in Dei Matre requiri. Nunc ergo (vt eſt apud Tragicos) *res agitur intus magna.* ſpecta, homo, cælum, Deus. Tota Virgo Mater, tota Deipara cum tali aduerſitate componitur, quæ dignam illi materiam præbeat, vbi non ſine dedecore poſsit omnes ſuas vires impendere: non quòd anceps futura ſit pugna, ſed quod alteri nulli tam glorioſam ſperare liceat victoriam. *Nobis interdum voluptati eſt* (Senecæ hæc ſunt lib. de Prouid.) *ſi adoleſcens conſtantis animi irruentem feram venabulo excepit, ſi leonis incurſum interritus pertulit, tantoq; ſpectaculum eſt gratius, quantò id honeſtior fecit. Non ſunt iſta quæ poſſunt Dei in ſe vultum conuertere, ſed puerilia & humanæ oblectamenta leuitatis. Ecce ſpectaculum dignum ad quod reſpiciat intentus operi ſuo Deus, ecce par Deo dignum: Vir fortis cum mala fortunâ compoſitus.* Ibidem: *Athletas videmus, quibus virium cura eſt, cum fortiſſimis quibuſque confligere, & exigere ab his, per quos certamini præparantur, vt totis contra ipſos viribus vtantur: cædi ſe vexarique patiuntur, & ſi non inueniunt ſingulos pares, pluribus obijciuntur.* Omnia conueniunt in palæſtritidem noſtram: paupertate exacerbatur? gaudebat: hoſpitijs excludebatur cum contumeliâ? exultabat: turbatum Herodem inaudierat mortem Filij ſui coniuraſſe? ridebat: omnia hæc leues exercitationes putabat, nec dignam vbi totam Dei Matrem exerceret, palæſtram. Non opus erat in iſta tota potentia Virginis: non vulgari quidem, attamen ſibi vſitatâ virtute iſta ſuſtinebat: alium circumſpiciebat hoſtem, cum quo poſſet conferre manum. Adeſt ille, &, quò acerbiùs feriat, inter ſumma gaudia adoritur nihil minùs cogitantem; indè deſumens lædendi materiam, vnde omnia Virgo ſperabat remedia vulnerum. Ecce par Deo dignum: Virgo cum omnium, qui fingi poſſunt, acerbiſsimo dolore compoſita. *Poſitus eſt hic in ruinam multorum; tuam ipſius animam pertranſibit gladius. Lapidem quem reprobauerunt, lapis offenſionis, & petra ſcandali, qui ceciderit in illum confringetur.* Quot verba, tot tonitrua. Vndique depluere videtur gladios, ſaxa, malleos, caſum, fragorem, ruinam. Sed quemadmodum tot amnes, tantum ſupernè deiectorum imbrium, tanta medicatorum vis fontium, non mutant ſaporem maris, nec remittunt quidem: ita tantus, tamque concitatus rerum aduerſarum impetus Virginis Deiparæ non vertit animum: manet in ſtatu, &, tanquàm alteri dicerentur iſta, munere ſuo perfungitur. Non hoc dico, non ſentit illa; ſed vincit: & quieta placidâque mente, omni morte grauiora vulnera accipit, per omnem omninò vitam hæſura: certa vnico in voluntatem diuinam mentis obtutu ſedare omnem, quæ indè poſſet exurgere, malè ordinatam perturbationem. Quæ tam admirabilis, tam inuſitata, tam diuina conſtantia, cùm omnem intelligentiæ noſtræ vim ſuperet; illi cælum, quod eam capit, ſinemus plaudere: noſque ad ea, quæ deindè ſecuta ſunt explicanda ſuccingemus.

CAPVT VIII.

Redemit Filium ſuum nobis Virgo, licet tot ſibi dolorum cauſam. Explicaturque, Quomodo animam eius pertranſierit doloris gladius.

VERE tragica erat Agrippinæ ambitio, quâ non reformidabat Neronem ſuum, poſt triſtiſſima crudelitatis in ipſam exercendæ auguria, modis omnibus ad imperium ſubuehere', hâc vnâ voce eludens intentatum tot oraculis terrorem: *Occîdat, modò imperet.* Meliora, ſed non mitiora, per vaticinia docta Mater & Virgo Maria, maiori mentis conſtantiâ, non dubitauit Filium ſuum redimere, quem iam multis ſcandalum, ſibi gladium fore certò ſciebat: vnicâ voce, quam ei flagrantiſsimus

Maria gladium Simeonis deſiderat, vt nos redimamur.

mus amor in genus humanum suggesserat, animum coroborãs ad propemodum infinitum illo ex fonte manaturum dolorem: *Perimat, & pereat, dummodo redimat.* Quo semel pectus obfirmata proposito, etiam superabat illam Imperatorum magnorum virtutem, qui rebus affectis hilaritatem de industriâ simulant, & aduersas res adumbratâ lætitiâ abscondunt, ne militum animi, si fractam Ducis sui mentem viderint, & ipsi collabantur. Illa enim, cùm nec proijcere omnem ex toto dolorem, nec vllam omninò eius partem non vehementissimè posset persentiscere; induebat tamen dissimilem animo vultum, & introrsùs abdebat, continebatque tot gladios ne apparerent. Fronte itaque serenâ omnem eam numerauit pecuniam, quæ ex lege debebatur, ad redimendum Filium: *quinque nimirum siclos,* id est (æstimato quoque siclo quatuor drachmis Atticis; cùm drachma pondere & pretio æquiualeat Iulio Romano, seu Reali Hispanico) viginti Iulios, seu Reales, vel, vt Belgæ dicunt, quinque florenos Carolinos.

Christus totus Dei erat.

Vbi aduerte, Christum, seu legẽ spectes, seu naturam, totum propriam Dei fuisse possessionẽ. Lex enim, quòd ordine nascendi erat primus, eũ Deo asserebat: natura verò, quia sic natus erat vt ipse de se Psalm. 21. confitetur, eum Dei esse contestabatur. *Tu es,* Patri suo ibi dicit, *qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ; in te proiectus sum ex vtero.* non quod diffiteatur matrem suam (manifestiùs enim vel clariùs nõ potuit eã confiteri, quàm dum celebrat fœcunditatem vberum maternorum, & vnionem membrorum suorum cum materno corpore: *Quid auellitur,* inquit Tertullianus (legit enim ipse, *auulsisti,* quod nos habemus, *extraxisti*) *nisi quod inhæret, quod infixum, innexum est ei, à quo vt auferatur, auellitur? si non adhæsit vtero, quomodo auulsus est?*) sed quòd potentiæ Patris sui adscribat modum, quo natus. Mater enim cùm creatura esset, non potuit ipsa naturæ viribus sic parere Filium, vt ipsa virgo persisteret: Patris ergo opus erat sic eũ extrahere ventre Matris suæ, vt illa incorrupta permaneret. Vnde præcipuâ quâdã ratione totus erat Dei, cùm & obumbrante Spiritus sancti virtute conceptus esset, & obstreticante Patris potentiâ natus.

Psalm. 21.

Tertvll.

Nobis ergo etiã nato Saluatore quid reliquũ fiduciæ? dare nobis eũ volebat Pater: *nobis* enim *natus, nobis datus* est. Sed quid dicam? supra fortunam quidẽ nostram munus erat; erat tamen, si gratis accepimus, munus: quod eò magis libertatem tollit accipientis (magisque etiam si quid contra benefactorem vel imprudens admiserit, ingratitudinis crimen exaggerat) quo maius est atque præstantius. Cùm enim acceptorũ perpetua debeat esse memoria, nulla est ingratitudinis excusatio: nam illud imprudentiæ effugium, *Non cogitaram,* hîc summi criminis est confessio, cùm nemo possit magis reperiri ingratus, quàm is qui ne cogitationem quidem retinet & memoriam beneficiorum. Voluit ergo pudori nostro Virgo consulere, voluit etiam peccatores fiduciâ quâdam aduersùs desperationem obarmare: emit illa numerato pretio nostrũ omnium nomine Seruatorem. Quod autem emisti, iure ac liberé dixeris tuũ; adeò vt iam nobis tanta oriatur fiducia, vt audeamus eum *sistere Domino.* Quod mihi verbum nescio quam confidentiam sonare videtur, tanquàm si nec causæ tuæ metuere, nec debitum diffiteri, aut deprecari debeas, pro quo habeas quod sistas Iudici & creditori. Vnde cùm magna nobis parta est erga Deum fiducia, qui iam audeamus quodammodò de iure persoluentes pretium, quod Christus est, peccatorum remissionem postulare; tum summa Virginis existit laus atque gloria, quæ redemptioni nostræ adeò manifestè fuit cooperata, vt totum pretium de suo quadammodò persoluisse dici possit. Christus enim, postquàm eum in templo redemerat, verè factus erat res eius, & proprium quodammodò peculium. Nec refert quod rem tantam tam vili acceperit: istis enim nundinis etiam secundùm legem non pluris væniebat. Bonæ fortunæ igitur illius & verò nostræ adscribendum est, quòd opportuno tempore aduenerit: & cùm mater esset, ius primum habuerit vt Christum

Fiducia peccatori oritur ex oblatione B. Mariæ Virginis.

ex lege proſtantem coëmeret. Quam emptionem ita ratam habuit Chriſtus, vt deinceps, oblitus omnium quos à Patre hæreditauit titulorum, non aliter ſe nominari voluerit quàm *Filium hominis*, quem ſcilicet homo mater, hominum cunctorum nomine coëmiſſet.

Eſt ergo Virgo, ſi hunc in templo celebratum emptionis contractum ſpectes, non tam cooperata ſaluti noſtræ, quàm eam, prorſùs dando & impendendo rem ſuam Chriſtum Dominum, in monte Caluariæ operata. Vnde magnus Ephrem non dubitauit illam *redemptionem noſtram* appellare: quem nos titulum glorioſiſſimum illam non tantùm impendendo Filium, ſed ipſam ſe contribuendo meruiſſe, ex Simeonis prophetiâ colligimus. Quid enim ſibi vult, *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*? quid tranſibit animam antequam corpus tangat Virginis? aut vbi iſta anima, quæ gladio feritur intacto corpore? Myſterium inuolui obſcuris verborum ambagibus nemo non videt: quod autem ſit illud, quis ſacer œdipus nobis expediet? Quid ſi ex Virgine & Chriſto perfectum Redemptorem exſtitiſſe diuinando proponamus: non quod egerit, ſed ſibi adhibuerit hic adiutorium? Inprimis enim conſtat, animam Chriſti non pertranſiſſe paſſionis gladium. delibauit illam triſtitia vſque ad mortem: afflixit: angore, pauore, mœſtitiâ, velut agmine facto circumcinxit, & ita coarctauit, vt ſudorem etiam ſanguineum exprimeret. Verùm cùm omnia iſta in inferioribus eius partibus hærerent; fiebat vt anima, in quantum Dei eſſentiam intuebatur, tanquàm è celſo Olympi vertice, circum inferiores ſui partes debacchantes tempeſtatum furias ipſa immota deſpiceret. Virginis autem animam vndique peruaſit, vndique pertranſiuit dolor: nihil in illa ſanum, nihil non grauiſſimis plagis ſaucium reperiebatur. Atque ita patet ex illa verbi ſignificatione ſingularem rationem fuiſſe, cur tam diſertè Virgini prædixerit illius præcipuè animam pertranſiturum gladium, cùm hoc de Filio item non poſſet aſſerere. Sed etiam nunc id manet in quæſtione, Quomodo, intacto corpore, flagella, ſpinæ, claui, tot gladij Mariæ animam tetigerint, quos pertranſituros, id eſt, per aliud priùs ituros Simeon prædixerat, quàm animam eius traijcerent? Quod amoris naturam contemplantibus diu obſcurum eſſe non poteſt. Cum enim ille (vt irrequietus eſt, ſemperque agenti ſimilis, aut aliquid agens) ſoleat transferre animos eorum, quos ipſe poſſedit, ex eo loco vbi corpora ſua animant, in eum vbi amant; quis dubitabit, vbinam Virginis Mariæ anima, quam vel in ſe amor commutauerat, vel quæ amorem ipſum in ſuam ſubſtantiam conuerterat, vbinam, inquam, quærenda, vbi reperienda? fruſtrà ſpinæ, fruſtrà claui, fruſtrà gladij Mariæ pupugiſſent corpuſculum, vt illac pertranſirent ad animam. non erat, non viuebat, non ſentiebat ibi, vbi animabat artus illos virgineos: ſed vbi erat dilectus eius, vbi ille viuebat, vbi ille dolores illos flagrorum, ſpinarum, clauorum acerbiſſimos ſentiebat; ibi illa degebat, ibi percipiebat eadem omnia multò perfectiùs quàm ſi corpori ſuo irrogata fuiſſent. Agglutinata erat anima Virginis ad Ieſu Filij ſui animam. Itaque tormenta iſta, vel dictu vel auditu horrenda, cùm membra Chriſti dilacereſſent omnia; animam eius ſecundùm partem inferiorem delibaſſent; totam Virginis animam illi intimè vnitam pertrāſierunt: atq; ita ex corpore Filij & Matris animâ, quod antè diuinabamus, perfectum conſtituerunt generi humano Redemptorem.

Quid ſit, animam Virginis pertranſiſſe gladium

Anima Virginis viuebat in Chriſto.

CAPVT IX.

Impleti ſunt dies Purificationis Virginis: implentur etiã dies purificationis noſtræ, quâ vitia deferamus, & primogenita noſtra Deo offeramus.

POSTQVAM *impleti ſunt dies purgationis Mariæ*, dicit Euangeliſta. Quomodo impleti fuerint, oſtendimus: aduenerat nimirum tempus, quo non debebat, ſed volebat purificari.

purificari. Aggæus Prophera nobili isti vaticinio, quo cap. 2. totam huius mysterij celebritatem, templique ex eo honorem prædicit, hæc immiscet verba: *Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum;* ac statim subiungit: *Magna erit gloria domûs illius nouissimæ, plusquàm primæ* &c. Probat nimirùm templi sui honorem & gloriam supra Salomonis structuram ex puritate B. Mariæ: quæ licèt nitore castitatis argentum sit candidissimum, fulgore charitatis aurum mundissimũ, hodie tamen tanquàm ad lydium lapidem probanda venit in templum: non quod ei periculum sit, ne fortè scoria aliqua adhæserit; sed vt hæc ipsa mundities, postquàm factum eius fuerit periculum, omnibus apertè proponatur, atque ita templum, plusquàm argenteis aureisque vasis suis omnibus, vnicâ Virginis præsentiâ cohonestetur. Egregiè hoc illustrat Rabbi Heccados, qui locum Dauidis Psal. 79. *Deus exercituum reuertere de cælo, & visita vineam istam, & habitationem quam plantauit dextra* ∽ siue vt Hebræi habent, *abacum quem tuipse posuisti.* Quod Rabbinus quẽ dixi matri Massiæ applicat, asserens eam esse abacum Dei pretiosissimum, in quo ipse diuitias gloriæ suæ, aurea & argentea vasa omnia magnificè ostentauit. Vti autem in nobilium domibus præcipuum ac pretiosissimum earum ornamentum abacus est, auro argento & magni pretij lapidibus resplendens: ita Aggæus Propheta contendere videtur templum hoc, postquàm abacus ille auro & argento refulgens, quem Rabbi Heccados D. Virginem esse asserit, in eo fuerit repositus, supra omnem Salomonici templi gloriam ornatum iri. Vbi ego non satis illud demiror, audire nos Rabbinos, Prophetas, Euangelistas exultantes quòd dies purgationis Marianæ impleantur, quod templum illa vel se purificatura secundùm legem, vel potiùs illud exornatura ingrediatur; & quod de adimplendis purificationis nostræ diebus nulla omninò vel mentio fiat inter nos, vel inter animi facultates cogitatio suscipiatur. Secundùm legem purificat se Virgo; & nos eo ipso die, tanto prouocati exemplo, de peccatis nostris, secundùm Christi legem suauissimam confessione expiandis non cogitamus. Scio adesse qui tacitè se quodammodò excusent, atque obijciant se ipso Natiuitatis Dominicæ die functos munere suo, tunc peccata se apud Sacerdotem depositurum esse, noua emendationis concepisse proposita, & verò partus aliquot pœnitentiæ non sine grauissimo vel animi vel corporis dolore in lucem edidisse. Ego verò id laudo factum, & lubens Angelicâ voce partui isti accino, *Gloria in excelsis Deo* (à quo omne donum perfectum & omne datum optimum) *& in terra pax hominibus bonæ voluntatis*: quam ego pacem non dubito quin senserint in conscientiâ, qui tunc se bonâ voluntate, id est, firmo emendationis procurandæ, occasionum fugiendarum, pœnitentiæ adimplendæ proposito, peccata confessos esse verè possunt affirmare. Sed tu, quisquis ises, felix isto tuo partu, dic, amabo, poteratné is cum eo, quem tum Virgo edebat in lucem de puritate contendere? Negabis, scio, quod non posses sine sacrilegâ blasphemiâ asserere. quid ergo dubitas, cùm exindè dies purgationis Mariæ completi sint, num tempus aduenerit, quo rursùs est tibi animus purificandus: maximè, cùm verear ne sæpiòs ab illo tempore non Christum qui cœperat formari in te, sed monstra quædam peccatorum tartarea pepereris? Meministiné Sanctorum plurimos quotidie, videsné Religiosorum pleroſque per hebdomadem sæpiùs peccata sua expiare? & adhuc timebant illi, hi verò trepidant ac pauent, ne quid illos lateat, quod oculus ille scrutans renes & corda, qui & scrutatur Ierusalem in lucernis, perspiciat: & tu tot expositus tentationibus, tot inuolutus peccandi occasionibus, tot sceleribus inquinatus, de bimestri vel trimestri confessione tibi plaudis, securus de animâ, quæ vel vnicâ delectatione turpi, aut Deum offendendi desiderio, perditur? Tertullianus in ea verba Matth. 15. *Non lauant sibi manus*, rationem dat cur Christiani rariùs lauentur quàm Iudæi: *Se∽ rarò lauant*, ait, *rarò fœdant.* Verùm or-

Psalm. 79.

Purificandi dies nobis sæpè complentur.

do ille iam versus est, vt ij qui rarò se fœdant, magis de purificatione sint solliciti, quàm ij qui pænè semper in sordibus volutantur. Nescio ego quid Prophetæ Aggæo faciemus, qui videbatur sibi omnia munda hodierno die in templo cernere, populos & gentes ad Christum purificandas accurrere: *Et veniet desideratus cunctis gentibus.* tanquàm si in id vnum orbis vniuersus intenderet. quid diceret iam, si videret tam languida Christianorum Christum sequendi desideria? imò si cerneret tam feruidas Christum ipso ex templo per peccata expellendi voluntates, cùm nos *abominationem* nescio quam ex varijs scelerum monstris conflatam eò loci statuamus, vbi debebit ille *cunctis gentibus desideratus* adorari? adeò vt gentes ipsæ credere non possint eum aduenisse, quem Propheta præuidebat; cùm eum videant tam languidè ab ipsis illis desiderari, qui summo deberent eius videndi inflammari desiderio. Accendat nos calore suo Dei mater tam feruidè sacrificans: frigus illud peccatorum, quod omnia cordis nostri congelascere facit desideria, ipsius æstus dissoluat: vt tandem gelido illo veneno iniquitatis expurgati, exemplo Virginis vnde hausimus fiduciam, sistamus nos Domino, primogenita illi nostra eius exemplo oblaturi. Mirum enim in modum Dominus primogenitis delectatur: non quòd filiorum soleant esse optimi, qui nascendi ordine alios præcedunt (nec enim Cain, Ismaël, Esau, fratribus eorum Abel, Isaac, Iacob præponimus: imò ne animalibus quidem, Philosopho teste, robustissima sunt, quæ rudis adhuc operis sui quasi in experimentum ceterorum natura protudit) sed quòd parentibus soleat esse carissimus primogenitus, quemadmodum fructus anni primus hortulano: vnde fit, vt eum offerentes Deo, illum quodammodò in vicem primogeniti possideamus. Quod Eua declarat, vbi Cainum suum peperat: *Possedi*, ait, *hominem per Deum*, Hebraica habent, *Possedi hominem &*

Agg. 2.

Primogenita cur sibi offerri voluerit Deus?

Deum: hominem, quòd partus hic maritum mihi meum vinculo nouo & arctiori adstrinxerit; Deum verò, quòd is se mihi singulari ratione possidendum tradiderit, posteaquàm illi primogenitum hunc meum in gratiarum actionem obtuli. Quam rem clariùs explicat Rupertus, qui lib. de operibus Trinitatis ponit quæstionem, Quid tandem mouerit Deum, cur populo suo hanc legem de offerendis primogenitis imponeret? nam, quod existimant quidam, ita compensanda fuisse primogenita Israëlitarum, quæ Deus in clade Ægyptiorũ conseruauerat; responsio est hominum non vltra litterarum corticem in Scripturis penetrantium: ita enim præter ordinariam Dei liberalitatem obsequium superaret beneficium, quando pro paucis semel conseruatis, omnia tanti populi per tot annos primogenita reponerentur. Respondet itaque Rupertus, voluisse Deum omnia primogenita, vt tandem ille primogenitum suum Filium omnibus largiretur, Deum nimirùm, pro hominibus & (cum Dei omnia) pro rerum omnium primitijs. Atque hîc obiter licet animaduertere quid officij nostri sit, qui Dei Filium iam accepimus à Patre Deo, eumque totum, & cum eo omnes diuinæ opulentiæ thesauros saluti nostræ impensos: cùm populus ille per duo annorum millia omnia sua primogenita impendere debuerit, vt vel vnicam, quæ in temporis acceleratione consistebat, donationis illius circumstantiam impetraret. Æquum est profectò, vt vicissim primogenita omnia nostra, id est, ea quæ habemus carissima, atque ipsum cum ijs amorem nostrum illi impendamus. De Deo enim inquit Apostolus: *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit?* De nobis autem vtinam dici possit, quod primogenitis nostris in Dei honorem non parcamus, carissima quæque illi immolemus, omniaque illi cum corde & amore nostro tradamus.

Rvpertvs

Ad Rom. 8.

TRA-

TRACTAT. VIII.

DE ASSVMPTIONE B. MARIÆ VIRGINIS

Intrauit IESVS in quoddam castellum: & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam. Luc. 10.

PROŒMIVM.

Querelis aliquando est locus.

SI grauis esset & molesta omnis querela, adeò vt nulla vnquam reperiri posset vel querendi ratio, vel conquerendi excusatio; tacerem ego potius hodie, quàm Virginis in cœlum ascendentis auspicatissimam lucem, grauissimæ querelæ minùs auspicato omine contaminarem. Verum Marthæ inter domesticæ rei negotia occupatissimæ sollicitudinem, atque in eâ solitudinem contemplatus, cum videatur illa non sine causa aliquâ, tam festâ, quâ Christum hospitio acceperat, luce, grauissimam de sorore apud eum querelam deponere; in eam ducor opinionem, excusationem aliquando inueniri querelis, nec earum importunitatem semper à temporis celebritate esse desumendam. Quapropter non verebor ego luce hâc, interea dum cœlum terraque confusis hominum Angelorumque exultantium, concurrentium, inuicemque gratulantium voce, plausu, fremitu perstrepit, resistere nonnihil, & iustissimâ, vt mihi quidem videtur, querelâ gaudia si non disturbare, interrumpere certè ad exigui spatium temporis, vt ea possimus tantò maiore cum voluptate & quasi gustu redintegrare. Quid enim tibi in mentem venit, Apostolorum sanctissime (qui, aquilæ adinstar, ad ipsa SS. Triados penetralia euolans, rerum diuinarum arcana soles quàm sagaciter indagare, tam liberaliter nobiscum diuidere:) Quid tibi, inquam, in mentem venit, quando Virgo sanctissima curæ tuæ singulari ratione commendata, corpore & animo super omnes cælos eleuata, eò transfertur, vbi tu oculos semper habebas defixos; eam mente non sequi? animo non comitari? ingenij ista acie perspicacissimâ, quæ quantaq; gerantur mysteria, non indagare? oculo denique irretorto incredibilem illam immensæ gloriæ claritatem non intueri? vel, si eorum nihil prætermiseris, cur amabo litteris ea mandare, verboque nobis indicare omisisti? Nihil enim cum ceteris queror vel Patribus, vel Euangelistis: cum eorum omnium de morte & assumptione Virginis silentium, tua hâc in parte pænè dixerim

xerim ſupina excuſet negligentia. Sed nimis vrgeo: nec tamen vocem, aut de Aſſumptionis myſterio, aut de ſilentij excuſatione extorqueo. Videtur mihi ille, quemadmodum Magdalena ad pedes ſedentis Domini, ita ad Dominæ Matriſque ſuæ in cælum aſcendentis veſtigia altâ quadam mentis contemplatione defixus, nihili querelas noſtras facere: tantumque, ne contempſiſſe videatur, ſuauiter extentum digitum in tertij Regum octauum caput intendere; vbi de Arcâ, per Regum ſapientiſsimum in Domini templum tranſportata, hiſce verbis Sacræ paginæ loquuntur. Cùm eminerent vectes, & apparerent ſummitates eorum foris Sanctuarium ante oraculum, non apparebant vltrà extrinſecus. *Pergo, & paullò inferiùs lego:* Factum eſt cùm eſſent ſacerdotes in ſanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant Sacerdotes ſtare, & miniſtrare propter nebulam. *Accipio non excuſationem, ſed vaticinationem ſilentij: non enim quæcumque futura in Scripturis prædicuntur, eadem continuò rectè facienda pronuntiantur. Quamquàm & hîc, ſi quis (quod alterius eſſet orationis) cauſas expenderit, ob quas vectibus tantummodò prominentibus obtegenda fuerit Arca fœderis, eaſque ad arcanum illud de Virginis Aſſumptione Euangeliſtarum ſilentium; tranſtulerit plus eas hic fortaſsis in luce ac veritate, quàm ibi in vmbrâ & caligine repererit habere momenti ac ponderis. Verùm iſthæc iam non inquirimus. Dauidem potiùs, quid intento in verba commemorata digito ſibi Ioannes voluerit, explicantem audiamus:* Surge, *inquit*, Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. Tu, *in die glorioſæ Aſcenſionis*: & arca ſanctificationis tuæ, *id eſt, Maria mater tua (in câ enim vt homo, ita & ſanctus factus es; cùm ſecundùm diuinitatem non magis ſanctificari, quàm fieri poſſes) Surgat, inquit*, & arca ſanctificationis tuæ, *in requiem & gloriam ſuam, hoc nempè die Aſſumptionis ſuæ: verùm ita, vt (quemadmodum 3. Regum dicebatur) quæcumque in eâ magnifica ſunt & præclara, denſâ nebulâ, id eſt, caliginoſo Euangeliſtarum ſilentio abſcondantur. Vide quàm denſam hanc nebulam inuenerit ſanctus Epiphanius hær. 18.* Quæram *inquit*, veſtigia Scripturæ? Non inueniam mortem Mariæ, an mortua ſit, an non mortua; neque an ſepulta, an non. *Nec eſt quod à Thomæ Apoſtoli incredulitate hîc magnoperè ſperemus adiuuari. Venerit enim ille, quemadmodum piè traditur, ad mortem Virginis ſeriùs: credere pro more ſuo noluerit: ſepulchrum, vt locum vbi poſita erat cerneret, aperiri iuſſerit: pro corpore corporis exuuias, linteamina & ſudariola repererit: quid tum? mortuam hæc quidem Virginem, id quod & cæteri docebant Apoſtoli, teſtantur; quo modo verò mortua, quo triumpho ad cælum aſſumpta ſit, non docent.* Nebula *vndique* impleuit domum Domini: *nihil ex arcâ, dum templo cæleſti (quod ſuus illi Salomon ædificaturus præaſcenderat) infertur, præter extremos vectes apparet. Sed quinam hi* vectes? *An neſcis arcam noſtram, ſuo ingenio & pondere non ſecùs ac reliquos mortales grauem, vitæ Actiuæ & Contemplatiuæ virtutibus, tanquàm binis ſublatam vectibus, ſuccolante cæleſtium gratiarum agmine, in cælum deportatam fuiſſe? Atqui* vectes *iſti* extremi *ſaltem in Euangelio, Marthæ & Mariæ ſignificati nominibus, apparent: hos Eccleſia, cùm arca tota lateat, per Euangelij lectionem ſpectandos propoſuit: vt horum conſiderata pulchritudine, in eorum, quæ cernere non licet, admirationem rapiamur. Nos igitur ab Euangelio inuitati, per obſcura & leuiter impreſſa Marthæ & Magdalenæ veſtigia, iter Virginis Mariæ in cælum indagabimus: quod ſi verbis aſſequi non poſſumus, erit id quidem imbecillitatis noſtræ argumentum; ſed erit quoque, quòd non omninò tacuerimus, pietatis ſolatium.*

Euangeliſtarum de Aſſumptione ſilentiũ in Scripturâ præfiguratum.

Pſalm. 131.

CAP.

CAPVT I.

Corporis post mortem corruptio, est quasi purgatorium eius, propter rebellionem eius, quam exercuit contra spiritum: in Maria autem, vbi rebellio non fuit, nulla fuit corruptio.

Difficile est de B. Mariâ Virgine, & maximè de hâc festiuitate dicere.

SI vir eâ pietate præditus, ijs doctrinæ præsidiis instructus, eâ eloquentiæ violentissimâ abundans suauitate, quam in sâcto Bernardo tota admiratur Ecclesia, de se ipso fateatur (serm. de Natiuit. Virginis) nullos se sermones difficilius composuisse ijs, quos de Beatæ Virginis laudibus instituebat; non quòd ieiuna hæc, vel sterilis videretur dicendi materia; (quid enim vel ad explanandum vberius, vel ad amplificandum copiosius, vel ad exaggerendum maius concipi potest vitâ illius Virginis, quæ ita omnem virtutis, nobilitatis, amplitudinis, excellentiæ, gloriæ denique præstantiam cõplexa est, vt nihil in quempiam laudis conferri possit, quin debeat vel ab hâc omnem splendorem suum mutuare, vel certè cum luce illius compositum prorsùs obscurari ac deliteſcere?) sed cùm vir ille, altâ quâdam & piâ in Virginem mente præditus, multa & magna conciperet animo, quæ videret nullâ se ratione posse verbis adumbrare, timebat scilicet ne istæ cogitationes suæ, dum aridis atque ieiunis verborum figuris explicarentur, ansam darent rudioribus suspicandi altiora concipi non posse, quandoquidem maiora non proponerentur. Si hoc, inquam, de se Bernardus; si idem D. Anselmus fateatur his verbis: *Excellentiam B. Virginis contemplari anhelans horreo, & valdè timeo.* Atque id si in singulis, quæ ab Ecclesia celebrantur, mysterijs, imò in singulis earum, quæ in quoque mysterio multæ elucent, virtutibus vsu venit: quid hâc festiuitate animi nobis erit, quâ & mors B. Mariæ virginis, Deus bone quantis præclara virtutibus! & corporis virginalis cum anima sanctissimâ iterata vnio tot tantisque insignis miraculis; & vtriusque in cælos assumptio nullis non celebrata obsequijs; & denique impositio diadematis immortalis gloriæ, ineredibile dictu quantis cælitum nobilitata triumphis, simul ita proponuntur, vt si de vno dicere institueris, sit nefas de altero tacuisse: cuncta vero silentio præterire, flagitij; omnia velle commemorare, stultitiæ genus esse videatur? Quâ in re maximè difficultatem auget, quòd, quæ facem prælucere debebant, Sacræ paginæ ita nos hic destituant, vt nec nihil, nec aliquid dixisse putes: cumque de omnibus tacuerint, singula tamen emblematicâ obscuritate dicam, an luce, videri velint explicuisse. Sed quid tu pedem retrahis, inquies, vel tergiuersando promissa fallis? Iam enim de Arcæ vectibus, quos Actiuam Contemplatiuamque vitam interpretabare, dicturum te receperas, imò & de summitatibus eorum quæ apparerent extrà Sanctuarium. Nam licet vectes quibus partibus Arcam contegebant, eâdem quâ Arca nebulâ & caligine obtegebantur; per quod innuitur, harum virtutum, in quantum Mariæ sunt propriæ, excellentiam, non magis quàm arcæ ipsius præstantiam perspici à nobis posse: tamen *summitates* earum, id est, in quantum in Marthâ & Mariâ, vt in emblemate cernuntur, vel in quantum ex effectis quibusdam tanquàm à posteriore, vt aiunt, cognoscuntur; aliquâ ratione poterunt dicendo mentis nostræ oculis repræsentari. Bene est: obsequar desiderio vestro, Auditores, atque in mare quamuis altum & importuosum

tuoſum velis paſsis me immittam. Adſis Tu, maiora viribus audenti, *Stella maris* Maria: vos è portu ſoluentem pijs votis & felici apprecatione proſequimini.

Atque imprimis (ne quem in errorem inducat, quòd initio ſtatim iurgia & querelæ Martham inter atque Mariam exaudiantur; proindeque putet diſcordes quaſdam feras eâ in arcâ ſtabulari, quam velimus cum querulis mulierculis comparare) non negauero quidem ego, ſi alicubi quàm in arcâ noſtrâ, binæ hæ functiones *actio* & *contemplatio*, quæque ijs hominis partes reſpondent *corpus* & *anima*, reperiantur; non adeò benigno ſydere afflari ſemper, quin tempeſtatum nonnunquàm aliquid exoriatur: neque concordiam adeò firmis adſtrictam nexibus; quin laxetur ſæpè, ſubindè etiam prorſus diſrumpatur. Verùm in Virgine Beatâ ita corpus & anima conſentiũt, vt nonniſi vnus vterq; ſpiritus eſſe; ita actio contemplatioque inter ſeſe conueniunt, vt non niſi vnum agere videantur. Atque haud ſcio, an non ideò ſtatim à morte Virgini Deiparæ debebatur glorificatio corporis, quod id ita ſemper cum animâ & ratione conſenſerit, vt nullam, ſeparatâ ab eo animâ, luere debuerit rebellionem. Conſtat enim Patrum nonnullorum ſententiâ, vt animarum, ita & corporum quoddam eſſe à morte purgatorium: atque illud quidem flammis, aliiſque tormentorum generibus animas à peccatis expiare; hoc verò pulueris ac vermium corruptelâ illam corporum caſtigare rebellionem, quam animæ ad virtutem tendenti exhibuerunt: fierique, vt, cùm non omnes peccatis obnoxij è vitâ diſcedant, flammas piatorias animarum aliquæ effugiant; corporis verò rebellione cùm liberetur nemo, nemo etiàm declinare poſſit eius corruptelam: nemo inquam, præter illam, quæ vti ſemper quando de peccatis fit mentio, excipitur; ita nullam habet vnquàm in pœnis communionem. Dicimus ergo, quandoquidem Mariæ in domo (in quam ipſa mundi Seruatorem tam ſingulari ratione ſuſcepit hoſpitio) Marthæ laborantis, contra ſororem ſuam quietiſſimâ contemplatione perfruentem, audita non fuerit querela; eam nullâ laboris defatigatione, aut ſollicitudine perturbatam: neque corpus illius, præcipuum vitæ actiuæ inſtrumẽtum (cùm animæ contemplanti, virtuteſque ſublimes illas, ad quas nulla beatarum mentium pertingere poteſt, exercenti, ne minimâ quidem rebellionis ſuſpicione ſe oppoſuerit) vllâ ratione corruptelæ obnoxium fuiſſe. Sed operæ pretium fuerit, glorioſam Virginem non ſuis vt, Martha, verbis murmurantem; ſed Iſaiæ (Prophetæ dicam an Euangeliſtæ) Spiritu ita? geſtientem lætitiâ audire, vt videatur præmium illud, quod nos illi propter vtriuſque vitæ actiuæ & contemplatiuæ, corporiſque ac animæ miram conſenſionem hodie collatum dicimus, voluiſſe exprimere. *Gaudens*, inquit, *gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me veſtimentis ſalutis, & indumento iuſtitiæ circumdedit me.* Dabitis mihi hanc veniam in tanto, quantum initio demonſtraui, Euangeliſtarum ſilentio, vt locum hunc Prophetæ Euangelici, quo nullus propiùs hanc feſtiuitatem tangere videtur, curioſiùs nonnihil indagem, atque enucleatiùs exponam. Præterquàm enim quòd liquido confirmet id, quod corporis animæque gloriâ aſtruebamus, multa etiam alia, quæ glorioſiſſimæ Virginis triumphum non parum condecorant, complectitur. Vultis enim totum SS. Triados conſeſſum, perſonaſque illius ſingulas in exornandâ Virgine occupatas cernere? En triplici exultantem gaudio. *Gaudens*, inquit, *gaudebo, & exultauit anima mea.* Vt nimirum tribus illis, quibus natura diuina ſubſiſtit, Perſonis (quarum erga ſe cernebat ſtudia ſingularia) diſtinctè gratias ageret. Et ne dubites, quin hæc ſpectet; verba repetamus, & ſigillatim ſuo quamque nomine diſtinctam intelligemus. *Gaudens gaudebo in Domino*, vtique Patre: quod Hebræa clariùs nomine ſuo tetragrammo *Iehouah* indicant, quod ex interpretatione Rabbi Abenefra præcipuè ſignificat Patrẽ. Pergit Virgo: *Et exultabit anima mea in Deo meo.* Et quis ille, qui è tribus Perſonis

Carnis & ſpiritus in Deiparâ concordia.

Corruptio eſt quaſi purgatorium corporum poſt mortem.

Maria triũ in Trinitate Perſonarum beneficia in ſe agnoſcit.

Iſaiæ 61.

perſonis particulari ratione Deus eſt Virginis? Cùm Pater illam vocet filiam, Filius matrem, Spiritus ſanctus verò ſponſam; quem illa niſi ſponſum vocabit, dum vnum aliquem *Deum* appellat *ſuum*? Certum eſt enim, vti parentum filiorumque officia, ex propriæ ſubſtantiæ participatione orta, ferè conſiſtunt in mutua dilectione. ita quæ ſponſum inter & ſponſam eſt dilectio, talem progignere communicationem, vt tota ſtatûs illius ſuauitas conſiſtat in mutua poſſeſſione. Iam verò dum addit, *Quia induit me veſtimentis ſalutis*, quod Hebræa dicunt ex Petri Galatini tranſlatione, *veſtimentis Ieſu*; dubium eſſe non poteſt, audito nomine eius proprio, quin Dei & ſuum intelligat Filium, quem nec textu Latino nouum eſt hiſce verbis indigitari. Iacob enim Patriarcha morti proximus, *Salutare tuum*, inquit, *expectabo Domine*. Et Simeon exclamat, *Quia viderunt oculi mei ſalutare tuum*. Sed rurſùm aures glorioſiſſimo Virginis triumphantis epinicio, animum verò peracuta illius ad rem noſtram Cardinalis Hugonis interpretatione recreemus. Vult enim ille verborum hanc geminationem, *Gaudens gaudebo*, duplex ſignificare gaudium, quo exultabat Virgo, dum ſe duplici veſtimento, corporis vno, altero animæ, in hâc ſua Aſſumptione videbat cohoneſtari. *Induit me veſtimento ſalutis*, ſeu *Ieſu*, id eſt, ſanitatis: non tantum eâ membrorum proportione, eâ humorum temperie, eâ diſcordi elementorum conuenientia, cui nihil addi poſſit vel decoris ad pulchritudinem, vel valetudini ad ſanitatem, vel vigoris ad corporis totius firmitatem; ſed poſt mortem etiam, ita me veſtiuit, vt tutum eſſet corpuſculum aduerſus omnem vermium putrefactioniſque corruptelam, non ſecus ac filio meo IESV & in vitâ valetudo ſua conſtitit, & poſt mortem à mortis miſerijs cautum fuit. Atque hîc notanda occurrit ea, quam Rupertus inſtituit inter Euam & mariam comparatio. Illa enim, vbi præter Dei mandatum toti humano generi mortem teterrimam pepererat, continuo ſumma confuſione cognouit & erubuit ſuam nuditatem: hæc verò cùm (quod infrà docebimus) Filij ſui & noſtri cauſâ lubenti animo mortem ſuauiſſimam obijſſet, exultat præ gaudio vbi cognoſcit immortalitate ſe ac reſurrectionis gloria veſtiendam. Vtq; Euæ fuerunt arborum folia & beſtiarum exuuiæ, nuditatis ſuæ remedia & mortalitatis argumenta; ita Virgini fuerunt veſtimenta ſalutis & ſtola gloriæ, reſurrectionis præclaræ inſignia, & cauſa glorioſiſſimæ immortalitatis. Iam verò de ornamentis animæ ſubnectit: *Et indumento iuſtitiæ circumdedit me*. Vbi ſi non leuiter aduertas animum ad verbum illud, *circumdedit*, eam illius vim eſſe reperies, vt à ſummo capite ad imam vſque calcem amicta intelligatur Virginis anima eo veſtimenti genere, quo primis noſtris parentibus tutum erat aduerſus omnes inferiorum potentiarum inſultus: adeò vt nulla ſenſuum curioſitas, nulla varietas cogitationum, nulla imaginationis inſtabilitas, nulla paſſionum libido tentauerit vnquàm Virginem noſtram vel à iuſtitiæ exercitio, vel à cæleſtium rerum contemplatione dimouere. Vnde iam facilè eſt æquo rerum æſtimatori diſpicere quali gloriæ indumento circumdata fuerit ea, quæ iuſtitiæ gloriâ & innocentiæ ſtola tanto interuallo primos parentes noſtros ſuperauit initio, eâdemque tot annis tam inſignibus, tamq; varijs, quot horis, imò quot momentis, virtutum ornamentis condecorauit.

Facit lætitia illa, quâ pius in Virginē animus eius lubenter gaudet gaudio, vt pergere nequeam, quin ijſdem pænè verbis, exultantem apud Prophetam Abacuc c. 3. rurſùs audiamus: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quaſi ceruorum, & ſuper excelſa deducet me victor in pſalmis canentem.* Adduxit hunc locum in noſtram ſententiam S. Epiphanius ſerm. de Aſſumpt. Virg. Nos eum breuiter expendamus. *Ego autem in Domino gaudebo. Confitetur*, vt inquit S. Hilarius, *Patrem*: eſtque etiam hic Hebraicè, *Iehouach. Et exultabo in Deo Ieſu meo, confitetur Filium. Deus*

Genes. 49.

Luc. 2.

HVGO CARD.

Euæ & B. Mariæ virginis comparatio.

Abac. 3.

HILARIVS.

Dominus fortitudo mea; confitetur Spiritum S. Sed quæ causa tanti gaudij & exultationis? an non audis, *Et ponet pedes meos quasi ceruorum?* *Quia ipse cerHIERON. uus est*, inquit S. Hieronymus, *mihi quoque donauit vt cerua essem*, vt haberem nimirum pedes agiles, veloces, leues. Verbo, *Induit me vestimento Iesu*, quod suprà dicebat, nosq; cum Hugone Card. de corporis vita, sanitate, & eiusdem post mortem à mortis corruptela conseruatione interpretabamur. Sed pergit, distinctiusq; festum, quod Assumptionis dicimus, designat: *Et super excelsa deducet me.* Viden, quare dixerat, *Deus Dominus fortitudo mea?* cùm enim vi sua ille in cælos ascendisset, sciebat Virgo quod nonnisi innixa super dilectum suum ascendere posset: atque ideò *Assumptionis* potius titulo hoc festum insignimus, vt contra Filij Dei, qui propria vi omnes cælos transcendit, Ascensionem distinguamus. Dedit ergo illi Deus *victor*, post resurrectionem & ascensionem suam, fortitudinem & virtutem vt è sepulchro exsurgeret, atque aëriam omnem regionem penetrans, in cælos ascenderet. *Super excelsa* enim, inquit, *deducet me victor*; in signum lætitiæ & victoriæ, *psalmis canentem.* Atque hoc est præmium tam actionis quàm contemplationis, quas tantâ animi corporisque consensione toto vitæ suæ tempore exercuit Virgo. ita Martha & Maria, quòd in virginali hoc castello inter laborandum non dissenserant, in præmio recipiendo non sunt separatæ. Hodie enim tot meditationes, extases, raptus, & mentis deliquia, quæ omnia in animæ præcipuè consistunt functionibus, animæ ipsius recompensantur gloriâ: hodie tot dolores, anxietates, sollicitudines, tribulationes, difficultates, quæ & vitam actiuam comitantur & corpus maximè affligunt, corporis ipsius tam præmaturâ & tam ægregiâ præmiantur glorificatione. Quam corporis eius à corruptela præseruationem & gloriam, cum ex Marthæ murmuratione à contrario sensu confirmauerimus; videamus deinceps, an non possimus aliundè astruere.

Cur Assumptio dicatur hoc Festum?

CAPVT II.

Variè rursum probatur Corporis Mariani incorruptio.

SOLENT non plebeij tantùm homines, sed etiam viri principes ad acuendam filiorum industriam, illos procul à patria domo, vbi parta parataque illis sunt omnia, vel in peregrinationem longinquam, vel in difficilem militiam ablegare: vt cum isthic desit ea, quæ illos domi facilè eneruaret atque effœminaret abundantia, ipsi de rebus suo studio, suo labore conquirendis cogitationem assumant, atque ita suauiore voluptate pascantur ijs fructibus, quos ipsi sudore suo irrigauerint. Quod ego haud satis scio an Spiritui S. propositum non fuerit, quãdo de Assumptionis B. Mariæ Virg. noluit Euangelium particulare conscribi: ne scilicet ea, quam Euangelista proposuisset, confisi copiâ, desidiæ inertiæque nos traderemus, minimeque in eâ materia exercèremus ingenium, in quâ licet omnem consumeremus industriam atque solertiam, pro rei dignitate nihil vnquàm satis, multum verò semper ad fructum vtilitatemque nostram, quæ indè necessario existit, ageremus. Quæ res procul ab Euangelio, ad varia nos Scripturarum loca, & diuersa rationum itinera, ad Patribus diuersis diuersas habitatas regiones, ad ipsa vsque Mahometica regna ablegauit: vt vbique si quid ad hanc Festiuitatem faceret inuestigaremus, vndequaque quidpiam in rem nostram asportaremus. Quod an, quàm nobis laboriosum fuit, tam gratum vobis existat; attentione vestra, dum manipulum hunc de incorruptione carnis Marianæ explicabo, ostendetis. Vnde nam

verò

verò diſoluere eum incipiam? Vultis à floribus, ac lignis odoriferis? Sponſa
Cant. 1. ait in Canticis: *Ecce tu pulcher es dilecte mihi, & decorus; lectulus noſter floridus, ligna domorum noſtrarum cedrina, laquearia cypreſſina.* Dixerat ei ſponſus: *Tota pulchra es amica mea, tota pulchra es*; repetitione vſus, quâ duplicem, animæ ſcilicet & corporis eius declararet pulchritudinem. Sponſa autem vbi, quaſi amœbæo carmine, eadem pari repetitione ſponſo repoſuit *Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus*; & ſua & Sponſi verba nouo confirmat cantico: *Lectulus noſter floridus*, id eſt, cæterorum quidem ſepulchra (in quibus vt in lectulo homines conquieſcere, Saüli refuſcitatus Samuel indicabat: *Quare inquietaſti me*, inquit, *vt ſuſcitarer*?) corruptione & vermibus, putredine & tineâ, horore atque ipsâ mortis caligine cooperiuntur: noſter verò lectulus, omnis corruptionis expers, floribus & lilijs, narciſſis & hyachintulis, gloriâ & immortalitate exornatus eſt. *Tigna* enim *domorum noſtrarum cedrina*: corpora noſtra non magis quàm cypreſſus aut cedrus, corruptioni ſunt obnoxia. Inſigni hoc confirmat Epiſcopus Sardenſis teſtimonio, tom. 2. Biblioth. SS. PP. codice 1. cui hæc verba dant initium: *Nos verò vobis petentibus, quæ ab Apoſtolo Ioanne audiuimus*; vbi deinceps ſe ex ore iſtius Apoſtoli accepiſſe confirmat, D. Virginis corpuſculum nulla vnquàm infirmitate tentatum, nulla ægritudine labefactatum fuiſſe. Nec minùs preclara eſt S. Andreæ Epiſcopi Ieroſolymitani in hanc rem ſententia, viri, qui inter Patres illos antiquos non poſtremo cenſendus eſt loco. Hic enim ſerm. de
Andreas Hieroſol. Aſſumpt. Virg. ſic ait. *Sicut enim non fuit corruptus pariens vterus; ita morte caro non interijt. O miracula! Partus effugit corruptionem, & ſepulchrum non admiſit interitū.* Non negat Virginem mortuam, ſed carnem eius nullâ deindè morte interijſſe confirmat. Vti enim homo, dum diſſoluitur à corpore anima, moritur; ſic caro, dum eas, quibus ipſa conſtat, ſeu diſpoſitiones, ſeu formas deinde per ſui corruptionem amittit, & ipſa mori cenſenda eſt. Fortius id etiam affirmat D. Ioannes Damaſcenus, quando Virginem in ipſo mortis ſuæ articulo facit id vnicè Filio commendantem, vt corpus ſeruetur incorruptum: cùm nefas ſit dubitare, quin talis Filius accuratè executioni mandauerit vltimam Matris ſuæ voluntatem. *In manus tuas* (ſic facit Virginem loquentem) *commendo Spiritum meum. Suſcipe charam animam, quam ſeruaſti alienam ab omni labe. Meum corpus tibi trado, non terræ: cuſtodi ſaluum, in quo tibi placuit habitare*; *&, cùm natus eſſes, conſeruaſti Virginem.* Vultis animi cauſâ inter tam præclara lumina tenebrionum quorundam teſtimonia? In ijs Saracenorū libris, quos duo apud illos Doctoris nomine inſignes compoſuerunt, alter Albocharij, alter Mezlin nomine, ita Mahometes dixiſſe fertur: *Multi prophetæ fuerunt ex viris*; *nulla verò Propheta fuit ex fœminis vnquàm, niſi Maria, mater Ieſu, cuius caro ſemper manſit.* Quæ ego non adferrem (neque enim auhoritatis multum per ſe ſe habent, neque porrò hâc feſtiuitate digna ſunt) niſi vos illud hinc vellem intelligere, hanc opinionem adeò inter Chriſtianos fuiſſe certam, vt ne quidem nequiſſimus ille auſus fuerit illam in dubium vocare. Verùm certiora audiamus teſtimonia. S. Auguſtinus non affirmat tantum hanc corporis virginalis integritatem, ſed more ſuo etiam ratione ſubtiliſſima probat. *Caro Chriſti*, inquit, *& caro Virginis eſt vna caro.* Quid deindè? *Sicut caro Chriſti non eſt corrupta, ita nec caro Virginis.* Omitto phyſicam illam, vt loquuntur, identitatem, quâ Chriſti caro ita fuit vna cum ſacratiſſimo corpore Virginis, vt tota materies, vnde fabricata ſit, nihil aliud fuerit quàm corporis virginalis particula, Spiritûs ſancti, vt ſic loquar, manibus diſſecta, atq; in illud Sanctuariū formata, quod nefas erat vllam videre corruptionem. Vnde non incongruâ ratione ſequitur, non decuiſſe corrumpi eam carnē, quæ cum illâ diuinâ tali vnione fuiſſet coniuncta. Mitto, inqam, iſta. Cùm enim præmium ſit illa (de qua S. P. N. agebat) corporis integritas; ad moralem potiùs Virginis quandam cum Chriſto iden-

Caro B. Mariæ Virginis & Chriſti eſt eadem caro.

titatem respexisse eum arbitror: quam non adeò difficile erat perspicere, si quale seruatoris nostri corpus fuerit, quisque Christi in eam affectus, animaduerterimus. Atq; hîc mirum credo nõnullis videri, quid causæ fuerit cùm sanctorum Martyrum pleriq; rideant, exultent, omnibusq; medios inter cruciatus & ignes incedãt gaudijs; quod is, à quo hæc in cæteros deriuatur lætitia, mœstus adeò & tristis fuerit eo tempore quo acerbissimis corpus diuexaretur cruciatibus? qui effectus ex causâ eâdem adeò diuersi atq; contrarij, nõ possunt nisi ex diuersis oriri affectibus. Sancti enim cùm scirent corpora sua sibi ad ardua virtutum tendentibus esse impedimento, cùm toties experti essẽt intestinam illam, quàm caro iurauit aduersus animam, inimicitiam; gaudebãt nimirũ corpora iam per diros atq; acerbos cruciatus suam luere rebellionem: odio enim quisq; habebant corpus suum tanquam capitalem æternæ suæ salutis inimicum. Christus verò cum nihil simile à carne suâ experiretur, nullumq; animaduerteret in eâ à rectâ ratione dissidium; amabat eam potiùs, atq; adeò illius, passionis suæ tempore inter tot tormenta sauciæ, miserebatur: dolebatque innocentissimam illam agniculam tot saturari opprobrijs, tot onerari criminibus, tot dilacerari vulneribus, quæ potiùs omnibus gaudijs atq; æternâ mereretur gloria recreari: id quod apud Ieremiam Prophetam deplorat: *Tradidi* inquit, *dilectam in manus inimici.* Iam vero ex mente D. Augustin. & veritatis, *Caro Christi & Mariæ vna est carò*: vtraque purissima, vtraque innocentissima, vtraq; promptissima ad omnem rationis nutum sequendum & exsequendũ: vtraque ergo benè concluditur omnis putrefactionis expers, vtraq; integerrima: vtraque incorruptissima omni tẽpore permansit.

Martyres meritò odio habebant carnem suam, Christus eam diligebat.

Ierem. 12.

Non colligabo hunc manipulum, nisi & istum ex D. Pauli semente flosculum accuratius paullò considerauerit is. 1. ad Cor. 15. *Seminatur corpus animale, resurget corpus spiritale.* Quid ais, Verbidiuini seminatorum maxime? An, vbi iam sementem factã, vbi campum herbis virentem, herbas ornatas floribus, atq; ipsos flores fructibus maturos cerneres; ibi tu actum ageres, ibi tu maturos iam fructus potiùs in terrã absconderes corrumpendos, quam eos in horrea asportãdos demeteres? Atqui insaniæ hoc quidem genus esset, cùm id, quod & aratione, & seminis in terram proiectione, & longâ messis exspectatione concupieras, consecutus sis; fructũ inde nullum percipere, sed perindè atq; si adhuc nihil foret actum, tum demùm de semine spargendo cogitare. Verùm, quoniam semel te interpellauimus, Apostolorum doctissime, dic, amabo: Si felix adeò cuipiam terra obtigisset, quæ nullo proiecto semine, nulla stercoratiane, nullo adhibito labore vel sordibus, copiosius etiam fructum daret, quàm alia quædam suscepto & in visceribus putrefacto semine promitteret; quid censes? an semen nihilominus perdendum, stercora, cæteraque id genus sordes adhibẽdas, existimas? quin imò stultius nihil excogitari aut fingi potest, quàm tum adhuc operam perdere: idq; foret non seminis corruptionem ob fructum adamare, sed propter corruptionem ipsum semen prodigere. Iam, credo, videtis facilè quonam vos ex Apostolo deducã. *Seminatur corpus animale.* Corpus illud nihil, nisi teram, eiusq; sordes ruminans; corpus illud indomitis passionum furijs, animali quolibet ferociissimo potentius exagitatum; corpus illud virijs, nequitisq; addictum, & innato ad peccatum pondere animam in cælis euolare cupientem semper detinens, *seminatur*: in terram abijcitur, corrumpitur: vt postquàm terra noxias istas qualitates ad sese quodammodò attraxerit, vermes quidquid inerat animale corroserint, tineæ quicquid latebat ex peccati veneno succi vitiosi exorbuerint, tum demùm resurgat non aliud quidẽ corpus sed alijs iam virtutibus imbutum, alijs illustratum dotibus, quod animæ iam promptum ac alacre tanquàm vnus idemque cum eâ spiritus obsequatur. Quod si nõ alius corruptionis putrefactionisque corporis nostri sit finis; vide quàm liquidò sequatur eam Virginẽ, quæ *corpus* semper *Spirituale* habuit, id est, semper Spiritus ac rectæ rationis dictamini obsecundans,

Corpus B. Mariæ Virginis non fuit seminandum, quia non erat animale.

secundâs, omni prorsus ratione corruptionis & putrefactionis expertè fuisse. Durand. in 3. dist. q. 1. S. Bonauen. in Spec. Virg. & doctissimus ille Idiota in serm. de obitu Mariæ, resolutionem corporis in vermes, docent originalis peccati pœnam à Deo constitutam fuisse: vnde facilè nobis erat demonstrare, quàm non fuerit subiecta pœnæ Virgo Maria, quæ adeò remota fuit ab originali culpâ, vt ne debitum quidem fortasse illius contraxerit. Sed iam dudum aueo mortem Mariæ Virginis contemplari, atque cognoscere (cùm eam omni corruptione liberam fuisse docuerimus, ac morbus corruptionis putrefactionisque corporalis quoddam sit initium) quâ tandem ratione à nobis ex hoc mundo discesserit.

CAPVT III.

De morte B. Mariæ Virginis. Eam mortuam esse, & quibus de causis mori voluerit.

VErvs & exoleta est illa parentis eloquentiæ de naturâ querela, quem, teste D. Augustino, vti nouercam seueriſſimam execrabatur, quòd hominem, nullâ eius culpâ, sed solâ malignitate ingenij sui, morti, rei tam acerbæ, tamque detestabili subiecisset. non enim magis certa historiæ sacræ cognitio, quàm veræ lumen fidei ad intellectum eius peruenerat: quæ si peruenissent, perspexisset facilè Mortem non vitio naturæ, sed hominum scelere id sibi in humanam naturam arrogasse iuris, vt quibus ex corrupta semel parentum vitio propagine daretur facultas ad viuendum, ijs illa omnibus moriendi necessitatem imponeret. *Per peccatum* enim *mors*, Paulus ait, *& ita mors in omnes homines pertransijt.* Rom. 5. Verùm aliud est, quod ego non iniuriâ videor posse cum morte ipsâ disputare. Peto enim ego, à te, monstrum portentissimum, non quo ore, vel quâ fronte, quæ non habes, sed quânam tantâ, tamque insigni, quæ tibi propria est, impudentiâ ausa fueris manus injcere in eam Virginem: quæ cùm nullam vnquàm cùm peccato habuerit communionem, neque tecum vllum habere debebat commercium? An id dictura es (quod qui pro te dixêre, non alio quàm pestifero tuo ore locuti videntur) Virginem peccato quidem omni tam originis quàm proprij sui actûs liberam fuisse, non fuisse tamen debito & obligatione peccandi, atque ita debitum etiam contraxisse moriendi? Quæ ratiocinatio, præterquàm quod Tridentino Concilio sess. 5. repugnet (vbi in decreto de peccato originali, postquàm docuit effectus huius peccati esse mortem, fomitem peccati, corruptionem, atque alias nonnullas imperfectiones; statim subiungit, isto decreto Virginem sacrosanctam nullâ ratione comprehendi;) Animaduerte, quæso, quam debili nitatur sequelâ. Quid enim ais? Contraxit Virgo debitum peccati originalis. Vt hoc tibi concedam, quod & ego & grauissimi mecum Theologi putant esse falsissimum, quid tum posteà, quâ ratione concludis? contraxit ergo & debitum moriendi. Sed hoc quî probas? *Per peccatum mors.* Audio & illud, *Mors pœna peccati: anima quæcunque peccauerit, ipsa morietur.* Intelligo sæpiùs id dici, peccato perpetrato mortem deberi; sed illud exspecto, vbi legeris debito peccandi pœnam eandem, quæ peccato ipso, esse constitutam? An tu, si fortè pro tribunali sedeas ita iudicabis? Furatus est Caius, suspendio dignus est, suspendatur. &, Titius, si vnà fuisset, si eum vel casus, vel fortuna sua aliò non auocasset, debebat etiam furari, ergo & ille suspendatur. Quæ lex, quæ ratio, quæ iustitia hoc suadet? Peccata legibus vindicantur, ijs pœnæ constituuntur: ea verò quæ futura fuissent, si aut hæc aut illa conditio non interueniſſet; si non euenerint, pœnæ coërceri non possunt, nedum debent.

In Virgine Deiparâ mors non fuit pœna.

Nec euadis, si id quod expoſui exemplum retorqueas, contendaſque Titium, ſi debitum furandi contraxerit, ſeu ex pacto cum ſocijs inito, ſeu vnde vnde oriatur; debitum hoc non poſſe in eo ſine ſcelere, atque adeò pœnâ ſi non eâdem, aliquâ ſaltem dignum, videri. Non ego id nego, ſi debitum in Titio ſcelus eſt, hoc ſcelus pœnam mereri: ſed hoc tibi dicendum eſt, Peccandi debitum in Virgine, in quâ illud peccatum non eſſe tutè ipſe fateris, peccati pœnâ plectendum fuiſſe. Sancto quidem Epiphanio adeò abſurda, atque adeò infirmis nixa fundamentis videbatur hæc ratiocinatio, vt nunquàm in animum ſuum inducere potuerit, vel ita imperitum fore quemquam qui hoc diceret, vel mortem ipſam eò proceſſiſſe impudentiæ, vt Virginem, in quam ius nullum aliud prætenderet, inuadere, auſa fuerit. Negabat proindè ipſe hær. 68. & alij quidam cum illo, Mariam Virginem omninò mortuam fuiſſe, cùm ſit ſtipendium & pœna peccati mors, illa autem ab omni peccato fuerit remotiſſima. Nam quod Chriſtus Dominus ac Seruator noſter mortuus ſit, qui per naturam ſuam longè etiam erat ab omni peccati labe remotior, quàm Virgo per gratiam; mirandum non eſt, inquiunt illi, & rectè: cùm ille amore ac miſericordiâ ſuâ motus, infinita vltrò peccata & ſcelera noſtra in ſe tranſtulerit, languores noſtros ipſe portauerit, &, vt S. Ambroſius loquitur, peccatum factus ſit pro nobis; atque ita non ſua, quæ admittere non poterat, ſed noſtra, quæ tanquàm fideiuſſor ſibi ſoluenda aſſumpſerat, peccata, morte illâ acerbiſſimâ luerit. Quâ in re hoc lubens S. Epiphanio aſſentior, Chriſtum noſtri causâ morti quodammodò fuiſſe obnoxium; mortemque, quando illum tot armata tormentis adeò crudeliter inuaſit (quod inhumani creditores ſolent) ab eo vno tanquàm fideiuſſore omnium noſtrûm, quibus ſoluendo non eramus, debita exegiſſe: Virginem verò nullâ prorſùs ratione, nec ſua, nec noſtri causâ mori debuiſſe. Mortuam autem ne cum ipſo negemus, facit maior Doctorum, totiuſque pænè Eccleſiæ orthodoxæ authoritas, canit enim de Virgine: *Quam pro conditione carnis migraſſe cognoſcimus.* Quæ authoritas, ex Patrum communi ſententiâ atq; continuâ fidelium confirmatâ traditione, cùm ſufficere debeat; ad ipſum genus mortis conſiderandum, gradum faciemus; Vbi priùs tamen quadruplicem cur mortua ſit Virgo cauſam adduxerimus.

Quidam negant B. Mariam Virginem mortuam fuiſſe,

Quatuor, inquam, cauſæ ſunt ob quas mortua videri poſſit Deipara: quarum primæ duæ amoris atque ſuauitatis habent plurimum, altera non minùs vtilitatis, quarta plus etiam gloriæ atque magnificentiæ. Vt enim pro nobis Dei Filius; ita Filij ſui causâ mortem Virgo oppetijt. Poteſtnè quid excogitari ſuauius, finginè poteſt quid dulcius, admirabili iſto atque dulciſſimo Matris in Filium amore? quæ cùm ſe cerneret & cognoſceret etiam præ Filio exemptam eſſe omni moriendi obligatione, maluit Filio ſuo ſimilis eſſe moriendo, quam gloriosâ, ſibique inter humanas creaturas omnes ſoli conceſsâ immortalitate vel tantillum ab eo diſcrepare. Sciebat illa iam anteà mortem diſcipulorum Principi à Filio in ſummi amoris præmium propoſitam fuiſſe. poſtquàm enim Ioannis 21. tertiùm interrogaſſet, *Petre amas me?* terque feruentem illam ex toto pectore reſponſionem audiuiſſet; ait: *Cùm ſenueris, extendes manus tuas, & alius cinget te*; ſignificans ſcilicet quâ morte Petrus eſſet Deum glorificaturus. Acutè hoc notauit S. Fulgentius ad Trasimundum Regem lib. 3. cap. 24. dicens: *Primitùs Chriſtus ad confeſsionem amoris inuitat, vt facultatem ponendæ animæ ſuæ deinceps amatori concedat.* Nolebat ergo Filius Matrem ſuam priuare gloriosâ iſtâ facultate ponendi animam ſuam ex ſui amore: nolebat Mater perdere occaſionem tam bonam teſtificandi Filio ſuo quàm ei cuperet per omnia aſſimilari, & quantum ei eſſet ſupra omnem creaturam obſequioſa. Viderat in morte Filij, vt Creatori ſuo vel aſſimularentur, vel compararentur, creaturas omnes certatim prouolare ad interitum: elementa ipſa turbabantur, & cæleſtia illa corruptionis expertia

Quatuor cauſæ, cur mortua ſit Deipara.

S. Fvlg.

pertia corpora sibi lugubrem prætendebant pallam, tanquàm si iam pigeret communem lucem aspicere. *Debebat*
D. Leo. *hoc testimonium* (inquit D. Leo serm. 6. de pass.) *suo mundus authori, vt in occasu Conditoris sui vellent vniuersa finiri.* Debebat ergo multò etiam magis hoc obsequium Filio suo Deo Mater Deipara, vt mortuo charissimo suo pignore vellet & ipsa finiri: non morte ignominiosâ, quæ in pœnam irrogatur peccati; sed gloriosâ, ei simili, quâ Filius obierat: vt ita acciperet ipsa præcipuum orationis istius fructum, quam pro suis omnibus constitutus in mortis agoniâ Christus tam calidè Patri suo adhibuerat, dicens: *Transeat à me ca-*
S. Hilar. *lix iste*, hoc est (interprete S. Hilario can. 31. in Matth,) *Quomodo à me bibitur, ita à meis bibatur.* Sed & aliud præ oculis habebat (cùm annuntianti huius vitæ finem Angelo, voluntatique eius, vt arbitror, relinquenti quânam potissimùm viâ, mortisnè, an verò immortalitatis, ad cælos vellet conscendere; respondit se non aliâ velle incedere, quàm quâ Filius præcesserat) illud nimirùm: exorituros deindè cognatos (vt eos Tertullianus vocat) Saducæorum, qui, vt resurrectionem destruerent, Christi mortem negaturi erant, atque affirmaturi alij cælestem, alij phantasticam carnis Seruatoris nostri substantiam, quæ scilicet nec mori, nec resurgere poterat. Quæ hominum insanientium phantasia probabili aliquo nixa fuisset fundamento, si neque Mater mortua fuisset, vnde carnem illam desumptam Ecclesia docet: perindè ac si fieri nequiuisset, vt ea quæ immortalis esset per gratiam, Filium gigneret mortalem per naturam. Hos vt vnà cum omnibus omninò hæresum sectis interimeret, voluit mori causâ Filij Maria: ne quam contra purissimæ carnis illius mortalitatē blaterandi occasionem sibi putarent datam hæretici. *Oportuit Christum mori*, inquit lib. de arcanis Cathol. veritatis Galatinus: *& oportuit Virginem mortalem esse, vt Christum mortalem gigneret.* Sed de hoc satis. Tantùm vide mihi tu quasi per transennam, quanti meriti fuerit, Virginem suâ sponte Deo vitam suam consecrare, ad nominis eius gloriam, resurrectionisque confirmationem, cùm esset ab omni obligatione mortis exempta. Nec minor ex ista morte ad nos vtilitas, quàm ad Virginem redundauit gloria. Scimus enim quantum ad vitam benè instituendam conferat, in eo mentem non vacillare, quod solùm potest cessantes impellere, torpentes excitare, exstimulare negligentes, desperantes erigere. Si enim dubia, vel incerta esset carnis resurrectio; iam nobis omnis in stadio virtutis cursus inhibitus, iam labor fastidiosus, iam nerui ipsi incisi esse viderentur. Atqui non potuit magis, quàm per Virginis mortem, post Christi resurrectionem, hoc fidei caput confirmari. Licèt enim manifestè satis se à morte reducem eâdem in carne Christus testibus idoneis ostendisset; quia tamen ea ipsius erat conditio, vt non homo tantùm, sed simul etiam Deus existeret; poterat adhuc, an sibi, quæ nullum cum hypostaticâ istâ vnione haberet commercium, eadem obtingeret resurgendi felicitas, humana dubitare diffidentia. Posteaquàm verò iam B. Mariam virginem, eiusdem prorsùs nobiscum conditionis, mortem oppetijsse, eandemque reunitâ sibi carne ad vitam meliorem peruenisse constet; nullus remanet dubitandi locus, nulla incredulitatis excusatio. Tibi ergo debemus, optima Consolatrix afflictorum, quod præcipuam illam, quam in laboribus atque afflictionibus nostris habemus consolationem, certam, nullisque labefactandam diuersarum opinionum dubitationibus habeamus. Mors tua nobis ostendit, quod *absterget Deus omnem lacrymam ab oculis Sanctorum.* Resurrectio tua nobis spem facit, quod & nos in carne nostrâ videbimus Deum Saluatorem nostrum. Atque ita nō tantùm naturalis tui, sed adoptiuorum etiam filiorum causâ mortem oppetijsti mater viuentium, adiungens ad eam, quam ex Filij tui imitatione hauriebas dulcedinem, nostram etiam vtilitatem. Cui vtilitati quomodo tuam gloriam, mortisq; ipsius ignominiam simul coniunxeris, atque eam quartam cur morereris occasionem tibi sumpseris, deinceps videamus.

Solet

Morte B. Mariæ virginis mors est triumphata.

Solet hoc mirum nonnullis videri, mortem (vtique peccati, infeliciſſimæ matris, partum turpiſſimum) priùs in Abel innocentem venenata ſua torſiſſe iacula quàm peccatorum quemquam contigerit. Quam in rem non leuiter animaduertenda eſt Theodoreti ſententia Quæſtion. in Geneſ. vbi ait: *Infirmum voluit Deus iacere fundamentum: ſi enim priùs Adam mortuus eſſet, ſolidam habuiſſet illa baſim* (mors ſcilicet) *atque primùm confeciſſet, qui primus peccaſſet &c.* Triumpharet nimirùm, inquit ille, mors, infinitumque quoddam ſibi in homines imperium crederet datum, ſi, quæ tela ipſi peccatum exacuerat, primùm in peccatores experiretur: intolerabiliſque eius eſſet faſtus & ſuperbia, cùm iſtas ſibi vires, quibus omnes omninò ſuccumbimus, tantùm in generis noſtri opprobrium & contumeliam conceſſas arbitraretur. Iam verò cùm priùs iuſtum Abelem occiderit, quàm peccatorem quempiam aggredi concederetur, retuſa eſt præcipua iſta teli acerbitas: & dirum illud, quo ferri acumen temperauerat, ignominiæ venenum, magnâ ex parte innocente viri iuſtiſſimi cruore dilutum eſt. Oſtendit videlicet, iuſtum perimendo, mors ipſa, ſe non magis ex parentum delicto in peccati punitionem, quàm ex ſubſequenti Dei ordinatione in neceſſariam ad præmium recipiendum diſpoſitionem, atque adeò paradyſi ianuam eſſe conſtitutam. Quod ſi hanc retulit mors iuſti vnius ipsâ de morte victoriam: quis non dicet, quando Chriſtum ipſum Dominum non pro ſuis ſed alienis tantùm, Diuam autem Virginem nec pro ſuis nec pro alienis peccatis morientem cernit, mortem hiſce, vt ſic loquar, mortibus ſubactam prorſùs atque trimphatam fuiſſe? præſertim cùm non ſolùm omne prorſùs ignominiæ venenum (quod iam in Chriſti morte fecerat) telo ſuo abſtergere debuerit; ſed omnem etiam, quam illic adhuc propter delicta noſtra retinuerat, acerbitatem, omnes dolores, omnes morbos, omnem corruptionem, omnem deniq; quo ſemper ſtipata eſt, malorum apparatum priùs abijcere coacta ſit, quàm ei liceret Virginem Sacroſanctam attingere. Adeò vt certum videatur, non aliâ de causâ admiſſam fuiſſe, quàm vt ſe, abiectis armis, victam triumphatamque fateretur: diriſſimamque illam, quam ita crudeliter omnibus intentat, animi corporiſque ſeparationem, inermis iam atque deuicta præſtaret Virgini in ſeruitutis officium, molli adeò ac delicatâ manu, vt minas in blandimenta, terrores in obſequia, pœnam in delicias conuerteret. Quæ ſubiectionis captiuitatiſque ignominia Morti, quia Mariæ glorioſiſſimâ manu contigit, verſa eſt in gloriam. Mira Virginis magnitudo, incredibilis gloria Deiparæ, quæ ne mortem quidem triumphare poteſt, quin hoc triumphatæ cedat in decus immortale & gloriam ſempiternam.

Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem,
Æneæ magni dextrà cadis:

aiebat ille, reputans aliquam morienti eſſe gloriam, quod à magno viro occideretur. At quantò nos iuſtiùs ipſam hîc Mortem conſolari poſſumus, quod à magnâ Virgine vincatur & triumphetur, vnde non poteſt ei non multiplex accedere gloria. Quid enim Mors erat ante Mariæ mortem, niſi infamis peccati pœna, miſeriarum omnium cumulus, generis humani opprobrium, ſtigma furis illius qui per fas & nefas vitam affectabat immortalem, & ſuperbam cum Deo ſimilitudinem? iam verò matris infauſtæ teterrima proles, fœtor & horror, putredo & totius naturæ corruptio ſequebatur. Poſtquàm autem Maria mortem deuicit, ecce tibi quomodo omnia ſunt immutata: ipſa iam facie blandiſſimâ ridet Sanctis, multiſque votis expetitur tanquàm miſeriarum omnium finis, felicitatis ianua, & partus æternæ quietis. Quid verò eam ſequatur, iactabundum prædicat, apud Damaſcenum, ſepulchrum: *Nunc diuina*, inquit, *in me habitat gratia, ego euaſi officina medicinæ ægrotantibus, ego ſum fons perennis curationum, ego ſum refugium omnibus confugientibus.* Ecce vt omnia iam in morte ipſa ſint amœna, grata, diuina, poſtquàm ſemel illi poteſtas data eſt manum inijciendi

in

in eam, quæ nullâ ratione tenebatur lege peccati. Quod quemadmodum perfecerit, subsequẽti capite explicabimus.

CAPVT IV.

Quomodo, & quo morbo Virgo obierit.

QVAS superiore capite attulimus mortis causas, eædem viam sternunt, vt modum cognoscamus, quo eam Virgo obierit. Nec enim duriùs accipere mors ausa fuerit Dominam ac triumphatricem suam; nec amantissimus Matris Filius, si quid illa auderet, permitteret quidpiam (in conspectu præsertim suo) quod non deceret eam, quam apparaturus descenderat, triumphi solemnitatem. Siue enim quis in Apostolos, vndique ex mente Nicephori per summum miraculum diuinitùs adductos; siue in Angelos, omnibus cæli portis effusos; siue in Christum, Matri assistentem; siue in ipsam denique Virginem, inter ardentissimos amoris æstus suauissima cũ Filio miscentem colloquia, oculos coniecerit; nihil hîc ferale, nihil funestum, nihil non plenum suauitatis, plenum iucunditatis, plenum gloriæ reperiet. Non hærebo hîc diutiùs, vt accuratam ex Patribus componam historiam: Quomodo scilicet expiatâ, secundùm S. Dionysij mentem, atq; mundatâ domo, collucentibus vndiq; cereis, ardentissimâ pietate corpus Filij sui è manibus vel Euangelistæ Ioannis, vel S. Petri sumpserit: quomodo testamenti loco, id quod Cedrenus & Nicephorus citati à Baronio affirmant, binas suas tunicas (ô diues paupertatis testamentum!) vicinis suis duabus diuiserit: quomodo dicens Ioanni, cæterisque dein Apostolis extremum vale, ex Iuuenalis Hierosolymitani Episcopi sententiâ, ad Christum conuersa, hæc vltima ei verba insusurrarit: *Fiat mihi secundum verbum tuum*; ac dein placidissimè in eiusdem Filij sui manibus exhalans animam, obdormierit. Non disputabo cum Theologis, an vnctionis extremæ oleo delibuta; an mortuorum ab Apostolis officio honorata fuerit: cùm neutrum ei videatur conuenire ob peccatorũ, quæ in vtroque fit, mentionem: & id potiùs quærendum videatur, quod propiùs Virginẽ tangit, Quæ corporis eius constitutio, quis morbus, quis animi sensus hoc ipso mortis suæ tempore fuerit?

Mors Virgini Deiparæ fuit suauissima.

Ac primùm quidem de constitutione corporis; Nolo mihi hîc infractos dolore oculos, contractas nares, collapsam frontem, os prauum atque contortum, trementia horrore membra, atque fatali illo sudore perfusa imagineris: nec enim ibi possunt scelerum nostrorum hærere vestigia, quò nunquam venit pes superbiæ, nec gradum promouit vllum vnquàm peccatum. *Vidi*, ita potiùs inquit Virgo, *& somnus dulcis factus est mihi*: non extimui, nõ conniuentibus aut nictantibus oculis expaui: sed vultu sereno, fronte explicatâ, oculis apertis *vidi*, & expectaui mortis aduentum: & *somnus* (quid enim mortis nomine appellem, quæ omni exarmatâ terrore, quo solo mors à somno differt, non iam somno simillima, sed somnus ipse erat?) *dulcis factus est mihi*. Non tantùm dulcis Virgini post mortem, sed & ante: longè aliter quam Christo, qui cùm à morte exciperetur vt sibi subiectus & subditus, (quòd eorum debita moriendo soluebat, qui vera erant mortis & inferni mancipia) in ipsa morte clamabat; *Angustia possedit me, & conturbatus sum*: postea verò quàm mortem obijsset, amarissimæ radicis fructũ dulcissimum percipiens, gustauit eius suauitatem, testante Apostolo: *Videmus Iesum propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum, vt gratiâ Dei pro hominibus gustaret mortem*. Mira, sed si examinetur, peracuta loquendi ratio. Gloriâ coronatum dicit Seruatorem, vt gustaret mortem: non quòd post resurrectionem suam, dum ei impositum fuit diadema gloriæ, mortuus sit; sed quod tunc ipse primùm mortem gustare, id est, suauitatem eius percipere, occœperit: ideò enim *propter passionem gloriâ & honore coronatus est*, vt mortis, quam subierat à Deo derelictus tot pœnis atque tormentis, iam Dei gratiâ & fauore gustaret suauitatem. Non ita, inquã, Virgini post mortem, sed in ipso moriendi actu, mors vel *somnus factus est dulcis*: quomodo enim posset non esse dulcissima mors ista, cui morbus Deus;

Ierem. 31.

Isaiæ. 21.

ad Hebr. 2.

morbi symptomata, extases & raptus quietissimi; gemitus & suspiria, amantissima cum Deo colloquia?

Morbus, quo extincta fuit B. Maria Virgo, fuit Deus.

Nec me vaticinari putetis, aut extasi quâdam à mente ac sensibus abductum, quòd morbum, quo Virginem exstinctam fuisse dico, non alium quàm Deũ ipsum fuisse contendam. An enim ignoratis quod *Deus charitas?* an dubitatis quin illa charitas fuerit *diffusa in corde* B. Mariæ virginis *per Spiritum Sanctũ*, qui datus est ei? sed obscuriora sũt hæc. De morbis & morte acturi, Medicos adeamus: non vt arteriã tangant, nõ vt vultum inspiciant, aut linguam visitent, nec enim hominũ meditantiũ eget manu, quæ Deo laborat; sed vt nobis accuratè inter morbum, eiusque symptomata distinguant, vt claré perspicere possimus quod morbus ille non alius quàm Deus fuerit, qui tam suauiter Virginem exstinxit. Docent Medici, si quem videas acutissimo capitis dolore laborantem, flauo aut pallido colore luridum, acido vel salso sapore infectum, narium vel oris fœtore grauem; non continuò iudicandum esse, eum vel capitis dolorem, vel colorem, aut cæteras istas affectiones morbum esse, quo mortalis iste laboret: sed altiùs scrutãdum, num quid in intimo corporis recessu conditum, è quo symptomata illa fluxerunt? vbi si pars aliqua ita contra naturam afficiatur, vt functiones suas exercere impediatur; ibi morbus latet: cætera verò sunt morbi quidam effectus & veluti soboles. Conuertamur nunc ad Virginem, eamque dum ita raptam videmus, vt sitnè in corpore, an extrà corpus ipsa nesciat; non morbum hos raptus, sed orta ex morbo mentis deliquia cogitemus: si ita accensam amore inueniamus, vt membra omnia ardeãt, & non minùs quàm febrili calore depascenda videantur; febrim indagemus vnde tantus æstus diffunditur. Fieri potest, inquit Suarez, vt mens tantâ efficaciâ & intensione in his actibns amoris, & ardentissimi desiderij, & altissimæ contemplationis occupetur, vt veluti destituat corpus: ita vt paulatim eius dispositiones remittãtur ac deficiãt, ac tandem ob earum defectum nõ possit anima in corpore conseruari. Dum igitur in Virgine hasce occupationes maximé serias, perindè atque in alijs ægris corporibus inutilia quædam studia animaduertimus, mortis instantis certissima argumenta; illud inquiramus, Quis morbus ille, qui mortem tam vicinam minitetur? Morbus est partis alicuius ipsius animalis infirma & vitiosa constitutio, quæ primùm & per se functiones eius euertat. Nulla in Virgine corruptio, nullũ vitium: morbus quisquis is est, nonnisi perfectio esse potest, vnde tam perfecta, tam mira, tam diuina oriãtur symptomata, atq; sunt ardor amoris, extases visionum mirabiles, raptus ad tertium vsque cælum. Id tamen nos docet Medicorum definitio, morbum eius in corde residere. cordis enim naturales functiones ita impediuntur, vt nihil non supra naturam agat: ipsa verò cordis affectio, vnde impedimentũ hoc oritur, Spiritus Sanctus est, qui superuenit in Virginem: ad cuius aduentum cùm expaueſcere videretur (certa si ipsum tantâ plenitudine reciperet, quantam pro dignitate Matris Dei necessariam agnoscebat, quod ne ad momentum quidem temporis superesse sibi vita posset) audiuit eam Angeli vocem, quam, nisi me vehementer fallit speculatio, nunc demùm intelligo: *Ne timeas Maria. Spiritus S. superueniet in te, & obumbrabit tibi*: ac si diceret: Idem ille S. spiritus qui quòd totus flamma sit & ignis, terrorem tibi incutit; vmbram tibi talem faciet, vt, cùm ipsum ardorem eius intùs gesseris in corde & animâ, non tamen ita sese ad mẽbra sit diffusurus, vt corporis animæque substantialem vnionem dissoluat priusquàm tempus illud aduenerit, quo, vmbrâ remotâ, totus sese diffundet ardor, & tu tota liquefacta diuino illius amore dissoluêris, exiguo post tempore iterùm beneficio resurrectionis consolidanda, vt possis omni deindè æternitate tantis, tamque vehementibus lucere diuinæ charitatis incendijs, vt omnes qui reliquo cælo reperiuntur Cherubinorum Seraphinorumque ardores, nonnisi scintillæ sint futuræ si cum istâ tuâ luce atque flammarum vehementiâ comparentur. Iamnè agnoscitis istam Damascenidormit. Virginis verissimam esse vocem: *Quæ sine dolore pepe-*

rit,

rit, sine dolore finiuit vitam? ideò sine dolore peperit contrà omnem naturæ ordinem, quia partus erat Deus: ideò sine dolore finiuit vitam, quia morbus erat Deus. Quo morbo dum laborauit, dum vltimos illos & vehementissimos passa est paroxismos, quis ei sensus, quas cogitationes animi fuisse dicemus? quomodo iam oculis ad se conuersa, naturæ humilitatem, sublimitatem gratiæ, maternitatis diuinitatem considerans; omnibus cogitationibus amoris ventilabat incendia, dum præsentem eum aspiceret qui & erexisset humilitatem, & gratiam erat largitus, & matrem eam sibi elegisset, vt supra omnes omninò creaturas erigeret? Aliquando tota conuersa ad Deum, in vastissimum naturæ diuinæ oceanum abripiebatur: ibi immensitatem vndique, vndique infinitatem reperiens, resistebat nusquàm, & nesciebat quo progrediebatur: omnia cernens, nihil comprehendens, perdebat ipsa sese, & tota amore absorbebat. Hæc erant morbi istius quietissima insomnia, hæc prudentissima taliter ægræ mentis deliria: quibus tamdiu exercitatam credimus, donec amoris vi, corporis animæque vinculum dissolueretur; atque persistens in eodem amoris actu, cælestis illa anima euolaret, Filij sui manibus in cælos transportanda, vt ibi illa tantisper primis foueretur paradysi gaudijs, dum ei debitus ad solemnem Assumptionem coniunctæ rursùs cum corpore apparatur triumphus. Hæc ita facta fuisse, ipsamet Virgo Deipara S. Birgittæ lib. 6. cap. 62. reuelauit: *Cùm quâdam die animus meus suspensus esset in admiratione diuinæ charitatis, tunc anima mea in ipsa contemplatione repleta fuit tantâ exultatione, quod vix se capere poterat, & in ipsa consideratione anima mea à corpore fuit soluta.* Sixtus Senensis lib. 5. Biblioth. sub finem de matre Machabæorum ita habet: *Sunt qui gaudij magnitudine mortuam velint.* Fuerat ea mater in singulis filiorum multoties occisa: hinc conueniens videbatur, vt non dolore, sed gaudio obiret mortem suam, quæ Dei causâ toties sustinuerat alienam. An non maiori ratione credendum Virginem Deiparam, cuius animam in morte Filij doloris ille gladius pertransiuit, (qui si in creaturas vniuersas incidisset, omnes de medio tulisset) gaudio & amore diuino obijsse mortem, quam non nisi Filij nostrûmque causâ susciepiebat?

CAPVT V.

Dolor ex morte D. Virginis, & eiusdem consolatio: sepultura corporis: Angelorum erga illud obsequia: resurrectio.

TANDEM aliquando diem verè suum obijt B. Virgo Maria: diem Apostolis mundoque orphano lamentabilem, Angelis lætum, Virgini gloriosum. Abijt à nobis (ita mihi Apostolorum lamentis interesse videor) vnicum quod in terris restabat solatium: perdidimus nos coronam nostram & gloriam: perdiderunt suum Prophetæ oraculum, Doctores magisterium, Euangelistæ velociter scribentis calamum: perdidit Ecclesia lumen suum: perdiderunt, qui in Ecclesia sunt, suum iusti exemplum, peccatores asylum: perdiderunt Martyres firmamentum, Confessores stimulum, Virgines speculum. Spoliatus denique hoc die mundus est omni die suo, quo (post subtractum solem, per Ascensionem Domini) densas hasce in Ecclesiæ nascentis exortu vincebat tenebras, dispellebat hæresum suborientium nebulas, Gentilium illustrabat caliginem. Quid enim iam nos? nil nisi faces exiguæ, nil nisi à tanto igne absistentes scintillulæ; quid, inquam, exigua nos faciemus lumina, omni iam luce, vnde splendorem haurire poteramus, sublatâ? Plura cogebat Apostolos, cæteroſque discipulos conqueri primi doloris acerbitas, quæ eò

Apostolorum in morte Virginis lamentatio.

viuaciùs mentes eorum tangebat, quò recentior erat perceptorum à Virginis præsentiâ beneficiorum memoria. Verùm si ijs tam luctuosum videbatur tanto spoliari subsidio: quid animi nobis erit, quos tantò vehementiùs dolor iste debet affligere, quò minus in nobis ipsis, quàm in Apostolis erat, ad salutem æternam consequendam agnoscimus esse præsidij? Si bonos ac benè de Republicâ meritos Principes, publicâ doloris significatione; si pios naturâ atque clementes homines, etiam alienos, lacrymis; si parentes optimos, luctu & squalore non consolabili prosequimur: quid faciemus hâc sublatâ Virgine, quam ius æquissimum in cæli soliq́ue vastissima imperia creauit Reginam, natura fecit pientissimam, pietas nobis constituit matrem? Certè non gaudio & lætitiâ, sed squalore & lacrymis; non plausu & exultatione, sed tristitiâ & planctu; non lætis acclamationibus & festiuo celeusmate, sed fletu atque vlulatibus hæc dies prosequenda videretur; nisi hæc ipsa, quæ tantâ animum pungunt acerbitate, Reginæ, Piæ, Matris nomina, eadem mox dolori medicinam facerent. Vt enim omittam illud, tanti valere apud nos amorem erga Mariam debere, vt cùm illi dies hîc iucundissimus atque exspectatissimus acciderit, nos non tam solitudinis nostræ pigeat, quàm delectet & iuuet summa illius felicitas & gloria: quanti hoc faciendum putatis, habere nos aduocatam in illa cælesti curia, & talem aduocatam, quæ siue quod Mater, siue quod Regina, siue quod pientissima, non potest non maxima ad nos deriuare beneficia?

Cur nobis in illa dolendum.

Cur rursùs gaudendum?

Atque vt breuiter ex singulis hisce titulis aliquid delibem consolationis, Mater est nostra quæ obijt, mater est, quæ tanto, atque mox videbimus, triumpho cælos conscendit. Nónne autem matris est, vbi primogenitus omnia abstulit feudalia patris bona, minoribus ætate liberis ex arrha & dote sua consulere? Atqui frater noster ætate maior, primogenitus in multis fratribus, Christus Iesus, omnia feuda paterna possidet: *Qui cùm sit splendor Patris, & figura substantiæ eius, sedet à dextris maiestatis in excelsis: Mariæ verò*, teste S. Epiphanio, *donorum antenuptialium nomine Spiritum Sanctum accepit, dotis verò gratiâ cælum vnà cum paradyso.* Nunc autem illa moritur, nos testamento hæredes scribit pia Mater, vt ad quos summus mœror morte suâ venit, ad eosdem summus honor quoq́; ex hæreditate perueniat. Quid exspectamus, nisi arrhæ maternæ nomine gratias & dona Spiritûs S. in hac vita, & post hanc ex dote eiusdem vitam æternam? Adiunge nunc materni affectûs dulcedini Regiæ magnificentiæ honorem, & intelliges magnam vim habere Reginæ nomen, & potestatem ad excitandum in pectore generoso naturalem quendam erga subditos amorem, qui oculos defigens in eam, quâ Deus erga se vsus est, numificentiam, semper illum exstimulat, vt eandem præstet sibi subditis liberalitatem. Id affirmat Iustinianus Imperator: *Optima mensura* (dandi nimirùm, inquit) *est rerum donatarum immensitas.* Vnde cùm certò sciamus nobiliorem non esse sanguinem illo, quem Deus elegit, vt indè sibi in terris descensuro corpus assumeret; nec generosiores spiritus, quàm qui cum ipso Dei Filio quodammodò certauerunt officijs; illud consequitur, quod ad consolationem nostram ignorare non possumus, neminem esse quẽ amor nostri tangat propiùs, neminem cui negotia nostra magis sint cordi, quàm isti, quæ & naturâ adeò est generosa, & tam splendido gaudet Reginæ cæli & terræ titulo. Atque hîc attende, cuius mihi in mentem veniat ad confirmandam illam, quam ponimus in cura ac sollicitudine Mariæ, rerum nostrarum certam spem atque fiduciam. cùm enim ex innata ipsi generositate iam non dubitemus, quin ipsa preces & supplices libellos nostros Deo sit exhibitura; multum iuuerit si certi præte reà simus, nullam passuros nos ipsâ intercedente repulsam. Singulari cum Angelo certamine luctabatur Patriarcha Iacob, vt abeo benedictionem extorqueret, quam sciebat, vt potè diuinam, adducturam secum omnium bonorum abundantiam. Tenuerat noctem omninò totam ea pugna, neutram

Gaudendũ quia Matrem in cælo habemus.

EPIPHAN.

Reginæ nomen admonet Beatam Virginem liberalitatis.

neutram sese in partem inclinante victoriâ, cùm subitò vbi cælum albescere incepit, *Dimitte me*, inquit Angelus, *venit aurora*. Quid, quæso, Angeli intererat venire auroram? quamnam illa tantam habebat vim, vt qui per tot horas pari marte restiterat, ad eius solummodò conspectum victum se superatumq; agnosceret? *Nota* (dicit Angelicus Doctor in hunc locum) *quod loquitur Angelus ad modum Domini, seu viri maturi & honesti, qui erubescit videri luctari, & aliqua sibi non condigna agere.* O præclaram generositatem! ô munificentiam obstupescendam! Rem indignã se ac liberalitate suâ existimat Angelus, Iacobo benedictionem efflagitanti obluctari: supplici postulata non concedere: vbi beneficium rogatur, naturæ suæ atque munificentiæ non obsequi. Hoc est, propter quod lucem reformidat: hoc in actu, alieno prorsùs à generosâ mente, se neque diei, neque per diem hominibus ostendere audet: *Dimitte me*, inquit, *venit aurora*. Non vtar occasione hâc pulcherrima, vt Magnates & Principes (qui existimant altâ quadam ac generosa se mente præditos) doceam, quàm hoc sit à nobili generositate alienum, miseros despicere, supplices repellere, afflictos & calamitosos homines ne aspectu quidem dignari, nedum (quod maximè illos decebat, quodque vnum magnificum & ingens habet omnis nobilitas) benigno sermone leuare, clemente manu erigere, liberali ope ac opera adiuuare. Timeant rudia illa atque aspera ingenia ne aliquando manifestet aurora eorum illiberalem rusticitatem. Etenim auroræ lucem non secùs atque latrones extimescit præclara illa generositas. *Si subitò apparuerit aurora* (dicit Regulus ille, qui fuerat semper pes claudo &c.) *arbitrantur vmbram mortis.* Sed nolo abuti hodiernâ die tam nobili historiâ, vt degenerem coarguam nobilitatem: eam solùm, quam in Regina nostra locare debemus, fiduciam præ oculis habet oratio. Occidit illa, ac mundi illius empyrei hemisphærium veluti aurora fulgidissima ingreditur, canentibus Angelis: *Quæ est ista, quæ ascendit sicut aurora consurgens?* Aurora, quæ ad præsentiam solis illius, qui diem ibi efficiebat æternum, adeò non obscuraretur, vt nouo etiam splendore illum diem illustraret: sic, vt, teste S. Hieronymo, *miraretur etiam Spiritus sanctus, quatenus omnes de ascensu huius Virginis admirantes faceret, quod quasi noui diluculi aurora rutilans ascensu suo in cælo resplendeat.* Agite nunc, certamen ipsum cum Deo suscipite: preces, vota, desideria, libellos supplices offerte: machinas omnes admouete, benedictionem efflagitate: si totâ, quæ hactenus fluxit, nocte restitit; si irrito conatu vires experti, nihil preter lassitudinem & sudorem abstulistis; eia agite, iam *venit aurora*: facite vt iubar hoc aspiciat, vt Virgo hæc tantum ante oculos eius consistat, & ad modum viri maturi & honesti erubescet videri luctari: *Dimitte me*, confestim audietis, *venit aurora*. Pudebit enim quodammodò Deum supplicum preces repellere, remque adeò diuinâ suâ magnificentiâ ac liberalitate indignam admittere in conspectu huius auroræ, quæ illum, si id faceret, non tantùm radijs suis proderet, sed etiam verbis dulcissimis increparet: & tandem si recusare pergeret, fluente per genas (qui auroræ est propriùs) lacrymarum rore, adibitisque summis precibus cogeret non negare quod petitur. Hoc enim magnificentia sua non Indignum putat hæc generosissima Regina, sese, quo prosit miseris, ad ipsam pænè miserorum conditionem abijcere. Quod minùs mirabere, si non solum Matrem eam esse & Reginam, sed, quod præterea dicebamus, naturâ suâ clementissimam, & supernaturali gratia pientissimam agnoscas, vnde illi nomen, *Mater misericordiæ*. Qui titulus adeò facit ad gustum meum, adeò suaui palatum titillat sapore, vt continere me non possim, quin triplici consideratione aliorum huc facientium titulorum, quasi eandem sæpiùs relambendo dulcedinem, identidem mentis palatum reficiam, quorum binos à S. Bonauentura, tertium ab Ecclesiâ mutuabimur. In Psalterio enim S. Bonauentura, *Venam misericordiæ* eam vocat; *Fomitem* miseri-

Genes. 32.

D. Thom.

Iob. 24.

Mariæ clementia tribus titulis expressa.

misericordiæ, in alio quodam opusculo; sancta verò mater Ecclesia, *Cæli fenestram*, in hymno illo: *O gloriosa Domina*. Libet ex singulis aliquid degustare.

Deipara est vena misericordiæ.

Atque inprimis satis constat inter omnes, iustitiam atque misericordiam tanquàm bina Dei brachia intelligi à nobis debere, in quorum vtroque eum feciſſe potentiam canebat Virgo Maria: in sinistro quidem, deponendo superbos de sede; in dextro verò, exaltando humiles. Iam D. Bonauentura brachij dextri venam constituit Virginem Mariam, dum eam vocat venam misericordiæ. Tunc igitur vis illum ex misericordiæ diuinæ brachio fluere sanguinem, qui largissimis gratiarum donorumque cælestium riuis totum quâ patet terrarum orbem irroret? Non alia tibi quàm hæc misericordiæ tangenda est vena: hanc palpa, hanc quære, hanc seca: qui enim illam inuenerit, *inueniet vitam, & hauriet Salutem à Domino*. Nec otiosè dicit, quod eâ inuenta, non ab eâ, sed à Domino salutem hauries: ipsa enim nonnisi vena & canalis, per quam salus ad nos deriuatur ex primo eius fonte & origine, quam sine controuersia Deum agnoscimus.

B. Mariæ Virgo est Deo fomes misericordiæ.

Alter, quo pietatem Virginis S. Bonauentura exprimebat, titulus est, *fomes misericordiæ*: cuius emphasim ab eo, quem in sese quisq; sentit, fomite, facilè percipiet. Hæret enim visceribus nostris, & cordi quodammodò affixa est scintilla nequitiæ, peccatorum illecebra, malorum irritamentum, fax scelerum, flamma criminum, vitiorum omnium nutrimentum, quod vulgari nomine *fomes peccati* appellatur. Hic nos etiam quietos atque ab omni malè agendi occasione securos excitat, intusque flagitiorum adeò vehementer admonet, vt ferè semper vel peccare nos oporteat, vel cum hoc peccatorum suasore decertare. Non aliâ ratione, inquit S. Bonauentura, Deus visceribus suis, quæ nihil nisi misericordia sunt, stimulum quendam infixit, admonitorem appositit, fomitem addidit, qui illum ad clementiam excitet, semperque admoneat ne quam benefaciendi hominibus occasionem omittat: qui fomes illa est, quæ eadem est *Mater misericordiæ*. In quo admirabilis est bonitatis diuinæ in reparando humano genere prouidentia, vt qui videret ex primi parentis peccato hæsisse nobis illum stimulum nequitiæ, qui nos excitet ad irritandam diuinam iustitiam; idem voluerit sibi ex Filij sui incarnatione manere hunc misericordiæ fomitem Mariam, qui ipsum semper ingenij sui admoneat, quod sponte suâ fertur ad bonitatem & clementiam. Fomitis huius Symbolum Deus posuerat in vetere testamento, Genes. 9. *Cùm obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum*. Tunc enim vsus est fomitis istius misericordiæ, quando obductum est nubibus cælum, & placidissima Dei facies (quæ Sanctis est beatitudinis æternæ, iustis æternæ consolationis ratio) Iob ducitur iracundiæ nubibus, iamque vindictam fulminaturus videtur in peccatores: tunc Virgo appareat, vt misericordiæ suæ recordetur. Audiendus Hailgrinus in cap. 7. Cant. hoc ipsum suggerens: *His duobus coloribus*, inquit, *Beata Virgo velut arcus cæli speciosa refulget. De hoc arcu dicitur ad Noë: Ponam arcum meum in nubibus cæli, & recordabor fœderis mei, quod pepigi tecũ*. Ipsa enim in cælestibus assũpta, vt recordetur Dominus misericordiæ, quam humano generi repromisit. Expedit ergo nobis, vt fomes iste Deo sit coniunctior, & arcus iste cæli semper ob oculos eius versetur: quod morte Virginis & Assumptione eius in cælos contingit. Nam si in cælum Virgo fertur, non aufertur à Virgine pietas, non minuitur eius in homines amor: in gloriæ regno regnabit misericordia, quamdiu immortalitatis coronam obtinebit Mater misericordiæ.

Genes. 9.

Est cæli fenestra.

Ostenditur etiam expedire nobis hanc mortem Ecclesia tertio, quo Mariam honorat, titulo. *Cæli*, inquit, *fenestra facta es*. Vbi noto, quod cùm eodem in hymno vocet eam portam & fenestram, dum fenestram dicit, addat: *Intrent vt astra flebiles, cæli fenestra facta es*; vt ostendat totum hunc non esse nisi misericordiæ titulum, qui pro mi-

miseris

seris constituatur. Accidit enim, vt, si filius perditus, iustâ parentis, quam concitauit, irâ portas domûs omnes & ianuas clausas inueniat; statim ad fenestras respiciat, si fortè vna aliqua aditum in domum præbeat: ita si peccatorum aliquis, portas cæli pulsanti clausas, clamanti æneas repererit; quid tandem remedij? quo se vertet in statu rerum tam misero, tam desperato? circumducat ille diligenter oculos, si cubi fenestra aliqua pateat, si post clausam ianuam aliquis susperstit aditus: atque vnam inueniet, eamque semper apertam, *cæli fenestram*, à quâ, quantumcumque flebili, quantumcumque lamentabili, quantumcumque deplorandâ sit sorte, nunquàm excludetur. Atque hæc est illa *gloriosa Domina, excelsa super sydera*, quæ, *intrent vt astra flebiles, cæli fenestra facta est*. Concludit atque confirmat hoc S. Bonauentura in Psalterio Psalm. 18. *Respirate ad illam perditi peccatores, & perducet vos ad indulgentiæ portum.* Quid ergo est (vt eò reuertamur, quo spectant hæc omnia) quòd nos obitus & abitus huius Virginis tantoperè affligere debeat, cùm per illum factum sit, vt iusti Reginam habeant in cælis liberaliſſimam, peccatores aduocatam pientiſſimam, omnes Matrem, & eam matrem, quæ omnem suam curam, omnem sollicitudinem eò solùm conuertit, vt quam plurimis opem ferre possit: eò semper diligentior, eò promptior, quò quemque propiùs abesse videt ab exitio atque extremâ suâ calamitate? Quæ cura, nisi omni oratione esset maior, nunquã in eum sermonem adduxisset S. Augustinum (prout à S. Bonauenturâ citatur in speculo B. Virg. c. 6.) quo videretur omnem cæterorum Sanctorum pro nobis sollicitudinem negligere, atque eam solùm agnoscere, quæ sola plus adfert opis, quàm cæterorum omnium coniuncta studia. *Hoc debemus indubitanter credere* (verba sunt S. Augustini ibi) *pro hoc incessanter gratias agere, quod sicut Maria præ omnibus sanctis in cælo est potior, ita quoque pro nobis apud Deũ præ omnibus est sollicitior. Vnam ergo, ac te solam pro nobis in cælo fatemur sollicitam.* Mira illatio: Omnibus est sollicitior, ergo sola sollicita: quo nempè demonstretur, quod licèt comparatio facta sit, ita tamen reliquos sine vlla comparatione superet Virgo, vt cùm eorum omnium simul iunctas sollicitudines vnius huius cura longissimè antecellat, singulorũ vix vllo in numero habendâ sit, si ad huius vnius conferatur, quæ plurimi facienda est, sollicitudo.

S. Avgvst.

Sepultura B. Mariæ Virginis.

Sed numquid tempus nos admonet, vt de sacratissimo Virg. corpore nonnihil simus solliciti, vt postquàm iusta ei soluerimus, otiosiùs possimus spectare triumphum, quo deinde animæ reunitum in cælos ascendit? Iacebat illud exanime quidem, sed immune ab omni corruptione: mortuum, sed ab illâ mortis liberum maledictione, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*: desertum ab anima, sed ostentans omnia corporalis decoris ornamenta: astãtibus suauissimo, quem exhalabat, odore gratum; intuentibus roseo purpureoq; colore conspicuum; omnes arcanis quibusdam rationibus in tantam sui trahebat venerationem, vt sacrò sancta hæc lipsana, si non profundiore animi cultu, certè magis ad pompam cõposito prosequerentur honore, quàm ipsam, dum spirabat, Virginem solebant venerari. Nec deerant obsequijs Angeli: qui, quod posteà Alexandrinæ præstiterunt virgini officium, priùs Reginæ suæ voluisset impendere, nisi prohibuisset illos altera officij ratio, quæ iubebat istum honorem digniori Apostolorum, quod aderat, Collegio cedere. Tollunt ergo Apostoli inter venerandas suas manus sublime corpus Mariæ, atque illud ipsi quidem, vt reor, taciti (quod scirẽt tristi verborum neniâ illam prosequendam non esse, quæ tali morte obijsset) tristes tamen quòd non possent ita citò tam vehementi, quem ex viduitate sua percipiebant dolori temperare; dulcissimis interea comitantiũ Angelorum cãticis recreati, in Gethsemani sepulchrũ deferunt: atq; ibi obuoluto ad ostiũ lapide, pretiosissimum hunc thesaurum abscõdunt. Si quis hunc curiosiori vigiliâ velit custodire lapidem, & quænam circà hasce gerantur reliquias obseruare; idẽ, quod ad suum, quem oleo perfudit, lapidem Patriarcha Iacob vidit, animaduertere

uertere poterit. Distrahebãtur nãq; ancipiti cogitatione Genij cælestes, cui potissimum honorem ac veneratione exhiberent, corpori, an animæ Mariæ? hancné comitarentur in cælos, an illud stiparent in sepulchro? Ascendebant videlicet hi, cæterosque ad corpus inspiciendum inuitabant, vnde carnem illam nouerant formatam, quam in Christo Rege suo eleuatam cernebant supraid omne, quod non est Deus: descendebant alij eas visuri reliquias, de quibus toto iam sermo percrebuerat paradiso. Quod S. Damascenus de dormit virginis indicat, vbi ait: *Elementorum mihi videtur factus esse motus & alteratio, laudes canebant Angeli, præcurẽtes, deducentes, consequentes.* Et certè si tã curiosé descendebant per scalas ad videndum eum Patriarcham, cui iam facta erat promissio, quòd ex eo Christus tandem aliquando nasceretur: maior illos attraxit pietas ad venerandum illud corpus, de quo iam natum adorabant Seruatorem. Sed an video vix triduò positum in sepulchro corpus commoueri, vitâque rursus afflari, sed iam cælesti, iam diuinâ? Longa nos vocat iterum series, magnus exspectat apparatus, celeriter hoc sepulchrum transeundum est. *Dilexit enim Virgo*, ait Ieremias c. 14. *mouere pedes suos, & non quieuit.* Violentus erat motus & contra cælestem Virginis naturam, quo de vitâ ad mortem, de terrâ ad sepulchrum descenderat: hærere ibi non poterat, neque diuturniore tempore commorari. Durum, si in aliud durum, itidem corpus impingat; moram non facit in reflexionis termino. Quid autem sepulchro duriùs? A Salomone canitur: *Dura sicut infernus* (sepulchrum) *æmulatio.* Et quid illa Isaiæ verba prohibet Virgini accommodari: *Meditata est in spiritu suo duro per diem æstus?* Sequitur ergo quod ait Dauid: *Non relinques animam meam in inferno*, sepulchro, legit Vatablus. Lunam ponebat sub pedibus suis resurrectura, celeritatis symbolum (quæ scilicet citius quam planetæ cæteri cursum suum absoluit) quia diligebat mouere pedes suos, & non quiescere, sed quàm citissimè deserere domum & speluncam mortuorum, atque habitare cum viuentibus.

Cant. 8.

Isaiæ 27.

Virginis Mariæ resurrectio accelerata.

Funerata erat, vti capite superiore vidimus, Phœnicis adinstar, radijs diuini amoris in nidulo suo, quem ex viuificis virtutum perfectissimarum vnguentis constructum erat: par erat, vti, Phœnicis adinstar etiam resurgeret. *In nidulo meo moriar*, nomine ipsius dicebat Propheta Iob, *& sicut palma* (vel potius, vt Phœnix) *multiplicabo dies meos.* Neque enim poterat, neque volebat mors diutiùs retinere Virginem, quam videbat omni ratione ad viuorum cælestium cumque consortia pertinere. *Si ad peccatores dicitur* (ita Origenes argumẽtabatur homil. 5. in Ieremiam) *terra estis, & in terram ibitis; quare non dicatur ad iustum, cuius est regnum cælorum, cælũ es, & in cælũ ibis?* Si Eua subiecta est ideò corruptioni, quia Dei mandatis subesse noluit: quomodo non omni corruptioni exempta, quæ Deo semper obtemperauit? quomodo mortis legibus addiceretur genitrix vitæ? quomodo à Filio separaretur in resurrectione, quæ ei adstitit in morte; & eadem passa est in mente, quæ ipse in corpore? Hæ rationes erant, quare non poterat eam mors diutiùs retinere, sed nec volebat: cupiebat enim se tam periculosâ sibi prædâ exonerare; & memor quanto suo cum damnò Filiũ accepisset, similia à Matre timebat.

ORIGENES.

Nec verò Alceiden me sũ lætatus eunt.
Accepisse lacu, nec Thesea:

dicebat apud Poëtam Charon, memor damnorum quæ ab illis acceperat. Ita modò timebat sibi Mors, reuoluebatq; ingentẽ istã cateruã, quæ apertis sepulchris ad vitã resurrexerat Christo moriente, & iam præsagiebit penè in ruinã suam euenisse hanc mortẽ Dei genetricis: itaq; se quantocyus onere isto liberare cupiebat. *Hanc mors*, inquit Damas. *aspiciẽs extimuit: eius enim Filiũ aggressa, didicit ex ijs quæ passa est: & cùm ipsa didicisset experientia fuit castigata.* Nec mirũ sit tàm citò, tamq; leui operâ Mariam excitari ex vmbrâ mortis ad vitæ gloriam: habet enim nescio quid cognationis cũ viuificatione virginitas. Animum ad geminã vitæ largitionẽ quæ in Scriptura narratur aduerte, & vigorẽ virginitatis facilè discesDAMASCE.

Virginitatis cum viuificatione cognatio.

Ezech.

Ezech. 37. inter ossa arida laborat spiritus, vt ea ad vitam reducat: & Genes. 1. Dominus producit protoplastum nostrum parentem de limo terræ, spirans *in faciem eius spiraculum vitæ*. Quàm leui spiritu hic producitur, at quantâ opetâ isti resuscitantur! *A quatuor ventis*, ait Propheta, *veni spiritus & exsuffla super interfectos, & reuiuiscant*. Quàm ægrè, quàm difficulter res peragitur! non vno, nec leui spirante vento, sed perstrepentibus ac resonantibus omnibus mundi angulis, horrifico ventorum conflictu illi resuscitantur. Cuius differentiæ ratio à S. Irenæo petenda est lib. 3. cap. 31. dicente: *Protoplastus ille Adam de rudi terrâ & adhuc virgine (nondum enim pluerat Dominus, & homo non erat operatus terram) habuit substantiam & plasmatus est manu Dei.* Si tantum potuit terræ virginitas, vt citò viuificaretur Adam, & tantum obstitit eiusdem corruptela per varias mixtiones atque alterationes inductas: quis miretur virgineam illam terram vnde formatus est secundus Adam, quę nullam vnquam suscepit mixtionem peccati, nec vir operatus est in ea, tam facili negotio surrexisse ad vitam, & tanto tempore buccinas illas, quæ resonare facient quatuor mundi cardines, præuenisse? *Quasi platanus exultata sũ*, canit Virgo de se: & de platano Ruelus cap. 118. ex Theophrasto, eam trunco securi dolato resurrexisse, atque noctu leuatam onere reuixisse, corticem iterùm conuestiuisse. En vitalitatis, seu promptitudinis virgineę ad resurgendum egregium symbolum, *platanus exaltata*: hanc circà tumulum eius plantemus, & nos conuertamus ad insignem eius, qui deinde celebratus est, triumphum.

IRENÆVS.

Eccles. 24.

CAPVT VI.

Triumphi & gloriæ in Assumptione magnitudo æstimatur ex hospitalitate, quâ Virgo excepit Filium.

QVOD S. Augustinus sibi euenisse scribit, quamdiu peregrinus adhuc & quasi hospes in sacris litteris versabatur, vt illæ siccum quid & aridum sonare viderentur iis auribus, quæ nil nisi vanitatem, vanissimo inflatam & exornatam verborum strepitu, percipere consueuerant: posteaquam verò mentem lucis melioris radio illustratam, abstractam à falsis Poëtarùm fabulis & inanibus Oratorum figuris, accuratiore consideratione rebus iis contemplandis dedisset, quibus sapientia diuina per sacras litteras verbis efficacissimis non tantùm mentem indubitatâ veritate pascit & reficit, sed voluntatem præterea mouet ac pertrahit ad faciendum ea, quæ intellectus rectè fieri cognoscit; ita se mutasse iudicium affirmat, vt friuola & puerilia omnia sapientûm sibi scripta viderentur, si cum eâ comparentur sapientiâ, quam Spiritus diuinus paginis istis verè sacrosanctis comprehendit. Idem illud aliquâ ratione hodie nobis vsu veniisse video. Cùm enim primo intuitu oculos in Euangelium coniiciebamus, vel nihil omninò, vel certè ieiúne nimis ac aridè de altissimis, quæ hodiernâ luce celebramus, mysteriis locutum fuisse conquerebamur: vbi verò paullatim magis magisque mentem & cogitationem adhibuimus ad indagandum quosnam Marthæ & Mariæ

De Assumptione B. Mariæ Virginis satis scribit Euangelista.

emblemate reconditos rerum ſubtiliſſimarum ſenſus propoſuerit; adeò grauis nos cepit querelæ noſtræ pœnitentia, vt, de quo myſterio vel ad Virginis honorem, vel ad honoris ſublimitatem, vel ad ſublimitatis ipſius magnificentiam nihil vnquàm dici poteſt ſatis, de hoc, ad ingenij noſtri capacitatem, ad exilitatem virium, ad eloquentię tenuitatem nimio iam pluſquàm ſatis dixiſſe ſacrę litteræ videantur. Aures, ſi placet, & mentem arrigite. *Intrauit Ieſus in quoddam caſtellum; & mulier quædam, Marthânomine, excepit illum in domum ſuam.* Quantus hîc ad dicendum campus aperitur, quanta ad amplificandum vis oſtenditur! Cùm enim duplex eſſet hoſpitalitatis officium: alterum, quo Virgo Mater peregrinum in terris Deum concluſo vteri virginalis ſui hortulo excepit; alterum, quo Filius Dei Matri ſuę hodie cælos ingredienti vicem rependit: atque vtraque non omnem ſolùm dicendi vim, ſed etiam Angelicam cogitandi facultatem ſuperaret: aliam quandam hoſpitis ſuſceptionem acutiſſimus Euangeliſta adduxit, ita ab hiſce diuerſam, vt cùm Marthę officia & ſollicitudinem, Chriſti verò benignam erga hoſpitem ſuam liberalitatem declaret, de Virginis aſſumptione, de Filij in eâ recipiendâ ſtudiis, de toto denique hodiernæ ſolemnitatis triumpho & apparatu nihil non cogitandum proponat. Quid enim, Deus bone! quid dicemus? quid cogitabimus? quid poſt omnem cogitationem, tacito quodã mentis ſilentio atque ſtupore admirabimur? cùm ſciamus quàm ſanctè, quàm ſtudiosè, quàm ſedulò Deum Virgo ſuſceperit; cùm nõ ignoremus quàm altâ, quàm generosâ, quàm diuinâ ſit mente præditus ille Filius, qui cum Patre Deo ab ęternitate amoris quadam contentione certauit, nec ſe vllâ ratione paſſus eſt ſuperari. Et quid? in certamine mutuæ hoſpitalitatis Matri cedet, cũ & vincere poſſit, & vtrique honeſtiſſimum ſit, Matrem ſuperari ab eo Filio cuius tota victoria nihil ſit niſi nobilior victæ triumphus? Quinimò ſi & hoc dixerimus, multis rationibus difficilem hanc Dei Filio exſtitiſſe victoriam; quibus eum ſtudiis occupatum fuiſſe, quâ induſtriâ laboraſſe, quâ vi omnes diuinitatis ſuæ, vt ſic loquar, neruos contendiſſe intelligemus, vt ſi quâ ex parte (quod mox oſtendemus) ſuperaretur à Matre, id infinitis aliis dignitatibus, fauoribus, priuilegiis ita excederet, vt tandem penes illum videretur ſtare victoria. Videretur, non otiosè dico. Virgo enim, cui nec ad animi demiſſionem, vt ſe victam fateatur; nec ad gratitudinem quidquam deeſt, vt vincentis gratiam agnoſcat; nondum herbam porrexiſſe in glorioso hoc certamine videtur. Audio enim, vel me ſenſus verborum fallit, quaſi de paritate etiamnum gloriantem: *In ciuitate ſanctificata ſimiliter requieui.* Quis non intelligit (quod S. Bernardus ſer. 4. de Aſſumpt. optimè annotauit) vocem hanc, *ſimiliter*, comparatione quâdam ad aliam quietem referri? eam nimirùm, quâ Virgo eadem dixerat: *Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo*; ac ſi iam triumphans exultaret, ſiue maximâ animi gratitudine diceret: Quàm ego Filij Dei in tabernaculo vteri mei quietem cumulaui multis & ad voluptatem ſolatiis, & ad dignitatem ornamentis; tam ille meam *in ciuitate ſanctificatâ* cæleſtis Ieruſalem viciſſim quietem magnis & multis exornauit gloriæ trophæis. Paria ſe accepiſſe fatetur, maiora non audio. Imò vis ampliùs dicam? Si paria accepit & omninò æqualia; accipere maiora non potuit: ſed ſi nec paria acceperit; hoc neceſsariò dicemus, ita Virginẽ comparationem inſtituiſſe, vt cùm vellet Deo eſse gratiſſima, videretque ſe capacem non eſse vt ea acciperet, quæ ipſa Filio ſuo contulerat; cõparationem eam fecerit, vt agnoſcere ſe oſtẽderet ita Filiũ deſideria ſua & capacitatẽ adimpleuiſse, quemadmodũ illa nihil Filio deeſse paſsa fuiſset. Dedit enim Virgo ſanctiſſima eam Filio in tabernaculo ſuo gloriam, cui, vt maximè voluiſset, parem ille *in ciuitate ſanctifi-*

Luc. 10.

Eccleſ. 24.

Chriſti cum Matre in rependenda hoſpitalitate contentio.

sanctificatâ Matri rependere non potuisset. Nec dubia sunt hæc, quia mirabilia; sed ideo accurate considerandа, quia & admirationem concitant, & eam, quam deinceps de Virginis triumpho & gloriâ concipere vos volo, imaginationem vehementer amplificant. Enimuerò, num dubitabimus an maior fuerit animæ illius gloria, quę tam mirabiliter Verbo diuino fuit vnita, vt quem ipsa hominem informaret idē Deus existeret, quàm ea omnis quæ possit cum eâ, quæ non sit nisi creatura, communicari? An verò illud fortè dubitauerit quispiam, num Virgo eam Filio dedisse gloriam censenda sit: cùm omnes fateantur, illi, qui dat quippiam cui & aliud magnum quoddam priuilegium necessariò annectitur, etiam priuilegium istud referēdum esse acceptum? Iam satis constat, licèt eam Christus gloriam in vtero Matris suæ à Patre acperit; tamen neque illam, neque ipsam suam, quâ habuit vt esset, substantiam accepturum fuisse, nisi virgo Mater ex sanguinibus suis & visceribus purissimis ei carnem communicasset & sanguinem. Quid si adiungamus & illud non leuis momenti ad amplificandam Virginis in recipiendo Filio officij magnitudinem: Quòd locus, vbi illa Deum hospitata est, longè cælum ipsum empyreum, quo illam Deus assumpsit, excellat dignitate? Quantam enim, putatis, vim habet ad pompam triumphi alicuius verbis amplificandam, (postquàm hominum studia, plausus, acclamationes ab inuitis hostibus expressas laudes, amicorum congratulationes attuleris) supra omnem fidem hyperbolica isthæc exclamatio: *lapides ipsi mihi, per Deum immortalem, plaudere, & parietes lætitiâ quâdam gestire & gaudio exultare videntur.* Quæ si nos hodiernâ die de gemmeis istis cæli empyrei parietibus dixerimus; nihil pro virginalis triumphi magnitudine supra modum quidem, aliquid tamen augendi gratiâ supra fidem dixisse videbimur. Verùm si nos ad tabernaculum, vbi Dei requieuit Filius, ad illud plusquam empyreum virginalis vteri cælum conuerterimus; nulla tanta reperietur hyperbole, quę vel modum possit vel fidem superare. Exultabat enim anima eius & caro in Deum viuum, locus ipse aduentum Domino gratulabatur, parietes verâ lætitiâ & gaudio exultabant: cælum illud ipsum animatum, sic Damascenus loquitur, sanctum illum, quem recipiebat, affectu, desiderio, amore prosequebatur. Colligite nunc in vnum quæ diximus, & cùm hinc generosam ac superari indocilem Filij Dei liberalitatem, inde verò bina Matris in eo recipiendo beneficia aspexeritis (quorum vnum propter diuinam dignitatem, alterum propter Matris conditionem æquare non potest:) existimate quid non fecerit, quid non excogitauerit ingeniosus ille amor, ne vel à Matre vinceretur liberalitate. Parum nunc erit, si dicam eam hospitij sui præmium, corporis accepisse resurrectionem atque immortalitatem: cùm illud cuiuscunque hospitij sui Seruator noster certum quodammodò soluerit vbique stipendium. Vix enim apud Martham & Mariam aliquantisper diuersatus erat, cùm illis fratrem per dies quatuor mortuum ac sepulchro inclusum, rediuiuum restituit. Nec opus est exemplis, cùm audiamus Iacobum Patriarcham filium suum Iosephum verbis quàm grauissimis adiurantem, vt corpus demortui in terram promissionis asportet. *En morior*, inquit: *in sepulchro quod fodi mihi in terra Chanaan sepelies me*: Et eundem Iosephū fratribus inter extrema mādata hoc vnicè commendantem: *Asportate*, inquit, *ossa mea vobiscum de loco isto.* Non tantùm (vt Nicolaus de Lyra) ideo, quòd cùm scirent in terra illa perpetrandam generis humani redemptionem, veluti mercatores strenui vellent officinam suam constituere circà viam regiam, vt plus inde ab vltro citroque commeante Rege Christo ad eos perueniret emolumenti ac lucri: sed vel ideo

In maiore gloriâ Christus acceptus est à Virgine, quam Virgo à Christo.

Christi hospitio accepti prę-mium, corporis immortalitas.

Genes. 50.

maximè (vti peracutè notat Abulensis) cùm altè in mentibus eorum ea insedisset opinio, nasciturum Seruatorem, hospitij sicubi reciperetur præmium daturum totius corporis resurrectionem atque immortalitatem; & prophetico spiritu scirent tantâ illum rerum omnium laboraturum penuriâ, vt nec in vita vbi caput reclinaret, neque locum post mortem esset habiturus vbi corpus reconderetur; voluerunt ibi magnifica sibi exstruere sepulchra, vt mortuum Seruatotem certatim ad se quisque inuitarent. Quod, vbi tempus aduenit, quàm studiosè fecerint, Euangelista Matthæus 27. cap. non prætermisit enarrare: vixdum enim mortis Domini mentionem fecerat, & addit: *Monumenta mortuorum aperta sunt.* Quid hoc est aliud dicere, quàm: Ecce tibi Patres illi, qui tot annorum centuriis in hoc temporis punctum quodammodò imminebant, hoc obseruabant, hoc exspectabant, occasionem præterire non sunt passi: sed subitò apertis sepulchrorum suorum ianuis quasi pro foribus consistentes clamabant quisque, vt ad se potissimùm Seruator diuerteret. Et Christus cùm omnium non posset adimplere vota; omnium, æquè atque si hospitium præstitissent, præmio affecit desideria. Nam subitò *multa corpora sanctorum resurrexerunt.* Ecce hospitalitatis, quod dicebamus, vulgare præmium, immortalitatem. Quod si hæc Marthæ pro vnius alteriusve diei Christi apud eam commoratione, si Patribus pro solo desiderio hospitij præstandi Domino, concessa sunt: nihil erit singulare in Beata Virgine, si eam (quod tota credit Ecclesia) ob tam singulatem Filij sui susceptionem, corpore & animâ receptam dicamus in cælos. Alia priuilegia, alia dona, alios triumphos suggerit Euangelium, quando innuit Virginem Mariam eâ vitæ actiuæ sedulitate quâ Martha, eâ contemplatiuæ sublimitate quâ Magdalena Christum susceptit, Dei Filio in viuo corporis sui tabernaculo præparasse hospitium: Filium verò elaborasse (testante D. Bernardo serm. 1. de Assumpt.) *vt cùm in terris locus non fuerit dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria susceperit; non esset etiam in cælis regali solio, in quo Mariam hodie sublimauit. Felix*, & nimiùm *felix vtraque susceptio; ineffabilis vtraque, quia vtraque inexcogitabilis.* Cuius enim inter homines tantum est acumen ingenij, cui Angelorum tanta intelligendi subtilitas, qui aliquid inuenisset, quo Verbum Virgo, Mater Filium, homo Deum, ita excepisset, vt is, cui nihil est impossibile vel difficile, vicem rependere in eodem quidem genere nullâ omninò ratione, in diuerso autem alio ægrè admodum posset? Et rursùm auditâ tam altâ, tam sublimi, tam ineffabili ratione quam Virgo adhibuit, quis non timeat vt paria Filius excogitet Matri? Etenim, vt quod sentio eloquar, actum est de illo, cessit Matri, nisi aliquid ita diuinum excogitet, quod cùm contulerit, nihil ipse possit ampliùs. O amor semper & vbique ingenioso! quid non inuenis, vbi pectus occupasti illius, qui sapientia est ipsius Dei Patris: eo præsertim tempore cùm premeris & quasi in angustum cogeris, vt te vel victum fateare (quod nec soles, nec potes) vel ea excogites media, quæ ne Deo quidem (audacter dicam) nisi sic presso & sic amanti venirent in mentem?

Bern.

Matth. 27.

Quid exspectatis Auditores? quonam mentes vestræ præuolant? quid inuenisse Dei putatis Filium? Numquamnè vobis in mentem venit admirari, quæ tantæ, tantique momenti ac ponderis rationes mouerint amantissimum Matris suæ Filium, cur is (qui tam liberalis est in communicandâ suâ gloriâ, vt ne quidem exiguam eius particulam potuerit in monte Thabor prælibare, quin tres discipulorum chariſſimos eius faceret participes) cùm iam post actos vitæ huius labores triumphaturus in cælos ascenderet, vbi deliciis ac voluptatibus omnibus expers doloris affluere t; Matrem adeò dilectam secum non assumpserit? eam præsertim Matrem,

Cur Maria cum Filio non fuerit assumpta.

Matrem, quæ & extrema omnia cum ipso passa fuerat, & sine quâ, quod infrà certis rationibus astruemus, nec ipse poterat omnibus perfectam numeris beatitudinem possidere? Cæteras, quæ ipsum mouerunt, rationes alibi tractatui huic inspergemus: vnam hîc Patrum nonnullorum confirmabimus sententiâ, vt paullatim quò deducere vos desidero, mente ipsi & cogitatione præuoletis. D. Anselmus lib. de excell. Virg. cap. 7. verba hæc profert plena mysterij:

D. Ansel. *Fortassis, Domine, ne tuæ cælesti curiæ veniret in dubium, cui potiùs occurreret, tibi videlicet Domino suo tunc primò regnum tuum in assumpta carne petenti, an ipsi Dominæ suæ in ipsum regnum, iam suum materno iure effectum, ascendenti.* Iis ergo gratiis, iis donis cælestibus, eâ maiestate, eâ gloriâ condecorare volebat in assumptione Matrem Filius, vt si vnà cum ipso cælos ingrederetur, tota cælestis curia dubiis distraheretur affectibus, an Dominum suum triumphantem omnibus coleret obsequiis, an verò se ad illam potiùs conuerteret, cui videret triumphatorem ipsum potiora omnia deferentem. Quid ergo? Zelotypia fortassis mouit Filium, ne quam ille præ omnibus exaltaret, ea præ se etiam ipso ab aliis honoraretur? imò hoc ipsum agebat, hoc est, quod ingeniosus illi amor suggesserat: Matrem tuam, quæ multis adeo te cumulauit in illo animato suo cælo priuilegiis, superare non potes, nisi Patrem ipse tuum cælestem viceris: & vinces, scio, si à Matris in cælos Assumptione Ascensionem tuam distinxeris. exhauriet enim, non dubito, pro suo in te affectu vires suas Pater, vt te è terris reducem post tot sui causâ exantlatos labores, omni quo potest honore accipiat, omnibus cumulet beneficiis quæ à tam potente, tam beneuolo possunt amore exspectari: ibi tu, postquàm omnia accuratè obseruaueris, facilè inuentis addes aliquid, quo Matrem maiore pompâ & solemnitate in cælos recipias, quàm ipse fueris à Patre honoratus. *Vicisti, Iesu Nazarene, vicisti*, si huic fueris consilio obsecutus. Quod an fecerit, S. Petrus Damianus non finit dubitare: illo enim, quem de Assumptione habuit, sermone sic ait: *Attolle iam oculos ad assumptionem, &, salua Filij maiestate, inuenies occursum huius pompæ non mediocriter digniorem, quàm sit in Christi ascensione: soli quippè Angeli Redemptori occurrere potuerunt.* Petrvs Dam. Angelis addam, si placet, Patrem ipsum cęlestem eâ, quâ Deum & Patrem decebat, grauitate è solio suo quodammodò progressum, vt tot spoliis ditato, tot insigni victoriis, tot claro triumphis Filio, post triginta quatuor annorum absentiam, reditum tam glorioſum gratularetur. *Matri verò*, pergit Damianus, *cælorum palatia penetranti Filius ipse cum totâ curiâ tam Angelorum quàm iustorum occurrens, euexit ad beata consistorium sessionis.* Quod confirmat S. Anselmus suprà: *Prudentiori consilio vsus præcedere illam, quatenus ei locum immortalitatis in regno tuo præpares; ac si comitatus totâ curia tua festiuiùs ei occurreres, eamque sublimius, sicut decebat tuam Matrem, ad te ipsum exaltaret.* Negligo totam illam Angelorum iustorumque ordine pulcherrimo distinctam multitudinem, quæ mirâ quâdam, quam Christi triumphus non habuerat, oculos menteſque recreabat varietate. Non finit me ordines distinguere, describere gratulationis, lætitiæ, gaudij, quæ manibus gestant, insignia: subtilia illa, quę virtutis, magnificentiæ, gloriæ Marianæ ad passus singulos cælo inscribunt, emblemata accuratiùs contemplari non sinit stupor ille, qui (vbi se in binas hinc inde classes diuiserunt agmina, ac Dei & Mariæ Filius ab ipso cæli limine, Matrem sibi quam molliter, tam magnificè innitentem per medium deducere, ac paullatim ad præparatum ei solium promouere incepit) totam illam cælestem curiam ita occupauit, vt omnium oblita, defixo in præcedentes intuitu, nihil aliud quàm verba hæc taciti primùm secum, deinde inter se mutuo reperent: *Quæ est ista, quæ ascendit innixa super dilectum suum?* Quę est

ista? Mariam nouimus, quę homines, quæ Angelos, quæ Cherubim & Seraphim longissimè excellit dignitate: illi in cęlos aduentum gratulaturi descendimus: sed quænam est ista, *quæ ascendit innixa super dilectum suum*? quid cernimus? quid videmus? scimus ita ordinatum esse à Conditore suo Deo, vt ea quę perfectiora sunt, rudioribus & imperfectioribus innitantur: *Domini enim sunt cardines terræ, & posuit super eos orbem* : & super orbem tandem cęlestem nos spiritus mentesque beatas collocauit: Quæ ergo est ista, quæ dilecto suo, Deo innititur? Numquid, ne in re tanta erremus, Patrem noscimus & adoramus? Filius, qui in sinu est Patris, ipsi Patri ęqualis & consubstantialis, ille est qui per nos medius incedit. Spiritum sanctum ab vtroque procedentem clarè intuemur. quænam est ergo ista, quæ Dei Filio innititur, quæ sinu eius excipitur? Loco vtique (cùm sinus Filij, Patris ipsius quo Filius residet, sinui non sit inferior) per omnia isti æqualis, quo residentem Vnigenitũ Dei Filium quotidie adoramus. Quęnam est ista? an creatura tãtùm? an aliquid diuinitatis in ea reconditum? nec enim creaturam Deus honore aliquo prę se eximio extolleret. Et rursùm, quænam alia esse potest præter illam, quam in Patre, Filio, & Spiritu sancto adoramus, diuinitatem? Benè habet cælicolæ, bellè hâc dubitatione vestrâ Matri triumphum, Filio victoriã gratulamini. Hæc est, nec dubitate, hæc est Maria: creatura est, & creatura tantùm: sed interim ea est, quæ admirabili dilectionis certamine ita sibi Dei Filium obligauerat, vt nisi ad ea ipse procederet quæ hanc vobis dubitationem iniicerent, victus è certamine discedere videretur. Ad diuinitatem quàm poterat proximè eleuare debebat eam, cuius vnico ipse verbo, *Fiat mihi secundùm verbum tuum*, eam acceperat, quam Deum habere par erat, gratiam atque gloriam. Toto eam honorare debebat conatu, quæ, dum illum hospitio exciperet, omnes intenderat ingenij neruos, omnes expenderat voluntatis vires, omnes adhibuerat corporis animęque facultates. Atque ita intelligemus veram esse Mariæ lætabundæ, gratias Deo agentis, vocem: *In ciuitate sanctificatâ similiter requieui*; non gloriæ, cuius ego capax non eram, sed affectûs conatûsque similitudine: quemadmodum enim ego nihil omisi eorum, quæ & cõferre poteram, & sciebam Dei Filiũ non dedecere; sic idem ille meus & Dei Filius, quando vicissim me excepit hospitio, plura accumulasset beneficia, si plura excogitare potuisset, quorum ego non incapax fuissem. In quo cùm ipse haud paullò me fuerit ingeniosior; non inuita fateor, me, cùm quantum poteram & debebam conata fuissem, minus tamen quàm illum decebat effeciisse: illum verò, cùm pari ratione quantum poterat conari non posset, plus tamen aliquantò, quàm ego merueram, contulisse. Ite nunc, & de Euangelio, quòd nihil de Virginis triumpho & gloriâ proposuerit, conqueremini: cùm verbo hoc vnico, *Et mulier quædam Martha nomine excepit illum* hospitio, plus proposuerit, quàm assequi possent omnes omninò cogitationes vel hominum, vel Angelorum. Quod cùm iam demonstratum sit satis, aliud ego ex proximè allatis Mariæ verbis accipio, vnde possimus aliquâ ratione ad imaginandam eius gloriam aspirare. cùm enim Deus merita nostra supra condignum, vt ipsa fatebatur, & vno consensu Theologi docent, recompenset; per meritorum gratiarumque Marianarum multitudinem, glorię ipsius excellentiam rimabimur.

CA-

CAPVT VII.

Gloriæ, quam Virgo assecuta est, magnitudo, ad meritorum eius mensuram exigitur.

NON fortiori argumento, neque certiori, quàm capite superiore fecerimus, hîc ostensuri sumus omnem cogitationem superare eam, quam hodie adepta est Maria, gloriam. Sed quam ibi liberalissimâ Dei generositate mensi sumus, hîc ad merita ipsius Virginis, mensuram profectò non multò inferiorem, exigemus: vt cùm viderimus id omne, quod ibi gratis quodammodò datum imaginabamur, meritis ipsius debitum fuisse; tum nouâ mentis exercitatione ista omnia transiliamus, quæ hactenus cogitando assecuti sumus: atque ita statuamus, cùm plus etiam debitum fuerit, quàm adhuc mens nostra capere potuit; infinitum quiddam esse præterea quod ad iustitiam liberalitas tam generosa, tantis studiis prouocata, adiecerit. Porrexit hanc meritorum mensuram, vt eâ gloriam metiamur, S. Ildephonsus serm. 23. de Assumpt. *Sicut est incomparabile quod gessit, & ineffabile quod percepit; ita est incomprehensibile præmium gloriæ quod meruit.* Pergit sequenti sermone: *Et ideo apud Dominum quantum pensanda sunt eiusdem merita vel cogitanda præmia, puto quod nemo est qui ad purum ediserat, nisi qui potest verè perpendere qualis vel quanta sit illa gratia, quâ repletur ipsa, per quam venit in mundum Dei maiestas.* Sed quid hoc, quod me adhuc in limine, imò littore consistentem exterret S. Bernardi vox? quâ citiùs nos immensam oceani vastitatem enauigaturos, quàm meritorum Virginis magnitudinem explicaturos innuere videtur, dũ ait: *Congregationes aquarum vocauit maria; congregationes verò gratiarum vocauit Mariam?* Gratiis autem merita respondent in illâ, in quâ gratia Dei nulla vacua vnquam fuit. Verùm S. Bonauenturæ cùm alia plurima, tum vel hoc debemus, quod hîc manu quodammodò nos prehendat; atque ab istâ immensitate, quæ oceani instar totâ simul obiicitur, abductis modum aliquem suppeditet, quo vsi, initium saltem dicendi inuenire possimus, quamquàm de fine desperationem potiùs etiam ipse, quàm spem vllam ostentet. *Cogitandum est*, inquit, S. Bonav. *quod Mariam egredientem, progredientem, ingredientem, & supergredientem inuenimus. Egressus est naturæ, progressus gratiæ, ingressus gloriæ, supergressus abundantiæ. Egressa est nascendo, progressa est proficiendo, ingressa est perueniendo, supergressa est omnes Sanctos excedendo. Egressa est sine peccato, progressa est sine exemplo, ingressa est sine obstaculo, supergressa est sine termino.* Id mihi visus est dicere de meritis B. Mariæ Virginis verba facturo: Ne maris vastissimique oceani comparatione te perturbaueris: fluminis potiùs adinstar eam considera, cuius nimirùm fontem & originem cetò sis reperturus, atque huius deinde ductum secutus, alueum latissimum quidem, & cui nullum est simile in fluminibus cæteris, alueum tamen ripis suis contentum reperies: qui deinde omnibus diruptis obstaculis, mare, vnde oriebatur, tot aquis tumidus ingreditur, vt tandem fine carens ac termino cuncta supergressus, latissimè sine obice, sine ripâ, sine limine, sine littore dominetur. Cõspirat in hanc sententiam Psalmista Regius, Psalm. 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*; id est, Virgo in Assumptione suâ instar fluminis rapidissimi cælos ingressa, totam istam Sanctorum ac cælestium spirituum congregationem mirum in modum impetu suo oblectauit. Atque vt clariùs intelligas, non aliud eum intendere; simul & de quo flumine loquatur, & vnde

S. Ildef.

Mari & flumini comparatur Maria.

Psalm. 45.

illi

illi impetus, paullò infrà subiungit: *Sanctificauit tabernaculum suum Altissimus; adiuuabit eam Deus manè diluculò.* Examina, hoc dixisse reperies: Fluuius ille, quē aquis limpidissimis, rapidissimo cursu, verticibus musicum nescio quid insusurrantibus, impetu maximo ciuitatem Dei ingredientē, atque ibi omnes supergressum, singulos nouâ voluptate perfundentem, ipsum Filium Dei (eius desiderio languidum) refrigerantem admiramur; idem est cum isto *tabernaculo*, in quo fons aquarum viuentium mensibus omninò nouem requieuit, tantaque gratiarum copiâ perfudit, tot sanctitatis venis irrorauit, tot fœcundauit fontibus meritorum, vt vix miranda sit tanta aquarum abundantia, maximè si illud consideres, quod *adiuuabit eam Deus manè diluculò.* (de re futurâ loquitur, nos tanto tempore pòst certi iam prophetiam adimpletam fuisse, in præteritum vertemus)

Progressus B. Mariæ virginis in gratia & meritis.

Sensus est ergo: Non ego velim existimes, tantam aquarum vim & copiam, tantos fluminis illius impetus subitò in tantos æstuare vortices, vt ripas omnes & littora perfringat; sed illud vide, quàm largo à fonte ducat originem, quot deinde ad singula passuum interualla auctus vndequaque influentibus aquis, omnes secum voluat & rapiat, donec ad eam excrescat, quæ nullâ iam mensurâ definiatur, magnitudinem. Age, mecum ad fōtem deuoluere: *adiuuit eam Deus manè diluculò.* Ab aquarum similitudine, quod Scripturę familiare est, ad lucis comparationē digreditur. Sensus igitur est: Non tantùm mane in ipsa Natiuitate (quando vteri materni superato horizonte, lux eius mundo expositа manare poterat ad omnes) sed multò manè, in ipsa Conceptione, adhuc materni corporis obuoluta nubeculâ, nondū orbem hunc nostrum ingressa, auxilium experta diuinum est. Quando nonnisi siccæ cæteri mortaliū & aridæ sunt lacunę, peccati originalis importuno perusti calore; hæc iam tantâ abundabat gratiarum copiâ, quantam maxima etiā flumina ostiis suis non deportant in mare. Iam verò in Præsentationis & Purificationis mysteriis, quæ in templo peragebantur (loco ad quem naturaliter donorū cælestium flumina deriuantur, secundùm illud, *Suscepimus Deus misericordiam in medio templi tui*) quantum putamus factum esse ad priora augmentum? Rursùm in festo Exspectationis, quādo ipsa Virgo cælum rogabat aquas, *Rorate cæli desuper*, quàm largum pietatis imbrē in sinum eius depluisse arbitrabimur Deum, qui tantâ abundantiâ omnia eius desideria præuenerat? Eia, fluminis excrescentis paullatim ripas legamus. Ecce incarnationem Domini: hîc ne intellectui quidem, nedū pedibus transitum inueniemus, vbi in flumen nostrum gratiarum, mare immensum earundem illabitur. Et quid? an flumen non redundabit? *Omnia*, admirabūdus exclamat Sapiens, *flumina intrant in mare, & mare non redundat.* Vice versâ: Mare totum, & mare tam immensum flumen nostrū ingreditur, & flumen non redundabit? alueo suo non egredietur? lectulo suo continebitur? non continetur: egreditur, redundat. Audio enim alibi quā in loco suo murmurantes eius aquas, *Ecce ancilla Domini.* Hoc extrà viam est: ripæ enim, quibus hactenus aquæ continentur, materna est dignitas: quidquid ancillam sonat, matrem non decet, matrem non tangit: nisi fortè studio ac ingenio suo, id quod suspicor, immensam hanc fluuius ipse fecerit lacunam, vt cùm videret infinitam ad se deuolui diuinitatis abūdantiam, infinitam ipse præparārit aluei sui profunditatem, subitò desiliens à Dei Matris dignitate ad ancillę humilitatem. Sed ego, dū ista repletur profūditas, ad Visitationem pergo: hîc nouus ruit gratiarum impetus, nouo ingenio noua abyssus effoditur: repleta est lacuna ancillæ Domini, ecce famula fit seruorum: & adhuc profunditas tanta cùm sit, repletur, ac etiam alueo suo egreditur, & totam latè rigat Elisabethæ domum. Si ita ad Natiuitatem Domini, ad Circumcisionem, ad Passionem, si ad singula vitæ Christi & Virginis momenta

momenta perrexerimus; non solum vires destituent nos ambulantes, sed dies etiam deficiet singula enarrantes flumina, quæ momentis singulis vehementissimà aquarum vi vnum hunc auxerunt fluuium, qui tanto hodie impetu *lætificat ciuitatem Dei.*

Eò ergo progressi, vbi rursum metas nullas, terminum nullum reperimus, redeamus in viam: & fluuius iste (cùm quantus sit capere non possimus) qualis sit, quâ formâ, quo constet aquarum genere, videamus. Atq; formam contemplantibus statim initio gemino sese offert diuisus amne, quorum gratiarum vnus, alter gloriæ voluit vndas. Verùm de hoc gloriæ (qui subterraneis deuolutus itineribus, vix vsquàm profert caput) an continuo voluatur flumine, an verò sæpiùs perditus interruptis iterum atque iterum nascatur fontibus, paullò videbimus inferius: illum qui patet oculis, cuius amicos susurros vsurpamus auribus, cuius vndas dum libet manibus hauribus, Gratiarum virtutumque aquis scaturientem riuum contemplemur. Innuit Euangelica lectio rursus istum duobus diuisum brachijs, per varios flexus atque mæandros vndique haurire aquas, vnde istum colligat impetum, quo rursum simul iunctis alueis & viribus in paradisum delatus, *lætificat ciuitatē Dei.* Martha enim & Magdalena, vide, quàm diuersis incedant itineribus: quantis vtraque augeatur meritis: quàm eundem collineet in scopum. Vt non immeritò, dum illas B. Mariæ virginis Actiuam Contemplatiuamque vitam interpretamur, bina fluuij nostri imaginemur brachia: quæ cùm singula per se sint maxima; nullibi tamen, quàm sic in Virgine coniuncta, vim potuerunt habere maiorem. Hinc enim actiua à contemplatiuâ exstimulatur: inde verò hæc ab illâ lumen quodammodò & vires accipiebat. Si circà Filium suum agebat quidpiam, obiecto seruiebat suæ contemplationis: in contemplatione verò eius fruebatur dulcedine, cui per Actiuam suauissimè famulabatur. Quo vtroque in genere hoc maximè notandum occurrit, quam non interrupto cursu se se, contemplando, agendoque exercebat. Si enim grauissimis Theologis fidem habemus; ne somnus quidem contemplationem eius, raptusque, atque extases interrumpebat. *Ego dormio* (de se ipsa loquitur sponsa in Canticis) *& cor meum vigilat.* O somnum verè nobilem! ô quietem perfectissimam! vbi ea sopiuntur, quæ (quòd corporalibus constent instrumentis) vti fatigantur & vsu ipso atteruntur, ita quiete indigent: mens verò, quæ libera omnibus istiusmodi impedimentis non potest lassa laboribus succumbere, euolat ad res diuinas eò iam altiùs peruadendas, quo minùs obstrepentium corporalium organorum tumultu distrahitur; eo suauiore gustu delibandas, quo minus amaro terrenorum passionum sapore spiritualis facultas inficitur. Tribuit hoc sanctis quàm plurimis D. Ambrosius Epist. 60. dum somnum eorum operarium vocat: *est enim sanctorum somnus operarius.* Adamo verò S. Augustinus & S. Bernardus somnum eiusmudi exstaticum concesserunt. Sed de Virgine omnium subtilissimè Scotus, in 4. distinctione 45. quæst. 1. & in . dist. 3. quæst. 5. eò disputationem deducit, vt affirmet necessitatem illam & miseriam, quæ ita nobilissimas animi facultates astrictas detinet, vt nihil agere, nihil operari valeant, nisi organis corporalibus (crassis profectò pro earum subtilitate instrumentis) vtantur; non ex ratione humanæ conditionis, sed ex pœnâ peccati originalis existere. Quod si ita est, vti vero non est absimile; Deus bone! quantus ad merita B. Mariæ Virginis accedet cumulus. Cum enim illa tam fuerit remota ab omni pœnâ, quàm longè abfuit à culpa peccati originalis; necessariò conficitur mentem eius liberam in operando exstitisse à corpore, ac proindè nunquam contemplationes illas altissimas, nunquàm ardentissimum istum, quo flagrabat, amorem interrupisse: adeò vt ab originis suæ primo instante ita Deum amauerit, vt amor iste, non dico in dies singulos, non in horas, non ad breuissima quæque temporis spatia, sed sine vlla intermissione, sine vllo temporis interuallo, sem-

Actionis & Cõtemplationis in virgine Deipara conspiratio.

Virgo in operationibus mentis à corpore independens.

per incrementa sumeret vsque ad illud punctum temporis, quo anima migraret ex corporis hospitio, in quo fuerat liberrimè conuersata. Quo quidem tempore non intermissum ego dico fuisse diuinum istum amorem, sed obscurâ fidei cognitione in claram Dei visionem commutatâ (si quidem, quod infrà videbimus, anteà visione beatificâ non fuerit illustrata) etiam amor iste idem id sumpsit puncto temporis augmentum, quo totâ perseuerabit æternitate: Ita vt verissimè de ea dicatur, quod optimam contemplationis amorisque diuini *partem elegerit, quæ* nec somno, nec morte *auferetur ab eâ* in æternum.

Nunc, si placet, postquam per ripas fluminis huius discurrendo, formam eius & riuulos inuestigando, indagando quibus gratiæ & gloriæ, quibus actiuæ & contemplatiuæ vitæ fluat vndis, non dubito quin te mirum in modum difatigaueris; ad latus eius aliquod molliter resideas, atque otiosè quot ripa suâ numeret arenulas, vel quot vndis aquæ voluat guttulas, computare aggredere. Nam quid in me oculo inter indignationem admirabundo respicis? quasi verò rem ego tibi difficilem imperauerim. Imo verò inquis, impossibilem prorsus, & quam nonnisi mente captus aggrediatur. Atque hîc ego te teneo, hîc sis mente nimirum præsens & animo, & quo rem deducam vide. Arenas littoris etiam vastissimi, aquæ guttas etiam maximæ, fieri potest vt dinumeres, cùm & quantitate certâ constet totum quod mensurandum assumpseris, & certam quandam ad totum istud habeat proportionem quælibet eius vel arenula vel guttula: atque ita, si Mathematicâ quâdam ratione faciliorem reddideris supputandi modum, facilè ad exitum perduces id quod iam videbatur impossibile. Corpus etiam cubicum, exempli gratia, digiti latitudine, si arenis impleueris, easque dinumeraueris; peractus erit præcipuus huius operationis labor. Facilè enim supputabitur quot eiusmodi cubica corpuscula pes continet, quot pedes virga; deindè miliare vnum quot virgæ constituant; ac dein ad quot milliaria cãpus vellittus dimetiendum extendatur: atq; ita singula accuratius supputando, exiguo labore maximus habebitur arenarum numerus. Idem fiet in aqua, si primum constitueris cuius magnitudinis guttas volueris computare. At verò meritorum B. Mariæ Virginis quænam iniri ratio, quæ supputatio haberi poterit? vbi enim illa semper quicquid habet gratiarum, totis inpẽdit viribus, ita vt pars nulla eius quod habetur maneat otiosa; & ea diuinæ bonitatis sit liberalitas vt vbi quis talenta quinque impenderit, in præmium laboris quinque addat alia: Quis rationem inibit meritorum semper sine intermissione sic ad duplum crescentium, vt nunquam citiùs verbum feceris, quàm iam alterum tantum ad id, quod computare institueras, accesserit? Quam computandi rationem si solummodò per septuaginta duos vitæ eius annos ita inuerimus, atq; si quotannis solummodò semel auxisset merita; tamen immensum esset merita; tamen immensum esset, quò istæ, quas initio Conceptionis suæ habebat, gratiæ excrescerent: quæ cùm maximos Sanctorum vel tunc superarent (fundamẽta enim eius in mõtibus sanctis) vel eâ ratione initâ, iam pænè omnia omnium sanctorum simul iunctorum superaret merita. Iam cùm annis singulis dies habeamus 365. toties suâ iterum proportione excresceret numerus. Dies in viginti & quatuor spatia diuidas æqualia: iam licet characteribus describere possimus quis indè exsurgat numerus; non tamẽ assequitur cogitatio nostra qualem nam hoc faciat multitudinem: & cum multitudo sit determinatarũ gratiarũ, toties iam Virgo nostra excellentissimas illas, quas in Conceptione suâ acceperat, habebit gratias, quoties numerus ille, quẽ nos neque exprimere, neque nominare possumus, continebit vnitatem. Da iam horis singulis sua momenta & momentis singuls in infinitum adhuc diuisibilia spatia, quorum nullo vel ab operando Virgo, vel à gratijs largiendis Deus absistebat. Iam videbitis non amplificandi gratiâ toties me repetere, Omnem cogitationem superare eam gloriam, quæ talia adæquabat

Merita B. Mariæ Virginis in supputabilia.

merita

merita. Nolo vos accuratius supputando fatigari, sed admirando potius tanta merita, congratulando Virgini tantam gloriam, exultare cum illa, de cuius Assumptione gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei.

CAPVT VIII.

Eadem Gloriæ magnitudo triplici ratione probatur.

TOT vndique rationes affluunt, vnde infinitudinem quandã gloriæ Marianæ colligamus, vt meritò timuerim né semel incœpta finem non inueniret oratio: actum est enim, viribus nostris & lectorum patientiâ abutemur, si singula tangere velimus. Quare, vt modum aliquem & finem orationi isti faciamus, quàm poterimus breuissimè reliqua percurremus, & delibabimus tantum, non explicabimus. Vereor tamen, vt me in aureâ Laurentij Iustiniani sententia contineam, qui rationem reddens cur tanto Mariam tempore post ascensionem suam Christus hic in terris superesse voluerit; ita Filium Matri facit loquentem: *Satis vota tua distuli, satis te à regno meo abesse permisi: non vt te negligerem, nec vt desideria tua contemnerem; sed vt cumularem merita, affectum accenderem, potensque in te exemplum alijs monstrarem.* Prætereo tantam Filij Matri suæ blandientis atq; se excusantis suauitatem: non licet indulgere affectibus: vim tantum, energiamque verborum istorum annoto, *vt merita cumularem.* Attendite quæso, diligenter ad rationem hanc dilatæ Assumptionis. Estné Maria, illa, quæ maximis sanctorum æquales in conceptione sua gratias cum adepta esset, eas omni vitæ suæ tempore auxit eâ ratione, quâ capite proximè superiore vidimus; quæ decimotertio ætatis suæ anno merebatur, vt Mater esset Dei? quæ dignitas tanta est, vt infinita propemodum debuerint esse merita, quæ aliqua ratione ad eam etiam de congruo merendam, vt loquuntur, accederent? Estné hæc, quæ fontem omnis gratiæ nouem mensibus suis clausit visceribus? quæ trium & triginta annorum spatio ita cum illo conuersata est, vt quicquid velles gratiarum donorumq; cælestium non tantum impetraret, sed etiam pro iure materno, ne recusaret, imperare posset? Postremo, estné hæc, quæ prope crucem, vbi pendebat Filius, animo constantissimo persistens, eodem afficiebatur, quo Filius martyrio: quo in actu plus, vna colligebat meritorum, quàm omnes omnino Martyres in omnibus suis congregarunt tormentis? Et quidnam denique significant post ista omnia, verba hæc, *vt merita cumularem*? Ergoné tantam, amantissime IESV, Matri tuæ præparaueras gloriam, vt parua essent comparatione illius ea, quæ commemorauimus, merita? Calculi istius, quem capite superiore subduximus, memores estote, & statuite, quid existimandum putetis de eâ gloriâ, ad quam intelligitis omnia illa, tanta atque tam singularia, quæ tempore mortis Christi ab ipso Conceptionis momento possidebat, merita, nullam proportionem habuisse: vt quatuor prætereà & viginti plus minusue opus fuerit annorum spatio, quibus illa adhuc in infinitum augeret, quo paria essent isti coronæ, quam ipsi ab omni æternitate præparauerat Filius. Atque eandem pænè vim habent quæ Iustinianus subnectit verba: *Vt affectum accenderem*, atque accendendo, cor desideriaque ipsa deducerem atque dilatarem. *Quæ retro sunt obliuiscens,* ait Paulus, *ad anteriora me extendens, ad destinatum persequor brauium.* Vbi S. Augustinus: *Quæ retrò sunt oblitus, in ea quæ antè sunt extentus secundùm intentionem maiorem, sequor adhuc ad palmam supernæ vocationis Dei.* Ergo oblita eorum quæ peregisset Virgo, ad capiendam palmam & gloriam sibi præparatam, extendere atque capaciores reddere debebit cordis sui angustias. At quales angustias? eas nimirum; quibus illa Verbi diuini immensitatem, quibus, Spiritus sancti infini-

LAVRENT. IVSTINIA.

Philip. 3.

S. AVGVS.

tam tot incendijs dilatatam magnitudinem, ceperat. Hæc iam nimis adhuc arcto erat pectore, hæc non ampla satis habebat desideria vt eam caperet, quam Filius illi gloriam destinauerat. Ego igitur frustrà eam verbis definire conabor, quæ tantis non potuit desiderijs circumscribi.

Sed an mensuram suppeditat Apostolus, ad quam B. Mariæ virginis gloriam exigamus? eam scilicet, quâ ipse Filij Dei tantò maiorem gloriam dimensus est: *Sedet à dextris maiestatis in excelsis, tanto melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui vnquam Angelorum dixit, Filius meus es tu?* Optima ratiocinatio. Si dignitati respondet gloria; & necessario quantum inter filium & seruum interest, tantum debet Christi à summis Seraphinorum distare gloria; numquid idem valet in Matre? numquid infinitum quoddam est dignitatis inter seruam & matrem interuallum? An non putatis, quod Booz messoribus, idem Filium Dei Angelis in mandatis dedisse? Imperabat vir ille diues operarijs suis, de industria spicas nobiliores omitterent, vt ijs Ruth (quæ illorum legebat vestigia, quamque ipse iam sibi in vxorem destinauerat) frueretur. Eâdem ego ratione arbitror Dei Filium (cui ex etymo Booz nomen, quod idem est ac *virtus Dei*, optimè conuenit) dum Angeli pro se quisque sibi deligebant præmia, disertè mandasse vt potiora atque præcipua omnia suæ Rutth, (quod *Saturatam* significat, siue *plenam*) id est, Matri suæ, quam quotidie gratia plenam salutamus, relinquerent: cùm enim hanc sibi designasset Matrem, conuenientem ei dignitati gloriam prædestinauit. Ex quo argumento ego vlteriùs non improbabiliter, vt mihi quidem videtur, conficio, non solum Angelorum singulos, sed omnes etiam simul iunctos & Angelos & homines beatos à Mariâ superari maiestate & gloriâ. Omnes enim simul congregationem quandam constituent multò iam digniorem, quàm singuli erant per se; ea tamen dignitas, quanta quanta est, nunquam accedet ad maternam excellentiam: nunquàm ergo simul omnes eam possident gloriam, quæ vnius est Matris. Nec est quod Angeli hanc Matri dignitatem inuideant, cùm eam illis Filius abundè suâ compensauerit humilitate, quando se adeò infra illorum conditionem abiecit, vt hominis assumeret vilitatem. *Longe enim ampliori miraculo*, inquit S. Bernar. *dignum videtur Dei Filium paullo minus ab Angelis minorari, quàm Dei Matrẽ super Angelos exaltari.*

Heb. 1.

Tertium argumentum, quo toties iam inculcatam probemus gloriæ immensitatem, ex Ioanne eruitur. Ille enim, postquàm commẽdatam sibi Virginem, commendationemq; acceptã à se his verbis narrasset, *Et ex illa hora accepit eam in suã*; statim subiungit: *Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt &c.* Quæ verba videte qualis mihi occasionem præbent cogitationis. Pendebat ab arbore istâ infami per tot tormenta exhaustus Dei Filius: membris singulis & inflicta erãt paullò antè, & etiamnum sua hærent supplicia: sensuum nullus vacabat: Tactui crux grauis erat & claui, Auditus percipiebat execrandas blasphemias, Olfactum cruciabant fætidissimæ Pharisæorum saliuæ, nec fel acetumque deerat Gustui. Sed Visus, sensuum nobilissimus, quo tormento cruciaretur? eo nimirum, quod vnum omnium erat grauissimum. hoc vacante, consummata non erant supplicia: nullus erat dolor omnis, nisi hoc omniũ acerbissimo dolore compleretur. Igitur Mater se videndã obtulit: cuius in vultu & corde cùm omnium flagrorum vibices, omnium vulnerum suorum stigmata, omnium tormentorum expressa cerneret vestigia; redibant ea scilicet ex istâ quasi reflexione ad cor Filij vehementiùs, & attritione quâdã inter se conflictantes vtrimque dolores foculum quendam constituebant in corde Iesu, qualis ex repercussis solet existere corporis luminosi radijs. Qui dolor cùm tã viuaciter cor eius punxisset, vt, mea quidem opinione, nec inter cruentos sudores in horto, nec, inter sanguinis torrentes in columnà nec in coronatione inter ignominiosissima supplicia quid sẽserit, quod huius superaret

Bernar.

Ioan. 19.

acer-

acerbitatem; tum scilicet sciebat *quia omnia iam* erant *consummata*. Quid si & hoc existimare liceat, vnicum tormentum istud, quod ex Mariæ aspectu hauriebat in cruce filius, omnes simul iunctos superasse cruciatus, quos tota passione subiuerat? Amabat enim illam eâ teneritudine, vt se mallet quàm Matrem perpeti: eâ appretiatione, vt non tanti faceret reliquum omne genus humanum, quanti vnam hanc æstimabat Virginem. Quid autem iam proderat, cum morte suâ multos inferni cruciatibus eximere mortales, cùm Matrem, quæ ipsi omnibus erat charior, hâc ipsâ suâ morte tot afficeret tormentis? in quibus ipse & à Patre destitutus omni solatio, & à Matre hoc nouo auctus supplicio, cùm aculeum istum, omni mortis stimulo acutiorem, sensisset; tùm demùm cognouit *consummata* ea supplicia, quibus maiora Pater eum noluerat experiri. Sed quorsùm hæc in tam lætâ solemnitate? quorsùm luctus in conuiuio, tormenta in triumpho? vt scilicet intelligatis, huic dolorum omnium coronidi respondere debere quâdam in cælis gloriæ consummationem, quam, si Guarrico Abbati credimus, ante Mariæ assumptionem nondum acceperat in cælis Christus. Sic enim inducit illum Matri loquentem: *Veni igitur electa mea, & ponam in te thronum meum. Non imprimam labia labijs, sed spiritũ spiritui osculo perpetuo & indissolubili, quia concupiui speciem tuam: etiam desiderantiùs quàm tu meam. Nec satis glorificatus videbor mihi, donec tu glorificeris.* Vbi non supinè legenda videntur illa: *Concupiui speciem tuam etiam desiderantiùs quàm tu meam.* Quæ ego ex supradictis sic interpretor: Ego in cruce extensus magis afflictus fui dolore tuo, quàm tu passione meâ: imò tristitia illa, omnium quas vnquàm sensi grauissima, finis & consummatio fuit omnium dolorum meorum: æquum ergo est, vt in cælis gaudium meum aliquâ compleatur lætitia, quæ dolori isti tam vehementi respondeat. Non potest hæc esse neque conuenientior, neque mihi gratior, quàm infinita quædam, quam tu mihi dilectissima percipias in cælis, immortalitatis gloria: vnde ad me plus redundet gaudij, quam indè tu ipsa perceptura sis voluptatis. Quare *concupiui* ego *speciem* hanc *tuam* tam gloriosam, etiam *desiderantiùs quàm tu meam.* Assurgite iam cogitationibus, & desideria Pauli qui cupiebat *dissolui & esse cum Christo*; vota sponsæ clamantis, *Ostende mihi faciem tuam*; suspiria Moysis, *Ostende mihi gloriam tuam*; transcendite: ac maternum Virginis Mariæ affectum, sublimem de Filio suo rebusque diuinis notitiam, flagrantissimum Dei amorem; ignem Spiritûs sancti diffusum in corde eius, tot suspirijs, tot ventilatum desiderijs; perpetuas illas ecstases, continuam illam, nec somno, vt diximus, interruptam rerum diuinarum contemplationem; visiones illas essentiæ diuinæ, quas si non continuas, saltem per interualla habuit; omnia, inquam, ista in vnum colligite, vno in corde D. Virginis hinc pyram constituite: quantis, amabo, rogus ille arsurus est Deum videndi desiderijs? quanta in cælum iaculabitur incendia? quos eructabit flammarum vortices, nihil aliud murmurantes, nisi: *Mi Iesu, quando venies? Me lætam quando facies? Me de te quando saties? Deficit anima mea in atrijs* &c. Quæ cùm perceperitis vota, cùm audiueritis desideria, tum oculos ad Filium conuertite, iam ad Patris sui dextram collocatum, iam infinitâ illâ perfruentem gloriâ: & videbitis eum grauiùs ferrè Matris suæ, quàm illa sui desiderium: audietis maiori clamantem vociferatione: *O Mater quando venies? Me lætum quando facies? Me de te quando saties?* Nec enim saturari possum, nõ possũ numeris suis absolutam percipere voluptatẽ, quâdiu isto carebo gaudio, quod ex tuâ mihi peruenturum est gloriâ. Veni igitur *electa mea, & ponam in te thronum meum.* Hactenus corporali careo throno, tu mihi sedes fias, vt maiestatem regnantis eò feliciùs, quo familiariùs in te contineas, & vt ego habeam aliquid quod ego non sum, in quo, tanquàm in throno meo, gloriæ meæ maiestatem ostentem. Vnde vel me tacente iam clarè satis colligitis aliquid esse, non dico singulare, non dico exquisitum, admirabile, diuinum;

sed aliquid, cui nec eloquentia vlla nomen, nec cogitatio vlla speciem, nec mens Angelica intelligendi operationem vllam possit reperire, id, quod in cælis percepit Maria: quandoquidem hoc fuerit Christo summi, quem in passione suâ expertus est, doloris præmium; & præmium etiam post essentialem suam gloriam tot votis expetitum, vt non desiderantiùs Virgo concupierit Dei visionem, quàm Christus desiderauerit hanc Matris suæ videre gloriam. Quam priusquàm describere incipio, vt facilior mihi sit venia, si non ad materiæ sublimitatem assurgat oratio, quasi in Concilium cogam aliquot Sanctos Patres, vt quid ipsi de eius magnitudine senserint, priùs audiamus.

SS. Patrum de Virginis gloriâ testimonia.

Quorum agmen ducet, qui omnes excellit eloquentiâ, S. Chrysostomus, qui orat. de laud. Virg. ait: *Nullâ comparatione cæteris omnibus superis exercitibus glorioſior, præſtantiſsimum orbis terræ miraculum, omnium Sanctorum corona ob fulgorem inacceſſa.* S. Laurentius Iustinianus serm. de Assumpt. mirari dicit Sanctos, quod in vnâ Virgine cernerent, quod erat in omnibus: *Meritò*, inquit, *quidquid honoris, quidquid felicitatis habetur in ſingulis, totum abundabat in* Mariâ: *hinc Sanctorum admiratio de* Mariâ. Suffragatur huic S. Petrus Damianus serm. de Assumpt. dicens: *Virgo inter animos Sanctorum & Angelorum choros ſuperueniens & euecta, merita ſingulorum & omnium titulos anteeedit.* Quomodo S. Ildephonsus ex ineffabili gratiâ probet incomprehensibilitatem, capite superiore diximus. At S. Bernardus aliam capit mensuram, dum, serm. 1. de Assumpt. ait: *Quod ſi oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit quæ præparauit Deus diligentibus ſe: quod præparauit gignenti ſe, &, quod omnibus eſt certum, diligenti præ omnibus; quis loquatur?* S. Petrus Damianus potentiùs excusat omnem de hoc mysterio infantiam, dum ipse sermone de eo instituto ait: *Gloria vtique glorioſa, quam nemo nouit niſi qui dedit, & cui donare dignatus eſt.* Imò adiungere audeam (quod S. P. Noster affirmauit de gratijs & priuilegijs) quòd nec ipsa Virgo satis caperet quæ accipiebat; etiam capaciorem fuisse Mariam ad accipiendam gloriam, quàm ad eam prorsùs intelligendam aut explicandam: noua ea prorsùs erat, quam vix cæli ipsi capere poterant; ideoque non minùs ingrediente Matre quàm ascendente canebant Angeli, *Attollite portas principes veſtras.* non dicunt, aperite, sed *attollite*: quòd angustæ nimis & humiles erant pro accipiendâ tantâ gloriæ maiestate. Quomodo ergo vel sermo explicabit, vel mens humana capiet pompam istâ & triumphum, in quo componendo Filius ipse Dei, vt mox ostendebamus, pœnè, vt sic loquar, suum exhausit ingenium, vt eum maiore cum apparatu, quàm suam honorauerat Pater adscensionem, adornaret?

CAPVT IX.

De visione beatificâ B. Mariæ Virginis.

ACTENVS imbecillitatis nostræ conscij, non directè oculorum aciê in gloriam B. Mariæ Virginis intendimus; sed varijs hinc indè collectis argumentis, non, quanta illa sit, ostendimus; sed potiùs, quod magnitudo eius ostendi non possit, probauimus. Nunc autem sermo requirere videtur, vt propiùs nonnihil ad rem ipsam accedamus, gloriamque in seipsâ contemplemur, atque de ipsâmet gloriâ secundùm se aliquid dicamus. In quo duo conabor: primùm, tempus assignare quando cœperit; deindè aliquâ ratione pompam describere, quâ hodie in regnum cælorum Virgo deducta est: quorum hoc quidem supra vires est, illud verò præter expectationem: hinc rei deterret insolentia & nouitas, indè verò splendor eiusdem & magnificentia. Spero tamen apud æquos iudices, humanas vires excedentem dignitatem

tem, facilè daturam excusationem. Nouitatem autem, quæ & aliàs ferè semper placere solet, hìc non fore ingratam confido Virginis cultoribus, cùm aliquid adferre conetur ad eius amplificandam maiestatem : quinimò id euenturum spero, vt ex his excitata initijs solertia ingenia firmioribus conentur consolidare rationibus ea, quæ nos ponemus sententiæ huius fundamenta. Meministis me cap. VII. dixisse, Fluuium illum, cuius hodiernâ die impetus lætificat ciuitatem, statim à fonte suo in binos abire riuos : quorum vnum, qui gratiæ est, tum prosecuti sumus; alterum, qui gloriæ vocatur, in hunc locum reseruauimus. Nec enim ita clarè, atque alter ille, oculis patet mortalium, eò quod naturâ quâdam simili præditus videatur, qualem Alpheo esse, atque Arethusæ fluminibus perhibent, qui sic aquas occulunt, vt si fortè hinc indè aliquando emicent, rursùm se statim terrâ abscondant, donec tandem apertis sese ostijs effundant in mare. Pari ratione hic gloriæ, seu visionis beatificæ fluuius (quem ego iam indè ab immaculatâ Conceptione Beatæ Mariæ Virginis cursum suum habuisse, ac maioribus indies collectis aquis robustiorem semper euasisse arbitror) ita se corporis passibilis terrâ abscondit, vt si aliquando aquæ eius hinc indè emicuerint, Theologis hoc animaduertentibus, non fluuius vnquàm perpetuus, sed derepentè superinfusus imber videretur. ita illi quidem Incarnationis, Resurrectionis, Ascensionis, atque Pentecostis assignant dies, quibus clarâ essentiæ diuinæ visione recreatam fuisse existimant Virginem, hoc solidissimo nixi argumento : Cùm S. Augustinus, Clemens Alexandrinus, & Doctor Angelicus, ipsa Theologiæ lumina, existiment S. Paulum Apostolum & Moysen clarè Deum in hâc vitâ intuitos fuisse; certum est, suppositâ eorum sententiâ, id D. Virgini non esse denegandum. Quis enim aliquid deneget Matri quod statui eius non repugnat, quod fateatur vlli Sanctorum fuisse concessum ? Rupertus certè in Cantic. non solum non negat, sed etiam disertis verbis affirmat. *Rapta est*, inquit, *Maria in tertium cælum, & vidit arcana mysteria quæ non licet homini loqui, perfectiùs & excellentiùs quàm Paulus.* Hoc iacto fundamento proniora sunt reliqua. Visionem ipsam si vel semel obtigisse concessum sit, facilis erit reliqua omnis de tempore disputatio. Si enim eam quotidie contigisse dicamus, suffragantem habebimus Sanctum Hieronymum. *Maria*, inquit in historia natiuitatis Beatæ Mariæ, *quotidie diuinâ visione fruebatur.* Loquitur ille quidem, ne eius nos authoritate abuti voluisse quis suspicietur, solum modò de eo tempore, quod secutum est eius in templo Præsentationem : Verùm ansam nobis dat aliquam Doctor Angelicus etiam recedendi paullò vlteriùs. De S. Paulo enim in cap. 12. Epist. 2. ad Corinth. sic loquitur : *Manifestè apparet quod Apostolus habuit has visiones in principio suæ conuersionis, in illo triduo, quo post prostrationem suam à Domino stetit non manducans, neque bibens.* Quod si statim à conuersione suâ hasce visiones habuit Sanctus Paulus Apostolus, vixdum peccatis suis expurgatis : quidni dicemus Beatam Mariam, in priuilegijs omnibus Apostolo longissimè præferendam, eâ gauisam fuisse beatificâ visione simulatque gratiâ originali fuit præuenta ? Quod enim seruo concessum, quis Matri negauerit ? Quod peccatori datum, quis dubitauerit num ei tributum sit, quæ omnis omninò expers culpæ, semper speculum & exemplar exstitit omnis sanctitatis ? Imò cùm argumentum hoc concludat à fortiori, quid vetat suspicari potiorem quandam gratiam Virgini fuisse datam, vt scilicet ipso sanctificationis, siue, quod idem est, ipso Conceptionis instante hoc etiam accepisse priuilegium dicatur ? itâque non solùm in gratiâ, sed etiam in gloriâ concepta, & vitam hanc triumphans ingressa fuerit? Nónne iam fluuium nostrum gloriæ ab ipso fonte manantem, atque toto vitæ decursu vndique cum meritis aquas colligentem

RVPERT.

HIERONY.

D. THOM.

Quando & quoties Virgo Deipara fuerit visione beatificâ recreata.

tem habebimus, vt mirum non sit tanto cum impetu hodie in paradysum ingressum fuisse ? Neque hæc noua adeò sunt, vt nemini ante nos in mentem venerint suspicari. Gerson enim, summæ authoritatis Cancellarius, postquàm eâ de re dubium proposuisset, ita rem in medio relinquit, vt neutram in partem voluerit determinare, quamquàm nobiscum in aientem inclinare videatur sententiam. Cùm enim Tract. super Magnificat 3. p. proposuisset discipulis hæc: *Potuit itaque Deus dare Mariæ fruitionem patriæ ab instanti conceptionis, quam certum est non dedisse* ? respondet ipse: *Quid si addatur ad posse Dei, quod hanc decuit ipsum dare Matri suæ* ? Vbi clarè indicat cuius sit mentis: cùm enim potuerit id facere Deus, eumque id facere decuerit; putabimusnè hunc Doctorem dubitasse an functus officio suo fuerit Deus ? Sed de Petro Damiano, homine sanctissimo, Cardinale eminentissimo, atque sapientissimo Doctore, quid dicemus ? an huius eum sententiæ fuisse dubitabimus, cùm serm. de Assumpt. dicit: *Caro Mariæ de Adam assumpta, maculas Adæ non admisit, sed singularis eius puritas in candorem lucis æternæ conuersa est* ? quibus verbis nisi eum intelligas dicere Mariam habuisse visionem beatificam, non facilè dixeris quid ipse per *candorem lucis æternæ*, quod Verbi diuini est nomen, intelligat. Cùm itaque hanc in partem Gersonis, viri doctissimi atque summæ authoritatis, propensionem, S. Petri Damiani, meâ quidem opinione, sententiam viderimus; cùm & potuisse id facere Deum, & vt faceret decuisse, ratio doceat; facilè apparet quid pronuntiandum videatur. Nos tamen alijs viris doctissimis, qui huc rationes fortiores & plures authoritates conquisierint, eam relinquemus gloriam, vt primi possint hanc glorioſissimæ Virginis capiti imponere coronam: eo contenti, quod statim primo post ipsam conceptionem instante, nobiliore modo recreata fuerit visione beatificâ, quàm ipse Apostolus. Quæ visio cùm per totam deinceps vitam durauerit, quid miraberis, si fluuij hi bini, gloriæ vnus, alter gratiæ, ita vndique per septuaginta duorum annorum decursum haurientes aquas tali impetu cælum ingrediantur atque lætificent ciuitatem, vt eo paradysum istum cæleſtem perfundant gaudio, quod non tantùm rapiat in stuporem Sanctos, sed Deum etiam ipsum nouâ quodammodò voluptate exhilaret, Dei certè Filium ita afficiat, vt iam demùm perfectâ se existimet felicem beatitate.

GERSON.

PETR. DAMIANVS.

CAPVT X.

Triumphus Beatæ Mariæ Virginis ascendentis in cælos.

INSIGNE illud Toletanæ Ecclesiæ ornamentum, ab ipsa Virgine candido vestitu exornatum, serm 1. de Assumpt. ita exclamat: *O si permitteretur vobis scire quæ illius vitæ gaudia, ad quæ intrauit hodie; quæ illa florentis paradysi amœna, quæ illa societas Angelorum, quantus famulatus cælorum, & Sanctarum animarum numerus exultans accurrit, quàm ineffabilia sunt gaudia reseruata* &c. Ita ipse cum summo quidem, sed desperationis pleno desiderio. Videbat enim frustrà se conari verbis explicare eum triumphum, quem mens non capiebat. Non detinebo hic verbis auditorem, vt aliquid dicere videar, vbi nihil ipse intelligo. Cæcutit enim, candidè hîc fatendum est, mentis acies ad intuendam gloriam, hebescit ingenium ad concipiendum honorem, obstupescit memoria ad recordandum ordinem, balbutit lingua ad eloquendum triumphum tantum tamque nobilem, non capiunt angustiæ pectoris tantum splendorem, exilitas nostra res tantas tamque magnificas non sustinet. Non igitur à terrâ exorsus, per omnes

aëreas

aëreas regiones deducam Virginem, vt videam quantâ venerationis significatione Luna se pedibus eius honoris causâ subiecerit; quanto ingenio, vbi ad se ventum est, Sol ei splendidissimũ vestimenti genus de seipso concinnauerit; quantâ maiestate eam Astra omnia legationem adornarint, quâ petebant, liceret duodecim ex lucidissimis suis corporibus Virgini coronam conexere. Non conabor in ordinem redigere nouem Angelorum choros, atque ijs, ad varietatis splendorem, hominum beatorum intermiscere turbas, ita vt Patriarcharum agmen ducat Adamus primus author generis humani, Prophetas anteeat Israëlitici ductor populi Moyses, soror eius Virginum præcedat chorum, Iustorum manum adducat Enoch, Abel verò Martyrũ antecedat exercitum. Non commemorabo quantæ Patribus istis antiquis fuerit voluptati, intueri istud, quod tot symbolis & figuris adumbrauerant, prototypon: vt Noë suam adorauerit arcam diluuij, quâ nisi vectus fuisset is, qui nos consolatus est ab omnibus laboribus nostris, actum erat, perierat genus humanum: vt Abraham venerabundus intuitus sit generis istius honorem, cuius ipse fuerat principium. Non dicam quàm varia cor Iacobi titillauerint gaudia, quando domum Dei, portam cæli, puteum clausum, quando fontem aquæ viuæ, scalam cæli, tot sibi monstratas figuras in vnicâ compleras videbat Virgine. Non inquiram quis Moysi fuerit sensus, dum istam Virgam, istum Rubum ardentem & incombustum, istam Arcam fœderis, Tabernaculum, Sanctuarium, Propitiatorium, tot anteà sibi ænigmata, iam coram oculis suis explicata cerneret. Dum Aaron veluti virgam floridam, Iosue sicut sole superiorem, Dauid tanquàm cisternam Mariam venerarentur, quo gaudio exultarint non attingam. Etiam id omitto, quónam Salomon, siquidem adfuit, Domum sapientiæ honore veneratus sit; quâ gratiâ eam vti lilium, vt solem, vt lunam salutauerit: quo amore columbam, amicam, & sponsam suam amplexus fuerit. Omnia, inquam, missa facio, ne vel singula commemorare, infiniti, vel aliqua attingere cæteris omissis, imperfecti sit laboris. Cùm enim singulis sua, & omnibus communis esset gaudij, lætitiæ, exultationis materia; nunquàm errauerit quispiam, quos manibus plausus dederint, quas voce gratulationes accinuerint, quot vndiq; lætitiæ signa ediderint illa Sanctorum agmina, quæ & Mariæ ipsius causâ omnia cupiebãt, & præterea in ea honorandâ conabantur Filio ipsius gratificari. Admirantes audio: *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto sicut virgula fumi?* vel vt Hebraicus textus refert, *sicut virga columnæ.* vbi Galatinus obseruat more suo Patres istos etiamnum ad antiquitates suas alludere, atque hîc nominatim ad miraculum aliquod insigne, quod vnum erat ex decem, quæ perpetua erant in templo Ierosolymitano: quod scilicet nunquàm, licèt maxima ventorum esset violẽtia, ignis vel ab altari depulsus fuerit, vel flamma eius ad latus aliquod versùs terram declinarit; sed quod semper rectà, sicut *virgula columnæ*, in cælum ferretur. Quod idem in Maria contigisse maximè in stuporem vertebat Sanctos, vt scilicet è mundi huius deserto (vbi tot vndique insurgentes, qui versùs terram inclinent, ventorum flatus) illa ascendat veluti columna firmissima, nusquàm ne leuissimè quidem in terram reflexa. Atque hi quidam perfectissimam Virginis innocentiam admirabantur. Alij familiariùs, vt fieri amat, ornatum intuiti: *Quàm pulchri sunt*, inquiunt, *gressus tui in calceamentis, filia principis!* tanquàm stupore defixi, cùm alijs omnibus hoc sanctuarium ingredientibus dicatur, *Solue calceamenta de pedibus tuis*; (id est, corpus illud, quod magnam cum calceis, qui ex pecudum mortuarum conficiuntur pellibus, habet similitudinem, depone) hæc vnica filia Principis tam decorè corpore suo vestita, singulari præ alijs omnibus priuilegio cælos ingrediatur. Alij denique maiori exclamatione dicunt: *Quæ est ista, quæ ascendit innixa super dilectum suum?* quibus verbis quantum stuporem significent, cùm alibi explicuerimus; hîc tacebimus, ne nimirum ingrediamur hanc, vnde deindè vix li-

Sanctorum in Virginis assumptione stupor. *Cant.* 3.

ceret pedem reuocare, materiam.

Locus Deiparæ in cælo assignatus.

Ascendit autem interea, dum nos stuporem Sanctorum admiramur, in thronum suum Virgo, cuius hic splendor & sublimitas breuiter occurrit considerandа. Tam enim admirabilia de eo passim dicunt Sancti, vt illa centum & quadraginta quatuor millia, qui in conspectu throni & seniorum sunt tenentes cytharas suas, videantur hanc iucundissimam habere canticorum suorum materiam. Nam Sanctus Bernardus, vt antè audiuimus, eam proportionem dat huic throno ad cætera regni cælestis subsellia, quam habet virgineus vterus ad cætera terræ loca: BERNAR. *Nec in terris locus dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei Maria suscepit; nec in cælis regali solio, in quo Mariam hodie sublimauit.* Considerantі quâ proportione terrestria omnia superauerit Deipara, facilè erit ratiocinatio, ad cognoscendam traditam hîc à mellifluo Doctore sublimitatem. Sed locum, vbi consistit, assignat Sanctus Ildephonsus, ne in incertum ascendamus, serm. 1. de Assumpt. S. ILDEF. Virg. *Hodie Maria cum Angelis coronatur in regno, quod olim ei præparatum est, vnà cum Sanctis à constitutione mundi: hodie collocatur à dextris Dei, sicut canitur in Psalmo: Astitit regina à dextris tuis.* Paullò etiam altiùs ascendit Sanctus Ioannes Damascenus: sermone enim de Assumpt. DAMASC. *Angelicam*, inquit, *transiens dignitatem, vsque ad summi Regis thronum es sublimata: vbi posuit idem Rex Filius tuus quod ex te suscepit; ibi te posuit Reginam, de quâ illud sumpsit: neque enim fas est alibi te esse, quàm vbi est id quod à te genitum est.* Id quod Sanctus Anselmus lib. de excell. virg. cap. 8. explicat per dominium, quod in omnes creaturas accepit, de quo pluribus egi in libro de Hierarchiâ Marianâ S. ANSEL. lib. 1. Ait autem Sanctus Doctor: *Stipatus ille millibus, imò innumerabilibus Angelorum agminibus, Deus ipse huic purissimæ* Matri *suæ de hoc mundo migranti occurrit, eamque super omnes cælos exaltatam, cuncta secum creaturæ perenni iure dominataram in throno gloriæ collocauit.* Ad ipsam Sanctissimæ Trinitatis sedem eam prouehit S. Petrus Damianus serm. de Assumpt. dicens: *Sublimis ista dies, & splendidiore luce refulgurans, in qua Virgo regalis ad Thronum Dei Patris euehitur; & in ipsius Trinitatis sede reposita, naturam etiam Angelicam sollicitat ad videndum.* PETR. DAMIANVS. Necdum finis sententiarum: audio enim S. Guarricum Abbatem etiam plus pronuntiantem, cùm eam serm. 2. de Assumpt. constituit thronum Dei his verbis sanè admirabilibus: *Veni electa mea, & pònam in te thronum meum. Nullus plus mihi ministrauit in humilitate meâ, nulli abundantiùs ministrare volo in gloria mea: communicasti mihi quod homo sum; communicabo tibi quod Deus sum.* GVARRIC. Stupeo hæc verba, & non explico, sed veneror; flectens huc etiam Prophetam, qui Psalm. 88. dicit: *Thronus eius sicut sol*: non tantùm, *Psalm. 88.* quòd sicut sol medius planetarum tres alios infra, tres supra se numerat; sic Virgo tres suscipiat suprà se diuinas personas, tres infrà habeat Angelorum Hierarchias: sed, quod sicuti sol iustitiæ splendet lumine & gloriâ supra omnia quæ creata sunt; ita Virgo simili quâdam luce videatur refulgere. Explicabit me & Guarricum Abbatem, vnàque sublimitatem hanc throni optimè describet Arnoldus Carnotensis tract. de laud. Virg. vbi ita loquitur: *Est illa constituta super omnem creaturam; & quicunque Iesu curuat genu, Matri quoque pronus supplicat & acclinis. Nec à dominatione vel potentia Filij Mater potest esse seiuncta. Vna est Mariæ & Christi caro, vnus spiritus, vna charitas: & ex quo dictum est ei, Dominus tecum; inseparabiliter perseuerauit promissum, & donum: & Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quàm eandem.* ARNOLD. CARNOT. De quâ identitate vt minùs dubitetur, immensitatem ei quandam adiungit S. Petrus Damianus serm. 45. dum ait: *Gloria, quæ eam de hoc mundo transeuntem excepit, principium ignorat, nescit finem: de quâ nihil aliud possumus dicere, nisi quia gloriosa dicta sunt de te Gloria Dei.*

Quid emolumenti ex Virginis Assumptione ad nos deueniat?

In qua gloria dum Pater eam vt filiam, Spiritus Sanctus vt sponsam, Filius vt matrem salutant, & coronâ immor-

immortalitatis cingunt: nos, ne prorsùs videndi amittamus facultatem, oculos in terram deiecti, id potiùs despiciemus, Quænam ex isto, quod coronationem Mariæ Virginis excipiebat, conuiuio, cælum nobis analecta demiserit. Si enim ascendente Christo, inde nobis dona & munera tam singularia descenderint; certé assumptâ Virgine, iure quodammodò nostro possumus maiora postulare. Illum enim cælo non dedimus, sed reddidimus, erat enim *secundus homo de cælo cælestis:* Virginem verò (quæ, vt potè creatura, tota erat nostra) liberali donatione cælo obtulimus. Vnde cùm restitutio iustitiæ habeat obligationem, donatio verò tota sit ex amore; atque ita plures ex hâc quàm ex illâ cælum erga mortales obligationes contraxerit; licet nobis cum fiduciâ identidem oculos in cælum attollere, vbi Maria residet à dextris Filij sui, non alium ob finem, quàm vt indè nobis adoptiuis suis filijs prouideat, atque de se iam secura pro nobis sit sollicita, Quod eo faciet beneuolentiâ maiore, quò firmiùs nos viderit suis inhærere vestigijs. Quare operæ pretium fuerit rursùm totam animo relegere Euangelicam doctrinam, vt indè si quid ad morum nostrorum faciat informationem seligamus, atque ita non tantùm ad gloriæ admirationem, verùm etiam ad imitationem virtutum hoc festum Assumptionis B. Mariæ Virginis celebremus.

1. ad Corinth. 15.

CAPVT XI.

Certamen Marthæ & Mariæ. Hîc earum nomine Intellectus & Voluntas producuntur, certantq́; coram Christo iudice de præeminentiâ.

DVo sunt, quæ maximè in pugnis expectationem concitare solent, atque animos, quamdiu nutat victoria, curiosâ dubitatione suspendere; personarum excellentia, & rei, de quâ certatur, magnitudo. Nec enim si plebrij sint qui conflictentur inter sese, magnoperé id rapit ad spectandum homines, cùm neutram in partem multum intersit, vter victus victoruè discedat: maximè cum ferè nõnisi de lanâ caprinâ, quod aiunt, soleat esse controuersia inter eos, qui nihil momenti maioris vel habent vt perdant, vel sperant vt adipiscantur. Verùm si viri magni magno cum apparatu in arenam descendant, statum & certantium dignitas per se rapit, & id maximè commouet spectaturos, quod sibi persuadeant non leue quid esse, quod viri tanti & vitæ periculo præponunt & honoris existimationi. Ecce quantam hominum exciuerit multitudinem gigas ille, qui gradu lento & ad maiestatem composito, trabale illud vibranstelum, aduersùs Dauidem incedit! Nec minor Dauidem comitatur turba; viderant enim quàm studiosè sibi regia arma aptare conatus fuerat, quàm curiosè fundæ suæ exquisitos lapides delegerat. Illum videbant virum corpore maximum, dignitate inter suos principem, hunc autem animo, quæ nõ

inferior est magnitudo, præcellentem, & generum Regi destinatum si vinceret. Agi de salute suâ vterque sciebat exercitus, & omnem suam fortunam ab hoc conflictu dependere. Hoc scilicet mentes arrexerat, hoc multitudinem exiuerat, hoc ita in fauores & studia partes distraxerat, vt cùm omnium res ageretur, singuli pugnare viderentur.

Actiuæ & contemplatiuæ vitæ certamen.

Non minor hodiernâ die in Euangelio pugna proponitur: nec inferioris conditionis sunt ij, qui de iure, quod ad regnum cælorum obtinet Christiana perfectio, decertant; Vita nimirùm Actiua hinc, indè verò Contemplatiua: vtraque conditionis & naturæ supra humanam, vtraque originis cælestis, vtraque, quod maximè excitat studium spectandi, Regina: quippè Dei vtraque famula, cui seruire est perfectissimum possidere imperium. Hæ de præeminentiâ iuris, quam quæque sibi vindicat ad regnum cælorum, causam grauissimam acturæ, Iudicem quidem elegerunt sine omni controuersiâ eum qui & optimè possit cognoscere, & maximâ cum authoritate pronuntiare sententiam, Christum Iesum, à cuius tribunali non datur vlteriùs appellandi facultas. Patronas verò cùm sibi designarint Magdalenam & Martham, sexu fœminas, priùs hoc statuendum est, rectène id factum esse videatur, vt leui hâc velitatione pugnæ quasi batuendo præludamus.

Digressio ad Apologiam pro sexu fœmineo.

Sunt enim ita seuero quidam ingenio, vt non solùm à rebus publicè gerendis, sed etiam à benefaciendo, atque adeò ab ipso virtutis officio fœminas videantur excludere. Quid enim sibi vult aliud illa Thucydidis apud Plutarchum sententia, quâ dicit eam inter mulieres primam censendam esse, *cuius nulla vel ad vituperium, vel ad laudem fama sit?* Nescio an cochleas ille, & non homines existimet esse mulieres, quas tam inerti affigat otio, vt nihil iam illas omninò nec benè, nec perperam gerere velit: etenim sic existimo, cuius rei fama in vituperio est, eius ne honestam quidem esse susceptionem. Nihil ergo omninò fœminas agere hæc cupit sententia: quam efficaci satis ratione hodiernum refutat Euangelium, dum quæstionis tam excellentis patrocinium dedit non solùm mulieribus, sed datum esse etiam commemorat, vt saltem hoc iam constet aliquam in partem earum valere famam atque memoriam: quam ego ex hoc capite celeberrimam esse contendo contra quosdam sexûs mulieribus osores, qui nobis, si Dijs placet, etiam ex primis Philosophiæ prophanæ & sacræ Authoribus ostendent, nullam, vel certè perexiguam, quid agat hic sexus, ducendam esse rationem. Aristoteles enim, quem tota Philosophia suum agnoscit oraculum, quid ait? nónne id innuere videtur, Ex occasione tantùm & quasi fortuito defectu ad masculum producendum mulieres à naturâ in lucem protrudi? Et sacræ paginæ, vniuersæ Theologiæ basis & fundamentum affirmant, viri causâ factam à Deo fœminam. Quibus duobus tanquàm arietibus prostrauisse se arbitrantur totum genus muliebre. Sed attende, quæso, quantas vires hæc habeat ratiocinatio. Viri causâ facta est mulier: concedo; etenim & Reipublicæ causa Rex; & lex, ob peccatum; & ob defectus, bonum consilium: quid tum posteà? an hæc idcircò vel inferiora, vel minùs in pretio habenda, quàm illa, propter quæ facta sunt? Aduerte quàm effœminato brachio vibratum sit telum, quod tam facilè retorquetur. Sed fortiores erunt ij quos primo loco audiuimus, qui ad eò præstare videntur viribus, vt omnem hominis dignitatem robore metiantur corporis: id enim solùm, cùm totum euoluerint Philosophum, argumento suo efficient, quod vir robustiore ac firmiore opus habeat compage membrorum, totiusq; structurâ corporis, quàm mulieres. Quod quam parum nostra interfit, ostendit Sanctus Hieronymus in Prologo ad Sophoniam Prophetam, vbi Sanctus ille Doctor se spiritum, non robur corporis quærere respondet ijs, qui eius litteras fœminis scriptas esse calumniabantur, atque in causa tam facili ad ipsorum Ethnicorum tribunal prouocat. *Veniant*, inquit, *vt & apud sæculi Philosophos videant animorum differentia quæri solere, nõ corporum.* Sed quid opus

est,

est prophanis, vbi sacræ litteræ tam illustria suppeditant exempla, quibus ostendit mulieres ea ad exitum perduxisse spiritu & robore mentis, quæ non poterant virorum multa millia aut vi armorum aut viribus perficere corporis? Chorum ducat Debora, cui satis magnum Sisara superatus triumphum facit, vt doceat viros vinci posse à fœminis. Iudith autem heroicas suas manus Holofernis immergens iugulo, si sexum non mutat, fateare oportet magnum quoddam factum dici posse fœmineum. Illa verò quæ prostrauit Abimelech, quæ Amanum debellauit, quæ cunctas hæreses sola interemit, viriné erant, an fœminæ? Sed ineptus sim, si rem adeò claram & certam vel illustrare exemplis, vel confirmare velim argumentis, cùm & illa ipsa, quam adeò iactant mulierum isti hostes, Iobi reprehensio id probet quod nos volumus. *Locuta es* (inquit Propheta ille, qui fortunæ corporisque bonis omnibus spoliatus, virtutem solam retinuerat & sapientiam, & suo ipse exemplo probat quid animus corpori intersit) *quasi vna ex stultis mulieribus.* Magnus Gregorius lib. 3. Moral. nobiscum de mulierum honore sollicitus, aduertendum ait, non stultitiæ insimulari totum genus fœmineum, sed vnam numero stultarum adscribi, qui vti nec virorum est exiguus & incrementum capit quotidie: ita vt non culpetur sexus, sed vitium; non muliebris natura accusetur, sed voluntas praua; non denique condemnetur ipsarum à viris differentia, sed huius, quam omnes mulieres non habent, stultitia: quam ne putes isti ita coniunctam esse sexui, vt auelli indè nequeat, adiungit: *Vt videlicet ostendatur, quia, quòd prauum sapit, accidentis stultitiæ non verò conditæ sit naturæ.* Satisné iam prolusisse videmur isti, quod initio ponebamus, certamini? Mihi verò satis, si quidem id constet non ideò existimandum esse aliq id detractum magnificentiæ pugnæ, quod reginæ hæ nostræ, Actiua & Contemplatiua, mulieres sibi patronas elegerint: sed multum potius laudis adiectum fœmineo sexui, quod vti ad insignes alias multas, ita ad hanc rem præclarissimam fœminæ sint adhibitæ.

Iob. 2.

S. Greg.

Vide nunc quantum certamen exoritur: *Domine, non est tibi curæ, quod Soror mea reliquit me solam ministrare?* E Patribus, varij varia hic educunt inter sese conflictantium agmina. Voluntatem & intellectum, SS. Gregorius l. 1. Moral. & Bernardus, serm. 5. de Assumptione: Animam & corpus, S. Basilius: Sanctus verò Augustinus totam Militantem hinc, inde verò Triumphantem Ecclesiam. An singulas producemus acies? & cùm verbale sit prælium, quid quæque pro se adferat audiemus? Placuit Christo nouo hoc certaminis genere recreari; in quo etiam voluit, tanquam Agonotheta, de virtute certantium decernere, & præmia distribuere: nobis verò non iucundum tantùm, verùm etiam fortasse non inutile fuerit in ijsdem considere subsellijs, non tam vt pugnam spectemus, quàm vt statuamus quam in partem discedere, cuius castra sequi Actiuæué an Contemplatiuæ velimus dicere sacramentum. *Duæ Sorores*, Gregorius & Bernardus aiunt, *Sunt operatio & intellectus*: operationem, voluntatem, quæ operatiua est, maximè interpretati. Ecce productas in medium binas non personas, sed acies. Hinc *Intellectus* (cui proprium est res quasi ad se pertrahere, mulieris instar concipere in se, atque ex etymo suo intus legere) cum omnibus suis castra posuit facultatibus: auxiliares illi adduxit copias sanctus Euangelista Ioannes: Ezechiel, ne quid desit vel ad terrorem hostium, vel ad splendorem agminis, animalia suppeditauit. Indè verò *Voluntas* irrequieto consistit agmine, tota ardens, tota flagrans, tota sollicita, tota turbata, nusquam suo consistens loco, semper extra se, semper ibi magis vbi amat, quàm vbi animat: nec alia euocare auxilia quàm S. Petrum voluit, iam se dimittentem in mare, iam Dominũ ne eat in Ierusalem vi retinentem, iam Malchum appetentem gladio: nec dubium esse potest, quin ab hâc parte tam feru dâ tam turbulentâ primus futurus sit impetus. Dominari enim vbique vult amor, & famulari sibi tantum.

Luc. 10.

Voluntatis contra intellectum, seu actiuæ contra contemplationem oratio.

modo cupit intellectum: *Dic ergo illi, vt me adiuuet*; ac si diceret: Quis credidisset vnquam etiam hoc in dubium „vocandum esse, an voluntati amoris „parenti ius primum debeatur ad re„gnum cælorum? an ipsa seruire de„beam Intellectui, an verò mihi ille „cæteræque omnes potentiæ famulari? „Res iudicata est, quæ iam demùm cō„trouertitur. Nonné mihi iam dudum „in Petro sceptrum, & triplex corona „concessa est? an Ecclesiam suam ita „dilectam Christus non commendasset „Ioanni, omnium ingeniorum aquilæ, „si quid præ voluntate & amore, qui „in Petro semper fuit eximius, com„mendationis habuisset sicca illa & „arida speculandi ratio? Et iterum, quo„niam te Euangelistâ isto præfiden„tem video: In piscatione, quam ipse „tuus ille Ioannes cap 12. commemo„rat (dum ille, vti facultate ista tua co„gnoscendi præualebat, primus excla„masset: *Dominus est*) quis primus, re„liquis omnibus torpentibus, Domino præstabat obsequium, nisi meus ille „Petrus? *Qui, vt audiuit quia Iesus est, „tunicâ succinxit se, & misit se in mare.* „Quis in horto manum admouit ope„ri, totam illam hominum nequissimo„rum turbam diffissurus nisi prohibitus „fuisset, præter flagrantem sui amore „Domini meum illum Apostolum? „Nec opus pluribus apud hunc Iudi„cem, quem certò scio non tam verbis „quàm operibus, atque ex consequen„te non tam speculatione subtili, quàm „feruido amore, qui voluntatis est, de„lectari. *Dic ergo illi Domine, vt me „adiuuet.* Non de imperio contendat, „non de prærogatiuâ disputet: sed, „quod subditam, quod famulam decet, me adiuuet. Hæc cùm pro more suo turbata, & de honore suo sollicita exclamasset Voluntas; ita grauiter prudenterque intellectus repulit: Ex ipso „tuo loquendi modo atque agendi ra„tione satis apparet, Volũtas, quod me „duce, in hâc tuâ, quam aduersum me „suscepisti, pugnâ destituta sis. Nec „enim ita ab omni decore aberrasses, „nisi eam quam ducem sequi debebas, „inimicam tibi constituisses; atque ita „in tuo illo certamine quod ex verbis „tuis apparet, verè rationem oppu„gnasses. quare ego ne diutiùs hisce „contentionibus distrahatur, id „quod inuita facio, breuissimè facere „conabor: nec aliâ vtar defensione, „quàm eâ, quæ vibrata à te tela retor„queat. Nam quod de Ecclesiâ (cuius „cogitationes & spes omnes in cælum, „vbi Christus est in dextra Dei, extra „se ferri debebant) Petro commenda„ta adfers, qui totus feruore illo tuo „accensus ferebatur; benè quidem di„cis, sed non rectè inde, quod probare „intendis, consequitur. Nec enim vi„dere non potes, quantumcumque „cæca sis, virginem illam Matrem & „virtutum præstantiâ & dignitatis præ„rogatiuâ & amore erga se Dei, toti „isti tuæ Ecclesiæ (quamuis sanctissi„mæ, quamuis, eo ipso quod Christi „sponsa sit, dignissimæ, quamuis vnicè „ab illo dilectæ) longè tamen esse an„teferendam: atqui hæc Euangelistæ „isti meo commendata fuit ideò, quòd „ille intelligendi subtilitate iam pænè „in Christum transformatus (intelle„ctus enim intelligendo fit omnia) op„timè supplere poterat absentiã istius „Filij, quem Maria (etiam nostræ ex„emplum Cõtemplationis) semper vo„lebat habere præsentem, vt illum, „quod semel fecerat corpore, intelle„ctu semper conciperet. Nec est quod „ideò te magnificè circumspicias, „quòd sceptrum Petro & corona data „sint: non enim hæc ideo, vt mihi „imperites, concessa sunt; sed vt illis „regeret membra, quæ Ecclesiam con„stituerent, quæ tali necessariò egebant „imperio: mihi verò & Ioanni sceptro „& coronâ omni fuit glorioſius eam „commendatam habere Virginem, „quæ nec terrore baculi, nec coronæ „fulgore vel allici debebat ad virtu„tem, vel à vitijs deterreri. Iam verò „istius piscationis miror te mentio„nem facere, in quâ ipsa fateris tantum „discipuli mei priuilegium, vt solus „ipse cæcutientibus cæteris Dominum „agnosceret. Vbi vitio ipsi vertere non „debebas, quod Petro sapientior esse „periculo submersionis, in quod illum „imprudens tuus amor adduxerat, non „exposuerit. In Horto verò quod ani-

Contemplatiuæ ad actiuam responsio.

„mos

»,mos eius commemoras, licet hi satis »,sint Christi reprehensione castigati; »,miror tamen quod non adiungas eius »,in Pontificis domo, in quam à Ioanne »,introductus fuerat, trepidationem, »,Ioanne vbique securo atque in con»,templatione suâ perseuerante, quam »,vsque ad ipsam Domini mortem cō»,stanter retinuit. Vnde iam concludi »,facilè potest, amoris tui valorem »,omnem ab intellectu dependere, nil »,enim volitum quin præcognitum: eo»,què te amare securiùs & feruentius, »,quo ego te præcessero & duxero me»,lius. Iam id credo disputare non vis, »,an Dux militi, num verò miles Duci »,imperare debeat. Et animalia illa ir»,requieta Ezechielis (quæ te miror in »,primâ non posuisse acie, quæ amore »,inflammata nec loco consistere neq; »,tacere poterant, semper clamantia »,*Sanctus Sanctus, Sanctus*) scis, vnde »,hauriebāt tantos Spiritus. *Erant enim* »,(quod obseruat Gregor. 6. Moral. c. »,28.) *plena oculis antè & retro.* Neque tu »,frustra hoc egisse dices mundi Salua»,torem, quod, cum se vix ab hominibus »,amari in cælo perspiceret, quia ibi non »,cognosceretur; (vt aduertit Bernard. »,serm. de Incarn.) sese humana carne »,vestiuerit, vt per oculos ipsos iam »,hauriremus amorem. Adeò certus »,erat nihil tuas illas volendi posse fa»,cultates, nisi ego vbique intelligendi »,facem præluxero. Ità dixerat, atque subito conticebat Intellectus, seque rursus altissima rerum diuinarum contemplatione abstractus, silentio & tenebris alebat: nihil prætereà sollicitus quid de se Iudex pronuntiaret, ne quâ perturbatione eius suauitas interrumperetur. Iterum parabat multa reponere Voluntas, nisi Iudex ità sapienter eam suâ compescuisset sententiâ, vt nec prorsus condemnando eam examinaret; nec etiam intellectui præferendo, temeritatis ei, cui semper est proxima, occasionem dedisse videretur. *Maria*, inquit, *optimam partem elegit.* Multa paucis complexus, vtramque laudatam dimittit. Explicat hanc sanctus Augustinus sententiam: *Tu bonam, sed istam meliorem: non malum dixit quod agebat* Martha; *sed istam optimam, quia non auferetur.* sanctus verò Gregor. 1. Moral. c. 18. in eundem sensum: *Martha verò non reprehenditur,* GREGOR. *Maria verò etiam laudatur: quia magna sunt Actiuæ vitæ merita, sed Contemplatiuæ potiora.* & infra: *Ecce pars Marthæ non reprehenditur, sed Mariæ laudatur: neque enim bonam partem elegisse Mariam dicit, sed optimam, vt etiam pars Marthæ iudicaretur bona.* Atque hic primi certaminis fuit exitus: in quo *Cum duo pugnarent, victor vterque fuit.*

Iudicis sententia.

S. AVGVS.

CAPVT XII.

Rursum sub Marthæ & Mariæ nomine, Anima & Corpus, ac tandem Militans Ecclesia & Triumphans in arenam descendunt.

SECVNDI certaminis editorem habemus S. Basilium. lib. 1. constitut. Monach. cap. 1. *Per duas mulieres duo mihi vitæ genera introduci animaduertito: vnum quidem inferioris notæ, quod in crassioribus se obeundis vitæ huius muneribus occuparit; alterum nobilius, & cum Spiritu magis coniunctum, nimirum quod se altiùs exultet.* S. BASIL. Atque hic maximè studium spectandi excitare debet, quod in priore certamine non reperiebatur pugnantium in numero, conditione, & viribus diuersitas. Quanta verò, Deus bone, in corpore & pro corpore turbatio, & erga quàm multa? Exercitibus vbique opus est, sine quibus ea, quæ corpori sunt necessaria, neque acquiri possunt, neque conseruari. Christus ipse testatur: *Si regnum meum esset de hoc mundo, mei vtique decertarent vt non traderer:* Libertatem, incolumitatem, opes, terras, vitam denique meam

Multis est opus, vt corpori satisfiat: vt animo, paucis.

ingenti

ingenti armorum vi & copiosa militum manu propugnarem: satis gnarus quibusnam sit opus, vt corpori ac mundo sarta tecta seruentur ea, quæ acquisierint. Tota, quà patet, lustranda est rerum vniuersitas, si campum obire velimus, quo sua Corpus metatur castra, vt necessitatibus suis opem ferat. Pro solâ enim exsaturanda fame proscinditur terra, violantur maria, auibus in aëre struuntur insidiæ. Pro siti restinguendâ exhauriuntur fontes, bibuntur flumina, vina exprimuntur è vitibus, aquæ distillantur ex aromatibus: Ceres ipsa, quæ laborari se ac dentibus masticari permiserat, etiam in liquorem fluxit, vt potabilis radderetur. Omittò ad frigus arcendum lanas, & pecudum vellera, & omni animalium generi iam detracta spolia quibus ad propriam superbimus ignominiam: ad morbos leuandos, herbarum tot genera, quasi in officina omnibus communi, exposita. Considera tot paupertatis remedia, vt etiam ipsa terræ scrutemur viscera, vt aurum indè eruamus: mare natatur, vt gemmas possideamus & conchylia. Denique, *Onerosi*, (ait Tertullianus 1. de anim) *sumus mundo, vix nobis elementa sufficiunt: & necessitates arctiores & quærelæ apud omnes, dum iam nos naturæ non sustinent.* Et Paulus: *Ingemiscit omnis creatura &c.* Quanta in hisce castris, quanta sollicitudo! Animæ verò vnum est necessarum, vnius possessione Dei potest necessitatibus suis omnibus satisfacere, potest cupiditates suas omnes explere: *Sitiuit in te anima mea*; inquit Psalmista, *quàm multipliciter tibi caro tua.* Vnico summo bono repletur anima, quo habito exclamat: *Deus meus, & omnia.* Sed Caro *quàm multipliciter* sollicita est, quàm variè distrahitur! semper desideriorum plena, egena rerum; semper anhelans, semper suspirans, semper circumspiciens vnde cupiditatibus suis solatium præbeat, & foueat plagas vbique insanabiles: & quod in re malâ est pessimum, bellum adeò intestinum sorori suæ animæ mouet, vt non sinat eam vel tantillo temporis spatiò necessitatibus suis prouidere, quibus, otiũ nacta, facilè & sine labore potest satis facere. Caro semper queritur suis animum commodis inseruire desiderat: Anima verò non leniorẽ aduersus corpus querelam instituit, & exclamat: *Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis huius?* Quo quidem in certamine, si ita pugna instituatur, vt vter vtri cedere debeat, in controuersiam vocetur: profecto vti discernere de iure facillimum est; ita iniusta corporis desideria compescere, & nouas semper aduersus animum molitiones disturbare, summâ difficultate non caret. Si verò id quæratur, Quidnam maioris coram Deo sit meriti, vel corpori ex ratione & charitate inseruire, vel Animæ altioribus satisfacere desideriis? tunc scilicet esset in quo dispiciendum foret, quamnam deberemus pronuntiare sententiam. Sunt enim quædam, quæ corpori vel nostro vel proximi præstare possumus officia, quæ certè nescio an animi multum cedant functionibus. Nusquàm enim audiui: *Venite benedicti Patris mei*, quia alta contemplati estis, quia extases & raptus habuistis; sed hoc audiui: *Esuriui enim &c.* Audi Leonem Papam: iam enim primùm iusti certaminis hâc in parte video constitutionem. Audi ergo magnum hunc Pontificem à partibus earum virtutum, quæ corporalem habent occupationem, decertantem serm. de apar. *In illo magno summoque Iudicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel tenacitatis impietas, vt pro plenitudine omnium virtutum, & pro summâ omnium commissorum, & per vnum malum illi in ignem mittantur æternum, & per vnum bonum isti introducantur in regnum.* Qui omnia dixit, nihil excepit: si ergo vna hæc omnium virtutum suppleat vicem; nihil opus est cæteris: neque vlla illarum figillatim in contentionem venire potest, cùm iam simul omnes cesserint. Quam sententiam illustrat Petrus Rauennas, fortissimeque pro hâc parte depugnat: *In regno cælorum coram omnibus Angelis in conuentu resurgentium, quòd Abel passus, quod mundum conseruauit Noë, quod Abraham fidem seruauit, quod Moyses legem tulit, quod Petrus crucem Iesu primus ascendit, Deus tacet: & cla-*

Ad Rom. 8.

Psalm. 62.

Ad Rom. 7.

An præstent virtutes corpori seruientes, ijs quæ consistunt in animæ facultatibus.

Leo Papa.

mat

mat ſolum quod pauper comedit, dicens: Eſuriui. Qui enim miſericors eſt, miſericordiâ dignus eſt. Ego tamen cùm Iudicis audio ſententiam, *Maria optimam partem elegit*; idque eo in iudicio, quo particulatim hanc cauſam cognoſcebat; non perturbor eâ ſententiâ quam in vniuerſali pronuntiaturus eſt reſurrectione. Ibi enim coram omnibus eas laudaturus eſt virtutes, quæ plus habent externi ſplendoris, & vnde plus ad vniuerſos redundauerit vtilitatis: hîc autem virtutem, non ad multitudinem relatam, ſed ſecundum ſuam ſpectamus dignitatem.

Triumphantis & militantis Eccleſiæ certamen.

Atque ita manet etiam pro hoc certamine illa Seruatoris ſententia; Martha bonam, Maria verò meliorem partem elegit. Quæ cùm vim ſuam clarius etiam obtineat in tertio certamine, quod S. Auguſtinus proponit (dum ait: *Quod Martha excepit illum in domum ſuam, ſignificat Eccleſiam quæ nunc eſt; Maria verò ſignificat eandem Eccleſiam, ſed in futuro ſæculo, vbi ceſſans ab opere miniſterioque indigentiæ, ſolâ ſapientiâ perfruitur:*) nolo ego, vbi inter ſeſe partes conueniunt, verbis digladiari. Et nimis à ſenſu communi Sanctorum aberrauero, ſi contendere velim, melius illis eſſe in corpore mortis huius, quàm extrà corpus: melius in doloribus & ærumnis, quàm in gaudio & lætitiâ: melius in hâc incertitudine, quàm in illâ ſecuritate. Quamuis non deſint ex illis ipſis, qui, neſcio quid hic inter haſce miſerias, tãquàm gemmam in ſterquilinio, repererint, quod vitæ iſti beatiſſimæ viderentur anteponere. Paulus enim, dum anathema eſſe cupit pro fratribus ſuis, nónne inuenit aliud quid, quod pro æterna iſtâ beatitudine deſideret? hîc ſcilicet laborare, ſudare, Euangelizare, & quàm plurimos eò adducere, vnde ipſe eorum cauſâ cupiebat excludi. Certum eſt tamen hanc ſtare Iudicis veriſſimam ſententiam: *Maria optimam partem elegit:* Quod triplici ratione Textus ipſe confirmat. Primò, quod in hâc vita excipere quidem nobis liceat hoſpitio Chriſtum, in pauperibus ac membris ſuis: in illa verò *ſecus pedes Domini*, eum facie ad faciem contemplantes, nullo mediante, hoſpitalitatis & recipiemus & præſtabimus officia. Deindè ſeſſio ipſa quantam ſignificat quietem & ſecuritatem; cùm hîc omnia plena ſunt laboribus, periculis anxia, & timoribus intertúrbata? Hoc denique, quod *non auferetur* ab illis vnquàm ea, quâ perfruuntur; gloria, quanto ſtatum iſtum omni noſtra felicitate facit beatiorem?

Cùm itaque potiores partes Mariæ ſint, ſiue Intellectum, ſiue Animum, ſiue Triumphantem eam velis eſſe Eccleſiam; audiendus nobis erit Apoſtolus, *Æmulamini chariſmata meliora*: ſic tamen, vt iſtius non obliuiſcamur, ſororem eius Martham bonam & valdè bonam partem elegiſſe. Vnde nec Voluntatis exercitia, nec Corporalia miſericordiæ opera ſunt negligenda: & quamdiu neceſſario militantis Eccleſiæ membra ſumus, ita Marthæ huius ſollicitè laborantis fungamur munere, vt liceat cum Mariâ iſtâ triumphante ſedere ſecus pedes Domini, eius maieſtatem & gloriam facie ad faciem omni æternitate contemplaturi. Ratio enim, vt & hoc ſub finem moneam, cur prudentiſſima Mater noſtra Eccleſia hoc Actiuæ atque Contemplatiuæ vitæ certamen hoc præſertim die propoſuerit (quo illius celebramus Aſſumptionem quæ ex vtriuſque meritis eam aſſecuta eſt gloriam, quam paullò antè attigimus) fuit hæc præcipua; Vt nimirum oſtenderet quanta ſit militantis Eccleſiæ cum illa triumphante cognatio: quàm coniuncta ſint labor & præmiũ: quàm neceſſitudinem inter ſe habeant pugna & victoria. Quid enim aliud inculcare videtur, quàm, vt oculos defigentes in cælum, quo tam inſigni triumpho Mater, Regina, & aduocata noſtra aſſumitur; atque interim mentionem de laboribus & contemplationibus fieri audientes, ita exclamemus: Felix namque es Virgo Maria quæ omnium portaſti creatorem; ſed multo etiam felicior, quòd omnia impleueris mandata Legiſlatoris: Beata quod Filij Dei Mater exſtitiſti; ſed multo etiam beatior, quod adeò fuiſti obediens præceptorum illius filia: regnum enim iſtud non tam poſſides ob ius materni-

tatis, quàm propter excellentiam virtutis. Matrem agebas dulcissimam & amantissimam: sed dulcius erat Filio & carius, quod maternitatis amorem Marthæ & Magdalenæ condiebas officiis: vt Martha enim Filium inuoluebas panniculis, vt Magdalena contemplabaris eundem hunc esse semi-nudulum qui gloriæ splendore Angelos vestiebat in cælis: eum vt Martha castissimis tuis lactabas vberibus; vt Magdalena considerabas quod hic idem nutriret vniuersos: vt Martha plorabas in cruce morientem; vt Magdalena eundem illum vitæ colebas authorem. Hæc illa sunt merita quæ hodie præmiantur: sine meritis namque, monstri simile, sperare coronam. Hæc illa sunt, quæ etiamnum tibi in cælis iucundissimam excitant vitæ tuæ memoriam, vt mirum non sit Ecclesiam eorum in triumphi tui festiuitate facere mentionem, cùm tibi etiamnum eorum gratissima sit recordatio: exemplo Filij tui, qui ipsas vulnerum suorum retinuit cicatrices, quo sæpiùs eâ, quæ ad ipsum è passionis recordatione venit, perfunderetur voluptate. Atque vt ad nos ipsos reuertamur, si tanta est actorum laborum voluptas, etiam tum cum alia non deest gaudiorum materia; quis nobis erit animus, dum eo in statu sumus, vbi licet per virtutum exercitia ea accumulare, quorum vel sola iucundissima futura recordatio? Aduerte quid in Patriarcha Iob annotauerit Tertullianus. Vir iste cùm ex Dei munificentiâ posset omnia in duplum recipere quæ antè possederat; filios, ex quorum amissione acerbissimus erat dolor, restitui noluit; vt ne quidem in statu isto florentissimo sine aliquâ patientiâ viueret: tantum senserat patientiæ & doloris sui fructum & suauitatem, vt nollet illius per fortunam prosperam sibi exstingui saporem. Expellat igitur ex animis nostris socordiam præmij magnitudo, doceat patientiam gloria, virtutum exercitia nos Martha & Magdalena erudiant: vt Mariæ in cælos Assumptæ non solùm gaudeamus triumpho, sed etiam proficiamus exemplo: non tantùm Matris nostræ exultemus gloriâ, sed etiam participemus præmia: & dum eminentiæ gradum, quo ipsa peruenit, admiramur; dispiciamus an per ipsius ambulemus vestigia, vt possimus eundem regni immortalis thronum conscendere.

Virgo Deipara Mariæ & Marthæ officia coniunxit.

TRA.

TRACTATVS IX.

DE FESTIVITATE B. MARIÆ VIRGINIS AD NIVES.

Loquente IESV ad turbas extollens vocem quædam mulier de turbâ dicit illi: Beatus venter qui te portauit. &c. Luc. 11.

PROŒMIVM.

IN alijs orationibus laborandum est dicenti, vt auditores suos sibi reddat per varia eloquentiæ præcepta attentos: idque, aut magna quædam proponendo, aut necessaria, aut coniuncta cum ijs, apud quos res agitur. At modò de Euangelica lectione acturo, nihil horum videtur necessarium: cùm ipsamet, quæ fallere nequit, veritas tantum auscultantibus promittat præmium; vt futurum sit opus verbis quibus explicetur promissio, ne nimia videatur. Cùm enim mulier quædam de turbâ nobis laudum Marianarum thema pulcherrimum præfixisset, eiusque incomprehensibilem beatitudnem deprædicasset; subiungit Christus: Quinimò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. *Verbi Dei non exigua pars est, quæ agit de laudibus Mariæ: propter quam S. Bernardus testatur Scripturam omnem factam fuisse. Igitur sensus verborum Christi etiam iste est, Tantæ beatitudinis esse laudes Marianas, quâ decet ratione, audire; quantæ fuit, eam Dei matrem existere. Quis hîc non præbeat aures, attentiusque audiat quæ eum possunt audita beare? Certè si vel mimus aliquis, aut histrio in suggestum ascendat, dicatque ea se prolaturum, quæ audientibus adferant insignem aliquam felicitatem; trahet post se non exiguam populi partem, verbis suis ore aperto inhiantem: quantò nos ergo attentiores facere debet Christus, promittens à sui auditione pendere omnimodam nostram felicitatem. Quod cùm sit adeò certum, vt dubitari de eo sine flagitio non possit; non aliâ intentione sub initium inuocanda est Deipara, quàm vt gratiam nobis impetret dignè audiendi quæ de eâ dicta sunt.*

CAPVT I.

Occasione miraculosæ historiæ huius Festi, agitur de natura & diuisione Miraculi

QVIS QVIS toruâ incredulitate nomen affectas prudentiæ, pluſque tibi ſapere reliquis videris, quia fidem abnegas hiſtorijs, quæ plurimorum teſtimonio ſupra naturæ vires, aut ordinarium operandi modum, in confirmationem catholicæ veritatis contigiſſe narrantur : ad Feſtiuitatem hanc animum aduerte, vt experiare an tantâ impudentiâ tibi frons obriguerit, vt etiam aduerſus tam publicum miraculi huius teſtimonium poſſit perdurare. Tum enim ego te non rationibus conuincendum, ſed fuſtibus extrà generis humani conſortium amandandum iudicabo. Indignus quippè iure meritiſſimo cenſeatur conuerſationis humanæ ſuauitate, qui tam impudenter omnibus iniurius, non tantum non recipit fidem diuinam, ſed etiam conuellit humanam. Etenim humana Fides, vti cæteræ virtutes morales à moderatrice omniũ prudentiâ inter duo extrema, (credulitatis ſcilicet nimiæ & incredulitatis) ita liberatur, vt nunquàm in alterutram partem flexâ lance ſuum è rationis manu diuellat hypomochliũ. Quamquam autem in vitio ſit, vel in hanc, vel in illam partem diſcedere; periculoſius tamen & turpius peccatur nimia tarditate, quàm facilitate credendi. Et quemadmodum facilius ad liberalitatis medium reduces eum qui ſua profundit, quàm qui inter auaritiæ ſordes obſoleſcit; ita minus diſtare videtur à fidei humanæ æquilibrio qui in credulitatem nimiam, quàm is qui in incredulitatem deflexit. Quia verò fidei humanæ rectitudo optima eſt ad fidei diuinæ lumen recipiendum diſpoſitio, toties in ſacris paginis ſeuerè caſtigatam legimus incredulitatem. Nihil erat mitius iſto Agno, qui venerat vt tolleret peccata mundi: & tamen quoties vitium illud offenderet, manſuetudinem omnem exuiſſe, ac leonem induiſſe videbatur, adeò potenter in incredulos inſurgit. *Generatio mala & incredula* (ita tonat Matth. 17.) *quouſque ſuſtinebo vos &c.* & apud Marcum vlt. c. reprehendit eos, qui teſtibus reſurrectionis ſuæ fidem non adhibuerant. Hinc tam ſollicitè Apoſtolus Hebræis commendat, vt extirpent etiam vltimas fibras incredulitatis: propter quod vitium ait negatum fuiſſe terram promiſſam patribus eorum, qui perierunt in diſerto. Vt fidem noſtram confirmaret, incidere in vitium hoc permiſit Chriſtus Apoſtolum ſuum Thomam, qui teſtantibus alijs quod vidiſſent reſuſcitatum Magiſtrum ſuum, noluit credere : at grauitatem periculumque vitij oſtendit, quando actu tam ſolemni, qui in Euangelicâ narratur hiſtoria, cenſuit emendandum, qui ſolâ incredulitate peccauerat. Quid iam de tali dicendum eſſet impudentia (ſi quæ reperiretur) quæ miraculo geſto in conſpectu totius Romanæ Ciuitatis, ac non tantùm Templo ſumptuoſiſſimo, ſed etiam Feſtiuitate celeberrimâ poſterorum memoriæ à Catholicâ Eccleſiâ conſecrato, auderet fidem non adhibere? profectò cenſerem ego fruſtra tempus teri, vt quid perſuaderetur, aut rationibus probaretur tantæ ſtoliditati dicam, an malitiæ. Hos ergo mittentes, qui ſibi adeò viam obſtruunt ad veritatem, vt ne quidem miraculis conuertendi videantur : cum ijs agamus, qui non adeò contempſerunt genus humanum, vt omnem ei negent fidem; neque tam parum tribuunt prudentiæ, vt non poſſit voluntatem inclinare ad fidem adhibendam ijs, quæ ipſa credibilia ptoponit. Cum his enim, vbi propoſuerimus ſatis comprobatum vndique teſtimonijs humanis miraculum, licebit de fructibus ex eò percipiendis ſuauiter agere : Quorum primus eſt, quod miracula

Turpior eſt incredulitas credulitate nimiâ.

Fructus miraculorum.

miracula communiter Fidem in animis excitant, & Deum credere, Deum colere suadent & inducunt. Quis enim tam alienus à pietate, qui vbi rem euentumque nouũ à naturâ, ac ratione dissonum videt, non moueatur animo, & intimis præcordijs, & velut ictu quodam admirationis percuti se fateatur? atque ita clausos vel conniuentes aperit oculos, ad alta tollit, & numen aliquod in his agnoscit cui vni causam delegat: indè ad venerationem componitur, ad fidem disponitur. Alter magis distinctus, fructus est, quòd ad veram religionem ducunt, siue potiùs trahunt: fit enim diuinâ benignitate & arcanâ prouidentiâ, vt vera miracula nusquàm nisi in vera fide & à fidelibus patrentur. Tertius, qui ex hoc, quod præ manibus habemus, miraculo præcipuus exsurget, erit cultus erga Dei parentem singularis: cùm videbimus eum tam admirabili supra naturam opere à Deo & ipsâmet Virgine commendatum. Priùs tamen quàm ad narrandam miraculosam historiam accingor, non videor abs re facturus, si quid miraculum sit, & quomodo in genere diuidatur, indicauero.

Quid sit Miraculum.

Miraculum non vocamus hîc rem quamlibet insolitam, vel admirabilem, prout Poëtæ varias illas Prothei mutationes, & Historici septem stupendas illas mundi machinas vocant miracula; sed opus supernaturale, quod nec à naturâ, nec ab arte, nec ope alicuius creaturæ, sed à solo Deo, vel certè non sine eius adminiculo singulari, influxuque particulari, fieri potest. Requirit autem D. Thomas de potentiâ q. 6. art. 2. ad miraculum inprimis, vt causa secundùm se sit nobis occulta, qualis est Deus: deindè vt miraculum sit in re (vt ipse loquitur) vnde videatur aliter debere euenire. Vt si mortuus resuscitetur, dubitari non potest quin id fiat operante singulariter Deo; & si corpus mortuum Philosophiæ examini subijciatur, nihil in eo reperietur, vt inferas vitã ei debitam vllâ ratione fuisse. Iam claritatis & doctrinæ causâ miracula in quatuor veluti gradus, seu potiùs classes distinguunt, vt oblato quocunque euentu miraculoso constet quem in ordinem miraculorum is debeat referri. Si quid eueniet eiusmodi, quod natura nunquàm facere potest, sitque propterea secundùm substantiam facti supernaturale, id ad primam referunt classem: in qua recensentur ingressus ranarum in Ægypto ad thalamos regios, si is, (prout est traditio Hæbræorum) contigit per ipsos parietes; egressus Christi Saluatoris nostri ex vtero benedictæ & inuiolatæ Matris suæ; itẽ ex sepulchro lapide immoto; & similia, quorum vnumquodque maius dicitur miraculum, quò remotiùs est à facultate naturæ. At si res eiusmodi contingat, quam etiam natura moliri potest, sed non ex tali materiâ, aut in tali subiecto; ea ad secundam pertinebit miraculorum classem. Talis est resuscitatio mortui, productio hominis ex terræ limo: claudi aut cæci sanatio: fieri enim per naturam potest, vt homo producatur & viuat, vt neque sit cæcus, neque claudus; verùm vt è limo producatur, vel postquàm vitam, oculos, pedem amisit, ea recipiat; fieri non potest. Ad tertiam miraculorum classem ea spectant, quæ neque secundùm substantiam, neque secundùm subiectum, aut materiam sunt naturæ impossibilia, fiunt tamen à Deo eo modo qui sit naturæ impossibilis, hoc est, sine causis naturaliter efficientibus; talis est curatio morbi subitanea sine medicamentis, & similia: quæ natura quidem paullatim adhibitoque medicamento efficere poterat, ita tamen subitò, & nullis adhibitis auxiliantibus non poterat. Quartæ & infimæ classis miracula sunt quæ dæmoni quidem secundùm eum operandi modum & ordinem, & ex tali materiâ atque in tali subiecto etiam sunt possibilia; constat tamen aliundè eum hîc & nunc à Deo produci, & non à dæmone: ita constabat ignem illum, qui 3. Reg. 18. cap. ad preces Eliæ descendebat, non ope diaboli, sed Dei virtute descendisse: prouidentia enim Dei, quæ non patitur mortales tentari supra id quod possunt, non poterat committere, vt post talem Prophetæ sui stipulationem diabolus suos exaudiret per ignem. Aliquando inuida ac pessima diaboli natura luculento

Quatuor miraculorum gradus.

satis est argumento, id, quod admirabiliter contingit, non fieri eius operâ. Ita sanitates corporeas & vtilitates quasdam ad fortunæ bona spectantes, quas passim homines impetrant ad inuocationem, aut visitationem Sanctorum, satis constat ab inuido & peruerso generis nostri inimico non concedi: nisi fortè & illud ad Dei prouidentiam referri malis, sanandi & ditandi potestatem nunc diabolo vel nullâ ratione, vel rarò admodum à Deo permitti, ne nimia sit hominum tentatio. Quamquâm veteres quidam sentiant Deum permissurum Anti-Christo potestatem sanitatum: quod etiam de diuitijs à Theologis affirmatur, propter illud Danielis 11. *Dominabitur thesaurorum auri & argenti.* Hisce de miraculo prænotatis, facile erit de historiâ, quæ Festo huic occasionem dedit, statuere, quod sit non solùm inter maximâ Dei opera, sed etiam inter miracula referenda. Inter miracula, dico: quia non est naturæ opus, tam calido anni tempore niuem ita determinato in loco spargere, maximè cùm, prout inferiùs narrabitur, eâ intentione sparsam fuisse ex reuelationibus constet, vt templo aream designaret. Iam verò inter maxima Dei opera etiam censendum est illud, vnde tam latè sparsus Dei Deiparæque cultus: quodque tum temporis quando contingebat, & posteà semper fuit plurimis ad pietatem incitamento, & ad beatitudinem æternam auxilio. Non dico miraculum hoc fuisse inter miracula maximum, quamuis inter maxima Dei opera censeam referendum. Potest enim quidpiam, quod miraculum non sit, esse opus Dei excellentius atq; nobilius, magisque accommodatum ad gloriam Dei propagandam, alijs multis quæ inter miracula censeantur: potest item, quod in genere miraculi est minus, maius esse Dei opus, quàm aliud quod de ratione miraculi plus participet: quod patebit manifestiùs, si iustificationem impij, creationem mundi, vel vnius animæ rationalis (quæ vix inter miracula censentur) cum claudi vnius curatione conferas. Licèt namque hoc maius sit miraculum, quàm illa quæ diximus; non est tamen opus Dei tam magnum, quodque ita manifestet gloriam & potentiam auctoris sui. Verùm de his satis; nunc ad historiam festi accingor.

Magnum Dei opus & magnum miraculum distinguitur.

CAPVT II.

Festi præsentis historia, cæteraque in templo Mariæ ad Niues patrata miracula commemorantur.

QVOD acceptum cælitùs beneficium tanti facit Ecclesia, vt peculiari festo illud proponat celebrandum; eius credo historiam non ægrè feret pro concione fidelibus enarrari: cùm necessarium sit ad perfectam gratitudinem, nosse beneficium pro quo gratias agis benefactori. Cùm itaque celebremus festum B. Mariæ virginis ad Niues; festiuitatis occasionem, & acceptum in ea beneficium, explicabit sequens narratio. Ioannes Patricius, quo tempore vniuersæ Ecclesiæ præerat Liberius Papa, Romæ nobilitate, diuitijs, & præcipuè vitæ probitate excellebat: probitatem exornabat & fouebat singularis erga Dei Genetricem Virginem Mariam pietas & amor. Erat huic lectissima coniux, sanguine & virtute viro omninò par, nec præcipuo isto erga Deiparam affectu vllâ ratione inferior. Deerat his vnicum vitæ solatium, proles: in quam si amorem diuitiasque suas transfunderent, videbantur sibi etiam post mortem fore superstites. Obnixè ergo, crebroque instant apud Deum Virginemque Deiparam precibus, si hoc neque gloriæ diuinæ, neque saluti suæ incommodet, vt dignetur sibi hunc matrimonij fructum concedere. Dum hoc precum genere cælum sæpiùs fatigant, nec impetrant quod petunt; prout Christianos decet, id non repulsam, sed occultum Dei iudicium interpretati, sibi persuadent cordi non esse Deo, vt liberis

beris ipsi gaudeant: certiqúe benignissimum bonorum omnium Largitorem toties per Matrem, quam semper exaudit, interpellatum, non negaturum quod rogabatur, si id rogantibus expediret, concedere; Voluntati eius acquiescunt, atque aliò preces conuertunt: vt scilicet dignaretur Virgo Deipara opum suarum, quando pignore carebant, hæreditatem adire, ostendereque cuinam rei vellet eas ad suum obsequium impensas. Exaudiuit pia Mater orantium vota, eâque nocte quæ quintam Augusti antecedit, vtrique coniugi seorsum sese videndam offerens, dixit: Quem locum postridie in Esquilino monte niuibus coopertum reperirent, in eo sibi templum exædificarent, idque fore aditæ hæreditatis ac singularis sui fauoris indicium. Rem tam insolitam somno excitati inter se conferunt, visaque concordare animaduertentes, Pontificem Liberium adeunt: is de eâdem re diuinitùs certior factus, conuocat Clerum & populum, supplicationemque ad Esquilinum instituit: quò perducta supplicantium multitudo, admiratur niuem istâ anni tempestate, quando omnia Romæ torrentur æstu feruentissimo, aream in circuitu obtexisse, quæ sufficeret amplo magnificoque templo exstruendo. Notatur locus ac statim Ioannis Patricij sumptibus templum ædificatur, primum omnium templorum quod Romæ fuit cultui & honori Virginis Mariæ consecratum, appellatumque est tum ex rei euentu *B. Maria ad Niues*, alij *Basilicam Liberij* nominauêre; posteà varijs ex varia occasione vocatum est nominibus: nam ab instauratore Sixto III. *Sixti Basilica*, ab illato Domini Iesu Seruatoris nostri præsepio *B. Maria ad Præsepe*, ab ædificatis posteà pænè innumeris Romæ templis in honorem B. Mariæ Virginis, inter quæ hoc eminebat, *B. Maria Maior* fuit dictum. Magnificentiùs habitauit ab illo tempore B. Maria Virgo in Esquilijs, quàm olim Mæcenas, Augusti Cæsaris amicus, qui ibi hortos illos nominatissimos exstruxit; aut Nero, qui ibi palatium fatale ædificauit, quod ab incrustaturâ auri *aureum* vocauit, illud scilicet, vnde posteà ludibundus & exultans spectauit Romæ incendium. Exclusit hâc æde suâ Virgo Lucinam, seu Dianam: vera scilicet pudicitiæ custos, viarum præses, atque parturientium auxilium, eam quæ falsò tantis gaudebat nominibus, vti benè annotauit Andreas Fuluius, accuratus antiquitatum Romanarum indagator, lib. 2. cap. 6. *Eodem loco Ecclesia S. Mariæ Maioris ad Præsepe viget, quæ felicioribus quàm Diana auspicijs, nostris temporibus lucem & vitam largitur ijs, qui nascuntur.* Vide quàm singulari Dei prouidentiâ conditum sit ibi Præsepe Domini nostri Iesu Christi, vt scilicet intelligeremus quænam esset orbis Christiani Lucina, cui tùm vitam lucemque temporalem, quâ miserijs hisce nascimur, tum alteram spiritualem, quâ gratiæ renascimur, debemus acceptam. Conditæ sunt etiam in hâc Basilicâ reliquiæ S. Hieronymi, vt qui apud præsepe Domini viuens deliciatus fuerat, iuxta id mortuus in pace quiesceret. Ossa præterea S. Matthiæ, multorumque Confessorum ac Martyrum in eo templo recondita augent loci maiestatem, & inspirant inhalantque adeuntibus mutâ quâdam voce pietatem. Felix profectò tali hærede cum coniuge sua Ioannes Patricius, quæ nomen eius diuturniori memoriæ, quàm vel à nobilissimâ posteritate sperare potuisset, consecrauit! Felix tali miraculo & ornamento vrbs Romana, quæ hinc cepit pietatis istius erga Deiparam initium, quæ posteà tot in ea Ecclesias Deiparæ dedicauit! Felix, iterumque, ac tertiò felix tanto Virginis fauore orbis Christianus, qui plurima hoc in templo accepit beneficia, iterataque toties spectauit miracula, quæ non erit abs re hîc breuiter attingere.

Varia tẽpli S. Mariæ maioris nomina.

In hâc namque Virginis Basilicâ (vti narrant Carolus Sigonius lib. 1. de regno Italiæ, Pompeius Vgonius lib. de stationibus Romanis statione 8. & alij) grassante atroci illâ peste, quæ Romam afflixit & Pelagium Pontificem sustulit, S. Gregorius Magnus tempore Paschali supplicationem totius populi instituit, indeque cum Litanijs processit versùs Basilicam S. Petri, ad placandam

Miracula quibus hoc templum à Deo honoratum.

candam Dei iram : in qua solemni pompa deferebatur imago B. Virginis depicta à S. Lucâ, ac vbicunque imago procedebat, illicò pestilenti cæli grauitate & caligine dispulsâ, succedebat optatæ auræ claritas & salubritas: quin & iuxtà eam audita fuit melodia Angelorum concinentium: *Regina cæli lætare, alleluya: Quia quem meruisti portare, alleluya: Resurrexit sicut dixit, alleluya*; quibus succinuit S. Gregorius: *Ora pro nobis Deum, alleluya*; atque exindè hunc hymnum vsurpauit Ecclesia, quasi paschalis lætitiæ argumentum, ad congratulandum B. Virgini gloriosam Filij resurrectionem. Porrò ordo Romanus, & ex eo Baronius tom. 8 anno Christi 590. tradit imaginem B. Virginis delatam fuisse ab ipso Gregorio, dumque ille cum eâdem peruenisset ad molem Adriani Tyberi adiacentem, in signum reconciliati Numinis visum fuisse Angelum, qui nudatum gladium in vaginam reponeret: eoque symbolo luem cessasse significare voluisse, sicut priùs eadem per sagittas cælitùs delapsas fuerat præmonitrata, vti refert S. Gregorius lib. 4. Dialgo cap. 36. Memorabile item est, quod scribit B. Petrus, venerabilis Abbas Cluniacensis, S. Bernardo coæuus, lib. 2. Mirac. 30. nimirùm Romanos solere in vigilia Assumptionis B. Virginis offerre eidem ingentes cereos, eosque sub vesperam accendere in hâc eius Basilica, qui cùm totam noctem vsque ad ipsius festi diei horam sextam vel nonam arserint, reperiuntur eiusdem esse ponderis quod habuerunt antequàm accenderentur: idque miraculum continuò per centum annos durasse, & etiamnum durare ipse testatur. Tertium miraculum & beneficium à Virgine in hoc templo orbi collatum, refert Platina, Baronius, & alij in vita S. Martini : videlicet spatharium ob Olympio Exarcho submissum vt S. Martinum I. Pontificem in hac Ecclesia celebrantem occideret, dum ad altare accederet excœcatum fuisse. In eadem ipso Assumptionis B. Virginis festo, publicas Litanias peragens cum Clero & populo Leo IV. Pontifex anno Domini 847. vrbem à pestifero serpente, eum necando, liberauit; ita refert Anastasius Bibliothecarius, Baronius, & alij. Neque omittendum quod scribit Ioannes Nauclerus vol. 2. Generat. 34. de S. Henrico Imperatore, qui cum Sancta Cunegunde coniuge perpetuam seruauit virginitatem: Fertur inquit, de Henrico hoc, quod semper primam noctem ingrediens vrbem, solitus fuerit orando pernoctare in Ecclesia S. Mariæ Maioris. Contigit autem semel, vt dum solitarius oraret visus sit ei Christus, Pontificalibus indutus procedere Missam celebraturus: quem sequebatur S. Laurentius, & loco Subdiaconi Vincentius; post hos Virgo Dei Genitrix cum multitudine Virginum & Angelorum; dehinc Ioannes Baptista cum Patriarchis & Prophetis; post hos Petrus & Ioannes, cum ceteris Apostolis & Euangelistis; S. Stephanus cum Martyribus; S. Martinus cum confessoribus; Angeli inceperunt introitum: *Suscepimus Deus misericordiam*; & dum cantaretur, *dextra tua plena est iustitiâ*, omnes Christum & B. Virginem imitantes, extenderunt digitos in Henricum. Post Euangelium indicibili iubilo Angelus librum deosculatum à Christo præsentauit B. Mariæ, & post eam omnibus per ordinem deosculandum; demùm annuit B. Virgo Angelo, vt porrigeret librum etiam Henrico ad osculandum, dicens: *Præbe ei pacis osculum, cuius mihi virginitas placet*; & cùm præ nimio gaudio raptus nesciret ad plenum intendere, Angelus ipsum in neruo tangens, dicit: *Hoc tibi erit signum dilectionis Dei, propter tuam castitatem & iustitiam*, & exindè vsque ad mortem claudicabat: ex quo euentu vocatus est Henricus Claudus. Ex tot insignibus in hoc templo patratis miraculis satis patet quot rationes sint Ecclesiæ celebrandi festum B. Mariæ Virginis ad Niues; de quo iam iacto fundamento historiæ aspirante Virgine Deiparâ, sermonem instituemus.

Cerei ardentes incõsumpti.

Sicarius diuinitùs excœcatus.

Serpens occisus

S. Henrico visio oblata.

CAP.

CAPVT III.

Historia Festi & Euangelij consentiunt in extollendâ Virgineâ Mariæ fæcunditate. Quomodo hæc sit per Niuem significata.

QVi ex Euangelio discursus texũtur, eò suauiùs & libentiùs ab animis audientium suscipiuntur, quò magis cũ festo, quod celebratur, concordant: nam qui nullam habent cum eo connexionem, nescio quâ ratione extranei, & pro libitu concionatoris adducti videantur: qui verò ex vtriusque conspiratione præcedunt, tam pronas inueniunt auscultantium aures, vt omnes iudicent eos nullâ ratione omitti potuisse. Cùm ergo tam Festi quàm Euangelij historia palàm offerant de fæcundâ Mariæ virginitate materiam, visum est primùm eam breuiter non pro eius dignitate, sed pro imbecillitate nostrâ attingere, tum si quæ vlteriùs suggerantur adducere. Si enim vel primo intuitu *niuem* aspiciamus, quâ templo suo Virgo Deipara designat aream: numquid statim albedo eius, virginitatis candorem; vsus verò ipsius, quo, redacto ad terræ viscera intensoque per antiperistasim calore fructus agrorum fouet, fæcunditatem ob oculos ponet? Rursùm si inquiramus, cur æstuosissimâ anni tempestate niue potissimùm voluerit Virgo Deipara designare Ecclesiæ suæ locum; statim occurret, eam voluisse mentibus nostris proponere illam virtum priuilegiorumque suorum repugnantiam, quæ diuinâ quâdam virtute tam admirabiliter in ea conspirauit, vt non adeò mirandum sit niuem cum summo colore persistere, quàm in Mariâ nihil venustatem pudori, nihil demissioni grauitatem, nihil grauitati comitatem, nihil simplicitatem maiestati, nihil constantiæ facilitatem, nihil denique matris nomen virginitati detraxisse. Inter quam contrariorum consensionem, cùm maximè admirabunda sit fæcunda virginitas, ea iam potissimùm consideranda videtur: præsertim cùm Euangelica ista mulier voce magnâ nos eò vocet, exclamans: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*; quibus verbis eandem virgineam fœcunditatem laudatam esse demonstrabimus, quando eam nonnihil ex niuis qualitatibus celebrauerimus.

Natiuus candor niuis perpetuam Virginis puritatem designat.

Ac inprimis candor niuis sic est naturalis, vt cum eâ nascatur, nec anteà fuerit peregrino aliquo colore infecta, vnde ad tantam albedinem deuenerit: eius nimirùm symbolum, quæ ita mentis corporisque puritate excelluit, vt ipso conceptionis suæ instante omni caruerit labeculâ impuritatis, condita & concepta ipsâ niue candidior. De hoc eius originali candore, mentisque omnimodâ virginitate in Conceptionis immaculatæ Festiuitate egimus latiùs: nunc laudanda est non ea quæ omnis peccati est exclusio, sed quæ peculiari nomine Virginitas vocatur, excluditque à mente & corpore omnem carnalitatis actum & desiderium: quam virtutem celebrans Sabellicus lib. 5. cap. 6. dicit: *Fuit Deipara Christi mater non solùm virgo sed etiam virginum decus & specimen vnicum, vt nefas sit sanctissimum eius nomen in ordinem redigere, nisi prototypus sit virginitatis idea.* Hanc virtutem, in niue mixtum candori frigus adumbrat. Candor illud, quod in virginitate omnium oculos rapit, pudicum, modestum, graue, purum, & immaculatum refert: frigus autem, illud mentis corporisque temperamentum, quod nullis vnquàm potuit libidinis flammis non dico incendi, sed ne tentari quidem. Minimo enim recepto calore nix plurimum non tantùm de candore suo, sed etiam de substantiâ amittit: ita in Virgine Deiparâ, si vel leuiter tentata fuisset, aliquid perijsset de istâ virginitatis admirabilitate, quâ eam super omnes Angelos exaltamus.

Candor & frigus niuis virginitatem indicat.

Vbi etiam hæc aduertenda est virginitatis Marianæ cum niue similitudo, quòd nix in cælestium rerum numero habeatur, vtpotè supra nos in secundâ aëris regione formata; candorque eius sit extra omnem cum rerum aliarum albedine comparationem: vnde si quid veluti summoperè album extollere velimus, id niuis instar candidum appellamus. Eadem ratione non est de terrâ castitas Mariana, imò neque in prima cæli regione, quâ Angeli continentur, formata; sed altiorē sibi locum & ordinem vindicat. S. Bernardus serm. de natiuit. B. Virg. *Ne steteris inter Angelos, Virgo sacra, sublimiùs aliquid tuo tibi ministerio propinandum terra sitiens præstolatur.* Et S. Antoninus clarè 4. p. tit. 15. cap. 17. § 4. *In omnibus alijs viatoribus castitas est cum pugnâ contra fomitem, & cum casu ad minus imprimente veniale: & cum possibilitate cadendi etiam in mortale, exceptis sanctificatis in vtero & Apostolis spiritu sancto repletis, prout dicit Albertus. Sed in B. Mariâ fuit castitas sine pugnâ fomitis, & sine casu, & sine possibilitate cadēdi in mortale vel veniale. Nec solùm hominum viatorum, sed etiam Angelorum castitatem excessit: est enim primò multiplicior, quia Angeli eam solùm habent in spiritu, non in corpore, quod non habent; sed B. Maria in spiritu & in corpore est virgo: est secundò nobilior & vtilior, quia Angelis est naturalis, vnde nec meritoria: est tertiò gloriosior, quia in Angelis quasi necessaria, & sine pugnâ; in Mariâ verò voluntaria, & cum victoriâ.* Est ergo prorsùs supercælestis & superangelica castitas B. Virginis, cuius comparatione illustrari potest quæcunque alia puritas. Iam quemadmodum niui adest quædam fæcundandi facultas, orta ex ipso frigore, quod licet calori sit contrarium, facit tamen mirabili antiperistasi vt semina magis fotiuo terræ calore peruadantur: ita in Mariâ, cùm nihil magis fæcunditati aduersetur quàm virginitas, fecit tamen hæc ipsa vt fæcundaretur, materque prolis tam felicis existeret, nec tamen virginitatis gloriam amitteret. Comparatione eleganti virgineam eam fæcunditatem explicat ipsa Virgo Eccli. 24. *Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris.* Non vuæ, botriùe productioni comparat fæcunditatem suam, quòd nonnisi in discissâ vite gemma prorumpat, vnde deindè folia, flores, fructusque producuntur: sed *quasi vitis*, inquit, *fructificaui suauitatem odoris.* Hunc vtique vitis producit sine vllo læsionis vestigio: & Maria benedictum fructum ventris sui, qui fuit ipsa suauitas odoris, hoc est, omnium virtutum summa perfectio, effudit sine vllâ corporis sui læsione. Atque his modis dici potest natura niuis, quâ Virgo sibi templi locum circumscripsit, designasse virgineam fæcunditatem: magis autem, prout dixi, eam declarat actio tota coniunctim spectata cum suis circumstantijs. Quod enim æstuosissimo cælo niuem intactam & illibatam singulari miraculo seruaret, indicabat cōtra omnes libidinis æstus, quibus vniuersus terrarum orbis adurebatur, virgunculam tenerrimam (quæ citiùs quàm nix à sole videbatur dissoluenda) intactam & illæsam seruasse. Indicabat secundò, non minùs stupendam esse virginitatis atque fœcunditatis, quàm niuis & æstûs coniunctionem: atque hanc ob causam benè ab Ecclesiâ adducitur Euangelium, in quo virginea hæc fœcunditas inprimis extollitur, quod deinceps explicabimus.

Castitas B. Mariæ Virginis est ordinis altioris quàm aliarum creaturarum.

Frigus in niue causa fæcunditatis, vt castitas in Virgine.

Eccles. 24.

CAP.

CAPVT IV.

Omnis laudis Marianæ compendium verbis ijs continetur, *Beatus venter qui te portauit*: quia tangunt virginalem fœcunditatem & beatitudinem, tum eam quam Virgo in se habet, tum illam quam nobis confert.

IN Virginis Mariæ laudes, teste S. Bernardo, tota retrò Scriptura ac mundus vniuersus laborauerat. Sermone enim 3. super Salue regina, ait: *Non solùm cælum & firmamentum Domina rerum intelligitur, sed alijs nominibus conuenienter appellatur, & rerum vocabulis designatur: ipsa Tabernaculum Dei, Templum, Domus, Atrium, Cubiculum, Thalamus, Sponsa, Filia, Arca diluuij* &c. postquàm autem ingentem contexuit rerum nominumque diuersorum catalogum, subiungit: *Et vt breuiter concludam, de hâc, & ob hanc, & propter hanc totus mundus factus est.* Longum esset ire per omnes istas laudes, quæ ex singulis mundi partibus & singulis Scripturæ sententijs transferri possent in Mariam: vtque nos eo labore sublleuaret Marcella (id enim aiunt huic mulieri fuisse nomen) exclamat elogio compendioso quidem, sed energiæ pleniſſimo: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*; attingens breuiter omnis laudis fontem & originem, fœcundam Mariæ virginitatem: ad quam referri potest quidquid de Virgine dictum est à primâ mundi constitutione, & quidquid ad eiusdem extremam consummationem dicetur à pijs eius cultoribus. Quod autem vteri & vberum laude contineatur hæc fœcunda virginitas, è Canticis patet clariſſimè, vbi cùm sæpè eorum fiat mentio, nunquàm non cum maternitate virginitas connectitur. *Venter tuus* (aiunt puellæ Cant. 7.) *sicut aceruus tritici, vallatus lilijs.* Aceruo tritici comparant propter eam fœcunditatem, quâ edidit frumentum electorum & panem Angelorum; eum scilicet qui de se ipse dicit, *Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi.* Ioan. 6. & Ioan. 12. *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet.* Ceciderat enim in terram illam benedictam vteri virginalis: hinc non mansit solum, sed produxit aceruum ingentem tritici, omnium electorum. Qui aceruus cùm ventre virgineo etiam contineatur, quid mirum si dicatur: *Venter tuus sicut aceruus tritici* notando eius fœcunditatem; cui statim virginitas subnectitur, tanquàm si nefas esset fœcunditatis Marianæ meminisse, nisi simul virginitatis recordemur. *Vallatus*, inquit, *lilijs*, id est, habens pro vallo, sepe, ac custodiâ tuam ipsam pudicitiam. Eâdem ratione cap. 4. de vberibus agens Sponsus, dicit: *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in lilijs.* Cant. 4. Per vbera lacte plena manifestiùs etiam proditur fœcunditas, quàm per turgentem vterum, disputante Ven. Bedâ in Lucam lib. 4. cap. 49. *Quâ consequentiâ eius lacte credatur nutritus, cuius semine negatur esse conceptus, cùm ex vnius eiusdemque fontis origine, secundùm Physicos, vterque liquor emanare probetur? Nisi fortè putanda est Virgo sementiuam suæ carnis materiam nutriendo in carne Dei Filio suggerere potuisse, incarnando autem quasi maiori & inusitato miraculo minimè potuisse.* Beda. Ne autem quisquam de virginitate post partum dubitaret, cùm iam partus propter lactantia vbera negari non posset; addit: *Qui pascuntur in lilijs.* Sunt enim veluti duo hinnuli capreæ gemelli, pascentes ex corde puriſſimo super quod sita sunt, vnde quasi ex vberrimis pascuis puriſſimum illum attrahunt sanguinem, qui in candidum concoquitur lac: sanguis autem ille, quem attrahunt, eâdem ratione Spiritus Sancti operâ disponitur atque in lac transformatur, quâ ex puriſſimis

Vbique fœcunditati Mariæ continuò virginitas connectitur.

item eius sanguinibus eiusdem operâ conceptus est Christus. *Nunquàm visum est*, inquit Rupertus lib. 3. in Cant. *Simile in montibes, siue in collibus nostris, sed neque videbitur in sæculis superuenturis, vt vni capreæ fiant duo tales hinnuli gemelli: vt vni fœminæ contingat, quatenus eisdem vberibus & Filium lactet & virgo sit.* & lib. 1. in Cant. geminari putat pulchritudinis encomium propter fœcundam hanc virginitatem: *Pulchra es*, inquit, *decore virgineo, pulchra vnico Filio: taliter gemināta nullius vnquàm fuit, nullius erit, pulchritudo.* Meritò ergo dicimus Marcellam, quæ tam animoso clamore erumpit in laudes Matris Dei, oculos in fœcundam eius virginitatem intendisse, quando tantâ veneratione nominat vterum, vberaque Mariæ, quibus illa neque concipere, neque lactare Filium Dei voluisset, nisi priùs cælestis nuntius ei securam fore virginitatem spopondisset.

RVPERT.

Cur Beatæ Mariæ vterus laudetur.

Examinemus iam porrò orationem ipsius, & videamus quare ventrem hunc tam liberè beatum prædicet, cùm certum sit ventrem nobis omnis miseriæ & infelicitatis causam esse & originem. Deplorat hoc Propheta Regius Psalm. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus, sum & in peccatis concepit me mater mea.* In actuale peccatū, ceteraque ex eo sequentes miserias se incidisse non adeò mirandum indicat, cùm à ventre materno traxerit originale peccatum, omnium malorum fontem & originem. & Psalm. 72. de alijs dicit: *Alienati sunt peccatores à vulua, errauerunt ab vtero; locuti sunt falsa*; tanquàm si vterus fuisset ipsis errorum peccatorumque omnium officina. Imò (Plutarcho teste lib. de sepulchro) Ægyptij adeò ventrem humanum execrabantur, vt eum mortuis eximerent, tanquam peccatorum omnium, vt ipsi aiebant, causam. Non id negabat Marcella, sed vnicum Mariæ ventrem corruptionis massæ eximebat, ac directè ceteris opponebat, dicens hunc ventrem beatum esse, cùm ceteri omnes sint miseri; hunc esse bonorum fontem, cùm ceteri malis omnibus scaturiant; hunc denique adorandum atque laudandum esse, cùm alij sint ab initio maledicti istâ Domini sententiâ: *Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos: in dolore paries filios.* Beatus Virginis venter, quia omne bonum habuit quod ventri potest competere: nam beatitudo est status omnium bonorum congregatione perfectus. Bonum autem ventris omne consistit in puritate virginali, coniugali fœcunditate, & continentiâ viduali: iam probare hisce Virginem excelluisse, neque huius est loci, neque, si esset, rei claritas & certitudo permitteret; cùm adeò probata nunc sit virginalis fœcunditas, & mortuo Sponso non tantùm continentia, quàm etiam castitas & virginitas vidualis. Potiùs id videndum, num etiam beatus sit venter ille quoad nos? nam quoad se, eum satis deprædicat Sponsus, dum ait: *Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus*, quod parum esset ad nostram vtilitatem, nisi vers. 15. sequeretur: *Fons hortorum, puteus aquarum viuentiū, quæ fluunt impetu de Libano*; hoc est, tot ex te profluunt gratiæ, tantaque tui ac præcipuè ventris tui est venustas, vt sis instar fontis limpidissimi & copiosissimam aquam continentis, ita vt multos hortos irrigare queat: tuis enim abundantissimis gratijs, ac maximè fructu ventris tui benedicto multos reficere atque exhilarare potes. Sunt enim aquæ istæ iuges & perennes, cùm sis *puteus aquarum viuentium*; quæ nunquàm deficiunt, & semper impetu magno *fluunt de Libano*, hoc est, de ventre tuo, lilijs castitatis circumuallato, & tanquàm aceruis tritici fœcundo. Est ergo beatus venter ille quantum ad nos beatificandos, quia est nobis fōs vitæ, vnde fluxit vita nostra Christus, veniens ad redemptionem mortuorum, ad reparationem perditorum, ad viuorum saluationem, ad lapsorum erectionem, ad ereptionem incarceratorum qui sedebant in tenebris & ambulabant in vmbra mortis. Est nobis arca, verum continens manna, quo reficimur: hinc dicitur, *Venter tuus sicut acervus tritici.* Et nobis crater, vnde bibamus, *vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquàm indigens poculis.* Cant. 7. Est fons patens Domui Dauid, de

Cant. 4. Vterus B. Mariæ Virginis nobis est fons benedictionum.

cuius

cuius aquis ait Dominus Ezech. 36. *Effundam super vos aquam mundam*, Quâ scilicet criminum nostrorum maculæ abluantur. Est apotheca; quia *altissimus creauit de terrâ* vteri virginalis nobis *medicinam*. Est sacculus, qui continuit pretium nostræ redemptionis. Tot denique redundat in nos beneficijs, vt cum omnibus laudari titulis, tum vel maximè *beatus* dici possit, quia nos omnium bonorum aggregatione cumulat.

CAPVT V.

Virgo Deipara non tantum mater est Christi, sed etiam mater fidelium: id quod in eâ laudat Christus Dominus in Euangelio.

HACTENVS fœcundam Dei Genetricis virginitatem, occasione præconij quod ei dederat Marcella, laudauimus: iam tempus est, vt ad Christi responsionem vertamus animum, & quid ipse in Matris gloriam adferat, examinemus. Hæretici verba hæc, *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*, reprehensionem piæ mulieris interpretantur: ijsque prohibitas Mariæ laudes quàm stupidè fingunt, tam pertinaciter defendunt. At ij, quibus Ecclesiæ authoritas est vna sentiendi loquendique regula, dum ea publicè audiunt in honorem Deiparæ decantari, satis certò sciunt non prohiberi, sed commendari laudes virgineas in hoc Euangelio: vnde sequitur, responsione Saluatoris nihil detractum, sed potius multum additum ijs, quæ Marcella decantabat, encomijs. Pro quo vulgata est & clara S. Augustini aliorumque SS. Patrum explicatio, qui hoc à Christo notatum putant, quod felicior fuerit Virgo Deipara eo quod verbum Dei obseruauerit, quàm quod Deum conceperit: quodque ei parum maternitas profuisset, nisi felicius Christum mente quàm corpore gestauisset. Quæ doctrina, vt fateri debemus quod certò sequitur ex verbis istis, *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*: ita non prohibet quin alium adhuc eorundem verborum sensum indagemus, mentemque de more variâ Scripturæ interpretatione pascamus. Igitur si diligenter mentem aduertamus ad Marcellæ Christique verba, duplicem Mariæ maternitatem laudatam reperiemus: alteram quâ Christi mater existitit, à Marcella laudatam; alteram, quâ omniũ nostrùm verè est genetrix, à Christo depredicatam. De priore iam dictum est; de posteriore mentionem fieri à Saluatore nostro patebit, quando eam verè *Matrem nostram* esse fuerit probatum. Matrem dico, non quod nos protegat, adiuuet, pro nobis intercedat; ob hæc enim Matrem misericordiæ appellamus: neque, quod ipsa salutem nostram summè desiderauit & obtinuit; quodque pendente in cruce Filio per extremos compassionis dolores nos verè cum Christo in adoptionis filios generauit, id quod S. August. Anselmus, Bernardinus Senensis tanquàm singulare maternitatis genus deprædicant: sed quia, cùm fuerit vera mater Filij Dei in carne, nos verè & realiter in illo produxit. Neminem offendat propositio quia est præter opinionem, antequam ex Apostolo probetur quod non sit præter veritatem. Multis hic agit ad Ephesios 5. vt maritis amorem persuadeat erga vxores, sed inter omnia vnicam rationem maximè inculcat: *Qui vxorem suam diligit, seipsum diligit; nemo enim vnquàm carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut Christus Ecclesiam*. Benè habet comparatio: identitatem eandem statuit inter Christum & nos, quæ est inter virum & mulierem: hanc autem tantam esse priùs affirmauit, vt qui vxorem suam diligit, verè seipsum diligere dicatur. Sed rationem identitatis audiamus: *Quia membra sumus*, inquit, *corporis eius, de carne eius & de ossibus eius. Sacramentum hoc magnum est*. Exi-

Quomodo B. Virgo verè sit mater nostra.

Ephes. 5.

Ibid.

ſtimabam enim ego, quemadmodum de primo Adamo ſecundum carnem formati ſumus, nulla autem ratione ſecundum Spiritum; ita nos de Adamo cæleſti in ſanctificatione à Spiritu eius deſcendere, nulla autem ratione de carne eius: at contrarium hic inculcat Apoſtolus. Comparat enim formationem de carne Chriſti ei, quæ facta eſt, Euæ de corpore Adami: de qua ſicut ipſe verè dicebat, *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne meâ*; eâdem ratione Apoſtolus loquens de formatione noſtra ex ſecundo Adam, corpus carnem, oſſa, nominat: *Quia membra ſumus corporis eius, de carne eius & de oſſibus eius.* Non explicant myſterium qui dicunt nos ſimilis omninò carnis eſſe & corporis, qualis fuit Chriſtus Seruator noſter: nam & eiuſdem carnis ſumus cuius fuit Moyſes, imò cuius Pharao & Iudas, non tamen idcircò dicimur mẽbra de corpore & oſſibus ipſorum. Dicendum ergo, quemadmodum de corpore Adami dormientis formata eſt Eua, quod eadem ratione de Chriſti in cruce morientis corpore formata ſit Eccleſia: non quòd executio formationis fuerit corporea, ſed quod verè de corpore, carne, & oſſibus eius ſpiritualis illa generatio ſit facta. *Sacramentum hoc magnum eſt* quod de carne & oſſibus procedant filij Spirituales. *ego autem dico* (ait Apoſtolus) *in Chriſto & in Eccleſia.* Sed priùs videamus quomodo ſit factum in Adamo & Euâ. Sumit Deus coſtam Adami, partem ſcilicet corporis eius duram, & inde format mulierem, ſexu fragilem & corpore mollem: nec reſtituit Adamo os pro oſſe ablato, ſed carne replet locum, vt ſcilicet debilitas viri fortitudo eſſet mulieris. Nonné hoc eſt quod dicitur: *Quod infirmum eſt Dei, fortius eſt hominibus*? Chriſtus enim infirmatus eſt vt nos confirmaremur, ipſe mortuus eſt vt nos viueremus: partem debiliorem carnem ſuam expoſuit, vt illâ nos ederemur in filios Spirituales: non armat ſe diuinitate ſua vt ictus aduerſariorum excipiat & repellat, ſed vt nos formemur & ſimul firmemur, debilem ſe oſtendit & abſcondit fortitudinem ſuam; omnes impetus carne ſua excipit, quia ex illa nos producendi. Mirabile pugnæ genus. Nos, quia corpore carnei & infirmi, pugnaturi, chalybem nobis circumdamus, & debile fortiori tegimus: contrà Chriſtus Dominus noſter diuinitatem ſuam (quæ lorica erat fortiſſima) carne debili cingit, & ita in aciem porgreditur, carne tanquam loricâ circumdatus: illa enim vincendus erat aduerſarius; illa vulneranda, vt nos ex ſanguine & carne eius prodiremus noua progenies. Huc reſpiciens S. Methodius, Virgini Deiparæ ait in Hypan. Domini: *Tu potentem illum corpore ta quam decenti panopoliâ induiſti.* Corpore autem iſto victus eſt hoſtis: quod neceſſarium erat antequam nos poſſemus de tenebris edi in lucem, & generari in filios adoptionis. Nihil autem horum perfici poterat, niſi Virgo Deipara qua ratione factum eſſe credimus, intaminato corpore Filium Dei produxiſſet. Ratiocinatione hæc acuta & more ſuo ſententioſâ comprehendit S. Leo Serm. 2. de natiuit. *Non iuſtè*, inquit, *diabolus amitteret originalem deditity generis ſeruitutem niſi de eo quod ſubegerat vinceretur: quod vt fieret, ſine virili ſemine Chriſtus editur ex Virgine.* Nos ergo de carne iſtâ producti in lucem, filij ſumus Chriſti, & conſequenter Mariæ: ſi dicere non licet, ſecundum carnem; certè de corpore, carne, & oſſibus eorum. Et hoc eſt quod miratur Iſaias, dicens cap. 9 *Generationem eius quis enarrabit*? non tantum paſſiuam eam, qua ipſe ante luciferum genitus eſt à Patre; ſed etiam actiuam, quâ ipſe nos in filios Spiritus de carne ſuâ produxit: ideoque vocat eum *Patrem futuri ſæculi*: & omnium Chriſtianorum ore loquitur, dum ait: *Tu enim pater noſter, & Abraham neſciuit nos, & Iſraël ignorauit nos: tu Domine pater noſter & redemptor noſter.* Hanc ob cauſam S. Matth. nos *filios ſponſi*. S. Ioan. *filios lucis* appellat, quia nimirum verè ſumus filij Domini noſtri IESV Chriſti. Itaq; ſi verè mater omnium dicitur Eua, quòd ab eius poſteritate producti ſumus; optimè mater noſtra dicetur Maria, de cuius Filij carne & oſſibus nos ſumus procreati. Aq; hanc maternitatem

De corpore & carne Chriſti morientis formata eſt Eccleſia.

1 Corinth. 1.

METHOD.

S. LEO.

ternitatem Vitginis maternitati diuinæ à Marcella laudatæ adiungit Christus, quando dicit, *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*: quod est signum eius, de quâ agimus, filiationis.

Maria artificiosè in Euangelio à Christo laudata.

Notà autem panegyris huius artificium. Christum præcipuè laudare intendebat Marcella, & erumpit in laudes matris ipsius, dicens: *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti.* Contrà verò Christus augere volens Matris iam laudatæ gloriam, ad laudãdos filios eius regreditur, dicitq; *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Quod idem est ac si dixisset: Si beatam tu Marcella prædicas matrem meam, quia ipsa me peperit Filium beatissimum; vidè ne omittas laudem eius & beatitudinem, quâ eam afficio, quando ei tot filios alios beatos produco, *qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud*: quos dum ego beatos voco, matrem eorum laudo, quêadmodũ tu vocans beatam matrem, me Filium eius extollis. Et vide in Christi verbis clarè sensum hunc inuolutum. Dicebat mulier, *Beatus venter qui te portauit*: at Christus, Quinimò venter iste non vnicum me portauit, vt propter me vnicum beatum Filium beatus sit ille dicendus, sed omnes qui audiũt verbum Dei beati sunt, ac propterea beatissimus venter matris, qui omnes portauit. Ideo in canticis *aceruo tritici* comparatur venter iste, quia granum quod in eo fuit, aceruum ingentem protulit, qui non secus erat in ventre Mariæ, quàm duæ gentes erant in vtero Rebeccæ. *Ipsa est ager minimè cultus*, inquit S. Epiphanius, *quæ verbum velut granum frumenti in se suscipiens, etiam manipulum germinauit.* Et S. Bernardinus Senensis disertè omnes filios gratiæ, viscеribus eius inclusos fuisse affirmat. *Quinimò*, inquit, *ita vtex tum omnes in suis visceribus baiulauerit, tanquàm verissima mater filios suos.* Superuacaneum esset plura SS. Patrum testimonia adducere, quibus confirmetur nos ab eâ gestatos & genitos fuisse, cùm id satis iam ex dictis liqueat & satis iam intelligatur verborum istorum sensus: *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

Cant. 5.

Epiphan.

CAPVT VI.

Nix miraculosa repræsentat Virginem, miraculorum miraculum, & miraculorum officinam.

VMQVID *ingressus es thesauros niuis?* interrogat Prophetа Iob, vt curiositatem nostram moueat ad indagandum quanta in niue lateant prodigia & arcana diuinæ laudis mysteria. Ingrediamur ergo thesauros istos niuis, & indè doctrinæ pro intellectu, piæ motionis pro voluntate diuitias colligamus: inueniemusq; primò eos apertos non fuisse nisi potentiâ, quæ sit humanis viribus maior. Insinuat hoc idem Propheta c. 37. *Tonabit*, inquit, *Deus in voce suâ mirabiliter, quia facit magna & inscrutabilia.* Patet ex hâc captatione attentionis quod descripturus est potentiæ opera, quæ non sunt nisi illius qui facit magna & inscrutabilia: enumerans autem ea, incipit: *Qui præcipit niui vt descendat in terram, & hyemis pluuijs, & imbri fortitudinis suæ.* De hyemali niue loquitur, eamq; potentiæ diuinæ assignat, tanquàm stupendum eiusdem effectum. Quid diceret de eâ, quæ media æstate, tempore prorsus alieno descenderet? diceret illam inter naturæ opera esse mirãdam, hanc verò supra naturæ vires admodum esse venerabilem. Et decebat sanè vt miraculo tam insigni cultus Deiparæ stabiliretur, cùm ipsa sit miraculorum omnium maximè stupendũ miraculum, & simul officina omnium miraculorum. Id quod iucundum erit occasione miraculosæ huius niuis ostendere; ac per cæleste niuis prodigiũ, quod apparuit in terris, ad terrænostræ miraculum quod apparuit in cælis, ascendere.

Omnium

B. Maria Virgo miraculum vocatur à S. Ioanne & alijs. Apoc. 12.

Omniũ primus qui Virginem miraculi aut prodigij nomine insigniuit, fuit custos eius ac saccellanus Euangelista, qui Apocal. 12. ait: *Signum magnum apparuit in cælo.* Signum in sacris paginis significare miraculum, ex aliorum locorum collatione est manifestum. nam Psalm. 134. Dauid ait: *Misit signa & prodigia in medio tui Ægypte*; & Act. 5. *Per manus autem Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe.* quæ clariora sunt, quàm vt explicationis face aliquâ illustrari debeant. Qui ergo Virginem vocat *signũ magnum*, vocat eam miraculum magnum atque prodigium. Euangelistam sequitur S. Ignatius, qui ipsimet Ioanni scribens, Virginem appellat *cæleste prodigium & sacratissimum speculum.* S. Ioannes Damascenus orat. de natiuit. exclamat: *O miraculum*, inquit, *omnium miraculorum maximè nouum!* S. Ephrem orat. de Deiparâ, eam salutat in hunc modum: *Aue præstantissimum vniuersi orbis miraculum.* Repetit & inculcat hanc appellationem D. Epiphanius orat. de Deiparâ, dicens: *O Virgo Sanctissima, quæ exercitus Angelorum in stuporem deduxisti! stupendum enim est miraculum in cælis, mulier amicta sole. Stupendum miraculum in cælis, mulier gestans lucem in vlnis. Stupendum miraculum in cælis, alter thronus Cherubicus. Stupendum miraculum in cælis, mulieris Filius, qui & ipsius & sæculorum est Pater. Stupendum miraculum in cælis, thalamus Virginis habens Filium Dei Deum sponsum, Christum. Stupendum miraculum in cælis, Dominus Angelorum, infans B. Virginis effectus est.* Sed quid sententijs opus, cùm res loquatur omnia congesta esse miracula, vt Maria digna Dei mater consurgeret? ipsa namque in æternâ prædestinatione post Christum, vel cum Christo singulariter electa & præelecta: ipsa legis antiquæ Patribus multò antequàm nasceretur promissa: ipsa mystiois præfigurata prodigijs, Propheticis prænuntiata vaticinijs, Sibyllarum prædicta, oraculis. Perge porrò, accede ad vitæ limina, & omnia quæ vspiam stupes, inuenies miracula. Ab Angelo nascitura prædicitur, ex sterilibus nascitur, Patriarchali, Prophetali, Sacerdotali, ac Regiâ nobilitate insignis: ab originali peccato, etiamnum multis incredibili priuilegio, præseruatur: ab ipso conceptionis initio sic in gratiâ cõfirmatur, vt ne quidem venialiter, nedum mortaliter Deum possit offendere: fomes peccati exstinguitur, lex membrorum & inferioris partis rebellio domatur. Quis hæc suprà omnia admirabilia non stupeat, exclametque cum S. Bonauentura in speculo virg. c. 7. *Opus Domini mirabile est Maria, de quo dicitur in Ecclesiastico: Vas admirabile, vas excelsi. Verè opus mirabile, quia nusquam inuenietur simile. Vnde hoc dicitur: Non est factum tale opus in vniuersis regnis: non in regno cælestium, nec terrestrium, nec infernorum: hoc enim opus plenum est Dominica gloriâ, quia supra omnem puram creaturam resultat & relucet plenissimè in B. Mariâ nam præter assumptam à Verbo naturam, nullum est opus, nulla creatura, in quâ tanta diuinæ gloriæ materia reluceat, sicut in Maria.* Ipsa namque primo conceptionis instante rationis vsu fuit donata: ipsa ex tunc voto virginitatis se Deo consecrauit: & vt plena esset relucente in se plenissimè Diuinâ gloriâ, ab eo instante mereri incepit, nec vnquàm meritum, nequidem dormitione, interrupit: ipsa denique non tantum virtutibus cunctis, tum moralibus tum Theologicis, sed etiam omnibus gratijs gratis datis ab initio conceptionis fuit exornata. Progrediamur æqualibus cum vitâ eius passibus, nónne vbique prodigium & stupor? Trimula Deo in templo per votum consecratur: sine humano adiutorio templi gradus conscendit. Quid enarrẽ castissimam eius cum Patriarcha Ioseph desponsationem? quid ineffabilem Filij Dei incarnationem, quâ gremio suo concluserit quem cæli capere non poterant, & Dei mater effecta est per tot inaudita prodigia? Lege, & obstupesce: Spiritu S. obumbratur, mater fit & permanet virgo: prægnantiũ tædia non sentit, absq; dolore parit, permanẽte virginitatis sigillo partum diuinum edit. Deinde triginta annis cum Deo familiariter cõuersatur, morti eius assistit, doloriquem

indè

inde percipiebat, superstes, imò & gaudio quod percepit ex eiusdem gloriosâ resurrectione: Filium ascendentem est oculis vsque ad ipsum cœli empyrei fastigium comitata, quãdo Apostolis non licebat nubes penetrare. Neque miraculorum minimum fuit, Virgo Apostolos docens, Martyres animans, Confessores exhortans, Virgines instruens, ac totam consolans Dei Ecclesiam, donec ipsa non morbi violentiâ, sed amoris dulcedine exspirans, spiritum suum in manibus Filij sui edidit, præsentibus cunctis Apostolis. Demùm corpore & anima in cælum assumpta, ad latus Filij sui collocata fuit. Quisquis mentem per tanta miracula versauerit, Chrysologo suffragabitur dicenti: *Quantus sit Deus satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur. Pauet cælum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit &c.* Certè omnia non tantùm naturæ repagula, sed ipsas, si quæ sint, miraculorum leges superauit Maria: vt iam non sit tantùm supra naturam, sed etiam supra miracula & gratiam prodigium atque stupendum miraculum. Audi S. Bernardinum de diademate, quo coronata est Regina Esther, differentem tom. 1. conc. 61. art. 3. cap. 3. *Istud est diadema speciei & gloriæ corona, quâ B. Virgo super Angelos coronatur, vt intra Trinitatis gloriam ipsa sola amplius sit euecta, ac plus SS. Trinitatis diligat gloriam, cupiat, sentiat, ac fruatur, quam omnis alia pura creatura simul sumpta.* His probatum maneat Virginem miraculorum omnium esse miraculum. At miraculorum simul esse officinam vnica satis superque docet S. Bernardi sententia, quam non pigebit, hîc, licèt longiusculam, describere. Homiliâ 2. super *Missus est*, enarrans illud Ierem. 31. *Nouum creauit Dominus super terram, fœmina circumdabit virum: Verto*, inquit, *ad conceptum, partumq; virginalem, si fortè inter plurima noua ac mira, quæ ibi profecto inspicit qui libenter inquirit, etiam hanc, quam de Propheta protuli, reperiam nouitatem. Porrò ibi agnoscitur longitudo breuis, latitudo angusta, altitudo subdita, profunditas plana: ibi agnoscitur lux non lucens, verbum infans, aqua sitiens, panis esuriens. Videas, si attendas, potentiam regi, sapiẽtiam instrui, virtutẽ sustentari: Deum denique lactentẽ, sed Angelos reficientem: vagientem, sed miseros consolantem. Videas, si attendas, tristari lætitiam, pauere fiduciam, salutem pati, vitam mori, fortitudinem infirmari. Sed quod non minùs mirandum est, ipsa ibi cernitur tristitia lætificans, pauor confortans, passio saluans, mors viuificans, infirmitas roborans. Et inter hæc noua, fœminam agnosce virum circumdantem, cùm Mariam videas virum approbatum à Deo, Iesum, suo vtero circumplectentem.* Et paulò infrà dicit: *Fœmina circumdans virum, iuxta Isaiam, virgo est concipiens Deum.* Vides quàm stupendum sit hoc vnum de Beata Virgine & in Virgine factum miraculum, quod tot miracula præuenerunt? Haud iniuriâ officina miraculorum dici potest, in qua & circà quam tot patrata sunt diuinę potentiæ prodigia. Concludat ergo caput hoc S. Cyprianus ser. 3. de natiuit. qui stuporem suum prodit his verbis: *O Domine, quàm admirabile est nomen tuum! Verè tu es Deus, qui facis mirabilia. Non iam mundi huius structuram admiror, non stabilitatem terræ, cum eam complectitur volubile firmamentum; non singulos dies, non lunæ defectum & incrementum, non solem semper integrum & laborem eius perpetuum; non temporum vicissitudines, in quibus quædam arent, quædam virent, & quæ mortua modò videntur deinceps reuiuiscunt. Miror Deum in vtero Virginis, miror omnipotentem in cunabulis; miror quomodo verbo Dei caro adhæseri, quomodo incorporeus Deus corporis nostri tegumentum induerit, miror in hac dispensatione tanti dispendia temporis, & tam lentos processus ad obedientiam Saluatoris &c.*

Virgo miraculorum officina.

CAPVT VII.

Conciliantur duo loca Prouerbiorum de niue æstiuâ; & quantâ consolatione hæc Ioannem Patricium affecerit ostẽditur.

IANQVAM si præuidisset historiam, quæ festiuitati huic occasionem dedit, ita in Prouerbiis suis ad eam alluſit Sapiens, dum ait: *Sicut frigus niuis in diebus messis, ita legatus fidelis ei qui misit illum, animam ipsius requiescere facit.* Pro cuius explicatione quæri solet, quid vocet Sapiens *frigus niuis in diebus messis*, cùm tunc nix minimè reperiatur, sed æstus latè per agros camposque dominetur, & inuisa sit vel ipsa pluuia messis tempore. Rem nonnulli transferunt ad eas diuitum delicias, qui seruare solent niuem collectam in hyeme, illique pocula & cyathos imponere vt frigidum bibant: imò niuem ipsam vino permistam bibere nonnulli consueuerunt, totâ id improbante Medicorum scholâ, vt frigidius bibant. Alij per *frigus niuis*, non niuem, sed auram ventumque maximè Aquilonarem intelligunt, qui per loca niuibus consita, v.g. Alpes, transiens, inde frigus contrahit, idque ad subiectas valles defert, atque messores æstuantes refrigerat. Alij denique ipsam niuem volunt simili vento ex montibus niuosis excuti, & ad subiectos messores deferri, itâque eosdem frigore grato recreari: atque tum optimè comparari aiunt à Scripturâ sollicitudinem æstui, frigus niuis legato fideli. Primò, quia sicut æstus corpus, sic sollicitudo animum vrit & cruciat: legatus verò fidelis instar niuis, vel auræ niuosæ hanc vstionem & cruciatum lenit ac sopit, tum quia in eius fide requiescit animus Heri anxius & sollicitus, tum quia re ipsâ experitur per eum fideliter & feliciter negotia sua curarum plena transigi & expediri. Secundò, quia sicut ventus est velox, & velociter frigus niuium ad messores defert: ita & legatus fidelis velociter res heri sui perplexas conficit, eumque sollicitudine leuat & pacat, vt placidè in eius fide conquiescat. Tertiò, sicut frigus niuis in messe homines æstu grauatos & messores metendò anhelantes eò magis recreat, quò magis rarum, nouum & inexspectatum obuenit: sic pariter legatus fidelis rarus est, & subinde suâ diligentiâ præuenit & superat exspectationem heri mittentis eum, eoque magis eum lætificat & exhilarat. Verũ, cum veneratione sepositis omnibus hisce expositionibus, videtur clariorẽ explationẽ ab historiâ hodiernâ accipere textus. hîc enim *nix* vera est *in tẽpore messis*, eaq; adeò grata, vt vix imaginer qui possit legatus vllus gratior accidere mittenti se, quàm nix hæc fuerit Ioanni Patricio, eiusque lectissimæ coniugi, diu æstuantibus consolationis cælestis desiderio. Abstersit enim nix ista dolorem omnem, quem coniuges isti percipiebant ex carentia prolis & hæredis tot precibus petiti: impleuit desiderium illud, quo expetebant scire quâ in re possent Virgini Deiparæ gratissimum exhibere obsequium: refecit ipsos tanto cælestis consolationis refrigerio, vt benè locatas arbitrati sunt, cùm iis emere possent tantam dulcedinem. Dein animam ipsorum requiescere fecit nix ista, quando iam impensis in Virginis obsequium diuitiis suis, Christianâ paupertate opulenti, cum securitate exspectabant eam horam, quæ etiam corporibus erat datura requiem.

Prou. 25.

Legati fidelis & niuis æstiuæ collatio.

Non de alia niue, quàm de nostra hac miraculosa versum hunc Prouerbiorum intelligi deberi, colligi etiam posset ex primo capitis subsequentis, vbi dicitur: *Quomodo nix in æstate, & pluuia in messe; sic indecens*

Nix in æstate noxia, vt stulto gloria.

est

est stulto gloria. Gloriam stulto esse quàm maximè inconuenientem patet, quia ipsi est noxia: improbus enim nocet sibi dum gloriâ abutitur ad fastum; & nocet aliis, dum eos premit & opprimit: nocet Reipublicæ, dum eam expilat, & in eam suam improbitatem & vitia transcribit. Igitur sicut frigida nix, vel pruina, quæ subindè cadit sub initium æstûs & æstatis, suo frigore primos flores & fructus protubetantes enecat: & sicut pluuia in messe segetes iam maturas sternit, humectat, putrefacit, corrumpit: sic & honores collati stulto, in iuuenibus primos virtutis ardores hebetant & enecant, dum vident stultitiam & improbitatem honorari; in viris verò maturos iam virtutum fructus corrumpunt, dum sibi viuere volunt, nec Rempublicam capessere, vtpotè quam viderint à stultis regi; aut certè si ad eius regimen aspirent, stultorum viam incunt, & cum stultis stulteseunt, & cum impiis impiè agunt. Eâdem ratione noxiam esse dicit Sapiens æstatis ac messis niuem. At quomodo stultitia quæ est propter Deum, minimè est noxia, & conuenientissimè à sapientibus honoratur: ita nix quæ tempore messis à Virgine Deiparâ iubetur in terram descendere, non est noxia, sed nuncia gaudij & felicitatis. Quando ergo Sapiens de niue agit quæ tempore messis existeret, de ea agit quæ cælitùs demittitur, eique Legatum comparat: quando verò agit de ea quæ noxia est & indecora, vt stulto gloria; niuem intelligit quæ fortè æstate caderet, & fata læta boumque labores frigore suo exureret. Hâc ergo ratione conciliantur duæ istæ Sapientis sententiæ, prima fronte sibi inuicem frontibus aduersis oppositæ: & simul intelligitur quantâ consolatione nix hæc æstiua Ioanem Patricium affecerit, quantâque nos debeat afficere eiusdem recordatio, quandoquidem non minor inde fructus ad nos peruenturus sit, quàm ad illum iam peruenerit.

CAPVT VIII.

Venter B. Mariæ Virginis sumentibus sacram Eucharistiam est Clibanus, Nauis, Mensa, & Crater tornatilis.

CVm duo sint nobis proposita, Euangelium & Festi historia, non iniucundâ spero vicissitudine ab hâc ad illud transilimus: maximè, cùm tam altâ voce virgineas laudes decantet ista mulier, vt semper tinniant in auribus eorum, qui singulari sunt erga Deiparam affectu. *Beatus*, inquit, *venter qui te portauit*, hoc est, qui te nobis attulit tanquam *nauis institoris de longè portans panem*, non illum qui nutriat mortalia corpora, vt perueniant quâ tardissimè ad mortem omnibus fatalem; sed illum qui animos credentium reficit, quò certiùs attingant promissam sibi vitam æternam. Quapropter hoc capite cum iis agendum, qui singulari pietatis sensu ac gustu internæ consolationis sumere cupiunt Panem illum supersubstantialem, qui nobis fuit in vtero Mariæ tanquam in clibano coctus, tanquam in naui allatus, & tanquam in mensa propositus: hi namque tanquam flabello æstum pietatis suæ accendent, si venienti ad se Domino his verbis blâdiantur, *Beatus venter qui te portauit & vbera quæ suxisti*: recordati non tantùm ingentis illius beneficij, quod à Domino accipiunt quâdo ipse Dominus Dominorum ad seruos inutiles & fugitiuos tantâ dignatione descendit, eosque carne suâ & sanguine tam mirabiliter & ineffabiliter nutrit; sed etiam illius, quod à Virgine Deiparâ hoc in ipso mysterio

percipiunt, quandoquidem illa, vt dixi, clibanum, nauem, mensam iis de corpore suo exhibuerit, sine quo panis ille neque confectus, neque allatus, nobisque propositus fuisset. Et de clibano authorē habeo S. Epiphanium, qui serm. de laud. Deiparæ ait: *Aue clibanus intellectualis, qui ignem & panem vitæ calidum mundo in esum attulit, de quo Saluator mundi Christus ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur in remissionem peccatorum.* Confectus erat hic panis, authore S. Bernardo, ex farinæ satis tribus, nempe Diuinitatis, animæ, & corporis: quæ accipiens mulier benedicta in mulieribus (illa ipsa in cuius castis visceribus, superueniente igne sancti Spiritûs, coctus est panis) immisit in ea fidei suæ fermentum, & pio suo consensu miscuit, ventrisque sui clibano coquenda imposuit. Leuit. 2. dicitur: *Cum ergo obtuleris sacrificium coctum in clibano* (hoc est, vt glossa explicat, in vtero B. Virginis) vel *sacrificium similæ quod coquitur in clibano* (quo signatur partus virgineus, eâdem glossâ interpretante) recorderis ventris illius virginei, illique benedicas, quia in ipso confectus est panis ille, sine quo vita nostra sustentari non potest. Sed parum est coctum esse panem, si longè à nobis in aliis regionibus sit, nec reperiatur qui eum nobis adducat. Vbi rursùm omnia debemus vtero castissimo Virginis, cui panis hic tanquam naui impositus delatus est ad nos: ideo à Sapiente dicitur facta *quasi nauis institoris de longè portans panem suum.* Hebraicè dicitur, *Sicut nauis circumeuntis*: vt indicetur quòd ad omnes deferat panem hunc, quem ipsa *in Bethleem*, hoc est, in domo panis, primò exposuit per partum virgineum, deinde speciebus Eucharisticis inclusum omnibus obtulit. Apportauit autem *de longè*, quia ingens distantia erat inter Verbum & humanam naturam, quæ sunt in hac naui sibi inuicem vnita & ad nos deportata. Verùm vt congruè sumatur cibus, mensâ est opus, in qua reponatur: hanc quoque suppeditat vterus virgineus, affirmante S. Epiphanio suprà: *Est virtutibus plena mensa virginea, optimis quibusq; cibis abundans, quibus terra fruatur.* Licèt ad ferculi vnius præcipui degustationem quis amicum inuitet, quò tamen ille lautiùs & magnificentiùs ac consequenter maiori cum delectatione id sumat, aliqua apponuntur quæ mensam exornent & appetitum acuant. Talis mensa est vterus virgineus, qui cùm nobis proponat panem illū cæleſtem, omne delectamentum in se habentem, apposuit omnium virtutum fercula tum ad ornamentum mensæ suæ, tum ad appetitûs nostri incitamentum: *Est virtutibus plena mensa virginea, optimis quibusq; cibis abundans.* Adumbrata fuit hæc mensa in antiquo Testamento per eam in qua panes quotidie in conspectu Domini ponebantur. Erat enim hæc circumdata duplici coronâ: at Virgo coronâ aureâ essentialis & laureolâ accidentalis gloriæ cingitur. Ponebantur autem panes, & in panibus thus lucidissimum, quo Christi diuinitas humanitati vnita significabatur; quo passim Virginem mensam appellando Patres alludunt. *Altare animatum panis vitæ*, vocat Methodius in Hypapant. S. Ephiphanius serm. de laud. Deiparæ, *Fidei mensam intellectualem, quæ panem vitæ nobis suppeditauit*: S. Gregorius Nicomediensis orat. de oblatione Virginis, *Mensam quæ portat vitam: in qua vita nostræ præpositus, ambrosia pauit eos qui eius fuerant participes.* & Psalm. 22. Dauid fortè de eâ saltem mysticè dixit: *Parasti in conspectu meo mensam aduersùs eos qui tribulant me*: quia nihil fortiùs aduersùs omnes corporis animiq; tribulationes mensâ hâc, & pane Eucharistico in ea exposito, hoc est, ope B. Mariæ virginis per sacram Communionem inuocatâ: quod congruè fiet hisce D. Marcellæ verbis, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti*, quando nimirùm Deum per Matris ventrem & vbera obtestabimur, vt ea concedat quæ sunt cōgrua nostræ saluti, vel vt auferat quæ eidem sunt pernicioſa. Ne verò desit vtrâque specie

B. Maria Virgo est clibanus.

Leuit. 2.

B. Virgo est Nauis institoris.

Prou. 31.

B. Virgo est Mensa.

B. Virgo est crater tornatilis.

ſpecie communicantibus hæc in alterutra parte deuotio, etiam crateri comparatur idem venter virgineus,
Cant 7 cantante Sponſo: *Vmbilicus tuus ſicut crater tornatilis nunquam indigens poculis.* Quibus verbis clarè ſignificat, ſanguinem Chriſti, qui nobis eſt iuge ſacrificium & fons manans in vitam æternam, ex vtero Mariæ tanquam ex cratere prodiiſſe, vt ſub vini ſpeciebus in Euchariſtico epulo Chriſtianis propinaretur. Erat enim *crater* vas magnum & capax, quo in libationibus & epulis ſolemnioribus vti Veteres conſueuerant: cui meritò comparatur vteri iſtius capacitas, de quo eſt illud: *Quem cæli capere non poterant, tuo gremio contuliſti.* Facit etiam ad capacitatem declarandam, quod craterem vocet *tornatilem*, quia figurarum omnium eſt rotunda capaciſſima: neque poculis, hoc eſt poculorum contento, vnquam indiget, quia vinum illud germinans virgines & cor hominis lætificans, quò auidiùs potatur, eò magis abundat. Pænè omnia quæ de Virgine ſacratiſſimâ hoc capite aſſeruimus, coaceruauit in vnum Prouerbium Salomon
Prouerb. 9. cap. 9. dicens: *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam.* Septuaginta addunt, *Miſcuit in cratere vinum ſuum.* Ecce *domum*, qui venter virgineus. Vis & *columnas ſeptem*? duo ubera interpretari potes: tantam enim facilè cum columnis, quantam cum turri & propugnaculis analogiam reperies, quibus tamen à Spiritu ſancto comparantur: neque eſt quod numerus deterreat, vel enim perfectionis ille eſt, ſignificatque tot fuiſſe quot requirebantur; vel admirabiliter Virginis Deiparæ in nutriendo benignam fœcunditatem ſignabit, quæ ſeptem vberibus nutriat filios ſuos, ne quis eorum pereat. Reliqua ſunt applicatu facilia: nam & *victimas* habemus, carnem ſcilicet Dominicam toties immolatam, & *vinũ in cratere*, & *menſam* in qua omnia proponantur: ita vt meritò benedictionis atque gratiarum actionis loco ante & poſt ſacrum epulum clamare poſſimus, *Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ ſuxiſti.*

CAPVT IX.

Beatitudo vteri virginei cõparatur beatitudini cæli.

QVI conuerſationem ſuam cum Apoſtolo habet in cælis (vbi vera beatitudo reperitur, vnde & Dominum exſpectamus) audiens piam hanc fœminam exclamantem, atque vterum virgineum beatum appellantem, quia inde Dominus iam venerit; ſtatim eo cogitationem referet, Num quæ ſit alia beatitudo præter eam quam in cælis ipſe eſt contemplatus? vel, Num aliud quoddam ſit cælum, vbi eadem reperiatur? niſi enim beatitudo eadem ſit, aut maior, quâ vterus virgineus *beatus* dicitur, illâ, quâ cælum, omneſque in eo habitantes beati vocantur; non erit cur ita exclamet Marcella, vel cur vterum virgineum tam vehementer ſtupeamus. Si autem ſit eadem; iam nouum habebimus vteri virginei in propria ſignificatione encomium, quo *cælum* verè eum appellare poterimus. Vbi enim vera beatitudo reperitur, ibi & cælum eſt, teſtante apertiſſimè Chriſto Domino, qui Ioannis 3. ait: *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit de cælo Filius hominis, qui eſt in cælo.* erat autem tunc in terrâ agens cum diſcipulis ſuis: ſed, quòd gloriâ cæleſti perfrueretur, verè ſe dicit eſſe in cælis: eâdem ratione quâ latroni ſecum crucifixo paradiſum pollicens eo ipſo die donandum, non aliud intelligit quàm beatitudinem paradyſi. Statuimus igitur nihil verè beatum dici poſſe, niſi à cæli beatitudine: & præterea omne id quod eam beatitudinem contineat, verè cælum dici poſſe at-

que debere. Vt ergo rectè verba hęc, *Beatus venter qui te portauit*, intelligantur; demonstrandum, cæleſtem beatitudinem in eo fuiſſe. Ab vtrâ verò exordiemur, ab obiectiuâ, an à formali, vt rem ſubtilem ita cum Theologis diſtinguamus? Si de priore, nóune nouem menſibus in vtero Virginis requieuit Deus homo, qui eſt obiectum noſtræ beatitudinis, & præmium mereeſque iuſtorum, Pſalmiſtâ authore: *Cùm dederit dilectis ſuis ſomnum, ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris?* Poſterior verò beatitudo etiam apertiùs cælum facit vterum Virginis: quemadmodum enim in cælo empyreo Deus ſe clarè videndum ſanctis offert; ita in vtero Mariæ Chriſti anima primum beatificâ viſione Deum aſpexit. A primo enim momento, quo vterum Matris Chriſtus eſt ingreſſus, duplicem beatitudinem habuit, creatam alteram, alteram increatam. nam ex vnione hypoſtaticâ beatus erat beatitudine increatâ, ſicut ex eâ vnione eſt Deus: præter hanc autem habuit creatam alteram in natura humana, quam primo conceptionis inſtanti illi obtigiſſe tum ratio, tum conſtans omnium Theologorum conſenſus conuincit. *Beatus* ergo, iterumque ac tertiò beatus erat iſte vterus, in quo beatitudo hæc conferebatur. *Beatus*, inquam: quia, cùm cælum fieret empyreum; ex eo quòd ſenſu & ratione polleret, felicitatem ſuam percipiebat, quam cælum materiale ignorat. Potiore ergo iure ventrem Marianum & beatum dicimus & cęlum appellamus, quàm ipſum illum locum, quem vulgo hoc nomine intelligimus. Primò, quia maior beatitudo in ventre Mariano collata eſt, quàm in iſto cælo: in eo enim Angeli primùm ac deinde Sancti ſuam accipiunt beatitudinem, at in hoc humana Chriſti natura maiori, quàm omnes creaturę ſimul poſſident, fuit beatitudine donata. Secundò, quia Angeli & ſancti in cælo quidem continentur, non tamen è cæli formantur ſubſtantiâ: at beatus ille, qui virgineo exultat in vtero, de ipſomet vtero formatus eſt. Tertiò, ſenſum, vti iam dicebam, percipit ſuæ felicitatis cęlum hoc Virginis animatum, quo caret alterum.

B. Virginis vterus cælum, qui cæleſtem continuit beatitudinem.

Vterus virgineus magis cælum eſt, quàm cælum empyæum.

Cùm ergo iam habeamus maiorem beatitudinem in vtero Mariano, & potiorem rationem cur cælum dici debeat, quàm ipſum cælum empyreum; iam vlteriùs quæ ſit eius cum cælo comparatio videamus. Hîc ſine dubio, quæ vbique ſplendet, prima emicabit Virginitatis integritas: nam cælum inter omnia, quæ mole conſtant, ſolum eſt incorruptibile, cùm elementa, cæteraque quę ex ipſis componũtur, varientur, mutenturque in horas, & corruptioni ſint ſubiecta. Quidquid de Adamo viâ naturali proceſſit, corruptioni ſubiectum eſt animæ, & corporis. Atque animæ quidem, per peccatum originale: vnde pugnam contrahit, haud multò diſſimilem ei, quam res corporeæ ex ſeminariâ quadam elementorum contrarietate experiuntur, vnde ſæpiùs deficiunt, prorſuſque corrumpuntur, niſi vigilante curâ adhibeantur remedia, quæ id efficere poſſunt vt diutiùs, ſed non vt ſemper incorruptæ perſiſtant. Trahit, inquam, ad peccatum mortale, hoc eſt, totalem animę corruptionem fomes ille peccati ingenitus, cui homo poteſt fortaſſe tantiſper reſiſtere donis naturæ conceſſis; ſed vt diutiùs ab interitu ſeruetur fieri non poteſt: imò nulli tam benigno ſydere cælum arridet, vt ſupernaturali gratiâ eum à labe omni indemnem conſeruet. Soli ea Virgini data eſt incorruptibilitas, in qua nec originalis, nec actualis vlla culpa fuit. Iam corruptionis alterius quæ ſpectat corpus, quàm fuerit expers, non tantùm ex eo eſt manifeſtum, quòd nullius morbi violentiâ elementa corporis eius ſunt læſa, ſed ſolâ diuini amoris flamma diſſolutum ſit animæ corporiſque vinculum, ipſaque mox corpore & anima in cælum aſſumpta; ſed vel maximè ex admirabili illo partu, qui ſaluo virginali clauſtro, Matreque prorsùs integrâ & intactâ, in lucem eſt editus, & quidquid

Virgo vt cælum incorruptibilis.

quidquid vspiam est hominum aut Angelorum rapuit in tantum stuporem, vt nunquam eius cessatura sit admiratio, mixta infinitis incorruptæ Matris laudibus & Filij ita geniti præconiis. Vtramque incorruptibilitatem pulchrè declarat S. Cyprianus lib. de operibus Christi cardinalibus: *In natiuitate Christi*, ait, *Matri plenitudo gratiæ debebatur, & B. Virgini abundantior gloria, quæ carnis & mentis integritate insignis, spirituali & corporali intus & extrà Christi præsentiâ fruebatur.* At comparationem Virginis cum cœlo inde facit Richardus Victorinus lib. 2. de Emmanuele cap. 29. verba illa Psalm. 45. *Venite & videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram, auferens bella vsque ad finem terræ*, hoc modo de Virgine Deiparâ exponens: *Quæ est terra ista, de qua bella omnia fine tenus auferuntur, nisi illa de qua idem Propheta ait: Veritas de terra orta est? De hâc terrâ omnis pugna tollitur, in hac pax plena reparatur. Atque hinc etiam est, quod sicut cælum non est capax alicuius peregrinæ impressionis, vt loquuntur Astrologi; ita nec Deipara, propter mirabilem eius impeccabilitatem, nullam peregrinam leuissimi etiam peccati originalis impressionē vnquam susceperit.*

CYPRIANVS.

RICHAR. VICTOR.

De cælo rursùm ait Propheta Iob cap. 38. *Quis enarrabit cælorum rationem? & concentum cæli quis patefecit?* Subindicans cælorum cursum sonum quendam edere, qui cùm sit ordinatissimus, ac variorum corporum inter se diuersimodò concurrentium, necessariò videtur in harmoniam pulcherrimam cōspirare. Quæ sententia non tantùm antiquis Philosophis incidit, & probata est, sed etiam SS. Patribus Anselmo, Ambrosio, aliisque mirè placuit. Plato in lib. de Repub. docet orbibus singulis cælestibus singulas Syrenes insidere: credo, vt explicaret concentûs istius suauitatem, quem quidam audiuisse se & audire posse ab hominibus somniarunt. Sed quidquid sit de isto orbium cælestium concentu, musicam cæli nostri Mariani suauissimam omnes audiuimus si non prorsùs omnes abditissimos eius sensus, certè bonam eorum partem, quando dicit, *Magnificat anima mea, Dominum; & exultauit spiritus meus in Deo salutari meo.* At quemadmodum cælum motu perpetuo fertur, cantumque, si illum semel incepit, nunquam intermittit: ita Virgo à primo conceptionis suæ instanti nunquam desiit laudes Deo concinere: quas si nobis intelligere concederetur, liqueseeret anima nostra nimiâ harmoniæ dulcedine, relicto que corpore euolaret ad tantam suauitatem.

Harmoniam vt cœlum edit Deipara. *Iob* 38.

Etiam hoc non est prætereundum, quod *à celando* celum vocent machinam illam, quæ inter corruptibilia hæc & superiora illa immortalia posita, nobis illorum arcana abscondit; eâque ratione referat illam, quæ *conseruabat omnia verba in corde suo*, abscondebatque ea reprobis, at Euangelistis atque Apostolis ea reuelabat. Quod si *à celando* (quod est artificioso opere varia emblemata auro argentoue insculpere) deriuare malimus nomenclaturam; non aberrabimus si Deiparam cælum esse dicamus, cui admirabili opere omnia mysteria sint insculpta, ita vt nuspiam clariùs Dei ineffabilem naturam, eiusque attributa inscrutabilia sit legere, quàm in Virgine Deipara: ita vt Chrysologus dicere non reformidet serm. 140. *Quantus sit Deus satis ignorat ille, qui huius Virginis mentem non stupet, animum non miratur.* Vis enim Dei cognoscere sapientiam? ad domum eius, quæ est Maria, eundum est, de qua Sapiens Prou. 9. *Sapientia ædificauit sibi domum, excidit columnas septem:* hæc enim passim à SS. Petro Damiano, Bernardo Bonauenturâ, Deiparæ accommodantur. Vis potentiam & bonitatem? ipsa de se dicit: *Fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* Vis denique gloriam & maiestatem? audi S. Bonauenturam in spec. cap. 7. *Opus Domini mirabile est*, inquit, *Maria de qua dicitur in Ecclesiastico: Vas admirabile, opus excelsi*, & paullò inferiùs: *Hoc enim opus plenum est Dominicâ gloriâ, quia supra omnem puram creaturam resultat, & relucet plenissimè in B. Maria*

In Virgine cælata sunt omnia diuina attributa.

BONAV.

Et

Et Galatinus lib. 7. de arc. cath. ver. cap. 19. rationem reddens cur apud Ieremiam cap. 7. vocetur *solium gloriæ Dei*, ait: *Quia sicut sedes ornata ac regio more parata sedentis magnificentiam ac maiestatem indicat; ita Deus in B. Virgine ostensurus erat gloriam suam & claritatem.* Vnde sequitur alia cæli proprietas optimè Virgini applicanda: est enim cælum particulari ratione Dei domicilium & sedes. hinc quotidie oramus: *Pater noster qui es in cælis*; & Dauid ait: *Deus, qui in altis habitat.* at S. Ioannes Damascenus (occasione verborum Psalm. 47. *Magnus Dominus & laudabilis nimis, in ciuitate Dei nostri*) orat. 1. de dormit. ait: *Ciuitas est Dei, & quidem Dei nostri, quia mater est Filij Dei, qui ob susceptam ex B. Virgine humanitatem, peculiari ratione Deus noster dicitur.* Et Rupertus Cant. 5. ad Virginem sermonem dirigit hoc modo: *O cælum Dei, vnica sedes Domini.* Hac ratione poterit curiosus Virginis cultor per reliquas cæli cum ipsâ similitudines discurrere: nobis sufficit viam monstrasse, quia rursùm nos vocat Euangelium.

Psalm. 47. DAMASC.

CAPVT X.

Maioris consanguinitatis esse cum Christo audire verbum Dei, quàm eum corporaliter párere. Ad verba: *Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*

VERBA hæc, quæ difficilia quibusdam videntur, lucem aliquam à S. P. N. Augustino accipiant l. de S. Virg. vbi ait: *Beatior ergo Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi. Nam & dicenti cuidam, Beatus venter qui te portauit, ipse respondit: Quinimò beati qui audiunt verbum Dei, & custodiũt illud.* Lucem, inquam, accipiunt, quia satis constat magnum hunc Doctorem sentire, non reprehensam esse fœminam, quæ in laudes Marianas erumpebat, sed adiutã à Christo, maiorem laudis materiam quàm ipsa sumpserat, suggerente: non tamen explicatur, Quomodo intelligendum sit, plus felicitatis esse in auditione verbi, quàm in conceptione eiusdem? Beda eandẽ propositionem affirmat clarissimè, in hũc locum dicens: *B. Virgo felicior fuit quia verbum concepit mente, quàm ventre*; sed nihilo magis declarat. Et primâ fronte durum videtur, plus tribuere obedientię verbi diuini, quàm diuinæ maternitati, quę dignitas videtur super omnem gratiam. Et sanè tractaturo quæstionem hanc sacro quodam erga diuinam maternitatem reuerentiæ horrore mens concutitur, tanquam si indignum sit eam cum re vllâ creatâ comparari: cùm præsertim in Hierarchia Mariana ostenderim, Virginem per eam constitui in statu quodam medio inter Deum & creaturas, & implere statum quendam per se, ac constituere Hierarchiam particularem: quæ, vti verissima, ibi stabiliui, nec etiamnum inde videtur vel ad latum vnguem decedendũ. Vt ergo neque ista moueam, quæ ibi confirmata sunt; neque tamẽ inexplicatum sinam quòd hîc occurrit Euangelium; notandum, quod licèt maternitas Dei non consistat in gratiâ, eam tamen necessariò inferat: ita vt naturaliter & fortè omni ratione fit impossibile, vt ea, quæ est mater Dei, sit extra gratiam: propter indecentiam quæ inde exsurgit, quam difficile est imaginari posse in Deum cadere. *Factor hominum* (inquit S. Bernardus, hom. 2. super Missus) *vt homo fieret nasciturus de homine; talem sibi ex omnibus debuit deligere, imò condere matrem, qualem, & se decere sciebat, & sibi nouerat placituram.* Quamuis ergo inter homines contingere possit, vt mater odio habeat filium vteri sui, & ille vicissim matrem non amet, propter eorum imperfectionem, quâ non tãtùm inordinationẽ, sed etiam grauissima scelera possũt admittere; Deus tamen

S. AVGVST.

Maternitatem Dei necessariò videtur comitari gratia. BERN.

tamen optimus filius, non video quâ ratione permittere posset parentem suam gratiâ suâ spoliari, hoc est, in omnium miseriarum abyssum detrudi; cùm, præter indecentiam, inferret inhumanitatis quoddam genus, ne quidem in mortalium nequissimo ferendum. Maternitas ergo Dei, licet, concipiendo pariendoque Filium qui sit Deus, absoluatur; infert tamen necessariò gratiam diuinam, illamque copiosam & abundantem, & dona præterea singularia, dignitatemque pænè infinitam: eâdem ferè ratione quâ beatitudo æterna, licet consistat in visione beatificâ Dei, infert tamen amorem, delectationem, impeccabilitatem, cæteraque dotes beatorum, sine quibus visio ista esse nequit.

Sit itaque animus Virgini singulariter addictus memor, abstractionem maternitatis à gratia non nisi mente perfici, cùm re ipsa dari non possit; itàque sine irreuerentiæ scrupulo disputet, Quid maius in Virgine fuerit, gratia, an maternitas? Videturque extra controuersiam esse conclusio, cùm eam hic pronuntiet Christus, explicante S.P.N. Augustino, *Quin imò beati. Beatior*, inquit, *Maria percipiendo fidem Christi, quàm concipiendo carnem Christi.* Sed non ita in promptu eius probatio: nisi dicamus maternitatem solummodò parere consanguinitatem cum Christo corporalem, & in quantum ipse est homo; gratiam verè causare eandem cum Deo secundum eius diuinitatem, seu in quantum ipse est Deus, testante Principe Apostolorum: *Maxima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* At dices, fateor quidem hanc secundùm diuinitatem, illam verò secundùm humanitatem solummodò contrahi parentelam: sed cùm illa sit Matris ad Filium, hæc solummodò seruorum ad Dominum; non est quod altera alteri comparetur. Cui obiectioni respondeo, non minorem Filij cum parente, quàm parentis cum Filio esse coniunctionem. Iam 1. Ioannis 3. cap. dicitur: *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur & simus.* Igitur si mater Dei est Maria per partum istum admirabilem; filia eiusdem erit per gratias non minùs stupendas, & singularem verbi diuini obedientiam. Quam filij dignitatem etiam supra maternitatem extollit Apostolus, quando ratiocinando dicit: *Quod si filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.* Rom. 8. Non dicit, quod si mater, ergo & hæres. Quamquàm hoc non adeò conuincit, quin & pro maternitatis dignitate conuertere possim: nempe, nobiliori quâdam ratione omnia Christi, esse matris, per moralem quandam identitatem naturæ; quàm hæredis, per legitimam successionem. Et habet maternitas eam præterea supra filiationem excellentiam, quod dicat superioritatis ad inferiorem respectum: vbi filius contrà, quid inferiùs sonare videtur, non quod necessario patre sit minor, sed quod nescio quid debeat parentibus reuerentiæ, qui est filius: vnde & Christus *erat subditus illis.* Quare iam ferè palinodiam canerem, quòd filiationem istam maternitati præposui; nisi me plus Euangelium vrgeret, in quo verba Christi indicant maiorem quandam felicitatem Virgini contigisse ob verbi diuini obedientiam, quàm ob partum virgineum; & maternitatis quoddam genus nobilius in parendo, quàm in pariendo, consistere. Quod ipsum ab ore sacrosancto eiusdem diuini Magistri habemus Matthæi. 21. vbi simili prorsus doctrinâ aientibus matrem & fratres foris exspectare, ait: *Quæ est mater mea? & qui sunt fratres mei? quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater & soror & mater est.* Matth. 21. Quibus verbis indicat adeò consanguinitatis omnes gradus contineri in istâ obedientiâ, vt etiam maternitatis quoddam genus sublimius sit, Verbo obedire, quàm Deum parere. Quod si curiosiùs in ipso rigore verborum explicandum sit; ex communi modo loquendi sumi potest, quo eum dicimus nos patris matrisque loco habere, qui ali quid contulit quod nobis vitâ ipsâ est antiquius. Ita patientissimus mortalium in miseriis suis, vermibus suis & putredini blandiebatur. *Putredini*, inquit, *dixi*

Quomodo maternitate Dei sit melior verbi diuini obedientia.

Obedire verbo Dei est genus maternitatis.

1. Ioan. 3.

Iob.17. *Pater meus es Mater mea & soror mea, vermibus.* quòd enim vitâ cariorem habebat patientiam; parentum loco habebat, qui eius ipsi suppeditabant tam excellentem materiam. Habet autem Christus Seruator noster voluntatem Patris sui vitâ multò antiquiorem: vti testatur Psalm. 39. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam; Deus meus volui & legem tuam in medio cordis mei*, vbi est vitæ ipsius sedes. Lex autem ista erat, vt moreretur pro mortalibus, vt anteà dixerat: *Sacrificium & oblationem noluisti, aures autem perfeciſti mihi*, ad obediendum: quod Apostolus explicat, vertendo, *Corpus adaptasti mihi*, mortale scilicet, vt ego loco veterum sacrificiorum, quorum iam capiebare fastidio, in cruce offerrer. Qui ergo implet voluntatem Patris, quam Christus vita suâ habet cariorem; tanta eum afficit voluptate, vt parentis eum loco habeat.

Psalm. 39.

Verbo Dei in nobis ijsdem tribuuntur effectus, qui Filio Dei.

Magis subtilizare videtur hanc maternitatem Dei spiritualem Doctor Mellifluus serm. 6. in Quadrag. *Sicut enim Verbum*, inquit, *quod erat in principio, carnem susciPiens, dicitur (& verè dicitur) factum caro: sic voluntas illa aeterna in Angelo facta est, cùm Angelicam omnino in se absorbuit voluntatem: itaque sicut in Angelo angelica, sic facta est in homine humana & hominis.* vbi videtur insinuare per consensum voluntatis in obseruationem verbi diuini, illud proportionatâ ac spirituali quâdam ratione gigni in nobis, quemadmodum olim fuit incarnatum in visceribus Virginis Deiparæ per eius consensum. Certè quemadmodum tum prodijt Christus, seruator animarum nostrarum, & dator Spiritûs diuini, & iudex omnium; ita verbo diuino eosdem tribuit Scriptura effectus. Nam de saluatione ita ait cap. 1. S. Iacobus Apostolus: *Suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.* De spiritu sancto & vitâ æternâ quam confert, ipsemet Christus Dominus testatur: *Verba, quæ ego loquor, Spiritus & vita sunt.* Et quod iudicabit eos qui non crediderint, dicitur Ioannis 12. *Sermo, quem ego locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die.* Vnde facilè inferri potest, verbum diuinum pio consensu & feruenti executione animæ corporique nostro quasi incorporatum, esse veluti prolem quandam diuinam, quam Christus vitâ sua mage diligat: ideoque ipsi eosdem, quoad nos, effectus tribuit, quos ipse confert: & eos qui prolem eam producunt, quòd per eam ipse nascatur in cordibus eorum, matris loco habet. Quo partu felici cùm Virgo Deipara supra omnem creaturam excelluerit, etiam priusquàm corporaliter Deum conciperet; felicissimam eam appellat Filius, dicens: *Quinimò beati qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.*

FINIS.

M. F. BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS

TRACTATVS DE NOMINE MARIAE

M. R. BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS

TRACTATVS

DE

NOMINE MARIÆ

M. FR. BARTHOLOMÆI DE LOS RIOS

TRACTATVS DE NOMINE MARIÆ

PROŒMIVM.

Nominis acquirendi cupiditas innata omnibus.

OMNI *acquirendo studet, quidquid hominum adhuc retinet aliquam rationem istius nominis. Testatur id congregatum in vnum concilium genus humanum, cuius hæc Genes. 11. v. 4. communis vox est*: Venite, faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum;& celebremus nomen nostrum antequam diuidamur in vniuersas terras: *non aliam insanæ substructionis mercedem totq; laborum ac sumptuum pretium petit, quàm nominis sui apud posteros notitiam. quæ licet ibi stolidè sit affectata ab imprudentibus; non tamen omnino reijcienda est eius cupiditas, cùm in eodem libro legamus, hanc Abrahamo factam promissionem ab ipsâ Sapientiâ, Genes. 12. v. 2. vbi Patriarchæ dicit Dominus*: Magnificabo nomen tuum, erisque benedictus. *& reputauit id Abraham totaque eius posteritas non exiguum fidelitatis atque aliarum virtutum præmium, quòd ita benediceretur. Qui enim signauit super nos lumen vultus sui, lumini calorem addidit; eum scilicet, quo ipse, ad zelum vsque & feruorem succensus, nominis sui vel propagandi vel propugnandi, est studiosissimus. qui calor cùm ab ipsa rationis face accendatur; quam excitat cupiditatem, eam & maximè rationalem, &, quod inde sequitur, honestissimam generosissimamq; solemus appellare. Atque hinc ortum est obsequiorum omnium gratissimum & maximum, quod rationalis creatura cuipiam potest impendere, vt quem videt honestis atque heroicis factis ad laudem grassari; ei studeat, nomen ipsius celebrando, quasi manum porrigere & tenebris extractum famæ tradere, quæ eum deinde publicâ gloriæ luce circumfundat. Hæc est obsequiosissima seruorum conspiratio, vt non tantùm obiectu laterum à præsentis vitâ domini, sed etiam verbis ac calamo à nomine absentis omnem iniuriam prohibeant. Vel à vitio, quod omnem virtutem insequitur, discere licet, quanta esse debeat gratia hoc obsequij genere rectè vtentium: nam adulatores tantum vbique inualuerunt, vt iam tamquam vir prisci sæculi ac nimis seuera Philosophiæ sectator negligatur, ac etiam*

Oritur ex ipso lumine rationis.

Estq; proinde honestissima:

Hinc maximum seruorum obsequium est, propagare nomen domini sui:

Quo adulatores tam perversè vtuntur, vt ferè suspectam reddant eo benè vtentium fidem

sæpè rideatur, si quis non nouit fucatis quibusdam improbissimè mentientium delicijs virtutem effeminare, & vel à factis improbis nomen potentium celebrare. Fecit sæpè, fateor, ista tam nequiter parta ab hominibus vilissimis apud Magnates gratia, vt, cùm calamum sustulissem, tustissimè verissimeque per amplissimas Domini mei Philippi Quarti eiusque germani fratris Ferdinandi laudes decursurum, eum rursus deponerem, timens, vt tanta veritatis lux tam exiguo calami mei vibrata radio satis offusas ab adulantibus tenebras vinceret; néve fieret, vt, cùm multi sceleratissimos etiam Principes celebrandos sibi desumant, ego, si optimos laudauissem, adulatoribus istis solâ mentiendi formidine & materiæ felicitate maior, vix eò veritatem promouerem, quò ipsi mendacia prouexerunt. Quòd tamen scirem nominis celebrandi obsequium tam esse gratiosum; ad nomen eius laudandum me conuerti, cuius vel vnicum apicem Principes isti omnibus suis titulis præponerent, quodque desiderant supra omnia facta sua gloriosissima decantari; humili mancipatu nominis Mariæ professi, nihil se nisi in eiusdem nominis virtute perfecisse. Vnde fit, vt non possim nomen B. Mariæ Virginis celebrare, quin simul facta eorum insignia laudem, saltem in causâ quam ipsi fatentur præcipuè eorum effectricem. Ne autem, posteaquàm scio quàm frigidè de Dominâ meâ eiusq; excellentiâ & Virtutib. discurrissem, nomen hoc attingere reformidarem; animos suggessit Senensis Bernardinus Tom. 3 Serm. 2. dicens: Quia Mariam vt meretur non possumus laudare, saltem nomen eius extollere procuremus. *Non quòd facilius putem dignum quid afferre tanto splendore nominis, quàm aquale sublimitati maiestatis* (cùm de gloriâ nominis huius nec dignum aliquid sterilis concipere cogitatio nec erudita possit locutio parturire;) *sed quòd satis fuerit, à bono aliquo auctore impelli, quo sponte animus propendebat. Accedit & istud Philonis lib. de Decalogo, quòd* semper nomen rem, tanquam vmbra corpus sequitur. *Lassus ergo rem ipsam tam longè supra vires meas positam sequendo, tandem ad vmbram eius perueniens, illic statui, quiescere, vt dicere possim,* Sub vmbrâ illius, *quam* desideraueram, sedi; *sperans, quòd* fiet fructus eius dulcis gutturi meo. *Ita fore persuadet, qui eum degustauerat, S. Bernardinus Senensis Tom. 2. Serm. 49.* Per nomen Domini (*inquit, idem est de Dominâ*) peruenitur ad rem nominis. *Restat, vt quâ possum animi demissione inuocem nomen Dominæ, vt mihi concedat rem eam nominis sui, quâ illuminationem significat: vt in lumine isto fidei videam lumen, ne mens aut calamus aberrans à viâ, quam signauit nobis Ecclesia rectè sentiendi regulam; indignum quid proferat nomine isto, cui laudando totus hic labor impenditur: diuino ad hoc radio opus est ab isto nominis Mariani sole; quem susceptum exiguâ ingenij mei face, per hasce deducam humani discursus semitas.*

Cant. 2. 7. 3.

Eius inuocatio.

Hinc nomen Dominæ celebrandum sumpsi,

Maximè quia ipsam infra dignitatem celebraui,

Et quòd nomen eius sit vmbra, sub quâ quiescendum.

CAPVT I.

Quid ista vox *nomen* significet.

VM de nomine tota futura sit disputatio, interrogare sub initium, quid significet, & vnde dicatur nomen, non erit hîc quæstio de nomine: in tot namque significationes vocem hanc diuisit loquendi vsus, vt difficile sit intelligere, quâ de re agatur, cùm de nomine Virginis sermo instituitur, nisi præmissâ hac distinctionis face.

In primis, teste Budæo, nomina dicuntur capita, vel (vt hodie loquimur) articuli rationis argentariæ, in quibus descripta sunt nomina debitorum, quibus pecuniæ expensæ feruntur. Cic. 3. Verr. *Satis te elapsurum omni suspicione arbitrabare, si quibus pecuniam credebas, iis expensum non referres? neque in tuas tabulas vllum nomen referres, cùm tibi tot nominibus acceptum Curtij referrent? quid proderat tibi expensum illi non tulisse.* Aliàs nomen accipitur pro ipso debitore. Columel. lib. 1. cap. 7. *Vel optima nomina non appellando,*

Nomen significat Primò, articulos debitorum, debitorē, debitum, & etiam creditum:

do fieri mala, fœnerator Alphius dixisse verissime fertur. Seneca 5. de Benefic. cap 22. *Segnes & tardi, lenta nomina, non mala.* & Cicero in Epist. *Ego sum assecutus, vt bonum nomen existimer.* Sæpè pro ipso debito nomen ponitur. Cic. ad Attic. lib. 16. *Nomina mea per deos expedi.* Aliquando etiam pro ipso credito ponitur. Cic. pro Quintio: *Cùm æris alieni aliquantum esset relictum quibus nominibus pecuniam Romæ curari oportet,* &c. Atque hæc sit prima nominis significatio.

Secundò, famam & gloriam atque his similia:

Secunda spectat ad famam & gloriam, eò magis mancipiis notanda, quòd etiam seruorum sit, famæ & gloriæ Dominæ suæ impensè studere. Ponitur ergo *nomen* pro decore, gloriâ, famâ, existimatione, prædicatione & sermone hominum, multiplici & variâ iterùm significatione. Suppetunt exempla sacra & profana. Ex profanis est illud 2. Æneid.

Anulsumq́ humeris caput, & sine nomine corpus:

& illud eodem in libro:

—Et nos aliquod nomenq́ decusq́ Gessimus.——

item Ouidij 10. Metamorph.

—Magnum & memorabile nomen.

Ex sacris habes Prouerb. 22. v. 1. *Melius est nomen bonum, quàm diuitiæ multæ.* hinc etiam nominari, pro celebrari, dicitur ad Ephes. 1. v. 21. *Supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro.* & Hebræis tritum est vocare *viros nominis*, eos quos nos famâ inclytos diceremus.

Tertiò, gentem & sobolem:

Tertia nominis significatio gentem vel sobolem notat. Gentem apud Virgilium: *Nostrumq́ in nomen ituras.* Sobolem in Scripturâ, 2 Reg. 14. v. 7. vbi Thecuitis Dauidi dicit: *Quærunt exstinguere scintillam meam, quæ relicta est, vt non superfit viro meo nomen*, id est filius. Et rursum apud profanos Scriptores inuenies nomen Iüli pro eius filio positum. Martialis lib. 6. de filio Domitiani ait:

Nascere Dardanio promissum nomĕ Iŭlo,
Vera Deûm soboles, nascere magne puer.

In hac significatione licet aliquando nomen Dei, Filium Dei interpretari; & certè eum semper nomine isto ineffabili, quod tantâ erat apud Iudæos in veneratione, significatum fuisse, non paucorum est sententia: ita nomen Virginis significare posset Filium Virginis IESVM; quo nomine nihil adorandum magis.

Quartò, potĕtiam, robur, virtutem:

Quartò, nomen aliquando significat potentiam, robur, seu virtutem. Ita quotidie nos signantes dicimus: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* hoc est, in virtute Patris ordior hoc vel illud opus.

Quintò, auxilium & protectionem.

Quintò significat auxilium & protectionem. Ioan. 15. v. 11. *Pater sancte, serua eos in nomine tuo*; hoc est, serua eos sub tuâ protectione & tutelâ.

Sextò, causam:

Sextò, ponitur nomen non rarò pro causâ. Cicero de Amicitiæ: *Ab amicitiâ Q. Pompeij meo nomine se remouerat, vt scitis, Scipio.* Cæsar 3. Belli Gall. *Odisse etiam suo nomine Cæsarem & Romanos.*

Septimò ipsum hominem:

Restat alia significatio, quæ nisi accuratè à propriâ & vulgari distinguatur, parere potest plurimum confusionis; distincta autem, etiam augebit deuotionem: ponitur enim sæpissimè vox hæc *nomen* pro ipso homine, credo propter vicinitatem, quòd significet eam vocem quæ vbique pro homine supponitur. Testimonia vbique reperiuntur. Apocal. 3. v. 4. *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua. Nomina*, inquit S Ambrosius, *dixit pro viris nominatis & famosis ob eximiam virtutē, qualis est inter malos esse bonum.* Tibullus in Eleg.

—Nec fidum femina nomen.

Horatius:

—Pater ô relictum
Filiæ nomen.——

& de Deo Deuter. 18. v. 5. *Ipsum elegit Dominus Deus tuus de cunctis tribubus tuis, vt stet, & ministret nomini Domini*, hoc est, ipsi Domino. & Psal. 5. v. 12. *Gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum*; hoc est, qui diligunt te. Sed quid auctoritates congero, cùm dicamus quotidie, *Sanctificetur nomen tuum?* id est, fac vt ipse, ô Deus, ab omnibus vt sanctus colaris & celebreris, tuaque maiestas & sanctitas ab omni-

omnibus item colatur & celebretur.

Etymologia nominis.

Atque hæ omnes sunt significationes vocis huius impropriæ: vt autem perueniamus ad propriam, indagandum est, an etymologia nihil dare possit subsidij. Sunt enim, inter quos Festus, qui nomen quasi *nouimen* dictum autument, quòd res per id noscatur: at meliùs Cyrillus Dialog. 4. à *notamine* deriuat. & S. P. noster Augustinus lib. de Genes. ad litteram cap. 6. ait: *Nomen appellatur quasi notamen, quòd rem notet.* Non enim nomen explicat quid res sit, quod definitione perficitur; sed eam notat siue significat. Quod clarius erit, vbi habebimus nominis definitionem, eiusdemque acuratam explicationem, per quam mox veram eius significationem indagabimus. Cicero definit: *Nomen est, quod vnicuique personæ attribuitur, quo quæque suo proprio & certo vocabulo appellatur.* Nomen ergo est vox quæ substituitur pro eo, de quo quid dicitur; vel Philosophico loquendi & speculandi modo, Nomẽ est hoc ipsum quod nominatur, non secundùm esse illud quod habet à parte rei, quodque accepit à causis suis etiam physicè efficientibus, sed secundùm esse quoddam quod habet ab ore vel intellectu eam intentionaliter in se causantibus. Curiosæ sunt hæc Philosophiæ mysteria, sine quibus ægrè peruenire licet ad sanctissimum illud nominis Mariani arcanum, quod hac scriptione imus reuelatum, vt in nomine eius omne genu flectatur.

Definitio nominis.

Intelligentium perfectio est, fieri omnia:

Notandum ergo cum Philosophis non curiosè magis quàm subtiliter, rerum intellectu & ratione vtentium, quantum ad eam ipsam facultatem attinet, vel (quemadmodum ipsi loquuntur) intellectualium vt sic, perfectionem in eo consistere, vt ipsæ in substantia sua simplices & indiuisæ, fiant quidlibet: quâ re videntur ad Deum accedere, eique quadam ratione assimilari. *Deum* enim, vt inquit Doctor Hierarchicus de Diuinis nominibus cap. 5. §. 5. *cuncta participant, & à nullo entium recedit; & ipse est ante omnia, & vniuersa in ipso consistunt; & simpliciter, si quid quomodolibet exsistit, in ipso præsente tum est, tum intelligitur tum saluatur.* Huius perfectionis assimilationem appetere videretur omnis creatura rationalis, in eâque ponere non exiguam suæ felicitatis portionem. Consistit autem in eo assimilatio, vt quæq; earum sit per se mundus quidam perfectissimus, & in quaque cernatur tota rerum vniuersitas. Sic, exempli gratiâ, vt omnes sint in me, & ego in omnibus, ac consequenter omnium essentiam ego contineam, & singulæ earum meam, proindeque illæ me & ego illas amplectamur arctissimo quodam vinculo vnionis; per quam ita admirabiliter multa conflentur in vnum, vt neque multitudini vnitas, neque vnitati numerus contradicat, sed sit quædam arctissima vnitas diuersorum, & simul inconfusa diuersitas vnius. Vt cùm ordine pulcherrimo recreet oculos explicata diuersitatis multitudo; in eâ tamen ipsâ emineat, & quasi lenocinetur luminibus, posita in Regali solio maiestas vnitatis: per quod creatura quàm potest proximè æmulatur factorem suum, qui in distinctâ personarum Trinitate retinet vnitatem naturæ; & in tanta perfectionum incomprehensibilium varietate, persistit in perfectissima simplicitate essentiæ. Aduertens autem natura, quòd consisteret in multiplici istâ vnitate & vnitâ diuersitate rerum perfectio; sagaciter prouidit (naturantem intelligo, sine quâ non est prouidentia) modum quo perficeretur admirabilis ista vnio. vt nimirum res, præter esse illud reale, ac quasi rude crassumque, haberent aliud quoddam esse dilutius ac subtilius, quod intentionale dicimus: vt, cùm primo existendi modo non sint nisi vno certo in tempore & loco, secundùm hoc spiritualius esse possint & multa vno loco sine confusione consistere, & vnum item vno eodemque tempore multis in locis. Rem oculis cernere licet in speculis, quando res vna multoties à diuersis effingitur, & inde toties varia sine confusione ad oculos venit, & ab illis animæ offertur. Existunt ergo res omnes non tantùm physicè à parte rei, sed habent præterea esse quoddam intentionale, de quo iam diximus; quod non ab anima

Quod assequitur per esse rerum intentionale:

Quale illud sit.

tantùm

tantùm & oculis intelligendo & videndo, sed ab ore etiam loquendo efformatur; suntque idem in esse isto intentionali, quod sunt à parte rei. Idem dico repræsentatiuè & intentionaliter, quamuis modo existendi diuerso: nam à parte rei habent esse re verâ firmum quoddam ac permanens, in ore autem vel intellectu tantùm repræsentatiuum, mobile, & à leuitate ipsius dependens. verbo, physicè sunt res ipsæ intentionaliter tantùm imagines & vmbræ rei; imagines tamen quæ vicem gerunt rerum, & pro ijs substituuntur: vnde iam clara est Aristotelis lib. Peri herm. cap. 1. doctrina, quòd nomen sit imago siue repræsentatio rei nominatæ, vel personæ quæ nomine significatur. Iam notandum, duplicis generis formari à nobis nomina, seu duplices nos formare rerum imagines. Vel enim mente hoc facimus, & oritur imago naturalis; vel ore, & prodit artificialis: hanc ordinariè per nomen intelligimus, licet prior illa magis propriè sit nomen & imago rei. Nos hîc de posteriore agimus, quòd interna ista ostendi non possit, & spiritualior sit quàm vt cultu aliquo externo adoranda proponatur.

Et quotuplex.

CAPVT II.

Vnde nominibus sit vis significandi.

HISCE satis explicatis suppono, quàm varia vox ista *nomen* significet, & quâ significatione sumam hîc, quando disputo de sanctissimo Mariæ nomine: in posterum ergo de nomine vel nominibus loquens, non de voce *nomen*, sed de significato eius, seu de nominibus rebus impositis agam. De quibus hæc primùm occurrit quæstio, instituto nostro non tantùm apta, sed etiam necessaria: vnde nominibus vis significandi insit, an naturaliter quibusdam ea insit, an tota sit ab arte & instituto. Circa quam rem prorsus admiranda est quorumdam aliàs non pessimè philosophantium simplicitas: nam sunt qui seriò opinantur, hominem naturaliter, si nullo idiomate imbueretur, aliquo vsurum sine magistro aut disciplinâ; idque putant vnum aliquod esse, in quod omnes consplirarent qui procul à vocis humanæ auditu educarentur: existimant ergo, si consequenter speculentur, vel rebus agnata quædam esse nomina, ita naturæ earum congruentia, vt simul ac illæ oculis, hæc menti offerrentur; si eæ non forent alijs nominibus præuentæ: vel certè vim eam inesse intellectui nostro, vt singulis dare possit nomina ita apta, vt, nihil possit excogitari conuenientius. Nisi enim vel alterutrum, vel potiùs vtrumque statuamus, non video, quomodo ab insania defendemus opinionem asserentium, quòd omnes naturaliter consplirabunt in easdem voces. Qui consensus nullâ ratione esse potest, nisi sit aliquod perfectissimum, quò omnes pertingant: nam si admittatur latitudo quædam, vt aptius dici possit, quàm tu hosce autodidactos affirmas esse dicturos; iam non erit, cur hoc potiùs quàm illo modo omnes à perfectissimo aberrent. Similem me cerebellis istis putarem, si operiosiùs stoliditatem eorum dicam potiùs, quàm opinionem, impugnarem: per quam via latissima, &, si consequenter loqui velint, certissima sternitur omni illi superstitioni & insaniæ, quâ quidam à fide aberrantes nominibus miram vim ac potestatem concesserunt. Neque opus est, vt tam pueriliter operam suam insumant pueris in solitudine per bestias educandis, vt tandem audiant quid primùm sint prolocuturi; cùm medijs in oppidis satis multi educentur qui eos docere possunt, quod tanto labore tantâque inhumanitate quærunt in siluis. Quot enim surdi à natiuitate nascuntur, eos omnes experientia docet mutos quoque existere; non vtique defectu organi, aut propter linguæ impedimentum (cùm plerique eorum voces inconditas & clamores insulsos quàm celerrimè & quàm altissimè edant) sed defectu scientiæ: quòd enim rerum nomina à nemine audiuerint, nesciunt linguam ad ea

Non sunt vlla rebus agnata seu connaturalia nomina:

Nec homines procul ab hominũ consortio educati vllo idiomate loquerentur.

formanda inflectere. Concessero tamen facilè, si duo vel plures ita educarentur extra hominum ceterorum consortium, quòd paulatim ipsi inter se idioma formarent, quo res plurimas inditis à se appellarent nominibus. Patet ex eo, quòd surdi & muti inter se aptissima quædam signa inueniant, atque de ijs conueniant, quibus conceptus suos exprimere possint: quantò magis instinctu quodam naturali, si organum loquendi vel audiendi non haberent impeditum, ipsi compendij causâ vocibus quibusdam inderent vim eam significandi, quam iam signis tribuunt, ijsque passim vterentur? Sed quis non videt, voces eas non naturaliter, sed ex instituto significaturas id quod ipsi vellent? Affines errori iam dicto sunt alij, qui in Scriptura legentes Genes. 2. v. 20. *Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia cæli, & omnes bestias terræ*; & paulò superiùs, *Omne enim quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius*; mirè assurgunt ad nominum vim proprietatemque extollendam, tamquam ijs aliquid naturaliter insit quod cum re ipsâ conueniat, habeatque quamdam cum eâ sympathiam: quam ab Adamo obseruatam fuisse, putant hîc à Scripturâ indicari, cùm nihil minus ex eo loco colligi possit. Imò si considerare quis velit, aduertet, Adamo, antequam imperiosâ istâ actione perfungeretur, à Deo infusam fuisse perfectissimam idiomatis, quo ipse vsus est, scientiam: quâ informatus, consideratâ singulorum animalium naturâ, propensione, viribus, formâ aut prærogatiua, fingeret ex idiomate, quod iam callebat, nomen aliquod, quo aptè ad ea quæ iam dixi alluderet, itaque videret quid vocaret ea; non exprimens totam singulorum animantium naturam (quod fieri nequit) sed alludens ad aliquam vel aliquas proprietates, ab eâque nomen formans, quo deinceps talem animalium speciem significatam volebat. Sic intelligenda verba Procopij dicentis: *Adam non sine singulari prudentiâ & solertiâ, quam à Deo accepit, nomina dat creaturis, quæ ipsarum subitantias quasi in speculo repræsentent.*

Niſi eo quod fortè paulatim inter ſe formarent.

Adamus callebat ſuum idioma antequam rebus nomina imponeret.

Notandum autem, nisi antè formatum fuisset idioma, quo animæ passiones, actiones corporis & motus, ceteraque multa iam sua habuissent nomina, quòd non potuisset Adamus vti tantâ in imponendis nominibus prudentiâ: quæ in formando nomine aliquo primigenio nulla potest esse, nisi fortè per onomatopœiam imitando sonum, aut minuta quædam in litteris collocandis solertia. Totum ergo in quo hîc elucebat Adami prudentia, vel ab etymologiâ petendum est, vel ab aliis quibusdam obseruationibus litterarum, quæ significationis proprietatem adiuuant ex similitudine vel contrarietate cum alijs vocibus. quod ideò non est negligenter considerandum, quòd posteà multis agemus de Dei in Mariæ nomine ex etymologiæ ratione imponendo prudentiâ. Confirmat quæ diximus Rupertus Abbas lib. 2. c. 24. vbi ait: *Videlicet singulorum considerauit naturas, & ex qualitatibus diuersis diuersa formauit vocabula; vt, verbi gratiâ Latinus caballum à cauando nuncupat, asinum ab assidendo, porcum quasi spurcum, eò quòd spurcus sit, & canem, eò quòd canorum continet venando latratum, & multa huiusmodi. ita nimirum ille in lingua primitiua, quæ, factâ diuisione linguarum, in gente remansit Hebræâ, nomina formauit singulorum, consideratis proprietatibus naturarum.* Occurrit verò notandum, vti in intellectu quandoque formamus imaginem, quæ multis rebus sit similis, quandoque vnius tantùm rei in particulari; quòd ita sæpè vox formetur quæ rem significat prout similis est multis, & hæc sunt nomina generalia seu vniuersalia; quandoque quæ eam significat prout est distincta ab omnibus alijs, & hæc sunt nomina propria. Iam vt in nomine proprio imponendo eluceat prudentia & cognitio quam imponens habet de re, oportet vt deriuetur ab aliquo vocabulo quod significet multas, aut saltem signatam aliquam qualitatem, quæ in re, cui nomen imponitur, emineat. quamuis hoc nullâ ratione sit necessarium, vt nomen verè significet eam personam, ad quam significandam imponitur:

Nominum alia sunt communia alia propria.

In quo spectetur prudentia imponentis alicui nomen ptoprium.

ponitur: tam enim vox *blitiri* significaret equum quàm vox *caballus*, si ad eum significandum assumpta esset, quamuis non ingereret illam cauandi proprietatem; & *scindapsis* verè significaret pisonem, si ad hoc instituta fuisset, quamuis non alluderet ad pisa plantandi scientiam. Vnde sequitur, licet Mariæ nomen, vt posteà ostendemus, plurimas habeat deriuationes aptissimas ad significandum Deiparæ proprietates; potuisse tamen assumi ad eamdem significandam quoduis aliud vocabulum, quod non haberet ad istas significationes allusionem. Nihil enim inest vocabulis per se sumptis, cur non æquè hoc quàm illud possint significare. At, præsuppositâ, vti dicebam, linguæ alicuius proprietate, iam locus est prudentiæ, vt aptè cuipiam nomen imponatur; ac proinde non omnium promiscuè officium rebus nomina dare: quorum autem hoc sit, iam inquiremus.

CAPVT III.

Ad quos spectet rebus imponere nomina.

CVm nomina distinguantur in generalia & particularia, aliter de horum quàm de illorum impositione est statuendum: nã generalia nomina formare pænè philosophantium est, particularia autem rebus imponere, dominorum. De generalibus quod dixi, patet. Cùm enim Philosophorum, & maximè Logicorum, sit diuidere & coniungere; eorumdem erit, rebus, prout ipsas vel distinxerunt ab alijs, vel coniunxerunt, sub vnâ formalitate aut conceptu nomina dare, vt deinceps possint de ijs sine confusione discurrere. Oppones, cuiusque esse, in suâ arte fungi hoc distinctionis munere; nec Medicum egere Philosopho, vt medicinas & morbos; minùs Astrologum, vt sidera eorumque influentias distinguat, eisque nomina imponat. Quibus facilè respondetur; neque Medicum, neque Astrologum, nec vllum omnino artificem posse ingredi artis suæ penetralia, nisi vtatur hac omnium scientiarum claui, quam Logicam vocamus; ipsumque quà diuidit & coniungit, esse Logicum; quà verò in hac vel illâ materiâ hoc perficit, esse huius aut illius scientiæ professorem. Sed satis de his. Ad particularia venio, quibus nomina imponere Dominorum esse dicebam. Ita Dauid explicaturus Dei in stellas dominiũ: *Qui numerat*, inquit, *multitudinem stellarum, & omnibus eis nomina vocat*, Psal. 146. v. 4. Nabuchodonosor, seu eius præpositus eunuchorum, potestatem suam in tres pueros Hebræos, Ananiam, Azariam & Misaëlem ostensurus, vocauit eos Sidrach, Misach & Abdenago, & Danielem vocauit Baltassarem. Et Adamus, in signum dominij sui in bestias & volatilia, eis imposuit nomina, Gen. 2. v. 20. cuius augustum dominium suum in hac actione prodentis speciem loco probationis habes ex Fernandio, qui dicit, hoc Moysen Barcepham aliosque monumentis suis tradidisse. Considebat, inquit, Adamus vti regio throno in editiore quodam loco paradisi, vnde ad illa longè lateque patentium amœnitatum nemora patebat prospectus: fortè cælestium orbium situ, magnitudine ac mirabili specie oculos mentemque pascebat, & inde altiùs in contemplationem summi rerum omnium creatoris euectus, sui nescius, Dei totus amore delinitus tenebatur, cùm subitò ex omnibus terræ plagis concursus fit animantium. Erat Adamus augustâ facie, diuinitus splendente vultu, regiâque maiestate venerandus (qualis fulgor ex Moysis ore legitur emicuisse) deinde attollens altiùs vocem, vt longissimè audiri posset, animantia proprijs nominibus suo cuiq; speciei indito compellare cœpit. præcessit, verbi gratiâ, Leo bestiarum principatu gloriabũdus, non tam caperatâ, vt modò se ostentat, fronte horribilis, diffusis tamen per colla iubis, conditis intra vaginas acuminatis vnguium mucronibus, sup-

Communia nomina fabricare, est Philosophorum.

Proprìa imponere Dominorum.

Quantâ cum maiestate Adam animantibus nomina imposuerit.

preſſo oris hiatu & rugitu, placidè capite demiſſo Adamum auſcultans, nomineque ſuo audito, ſupplex præteriuit, ſic belluarum maximus. Elephas, carneâ illâ mole, portentosâ dentium magnitudine, & inſana proboſcide ſpectandus, audito ſuo nomine venerabundus illicò diſceſſit. Ecce tibi accedit Equus, gloriæ ac triumphis natum animal, agglomerato pedum greſſu, quaſi ad ſtudium & certamen Olympicum ſe accingens, argutum caput erigit: pronuntiari ſe proprio nomine audit, & ſubmiſſo deinde capite, regium Adami vultum auguſtiore quadam maieſtate præfulgentem rectis oculis intueri non auſus, recedit. Similiter de tauris, tigribus, pantheris, deque ſerpentibus atque alijs omnibus terræ animantibus philoſophandum eſt. Videre etiam erat, arboribus, plantis, herbis ac floribus paradiſi infinitum auium multitudinem inſidentem, arrectis, ſuſpenſis mutiſque auribus ſuum cuique proprium nomen ab homine pronuntiandum exſpectare. nominatus ergo proprio nomine pauo, pennarum diuerſicolorum pulchritudine geſtiens, gemmantes caudæ oculos expandit ad ſolem, nictantia cæli ſidera in duellum de fulgore deque venuſtate prouocaturus. ad hunc modum reliquæ auium ſpecies ſuis auditis nominibus, capite ſubmiſſo ſupplices, & voce in cantum modulatâ, velut gratiam homini habentes, ad conſuetas nemorum ſedes iterùm deuolarunt. Hæc Fernandius. Quibus cõcluſionem ſubnectit S. Chryſoſtomus Homil. 14. *Vidiſti*, inquit, *conſummatam potentiam? vidiſti dominij auctoritatem? perpende cum alijs etiam hoc, quòd & leones, & pardi, & viperæ, & ſcorpij, & alia etiam illis truculentiora ad Adamum quaſi dominum omni cum ſubiectione acceſſerunt.* & paulò pòſt: *Omnia ferocia perinde ac manſueta ſeruitutem agnouerunt & dominium; id quod monſtrat manifeſta nominum impoſitio.* Non poterat vllo diſcurſu probari clariùs, domini eſſe nomina dare. *Eſt enim*, vt ait Procopius, *domini ſuis iumentis & poſſeſſoribus ponere nomina.* & Moyſes Bar-cepha Comment. de Paradiſo p. 1. cap. vlt. *Penes quos eſt rerum quarumdam dominium, ij quibus volunt nominibus res eas cenſent; ſicut poſſeſſor ea quæ poſsidet.*

Nec opponas, quòd non ſingulis; ſed ſpeciebus tantùm nomina indiderit Adam: hoc enim ſignum eſt ampli ipſius ac diuitis domini; pauperis enim eſt numerare pecus. Adde, quòd hanc poſſeſſionem non tanti faceret, vt ita particulari curâ ei intenderet, quam reſeruabat meliori poſſeſſioni, mulieris & filiorum: ideò enim adducebantur ad eum animalia omnia, vt videret, an in ijs eſſet aliquod adiutorium ſimile ſibi, quod inde ſeligeret, ac particulari ratione ſuum efficeret, eique de nomine ſuo nomen imponeret. Perluſtratis enim ſedulò animantium omnium naturis & affectionibus, nec Deus ipſe conditor nec etiam Adamus inuenerunt in iis adiutorium ſimile homini. dicitur namque: *Adæ verò non inueniebatur adiutor ſimilis eius.* Non enim aut facie, aut loquendi facultate, aut ſtaturâ compoſitioneque membrorum ſimile quid ſibi reperit Adamus, quod nimirum homini eſſet ad vitæ ſocietatem, & ad commercium coniugale proliſque propagationem, adiutorium ſimile & congruum: ideoque nomen ſuum nemini communicauit, quod poſteà fecit Heuæ, vocans eam viram ſeu viraginem pro nomine ſexûs, dans prætereà ei nomen proprium perſonæ. Signum eſt enim nõ tantùm dominij, ſed etiam curæ amoriſq; herilis, quando rei cuipiam indiuiduæ imponit nomen: ita videmus paſtorem, ſi quam ouiculam habet in delicijs, ei imponere nomen: ita patremfamilias fidæ canum cuſtodiæ dare nomina: ita denique Principes, qui equis delectantur, nomine ſuo quemque cognoſcere; vt etiam iam Bucephalus Alexandri, Caſtoris Cyllarus, & Citatus Neronis, & apud noſtros Bauicca magni Cid, magnam acceperint ex nomine ſuo famam, nominenturque ac celebrentur apud poſteros. Ex hoc ſcilicet amore & curâ fluxit illa communis gentibus omnibus conſuetudo, ſolemni aliquâ cærimoniâ pignoribus ſuis chariſſimis imponendi nomina: cumque parentes optent filijs ſuis omne bonum, bonorumque

Cur ſpeciebus tantùm & non ſingulis indiuiduis nomina dederit Adam.

Geneſ. 2. 7. 20.

Etiam amoris ſignum eſt, dare alicui nomen proprium.

rumque mortalium ſummum, ac hominum proprium, ſit honor & gloria, quæ per nomen cuiuſque debeat celebrari; ſæpè particulari ſtudio ſolent ſeligendis nominibus incumbere.

CAPVT IV.

Quando & à quibus ſoleant infantibus nomina imponi.

SOLENT omnes circa vitæ ſuæ principia eſſe curioſiores, atque indagare accuratius, quo anno, die, horâ, atque etiam quonam horæ momento in lucem prodierint; deinde hoc etiam magni referre exiſtimant, quibus parentibus, auis, ceteriſque maioribus ſint progeniti; quòd hæc vel ad indolis bonitatem, vel, ex aſtrorum conceptionis aut natiuitatis tempore micantium influentiâ ad vitæ felicitatem plurimum conferre videantur. Quam curioſitatem, modò ad ſuperſtitionem non inclinet, vti non damno, quòd omnibus innatus ſit quidam ſciendi, id eſt, cauſas principiaque rerum indagandi amor; ita nec improbari volo ſtudium paulò diligentius de tempore imponendi nomina; eorumque impoſitionibus, diſputandi. Ego enim ſic ſtatuo, triplicem vitam eſſe, quam viuere mortales poſſumus ac debemus. prima caduca & fragilis eſt, multis obiecta periculis, obnoxia morbis ac doloribus, morte acerbâ poſt exiguum temporis ſpatium terminanda; ea ſcilicet ad quam à parentibus in lucem edimur, cuius ſcilicet diem natalem tantâ cum lætitiâ & plauſu celebramus. Altera diuina eſt atque immortalis, libera curis, ſecura à periculis, omni voluptate & gaudio circumfuſa, perpetuâ duratione ipſi æternitati coæquanda; ad quam nos virtus ſolet, obſtetricante diuinâ gratiâ, per mortis, veluti partûs, dolores in felicitatem perpetuam procreare; atque huius dies natales videmus à Dei Eccleſiâ quàm ſtudioſiſſimè obſeruari. Tertia vita inter has media, neque tam vilis eſt atque prior illa, neque tam ſublimis atque hæc poſterior; ea nimirum, quâ gloriæ & famæ, mortali quidem, non tamen antè mundi diſſolutionem interituræ, naſcimur, viuimuſque vitam ſuprà mortalem hanc conditionem pænè innumeris priuilegijs exaltatam: nam cùm illa vni affixa ſit loco, hac, de quâ agimus, vno eodemque tempore orbem quà patet vniuerſum, felicibus ſubuecti gloriæ pennis, peruagamur: cùm illa exiguo duratura ſit tempore, hac æuum viuimus omne, quo mortales terræ dabit alterna naſcendi moriendique viciſſitudo. Atque huius vitæ natalem diem illum ego exiſtimo, quo primum inter mortales nominamur, nomenque ipſum eſſe totius vitæ huius fundamentum: quod paulatim ſtudijs liberalibus atque honeſtis artibus nutritum incrementa ſumit, ac tandem heroicis operibus confirmatum, ad vtramque ſolis domum ſe extendit. Huius vitæ natalem, quo ſcilicet nomina imponuntur, *nominalia* vel *nominum ſolemnitates* Tertullianus appellat lib. de Idololatriâ c. 16. Erat dies hic apud Romanos pueris nonus, puellis octauus à natiuitate: quod cur ita factum, diſputat Plutarchus eâ ſuper re ex profeſſo inſtitutâ quæſtione. quamquam nihil fuerit apud eos perpetuò hac in parte obſeruatum: nam Antoninus Philoſophus, teſte Iulio Capitolino, *primus iuſſit apud præfectos ærarij Saturni vnumquemque ciuium natos liberos profiteri, intra triceſimum diem nomine impoſito.* Valerius pueros ante virilem togam, puellas ante nuptias, nulla habuiſſe nomina confirmat. Plura de hoc ritu tractat Feſtus Pompeius l. 10, & Alex. ab Alex. l. 2. Gen. dierum, c. 25. Apud Græcos, teſte Ariſtotele, ſeptimo die, vel, vt Suidæ placet, decimo nomina imponebantur, fiebantque pro puero ſacrificia; & vocati ad conuiuium puero atque puerperæ dabant munera; ac puer Cereri & Libero initiabatur. Sed non eſt quòd gentium ri-

Triplex eſt hominum vita.

Naturæ.

Gratiæ.

Famæ.

Huius natalis eſt dies quo nomen accipitur.

Quando apud Romanos infantibus impoſita nomina.

Quando apud Græcos pueris.

tus recenſeamus, cum tota hæc auguſtiſſimo Mariæ nomini inſeruiat diſputatio : cuius ſi diē impoſitionis rimari velimus, potius ad Hebr. inſtituta tranſeundum. ſolebant autem hi octauo die peractâ circumciſione nomen imponere, vt clarè patet Lucæ 2. verſ. 21. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo vt circumcideretur puer, vocatum eſt nomen eius* IESVS. Hoc de pueris; at de puellis quæ circumciſioni non erant ſubiectæ, nihil inde niſi opinandi colligitur probabilitas, quòd ſcilicet in ijs alteram ſaltem ſolemnitatem diè octauo celebrauerint. Aliò tamen propendet Nicephorus 1. Hiſt. cap. 7. dum ait: *Poſtquam puella è maternis prodijt locis*, Mariam *ſtatim eam nominauit, anigmate acceptam gratiam declarans.* vbi ſtatim à natiuitate nominatam inſinuat. Quem morem Turcas etiamnum ſeruare ſcribit Barthol. Georgeniz lib. de Moribus Turcarum. Non improbabiliter ſtatui poſſe videtur, decimo quinto à natiuitate die Deiparæ nomen fuiſſe impoſitum. fundamentum opinandi eſt, quòd Leuit. 12. v. 2. dicatur: *Si pepererit maſculum, immunda erit ſeptem diebus, iuxta dies ſeparationis menſtruæ, & die octauo circumcidetur infantulus*; at de puellis v. 5. *Sin autem feminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus, iuxta ritum fluxus menſtrui.* Cùm enim dilatum fuerit in maribus ſacramentum legis ſcriptæ & impoſitio nominis ad reuerentiam, quamdiu mater erat immnuda; ratio exigere videtur, vt ſimiliter dicamus de puellis, eas tempore immunditiæ maternæ nequeſacramentum legis naturæ neque nomen accepiſſe. Hæc de tempore impoſitionis nominis MARIANI, incerta quidem, ſed ob ſolam nominis reuerentiam commendanda; cùm de ſublimibus & cæleſtibus etiā pauca imperfectè ſcire melius ſit, quàm de inferiorbus multa certò. Ego certè exiguam de Chriſto & Dominâ meâ Virgine ſcientiam omnibus Romanorum & Græcorum antiquitatibus cenſeo anteponendam. & videmus, quanto labore quidam cum blattis tineiſque decertent, vt hinc inde aliquod malè fundatum de ijs dubiolum excutiant.

Quando apud Hæbræos pueris.

Quando puellis.

Age ergo, etiam quorum fuerit nomina imponere inquiramus, vt mox perueniamus ad nomen MARIAE dulciſſimum, quò iam dudum aſpirat calamus. Ad matrem id pertinuiſſe ſentit Montanus in cap. 7. Iſaiæ, ductus non tam auctoribus quàm Scripturæ exemplis: nam à matribus nomina acceperunt in primis Cain & Abel, Gen. v. 1. Moab & Ammon Gen. 19. v. 17. & 38. Iacob, Geneſ. 25. v. 25. vt D. Chryſoſt. ibi Homil. 51. interpretatur; omnes filij Iacob, Gen. 29. 30. & 36. Phares & Zara, Geneſ. 38. v. 29. & 30. Samſon, Iud. 13. v. 24. Samuel, 1. Reg. 1. v. 20. Salomon, 2. Reg. 12. v. 24. Iabes, 1. Paralip. 4. v. 9. Chriſtus Dominus, Iſaiæ 7. v. 14. iuxta Hebræum; vbi non eſt, *Et vocabitur nomen eius Emmanuel*, ſed, *Et vocabis*, &c. ſcilicet Virgo conceptura & paritura, vt notat Galatinus lib. 3. de Arcanis cap. 18. quod tandem clariùs exprimitur Lucæ 1. v. 31. Ad patrem verò ſpectaſſe ſentit Pineda in ſuo Præuio Salomone lib. 1. c. 16. cum alijs quos citat. neque deſunt exempla: nam à patribus nomina acceperunt Enos, Gen. 4 v. 26. Noë, Gen. 5. v. 29. Iſaac, Geneſ. 21. v. 3. Manaſſes & Ephraim, Gen. 41. v. 51. & 52. & Gerſam & Eliezer, Exod. 2. v. 22. & ratio id poſtulare videtur, cùm, vt iam diximus, dominij poteſtatiſque ſit actus nomina imponere. Videtur autem filiorum dominium magis patri quam Matri competere: certe paternæ potiùs quàm maternæ poteſtati filij ſubijciuntur. Mihi autem cum Mendozâ in 1. Reg. c. 1. v. 20. potius videtur, neutram in partem determinatum fuiſſe, ad vtrum parentum ius hoc pertineret, cum par ferè ſit in vtamque partem exemplorum numerus, & aliquando ſimul vterque parens hoc functus ſit munere, vt patet in Iſmaël, Gen. 16. v. 11. & 15. in Ioanne Baptiſtâ, Lucæ 1. v. 60. & 63. in Chriſto Domino, Matth. 1. v. 21. vbi etiam Ioſepho hoc munus committitur, vt, quà licebat & conueniebat, gauderet veri parentis priuilegijs. Imò fuit, cùm alter parentum vnum, alter alterum nomen imponeret, vt patet Gen. 35. v. 18. vbi

Cuius ſit nomina imponere.

quem

quem Rachel mater Benoni vocat ob dolorem ſuum, Iacob pater Beniamin nominat ob ſperatam ei benedictionem. Neque ſemper parentes hoc fungebantur munere, cum de Salomone 2. Reg. 12. v. 25. dicatur, quòd Nathan Propheta *vocauit nomen eius, Amabilis Domino.*

CAPVT V.

Virgini Deiparæ nomen à Deo fuiſſe impoſitum.

IAM propiùs ad agendum de Virgineo nomine accedimus. de quo ante omnia inquirendum, quiſnam id primùm Virgini dederit: nam veluti frigidâ ſub initium aſpergere videntur feruorem noſtrum, qui obijciũt hoc nomen, quod omni animi affectu deprædicandum ſuſcepimus, non fuiſſe à Deo reuelatum. Egregia verò, inquiunt, nominis iſtius dignitas, quòd Deus id femineæ prudentiæ reliquerit, cùm etiã idololatræ Iſmaelis ſibi reuelandum putarit, neque illud voluerit Abrahami ſerui ſui prudentiſſimi iudicio committere; quaſi verò non foret prona in errorem femina, nec referret ad Matris Dei gloriam, habere digniorem nominis ſui auctorem. An non legis in Geneſi, Adamum omnibus beſtijs & violatilibus aptiſſima impoſuiſſe nomina; Heuam verò turpiſſimè lapſam in nominibus duorum filiorum ſuorum? nam primum Cain, hoc eſt poſſeſſionem, vocauit, eum ſcilicet, qui vanitatis pleniſſimus nec poſſidebatur à matre propter ſtudium libertatis, nec poſſeſſus rem eius augere poterat; quia nihil in eo niſi fumus vanitatis: alterum verò, recti iuſtique ſtudioſum, Abelem, hoc eſt vanitatem, dixit, cùm hunc per mores bonos virtutemque ſolidam verè poſſideret, pretioſiſſimaque eius eſſet poſſeſſio.

Heuæ grauis error in nominibus imponendis.

Quibus non ira reſpondebo, vt, quod facillimè poſſem, Heuam cum Annâ conferam, ac huius prudentiam cum illius ſtoliditate, huius filiam cum illius filijs componam; ac tandem id conficiam, Heuam, quò propiùs aberat à plagâ mortiferâ generis noſtri, eò magis à Deo deſertam fuiſſe, vt per lapſus frequentes agnoſceret infirmitatem ſuam; Annam verò, quò magis accedebat ad plagæ iſtius remedium, eò magis prudentiâ & ſapientiâ illuſtratam fuiſſe, vt per diuinam in actionibus ſuis aſſiſtentiam diſceret ei confidere, qui per eam ac filiam eius facturus erat ſalutem magnam: proindeque nihil mirum eſſe, ſi illa errauerit, hæc rem tetigerit, quando proli ſuæ imponebant nomina. Verùm illam ingredi viam non licet, quòd hîc mediocribus inhærere, quando ad maiora patet aditus, quodammodò præuaricationis ſit genus. quapropter abſolutè contra obiectionem ſtatuo, nomen ſanctiſſimum MARIÆ non humanum eſſe inuentum, ſed diuinum myſterium; non ex archiuo aliquo antiquitatis erutum, ſed ex theſauris diuinitatis euolutum; non à matre Annâ aut Ioachimo patre excogitatum, ſed à Patre eius æterno, qui iam inde ante omnia tempora inter prædeſtinationis ſuæ arcana eam vocabat nomine ſuo, primò vocatum; à Filio, qui Matrem ſuam totâ æternitate præcedebat, nominatum; à Spiritu ſancto, qui Sponſam adornabat, approbatum ac celebratum fuiſſe. Quâ dere ne cui in mentem veniret dubitare (licet id ratio ipſa ſatis conuincat) voluit eius, ſimul atque quidpiam moliebatur, non obſcurâ dare argumenta, & quædam ipſi rerum moli, quam alibi diximus propter Mariam fuiſſe conſtitutam, imprimere ſymbola.

Heuæ & S. Annæ collatio.

Mariæ nomen à totâ SS. Trinitate impoſitum.

Vt ergo inde ordiamur, vnde tota rerum machina ſuum ſumpſit exordium, nónne legis Geneſ. 2. v. 19. *Quod vocauit Adam animæ viuentis, ipſum eſt nomen eius*? at quòd terræ, mari, diei, nocti aut firmamento nomen poſuerit, non legis. Rationem autem cur ita factum, facilè erues, ſi conſideres cur Adamo Deus fecerit cetera nominandi

Adam terræ, mari, diei, nocti & firmamento nomina non impoſuit;

nandi potestatem. Quod ita indicat Basilius Seleuc. Oratione 2. *Esto Adam nominum artifex, quando rerum esse non potes: formentur à me, nominentur à te: partiamur fictricis huius solertiæ gloriam, me cognoscant artificem naturæ lege, te dominum intelligant appellationis nomine: indenomen, quibus ego essentiam.* optimè, & ad rem nostram accommodatè, scilicet in dominij signum data est Adamo res nominandi gloria. *Partiamur*, inquit, *fictricis huius solertiæ gloriam; me cognoscant artificem naturæ lege, te dominum intelligant appellationis nomine.* An non clarè satis concessioni huic hanc exceptionem inesse cognoscis, vt quorum appellatio Adamo non conceditur, eorum non sit dominus? appellat ergo bestias, & volatilia, & omnem animam viuentem; at mare, terram, diem, noctem, firmamentum non appellat suis nominibus: habebant enim ea nomina sua priusquam Adam ea posset nominare. Iam cape ex verbis Basilij mysterium: *Formentur* (inquit apud ipsum Dominus) *res à me, nominentur à te*; illæ scilicet quæ referunt genus tuum, quod comparatum est iumentis insipientibus, & simile factum est illis; at mare, terram, diem, noctem, firmamentum non nominabis; quia eam referunt quæ prima inter feminas est à me nominanda. Ecce quinque magnas nominis Mariani litteras; quibus sub initium illud Deus ita obscurè scribebat, vt tamen satis indicaret nomen illud fore admirabile, quod ipse hisce quinque tam ingentibus characteribus præfigurabat: nam vastissimum aquarum elementum, quod mare vocatur, uon tantùm naturâ suâ Virginem, sed pænè etiam nomine nomen præ se ferens; quid istâ collectione vndarum, nisi inundationem gratiarum; quid amaritudine, nisi doloris acerbitatem; quid post receptionem & emissionem tot fluminum æquali semper plenitudine, nisi nusquam redundantem per tot gratias Mariæ humilitatem adumbrat? Iam terra florum varietate, numquid virtutum fragrantiam; herbarum medicinalium potestate, numquid vim salutarem omnis noxiæ facultatis expertem; tot plantis & arboribus, numquid omnium gratiarum diuersitatem significat? Si autem firmamentum vel ex nomine suo; vel ex situ, quòd sit in medio aquarum; vel ex ornatu, quòd sint luminaria in firmamento cæli; vel ex operatione, quòd annuntiet opera manuum eius, describam: occurret vbique ea quæ sicut Sion firmata est; occurret quæ inter binas deliciarum aquas, cælestes amauit, terrenas contempsit; quæ inter populos (nam *aquæ* multæ, *populi* multi, Apocal. 17. v. 15.) per sui amorem separat cælestes & electos à terrenis & præscitis; occurret quæ omni cælesti fulgore exornata rutilat Filij sui humanitate & diuinitate; occurret denique ea quæ potentiæ & sapientiæ diuinæ opera (his enim veluti manibus Deus operatus est) omnia annuntiauit Apostolis & Euangelistis: ita vt omni firmamēti proprietate Maria satis aptè denotetur. Quàm verò eam clarè dies repræsentet, qui discursu probari cupit, videtur sibi velle in ipsâ meridie facem accendi: neque enim solum vidimus & audiuimus, sed manus nostræ etiam contrectauerunt, quod dies diei eructauit verbum, quando Pater æternus Verbum suum carnem fieri voluit in vtero Mariæ. Potius nocti accendenda est aliqua discursus exigui fax; ne tenebris suis nomen Marianum obscuret, neque satis appareat quomodo ipsa fuerit Mariæ symbolum, itaque eneruet totam hanc probationem nostram, quod ideò hæc ab Adamo nomina nō acceperint, quia eorum significatum non erat nomen ab vllo Adami filio aut filiâ accepturum. Canit Propheta Dauid: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Diem, vt dixi, lucidissimam vocat Patrem, qui habitat lucem inaccessibilem; diem item MARIAM Virginem. Et quis dubitabit num ipsa dies? considera actionem illam quando eructauit ei verbum, & inuenies diei huius manè, meridiem & vesperam. Manè salutatum veniebant clientes patronos; & numquam crebrior inter homines salutatio quàm primùm illucescente die itaque

Quia symbola erant Deiparæ.

Quomodo D. Virgo dies: *Psalm.* 18. v. 3.

quæ Angelus conſpiciens albeſcere iam cælum, & auroram huius diei reſerare plena roſarum atria ; officioſam iſtam ſalutationem adfert, dicens *Aue* ; ſubitoque (quia non ſtat in die hoc, ſed exultat quaſi gigas ad currendam viam) animaduertens ſe peruenisſe ad meridiem, ait, *Gratia plena*, indicans in eâ eſſe ſicut in meridie plenitudinem coloris & luminis. Verum non in hoc ſiſtit nuntius, qui in mandatis habebat ambulare vſque ad veſperam ; quam appropinquare videns, ait, *Dominus tecum.* Sol enim veſpere terris fit propinquior : & ecce cadunt de montibus vmbræ, virtute Altiſſimi obumbrante Virgini, *factum eſt veſpere & manè dies vnus* & ſingularis, ipſa ſcilicet Virgo Deipara : *veſpere* obumbrante ei virtute Altiſſimi, *manè* Spiritu ſancto in eam ſuperueniente: *veſpere* in refrigerio carnis Chriſti, *manè in* illuminatione Spiritus ſancti, ad quam diem alludit Pſalmiſta Pſal. 77. v. 14. *Deduxit eos in nube diei, & totâ nocte in illuminatione ignis.* Factũ, inquam, eſt *veſpere* in fine veteris Teſtamenti, & *manè*, in principio noui ; *veſpere* dum terminatur regnum Iudæorum ; & *manè* dum inchoatur Imperium Chriſtianorum ; *dies vnus*, ſingularis, electus ex millibus : dies, inquam, Virgo MARIA ; cui nos cum Pſalmiſtâ dicere oportet : *Veſpere, manè & meridie narrabo & annuntiabo*, &c. Pſal. 54. v. 18. Huic diei alter iſte dies Pater cæleſtis eructat verbum, idque tanto in lumine diei non poteſt eſſe obſcurum. At, quomodo *nox nocti indicet ſcientiam*, non ita clarum : quin nox obſcura, prima mater viuentium Heua ſuo errore Mariam doceat obedientiam, non eſt dubium. ſolent enim naufragia pereuntium, qualibet hydrographicâ chartâ potentiùs pericula docere nauigaturos. Sed noctem vocari MARIAM, vix apparet, quî ſine horrore cogitari, & ſine blaſphemiâ dici poſſit. Perſiſtit tamen Prophetа ; & qui noctem vocauit Heuam, eam, cui indicat illa ſcientiam, etiam vocat noctem ; vt, ſi in iſtâ obſcuritate hallucinemur, aliunde petamus lucem, quæ non deerit Scripturarum arcana ſtudiosè perſcrutantibus. inueniemus enim quòd tenebræ, quæ alibi obſcuritatem, confuſionem, miſeriam & triſtitiam ſignificant, alibi augeant maieſtatem & gloriam. *Et caligo ſub pedibus eius*, dicit Regius Pſaltes 2. Reg. 22. v. 10. & 12. *Poſuit tenebras in circuitu ſuo latibulum* ; quando Dei maieſtatem ſibi proponebat auguſtiſſimam. & ipſe Dominus Exod. 10. v. 9. vt conciliaret ſibi auctoritatem, ait Moyſi : *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te.* rurſum Eccleſ. 10. v. 8. dicitur : *Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ.* vt oſtendatur, fortiùs emicare ſplendorem, quando à tenebris effuſis intenditur ; maximè quando de diuinis agitur, quæ nullam admittunt nubeculam, niſi quæ intendat maieſtatem. Quod igitur in Heuâ eſt nox miſeriæ, in MARIA eſt nebula gloriæ ; & ſic nox nocti indicat ſcientiam : nox obſcura, ſuffuſa tenebris ignorantiæ, obiectâ denſiſſimâ peccatorum nube nocti quæ conſtat ex tenebris lucidiſſimis, non aliâ ratione obſcuris, quàm quòd deſit nobis intuendi facultas, cùm abundet in ipſâ iucundiſſimâ ac pleniſſimâ maieſtate viſibilitas. Maneat ergo breuiter probata noctis cum Virgine Deiparâ ſimilitudo, vt conſtet ideò Deum omnia circumſpicientem, & ſenſus etiam morales & accommodatitios Scripturarum ſuarum ante omnes præmeditantem, quinque magnis iſtis vniuerſi partibus nomen indidiſſe, vt iſtis quaſi litteris præfiguraret nomen illud pentagrammaton, quod ipſe erat Matri ſuæ inditurus ; neque permiſſurus vlli mortalium, tantum poteſtatis in ſuam Genetricem, vt ei nomen imponeret. Notat Venerabilis Beda in cap. 2. Ioannis, nomen primi parentis formatum eſſe ex quatuor litteris, quæ initiales ſunt quatuor mundi partium. Græcè enim quatuor partes ſunt, Ανατολὴ, Δύσις, Ἄρκτος, Μεσημβρία, , hoc eſt, Oriens, Occidens Septemptrio, Meridies ; eaſdemque litteras numerum eum conſtituere quo corpus humanum in vtero materno formatur : α enim vnum, δ quatuor, α iterùm vnum, & μ quadraginta conſtituit ;

Gen. 1. v. 5.

Quomodo eadem ſit nox.

Acroſtichon nominis Adam.

ſtiuuit; ſimul quadraginta ſex, quot nimirum diebus corpus ſecundi Adam in vtero Virginali formatum ac perfectum eſt. Per quod deſignabatur, primum Adam per orbem diſperſum, per ſecundum, hoc eſt CHRISTVM, colligendum, atque in vnionem fidei congregandum. Vide autem quanto nomen Virginis Deiparæ auguſtius, quod non litteras initiales habet mundi partium, ſed cuius litteræ quodammodò ſint quinque totius vniuerſi partes nobiliſſimæ; ſic tamen, vt non niſi figuratè illud exprimant, deſtinatione eius qui ipſas propter MARIAM creabat. Ridebit hîc fortaſſis naſutorum aliquis, & exiguum quod traxi ex Scripturâ fundamentum, naſi aduncì ſpiritu difflabit; longiſſimè quæſitam eſſe pronuntians hanc probationem. Non pugnabo ego cùm homine iſto, quòd vincere non poſſum, pertinaciùs, modò non abnuat, vel hanc ipſam cogitationem non abhorrere à filij in Matrem reuerentiâ. Cùm videam quinque hos mundi quaſi cardines apud multos fore Matris meæ ſymbola, nolo ijs ab Adamo aut mortalium vllo nomina dari; vt vel hac ratione oſtendam, nullum præter me ipſi nomen inditurum. Sed age, ſolidiora ex ratione & Patrum auctoritate inquiramus, vbi rationem dederimus, cur non clariùs Scriptura declarauerit nomen hoc Virgini à Deo fuiſſe impoſitum.

Quinque præcipuæ mundipartes litteræ ſunt nominis Mariani.

CAPVT VI.

Cur Scriptura non prodat nomen Virgini Deiparæ datum eſſe à Deo; item, cur Patres antiqui id ignorauerint.

QVANTI ad Virginis Deiparæ gloriam referat, ei nomen non ab hominibus, ſed à Deo inditum fuiſſe; ex rationibus & auctoritatibus conſtabit, quibus mox id ita factum eſſe probabimus: iam non ſine ſtupore prætereundum videtur, rem tanti momenti tantæque dignitatis non fuiſſe à Scripturâ diſertè indicatam, vt poſſemus conſtantis fidei obſequio hanc in nomine MARIANO venerabilitatem colere, quòd ſit ab ipſâ Sapientiâ excogitatum. O quàm parum ſcimus æſtimare diuina beneficia, ignari quædam maiore vtilitate noſtrâ negari quàm concederentur! Non tantùm noxia huc voco, quemadmodum de parentibus dicitur, qui cultrum puero ſibi oculos effoſſuro, licet ploret, eripiunt, ingenti beneficio; ſed etiam ea quæ erant profutura ſi concederentur, modò negata maioris vtilitatis præſtent materiam. Fuiſſet ſanè magni faciendum, ſi placuiſſet diuinæ bonitati nobis de MARIAE auguſtiſſimo nomine reuelare, quòd vocatum ſit in cælo, antequam nuntiaretur ab Angelo, vel inderetur à parentibus: ſed vide, an nō maiori id noſtro bono fuerit omiſſum. Iam credo ratione, experientiâ, & tot

Vtilius quædam negantur nobis à Deo quàm concedun-tur.

Vti in manu Deiparæ est salus nostra. S. Bern.

& tot Patrum id affirmantium auctoritate satis notum est, quòd Deus *nil nos habere voluit, quod per* MARIAE *manus non transiret.* Iam dudum legem hanc tulit Deus generi nostro in primis salutarem, eamque ingentibus vbique miraculis publicauit; vt penes Matrem suam sit omnium thesaurorum cælestium dispensatio. Quis ergo non videt, nihil magis optandum esse humilitati nostræ, quàm occasiones inuenire, quibus possimus insigniter tantam Dominam nobis obstringere; vt quæ sponte suâ propendet ad benefaciendum, acceptis à nobis beneficijs impellatur ad magis naturæ suæ obsequendum? Hasce occasiones nobis obtulit Deus, quando non omnia quæ ad nominis MARIANI gloriam spectant, reuelauit: dedit nimirum hunc industriæ nostræ campum, in quo possimus non minore vtilitate quàm iucunditate exerceri; vt noua indagantes tanti nominis magnalia, flectamus in nostri amorem ista misericordiæ viscera, quibus sufficit ad benefaciendum titulus miserendi. Qui ergo posuit in manibus MARIAE vitam & salutem nostram, ne putaremus non satis securè ibi esse collocatam, vicissim studio & industriæ nostræ commisit quasdam gloriæ ipsius circumstantias; per quas nomen eius amplificando pelliceremus in certamen beneficiorum generosam Mariæ indolem, minimum sibi præstitum obsequium centies duplicato fœnore redhibituram. Nostrum igitur est asserere quod Scriptura tacuit, tanti fuisse Patri æterno Filiam, Filio Matrem, Spiritui sancto Sponsam, vt noluerint ei ab alio quàm à sapientissimo suo concilio nomen imponi. quamquam quid dico Scripturam celauisse, quod silentio suo, omni sermone clariùs est prolocuta? Verto stylum, & dico, nullum esse de Virgine mysterium, quod sacræ Paginæ non sufficienter nobis indicauerint. Cui hoc paradoxum videtur fide maius, is Cardinalem doctissimum audiat ex ipsis Sodomæ & Gomorrhæ cineribus veritatem eius eruentem. Scimus Abraham Deum rogasse, vti ciuitatibus istis parceret, si vel decem iusti in eis reperirentur: quodque fiduciam non extenderet vlteriùs, infregisse quodammodò vires misericordiæ diuinæ, cupientes se per preces eius iustitiæ tot peccatis incitatæ opponere. Igitur iusto Dei iudicio in cineres aguntur pulcherrima oppida; nec est qui vindictam euadat nisi Lot cum familiâ suâ, licet vehementer vxoris infortunio mutilatâ. Hîc si quæratur, an pro viro hoc iusto rogauerit Abraham? nihil eò certius putat Caietanus; at Scriptura non prodit. Respondet ille, Quomodo sine perissologiâ proderet rem, de quâ nemo poterat dubitare? an enim pro alienis supplicaret Abraham, & suos negligeret? an propter decem iustos, si fortè reperirentur, etiam sceleratissimis vellet ignosci, & iustum, vnum tam stupendâ raritate æstimandum sineret cum pessimis incendio inuolui? Frustrà sunt verba, vbi res ipsa loquitur; non opus indicio pro eo quod oculis cernitur. Ita de precibus Abrahami ratiocinatur Caietanus. Cur de Virginis Deiparæ priuilegiis, deque sanctissimo eius nomine nobis pari ratione non liceat argumentari? non scribitur nomen eius à Deo fuisse reuelatum; at hoc ipso magis affirmatur, quàm si scriberetur: tam enim necessariâ id videbat sanctus Spiritus ex maternitate Dei trahi consequentiâ, vt superfluum videretur mentionem facere: nam si neque defectu, neque abundantiâ peccare potest sermo diuinus; quod omissum non parit defectum, id narratum videretur superfluum. Quis autem defectum esse dicet in Scripturâ, quòd tam multa B. Mariæ Virginis priuilegia præterierit, cùm satis potuerint omnia ex Filij dignitate intelligi? At iterùm instas: Esto, colligatur vel ipso Scripturæ silentio, non casu à matre nominatam, sed iudicio a Deo vocatam Virginem Deiparam nomine suo sanctissimo Mariam; cur id antiquis Patriarchis negatum fuit solatij, vt scirent nomine compellare quam tot votis expetebant, perciperentque tot antè sæculis suauitatem eam & potentiam, quam mox dicemus ex ipso illo vocabulo, tamquam ex fauo dulcissimo, existere? Facit hæc quæstio ne diutiùs

Ita in manibus nostris circumstantiæ sunt quædam gloriæ Marianæ.

Scriptura quædam tacendo manifestat.

Cur Patribus antiquis non fuerit reuelatum nomen Mariæ.

tiùs reticeam cogitationem, quæ mihi ſolet accendere vehementer erga nomen Virginis pietatem. Videtur enim, toto quod Dei incarnationem præceſſit tempore, certauiſſe cum paucorum pietate mundi totius malitia: Sancti enim ſummis ac imis votis Dei incarnationem expoſtulabant, reliqui verò mortales extremis flagitijs eam retardabant. Deus autem in nomine hoc dulciſſimo mira incluſerat myſteria, vimque tantam ei dederat attrahendi, vt vix poſſet ipſe reſiſtere, quin eo audito deſcenderet, ſeque hominibus homo factus admiſceret. Ipſe ergo videns propter tot ſcelera mortalium adhuc immaturum eſſe tempus remedij, ne vim maiorem facerent pientiſſimi Patriarchæ, quàm cui facilè poſſet reſiſtere; ſtudioſiùs Mariæ nomen celabat, ne eo quaſi incantatus manus daret, ac deſcenderet antequam veniſſet plenitudo temporis. Vnde in mentem mihi hoc venerit, quæris? per ſymbola ad ſignificata, per vmbras ad rem ſoleo procedere; ſuſpenſo tamen gradu, quaſi tentabundus, quando viam inuenio nondum Patrum tritam veſtigijs. quod dixi, inter iſta repono. Suggeſsit autem id Iacobi Patriarchæ lucta, qui vix auroram (nomen accommodatitium Virginis) nominari audiuerat, cùm ſtatim nerui iſti fortiſſimi, quibus contra Deum præualuerat, remiſerunt vim ſuam, & ipſe altero pede infirmior claudicabat: vt ſciremus, Deum, qui nocte totâ incarnationis lucem præcedente precibus Patriarcharum reluctabatur, ſimul atque ab Angelo MARIAE nomen audiuit, illuceſcente iſtâ aurorâ pugnam remiſiſſe; & hominem factum, alterâ naturarum infirmiorē inter nos claudicaſſe, languores noſtros portantem, & omnium infirmitatibus grauatum. Iam ratiocinari, vt ſic dicam, à poſteriore & ex re factâ licet: Si tanta vis fuerit nominis MARIANI, vt eo audito nequiuerit Deus ampliùs reſiſtere mortalium votis, ſtatimque deſcenderit; profectò non conueniebat eam vim Deo adhiberi priuſquam veniſſet plenitudo temporis, quo, ſecundùm æternæ prouidentiæ ſuæ conſilia, ſciebat conuenientiſſimum eſſe venire. Celabat ergo quaſi ſtudioſiùs vocabulum hoc potentiſsimum, quod ſufficiebat ad vim faciendam Omnipotenti in veteri lege, ne vis ſibi importuna fieret: in nouâ autem operæ pretium non erat dicere ſe id reuelaſſe; tum quòd nemo videretur de eo poſſe dubitare, tum vel maximè, vt nobis daretur gnauæ pietatis materia, dum rationes pro eâ ſententiâ conquireremus, quam non cogeremur ſub infidelitatis anathemate aſſerere. Age ergo, huic ſtudio incumbamus, & Virginem nobis, licet non dignis, beneuolis tamen, demereamur hac in parte obſequijs.

Nominis Mariæ vis admiranda.

CAPVT VII.

Probatur Deum impoſuiſſe nomen Virginī Deiparæ.

SANCTVS Cyrillus in illud Ioā. 1. v. 42. *Tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus*, ait: *Et Simonē iam in poſterum ipſū vocari non permittit, eum ſibi vindicans vt proprium.* indicās impoſitione nominis ſignificari poſſeſſionem & ius imponentis in eum qui illud accipit, atque hac ratione ſuprà dicebamus, parentem noſtrum ſuum in animalia exercuiſſe dominium. Et Dio Caſſius lib. 46. dicit, ijs qui adoptātur, vel mutari vel inflecti nomina, vt intelligātur in aliam tranſijſſe familiam, atque alteri à priore poteſtati eſſe ſubiecti. Ex quo primum formare licet argumentum, nomen Virgini Deiparæ non ab alio fuiſſe inditum quàm ab ipſomet Deo, qui eam ita ſibi elegerat & prælegerat in poſſeſſionē particularem, vt nollet quemquam aliquid in eam iuris prætendere: ideò etiam de ſterilibus ac prouectæ ætatis parētibus voluit eam generari, vt vix eſſet natu-

Maria tota erat Dei.

rx

ræ filia, sed tota Deo tribueretur: qui ergo tot miraculis eam sibi vindicauit, nominis impositionem, quæ publicum est dominij signum, nequaquam omiserit. *Penes quos est rerum quarumdam dominium*, inquit Moyses Bar-cepha Comment. de Parad. p. 1. cap. vltimo, *ij quibus volunt nominibus res eas censent; sicut possessor ea quæ possidet.* Atqui Maria tota erat ancilla Domini, tota eius possessio, vix quidquam in ea parentes agnoscebant, quod non esset supernaturaliter donatum; & gratia eam ita transformauerat, vt potiùs gratia diuina carne vestita, quàm Virgo gratiâ exornata videretur. Debuit ergo ab eo nomen accipere, cuius tota erat per miracula, per gratiam, & per singularem adoptionem, quæ etiam fuit ratio, cur eam omni cognomine carere voluerit; ne scilicet haberet quidquam cum alijs commune.

Solus Deus eam nouit.

Aliam rationem, vnde colligamus nomen Virgini à Deo fuisse impositum, suggerit Plato; qui dicit, non esse cuiuslibet hominis nomina rebus dare, sed doctissimorum & præstantissimorum, vt qui rei naturam perspectam habere debeant, vt nomen illi adæquent. Iam certum est, tãtam fuisse, & ad tam magna electam Virginem Mariam, vt nemo ea capere potuerit, nisi qui elegit. Nemo ergo potuit ei nomen conueniens imponere, nisi is qui tantam eam facere decreuerat. Imò verba S. Petri Damiani Serm. de Annuntiatione aliquid indicant; vnde, si humano more de maiestate diuinâ agere liceat, colligamus, ne mediocri quidem Dei studio hoc nomen fuisse inuentum. fæpiùs citanda sunt verba Sancti, quæ continent tot tantaque nominis Mariani mysteria. *Iuit Deus*, inquit, *de redemptione hominum consilium, & statim de thesauro diuinitatis Mariæ nomen euoluitur; & per ipsam, & in ipsa, & de ipsa, & cum ipsa, totum hoc faciendũ decernitur; vt, sicut sine ipso nihil factum est, sine ipsa nihil refectum sit.* Nota vocem *euoluitur*; vt intelligas, Deum inter diuinitatis suæ thesauros, inter æterna sapientiæ suæ consilia, vt dicebam more nostro loquendi, diutiùs quæsiuisse quod tandem virgini Dei genitrici nomen imponeret: faciliusq; quodammodò fuisse videtur tot tantaque, quibus excellit Deipara, priuilegia ei conferre, quàm omnia, prout decebat, conuenienti nomine comprehendere. Siquidem nouum non est, politioris simul & sublimioris doctrinæ viros, postquam librum aliquem diligenti studio elucubrauerunt, variâ apteque inter se connexâ materiâ commendandum, plus deinde sudare vt titulo qui aptè materiam omnem comprehendat, eum insigniant, quàm ferè toto in opere laborarint. Librum magnum ex pergameno virgine Deus confecerat, quando sibi Matrem elaborauerat. vocat eam sic aliàs nobis explicatus Isaias, quando dicit cap. 8. v. 1. *Sume tibi librum grandem*; vt scilicet in eo scriberetur stylo hominis. Quantum, Deus bone, quantum tui in hunc librum transfudisti! quantâ cum curâ & solicitudine sapiẽtia tua excogitauit, potentia confecit, amor perfecit! quot quantaq; in eo scripsisti mysteria, explicuisti ænigmata, manifestasti consilij tui arcana! Profectò si omnia hæc titulo vno aliquo sunt comprehendenda, mihi quidem videtur facilius tibi fuisse librum conficere, quàm inscribere. Si enim librum grandem eùm appellaueris, commune est: si prophetiam vocaueris, parum est: si apocalypsin dixeris, etiamnum parum: si legis Scripturarumq; compendium si cæleste prodigium, si cæli terræque miraculum, si creaturarum omnium portentum; nihil hæc omnia ad tanti libri dignitatem, nihil ad explicandam tam variam tamque prodigiosam eius materiam. Audi quid in libro hoc, qui Maria est, contineatur, vt æstimes, quis ei sit titulus ponendus. Paginam eius vnicam compecdio refert S. Petrus Damianus suprà: *Traditur*, inquit, *epistola Gabrieli, in quâ salutatio Virginis, incarnatio Redemptoris, modus redemptionis, plenitudo gratiæ, gloriæ magnitudo, multitudo lætitiæ continetur.* In libro autem toto nihil ab initio ad finem nisi gratia, nihil nisi puritas, nihil nisi sanctitas reperitur. Et, vt verbo dicam, si spectes, quòd Maria debebat Mater Dei existere, diuinitatem carne humanâ vestire, incomprehensibilem

corporis sui angustijs claudere, immensum visceribus suis arctare, æternum in tempore concipere, Creatorem creaturam efficere; totus liber ænigmaticus, totus mysteriosus est: si consideres lætitiæ summæ quam humana mens capere, & item tristitiæ in eodem gradu sine conflictu & pugnâ existentiam; totus comicus, totus item tragicus est: si aduertas quòd ipsa sit polus nauigantium, & stella maris huius vasti & tempestuosi; iam fiet Mathematicus: si myrrham amaram contempleris, fiet Herbarius; si Oceanum immensum gratiæ & excellentiæ, Physicus fiet Theologus; si lumen solis & lunæ radios exsuperans, Astronomus; si cæli ac terræ Dominam, Politicus; si insignem redemptionis nostræ historiam, Historicus. omnia fit liber iste, per quem refecta sunt omnia. Quidquid dixerunt Sancti, quidquid pij contemplati sunt, quidquid scripserunt interpretes, quidquid voce gratulatoriâ Christiani acclamauerunt vlli creaturæ, totum hoc continetur libro isto, & totum fuit titulo exprimendum. Et etiamnum dubitabitur, an ab alia potuerit is sapientiâ proficisci, quàm ab eâ quæ sola Mariam nouerat, quia fecerat? Certè non poterat sibi ipsi Virgo dignum nomen imponere, quia non satis capiebat quæ acceperat: dum enim maximè ea ponderare volebat, obruta eorum mole & copiâ, nihil aliud exprimere potuit, quàm, *Fecit mihi magna qui potens est.* Quid virginem dico nomini suo exprimendo imparem fuisse, cùm Dauid nescio quid de sapientiâ ipsâ indicare videatur? *Te decet*, inquit, *hymnus Deus in Sion*; imò, vt Septuaginta vertunt, *Te decet silentium in Sion.* Hyperbole est, quæ tamen nullâ ratione superet nostrum agendi & intelligendi modum. dicit enim tantam esse hanc Sion, quam sibi in palatium ædificauerat Deus, vt vix sit verbum reperire, quo eius magnitudo & excellentia debitè hominibus explicetur: quapropter potiùs, aut saltem æquè, decere videatur silentium in ea & de ea, quàm prædicatio. Et ita decere, Deus re ipsâ ostendit, quando tam parcè de ea locutus est, vt, præter mysteri obscurissimum nomen eius, vix quidquam sit in laudem eius prolocutus; quasi timeret, ne posteriori aliquo encomio gloriam suam, quam inuehiendo tam apto Mariæ titulo consecutus erat, obscuraret.

Psal. 64. 2.

Tertiò probari potest à Deo Mariæ Virgini nomen fuisse impositum, argumento communi quidem, sed fortissimo. Nihil Virgini negandum cuius capax est, quod alijs quibusdam datum esse fatemur. concessam autem scimus hanc gratiam, vt nomina ante ipsam natiuitatem acceperint, viris omnino quinque, tribus nimirum veteris, & duobus noui Testamenti. Hoc priuilegium esse & gratiam, testatur Beda in Luc. 1. v. 13. *Singularis*, inquit, *meriti indicium datur, quoties hominibus à Deo nomen imponitur.* Et ex Abulensi notat Pererius in cap. 16. Genes. quòd in cuiuslibet eorum vel denuntiatione nominis, vel in ipsâ eorum conceptione ac natiuitate animaduertere liceat miracula aliqua contigisse. Primus eorum fuit Ismahel; cuius conceptum semel mortuum, iterùm fuisse viuificatum Hebræi opinantur. quidquid hac de re sit, mira sanè de eius ingenio, moribus & posteritate per Angelum prænuntiata sunt Genes. 16. quamquam de eius meritis ac sanctitate nihil ibi singulare, sed potiùs contrarium insinuatur. Alter fuit Isaac, cuius nomen prænuntiatum est Gen. 17. & generatio ex sterilibus parentibus omnino admirabilis exstitit. Tertius censetur Iosias; in cuius aliquot post sæcula pascituri prænuntiatione duplex contigit miraculum: nam & altare idolorum vltrò discissum est, diffusique cineres, & brachium Regis Ieroboam arefactum, vt narratur lib. 3. Regum cap. 13. In nouo Testamento fuêre duo, quibus priores illi nullo modo comparandi: vnus fuit Ioannes Baptista, cuius generatio cap. 1. Lucæ ab Angelo denuntiatur, tot miraculis ac scimus eam comitantibus. alter fuit Iesus Christus Dominus noster, cuius conceptio & natiuitas tot inconceptibilia habet miracula. Nulla quidem enumeratur femina, cui hoc priuilegij contigerit: sed ideò est nulla, vt inter

Quinque virorum nomina fuerunt ante natiuitatem reuelata.

eas

eas singulariter sit benedicta Maria, quæ & hâc & omnibus omnium Sanctorum gauisa est prærogatiuis. Habent hoc beneficia, vt pretium subinde mutuentur à raritate: *Si* (quemadmodum Seneca loquitur) *aut nemo illis alius dedit, aut nos nulli alij*; & exemplo confirmat. Alexandro Macedoni, cùm victor Orientis animum supra humana tolleret, Corinthij per Legatos gratulati sunt, & ciuitate illum suâ donauerunt. Cùm risisset Alexander hoc officij genus, vnus ex Legatis; *Nulli*, inquit, *ciuitatem vmquam dedimus alij, quàm tibi & Herculi.* Libens accepit delatum honorem, & Legatos inuitatione aliâque humanitate prosecutus, cogitauit, non qui sibi ciuitatem darent, sed cui dedissent, & ad socium honoris à dantibus respexit. Hæc me inter ceteras ratio mouit, cur studiosiùs hoc munus coner Virgini adstruere, quod paucis adeò concessum in sacris Litteris inueniam: in neutro scilicet Testamento feminarum vlli, in nouo viris duobus, quorum alter Angelus dicebatur, alter Deus erat; vt proinde nefas sit Dei Genitricem ab hoc tam singulari priuilegio remouere.

Raritas auget beneficium.

Vis & hanc mantissæ loco rationibus rationem adiungi, quòd omnibus stellis dederit Deus nomina; ergo & huic stellæ maris? Quòd si auctoritatibus stabilienda sit hæc assertio, eæ suppetunt, quæ non tantùm rem asserant, sed etiam eamdem vehementer illustrent. nam apud S. Hieronymum Histor. de Ortu Virg. Angelus Ioachimo dicit: *Vxor tua pariet tibi filiam, & vocabis nomen eius Mariam.* & paulò pòst: *Missus sum ad te, Anna, vt annuntiem filiam nascituram, quæ Maria vocata, super omnes mulieres erit benedicta.* Vbi hoc est notandum, quòd non secùs ac IESV, nomen vtrique parenti separatim indicetur. Eadem habet Idiota lib. de Contemplat. cap. 5. & S. Bonauenturâ in Psalterio: *Benedictum sit glorioſum nomen, quod os Domini mirabiliter nominauit.* Fulbertus Sermone de Natiuitate Virginis ait: *Non fortuitò, aut solo parentum placito, sicut plerique, sed diuinâ dispensatione nomen accipit.* Sed considerandæ sunt S. Petri Damiani verba Sermone de Annuntiatione, qui admirabiliter de hoc nomine dicit: *De thesauris diuinitatis nomen Mariæ euoluitur.* Quot verba tot mysteria; quæ nefas sit sine aliquâ admiratione transire. Quid? an reuelatum sit Virginis nomen dubitas? Ego verò non tantùm reuelatum, sed ex ipsis thesauris diuinitatis euolutum aio; de thesauris, inquam. Vide quæ res sit quantaque nomen Virginis Deiparæ: non mihi illud inter chartas & tabulas etiam diuino Spiritu dictatas quæsieris: licet enim nullum in ijs sit iota, quod non pretiosissimis mundi vnionibus præponderet; altioris tamen ordinis est nomen hoc, quàm vt inter chartas computetur. Tabularium habebat Deus in terris sacras Paginas, in quas res duas sanctissimas, leges & acta populi sui referri curabat: non tamen reperies in eo nomen hoc sanctissimum. Archiuium habebat in cælis, Angelorum memoriam, cui per multiplices reuelationes admirabilia mysteria inscripserat; non est tamen in ijs nomen hoc admirandum. Chartophylacium habebat aliud, seu librum grandem, quem in duo cælorum hemisphæria explicabat, hisce gloriam & opera diuinitatis suæ rutilantissimis astrorum characteribus inscripserat; nequiuerunt tamen stellæ tot choreis nomen hoc diuinissimum & lucidissimum exprimere. Neque hîc ergo quærendum est nomen Virginis: non enim inter scripturas aut chartas Dei asseruatur. nam de thesauris diuinitatis euoluitur: inter gemmas lapidesque pretiosos, inter opera ita affabrè facta, vt propter artem omne pretium excedant; inter ea quæ ob raritatem Deum ipsum in stuporem solent rapere, quoties, vt more nostro loquar, ea intuetur; inter thesauros denique non quoslibet, sed ipsius diuinitatis, nomen hoc reponitur. Magnum erat, nomen aliquod, cuius locus videbatur esse in chartophylacijs, inde eximi, & inter thesauros collocari, vt gemmis ac lapidibus pretiosis æquale existimaretur: at nomen hoc non inter thesauros quoslibet, sed inter ipsius diuinitatis thesauros collocatur; vt iam sit omnibus

Ex diuinitatis thesauro est erutum Mariæ nomen.

bus ijs quæ in cælo terráque aſpiciuntur pretioſius; quandoquidem diuinitatis theſaurus, vnde nomen hoc euolutum eſt, res eſt abſcondita, quæ non niſi rarò creaturis, ad pompam & magnificentiam Domini demonſtrandam, oſtenditur. Et fuiſſe inter pretioſa diuinitatis nomen hoc Virginis, vel inde patet, quòd hoc tum protulerit, quando omnes theſauros ſuos excutiebat, vt inueniret pretium quo mundum redimeret: tunc enim Angelum miſit ad Annam & Ioachim, ſanctiſſimorum par coniugum, vt filiæ ex ſe naſcituræ, Mariæ admirabile nomen inderent, quò ipſe de Maria materiam ſumeret, quam mundo redimendo impenderet. Dicit autem non otioſè Sanctus, quòd nomen ex theſauris diuinitatis euoluitur; tum vt ſciamus, non leui Omniſcientis ſtudio eſſe excogitatum; tum vt intelligamus, illud, telæ adinſtar Phrygio opere depictæ, aut tapetis pulcherrimè elaborati, multa continere myſteria, quæ ſint ordine quodam in eo ſpectanda: quod nos deinde per otium faciemus. Hîc tantùm propter vocem *euoluitur*, quæ nomen Virgineum in veſtiarijs theſauris fuiſſe indicat, noto; in Regijs (quod ex Danielis & Eſtheris Hiſtoriâ conſtat) præter veſtiarium commune, vnde miniſtris veſtes & ornamenta ſuppeditantur, eſſe theſaurum veſtium, vbi aſſeruantur ea quæ regalibus perſonis ſunt propria. Indicat autem Aman (Eſther cap. 6.) non poſſe Regem maiore quemquam honore afficere, quàm ſi ei de theſauro iſto veſtem donari iubeat. Quod in humanis Regijs eſt veſtis; hoc in cæleſti curiâ ſunt nomina glorioſa, quibus dilectos ſuos veſtit, induit, circumdat & coronat Deus. Iam eſſe apud Deum veſtiarium commune, vnde Sanctorum nomina eruuntur, patet ex eo quòd apud Lucam gaudere ſuos velit Dominus, quòd nomina eorum ſcripta ſint in cælis. at alius eſt theſaurus, in quo recluduntur diuina nomina propria perſonis diuinis: theſaurus ita abſconditus, vt Dominus ipſe Exod. 6 v. 3. *Et nomen meum Adonai non indicaui eis.* Statuit ergo Sanctus Petrus Damianus, non ex veſtiario iſto communi, vnde Sactorum aliorum ſanè pretioſa & veneranda prodeunt nomina; ſed ex diuinitatis theſauro, ex arcanis illis, quibus vtitur ipſa Deitas, Mariæ nomen euolutum fuiſſe; vt non miremur, quòd diuini nominis æmuletur claritatem. Hæc tum fient clariora, cùm poſteà oſtendemus, quomodo omnia diuina nomina Virginis nomen participet.

Nomen Mariæ eſt tapes varijs depictus myſterijs.

Duo nomium theſauri apud Deum.

CAPVT VIII.

Nomen B. Mariæ Virginis variè ante ortum eius præfiguratum & indicatum.

MAGNA, tardè naſci; & duratura per æuum, ferè idem ſpatium requirere ad ortum', quod habitura ſunt ad vitam; contrà verò, citò perire quæ citò fiunt, natura docet, & ipſi diſcimus quotidianâ experientiâ. Terra floſculos quoſdam ridentes, & grato aſpectu oculis intuentium lenocinantes, nocte vnâ quaſi ludendo protrudit: & ecce dum aſpicis, dum naribus admoues, dum facilè ludentis naturæ miraris ingenium, doles floſculum vixdum natum conſenuiſſe; & inter manus tuas emarcidum maiore pernicitate cucurriſſe ad interitum, quàm ad vitam prodierat. At lignum iſtud, quod iam ſæcula aliquot audis ſtetiſſe, & vides durare contra omnes cæli iniurias, non vno natum eſt anno: paulatim terræ viſceribus radices ſuas immiſit, paulatim robuſtum illum nodauit ſtipitem, paulatim congregauit tam latè diffuſam comarum gloriam: verbo, tardè creuit, ſi tardè perit. Animantia cerne: inſecta quædam fortuito naſcuntur elementorum concurſu; perfectis verò producendis multis opus eſt diſpoſitionibus, multoque tempore. hominem nonus menſis, elephantem maiorem nonus denique pro-

Magna & diuturna tardè proueniunt.

ducit

ducit annus: reliqua proportione suæ vel magnitudinis, vel durationis plus minúsve requirunt temporis. Nos ipsi ab ingenij fœtibus, si quos subito calore profundimus, non exigimus vt ferant æuum: sed facilè patimur ludendo interire, quod ludendo concepimus. at si quod opus æternitati volumus dedicatum, id scilicet circummorsos morosiore calamo requirit vngues, id tempore longiore premimus & polimus. Scio non eamdem Deo præscribi regulam: ipse enim, vt S. Dionysius ait libro de Diuinis nominibus cap. 5. *principium & mensura æuorum, & temporum entitas, & entium æuum*, à temporis lapsu in operationibus suis non dependet, neque dispositionibus eget ad efficiendum aliquid, cùm disponat omnia prout vult: communiter tamen in negotijs quæ ad salutem nostram peraguntur, captui nostro se accommodat, & magna non sine magnis præparationibus molitur. Exemplorum omnium exemplum maximum post Iesum est Maria: de quâ Sophronius Sermone de Assumptione: *Quidquid humanis dici potest verbis, minus est laude, quia diuinis est & Angelicis excellentiùs prædicata & laudata præconijs: à Prophetis quidem prænuntiata; à Patriarchis figuris & ænigmatibus præsignata; ab Euangelistis exhibita & monstrata; ab Angelis venerabiliter atque officiosissimè salutata.* Et S. Ildephonsus Serm. 1. de Assumpt. ait: *Ecce ad quam concurrunt omnia eloquia Prophetarum, ad quam omnia ænigmata concurrunt Scripturarum.* Tot scilicet præfigurabat sæculis opus illud admirabile quod sibi ædificabat, postquàm se nobis statuerat in carne nostrâ impendere. Quod in Virgine factum, idem in nomine eius obseruatum ego existimo; in quo non minore industriâ (si ita loqui fas est) insudabat Deus, quàm in ipsa Virgine molienda: nam si ædificium erat non hominibus sed Deo præparatum Deipara; ædificij inscriptio erat eius nomen: si liber erat vitæ, libri titulus erat Maria. Fit autem non rarò, vt æquè laboretur inscriptione commodâ aut titulo apto inueniendo, atque in domo fabricandâ aut libro componendo fuit sudatum: præsertim quando rei magnæ & insolita plurimaque diuersa complectentis titulus breuis excogitandus est, qui rem adæquet, nihilque eorum quæ continentur omittat. quod in Virginis nomine factum posteà demonstrabimus. Puto itaque plurimis figuris & ænigmatibus, tum in profanis tum in sacris paginis, nomen hoc adumbratum & prænuntiatum fuisse. Pauca hîc de multis adferam; vt pateat, non solùm reuelatum fuisse nomen Deiparæ eius sanctissimis parentibus, sed etiam Patribus præfiguratum. Præcipuum legis antiquæ symbolum, quo redemptionem generis humani, hominumque post eam felicitatem adumbrabat, est populi Dei ab Ægyptiacâ seruitute liberatio. in ea autem mysterio non vacat, quòd Israëlem per Mare rubrum præiret virgo quæ Maria dicebatur: vt scilicet rem cum figurâ componeremus, quando in vera redemptione, homini-Deo nos per sanguinis oceanum deducenti adiunctam videremus Virginem Deiparam, quæ & Maria diceretur, & esset, secundùm nomen suum, verè cæli terræque Domina. *In veteri Testamento*, inquit Sanctus Ambrosius Exhort. ad Virginitatem, *terrâ ac mari clausum Hebræorum populum Maria* (hoc verbi addo) *virgo per maria pedes duxit: in Euangelio auctorem mundi & redemptorem Maria Virgo generauit.* Non poterant quidem inde certò colligere libertatis nostræ post Deum auctricem eodem nomine compellandam, quo sua colliberatrix vocabatur: sed nobis licet re peractâ mysterium agnoscere, & venerari tanto tempore præfiguratam nominis antiquitatem. Virginis nomen ex Sibyllinis hausit & cecinit Maro, inquit Baronius in Apparat. ad Annal. Eccles. sed nescius mysteriorum quæ de Christo ex Virgine nascituro prædicta erant, tribuit Salonino filio Pollionis: sed de Verbi incarnatione ea esse intelligenda Constantinus Imperator aduersus Gentes egregiè pro concione ad cœtum sanctorum Episcoporum disputauit, subinde versus hos allegans Cumanæ Sibillæ apud

Nomen Virginis variè præsignificatum.

Maria ducit Israël per mare.

Virgilij carminibus comprehensum nomen Virginis.

Virgilium Eclogâ 4.

Vltima Cumæi venit iam carminis ætas,
Magnus ab integro ſæclorum naſcitur ordo:
Iam redit & Virgo, redeunt Saturnia regna.

Quomodo ex his verſibus colligat reuelatum fuiſſe Maroni nomen Virginis, non prodit; vix tamen puto, quòd facilè in alijs verſibus tam ſignanter expreſſum toties Mariæ nomen inuenies. nam in primo in duabus ſyllabis *iam car*, habes nomen *Mariæ* per anagrammatiſmum in recto: in ſecundo, tribus primis verbis exprimitur: in tertio, item in duabus *iam re*, habes illud in obliquo. & ſi minutias has ſectari velimus, pluſquam ſexies omnes nominis Mariani litteras in tribus hiſce lineis reperies. & virgineum quid ſonare videtur totus hic verſus,

Vltima Cumæs venit iam carminis ætas.

in quo repetita toties *m* littera facit vt quodammodò caſtiore & pænè clauſo ore ſit pronuntiandus. Sunt hæc gemina ijs quæ Hebræi ſuper Iſaiæ 9 v. 7. *Multiplicabitur eius imperium*, commentantur. quibus verbis, quòd ibi de Saluatoris natiuitate agatur, ſimul prodi volunt nomen matris: ita ibi *Miriam Sarah*, id eſt, Maria Domina, incluſum inueniunt, & propter clauſum *mem* in medio dictionis, virginitatem eius indicari dicunt. Age, ex doctiſſimis Blaſij Viegas in Apocal. Commentarijs hoc tranſcribamus, habet is cap. 12. comment. 3. ſect. 20. hunc diſcurſum: Quis commemoratam ſententiam in ſpeciem conſiderans, exiſtimare poſſit, in eâ latêre aliquod virginitatis ſanctiſſimæ Deiparæ argumentum? & tamen neſcio an elegantiorî alio vaticinio ea in ſacris Litteris expreſſa pronuntiataque fuerit. Quod vt illuſtrius reddatur, illud in primis animaduertere oportet, certiſſimum eſſe, eo loco Iſaiæ v. 6. ſermonem haberi ad litteram de Meſſiâ. ita verò habet integrum vaticinium: *Paruulus*, inquit, *natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius; & vocabitur nomen eius, Admirabilis, Conſiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri ſæculi, Princeps pacis: multiplicabitur eius imperium, & pacis non erit finis.* Quæ omnia palàm eſt in vnum Regem Meſſiam conuenire; nec vllo pacto quadrare poſſe in Ezechiam filium Regis Achaz, vt quidam Hebræi impudenter contendunt. Deinde aduerte, pro eo quod nos habemus, *multiplicabitur eius imperium*, haberi Hebraicè לסרבה המשוה, id eſt, *ad multiplicandum imperium*. in quibus Hebraicis dictionibus nomen ſacerrimæ Virginis includitur, quod Hebraicè eſt *Miriam*. id quod ita oſtenditur: in dictione המשרה, habemus duas litteras huius nominis, M & R; in dictione autem לסרבה habemus alteram M: vnum tantùm jod deſideratur, quod Hebræi arcano quodam myſterio ita ex ijſdem dictionibus colligunt. Etenim in duabus commemoratis dictionibus ſunt duo ה, vnum in dictione poſteriore, alterum in dictione priore. Cùm igitur littera ה apud Hebræos ſit nota numeri quinarij, efficitur vt duo ה ſignificêt vnum denarium, cuius nota eſt littera jod: atque adeò duo ה valent vnum jod: quod additum reliquis litteris integrum nomen *Miriam* conficit, quod Hebraicè eſt nomen ſanctiſſimæ Virginis. Rurſus aiunt in dictione illâ priore includi tres litteras שרה, quæ hanc dictionem *Sarah* conficiunt, quæ dictio Dominam ſignificat; atque in duabus illis dictionibus duo iſta nomina includi *Miriam Sarah*, hoc eſt, Maria Domina: atque adeò cùm eo loco de Meſſiæ aduentu ad litteram agatur, eo planè myſterio in illis dictionibus, in quibus Meſſiæ principatus & imperium declaratur, nomen Mariæ incluſum eſſe, vt ſimul indicaretur nomen Matris eiuſdem Meſſiæ, illumque filium qui nobis datus, & paruulum qui nobis natus dicitur, cuiuſque imperium toto orbe propagandum prædicitur, ex femina quadam clariſſima, quæ Maria Domina appellaretur, fuiſſe naſciturum. Hæc ibi Viegas: qui poſteà oſtendit quod *m* clauſum virginitatem Deiparæ ibidem ſignificat. Quæ breuitatis causâ omitto, & ſimul hæc miſſa facio, quòd magis delecter argumentis ſolidioribus; accipit tamen

Item ab Iſaiâ prædictum.

noſtra

nostra in Virgilium commentatio ab Hebraicis istis aliquid auctoritatis, cùm Virginis nomen sæpiùs & multo clariùs in ijs contineatur quàm in istis. Et potuit sanè Virgilius ab Hebræis aliquid de hisce mysterijs accepisse. nam Herodes Rex Iudæorum cùm Romam venit, sæpè Pollione, vt Iosephus scribit de Bello Iudaico lib. 7. cap. 12. vtebatur hospite. Solent autem Reges quidam ex doctioribus comitari, cum quibus non est absimile vero doctissimum iuxtà ac curiosissimum Poëtam de mysterijs legis ipsorum contulisse.

Argonautis indicatum nomé Deiparæ:

Illustrius est, & auctoritatibus non inferioribus confirmatum, quod de Argonautis proditur: hi enim capto Cyzico, augustissimum templum erexerunt; consultoque numinis oraculo, cùm, cui dicandum esset, scisciterentur, ex cortinâ tale tulêre responsum:

Assiduâ sublime decus virtute parate,
Atque vnum (sic mando) Deum, qui cuncta gubernat
Cæleſti residens solio, colite atq; timete:
Illius æternum atque ante omnia sæcula Verbum
Nescia virgo viri quõdam partu tenera edet;
Qui velut igniferis impulsa sagitta procellis,
Edomitum reddet grato pro munere mundum;
Huius, quam Mariæ nomen manet, alma vetustas
Agnoscet templum proprium sibi ritè dicatum.

Hoc oraculum tanti fuit apud veteres, vt illud æreis & vncialibus litteris in marmore impressis posteritati commendandum putarint. Quâ ratione verum, & non vanum, fuisse vaticinium illud ostendi queat, suggerit Cedrenus in Historia, Simeon Metaphrastes apud Surium Tom. 4. in Vita Procopij, & Martyr Procopius. quorum postremus sic inter alia loquitur iudici Flauiano: Cùm Iason Princeps eorum qui dicuntur Argonautæ, de templo, quod Athenis primum constructum est in arce, sciscitatus esset Delphicum Apollinem, & dixisset: Prædic nobis Propheta Phœbe Apollo, cuiusnam erit hæc ædes, & ad quid futura sit in posterum? sic respondit: Quæcunque ad virtutem quidem & honestatem vos incitant, facite; ego autem tres cupio, Deum vnum regnantem apud Superos, cuius Verbum ab interitu alienum, conceptum in simplici virgine, qui tamquam ignitus arcus percurrens mundi medium, omnes capiens, eos adducat donum Patri: huius erit hæc ædes, Maria autem erit nomen eius. Et quamuis ab Argonautis ædes illa Rheæ deorum matri dedicata fuerit, & sic irritum videri posset oraculum; tandem tamen cùm imperaret Zenon, ad Christianæ pietatis vsum conuersa, egregium templum Deiparæ Virgini Mariæ præbuit, multisque fuit singulari veneration. ita ex alijs Canisius lib. 1. cap. 1. & multi deinde ex illo alij. Et vt congeramus similia de Virginis nomine vaticinia, tempore Honorij Papæ & Frederici II. Imperatoris, Zonorâ, Suidâ & Credeno testibus, inuenta est capsula, in qua liber vetustissimus, tribus linguis exaratus, hæc continebat: *Filius Dei nascetur ex Virgine Maria, & pro salute hominum patietur.* De futuro loquitur; vnde, si nihil fraudis (quod in hisce rebus facilè potest contingere) subfuerit, constat scriptum fuisse ante natiuitatem Christi. Huius generis est & illud quod narratur super pectus mortui (Platonis, vt creditur) olim inuentam esse tabulam in hæc verba: *Credo in Iesum Christum nascicturum de Virgine: ô sol, sub Irenæ & Constantini temporibus iterùm me videbis.* Denique inter profana nihil religiosiùs vel ab ipsis Christianis cultum quàm Sibyllina oracula: quæ vt ipsum Euangelium magnâ ex parte prædixerunt, ita non omiserunt nomen Matris Dei, quam sibi præcipuè videbantur sumpsisse celebrandam. nam lib. 8. Oraculorum Sibyllæ Erythrææ reperis:

Idem tabulis ante eius natiuitatem inscriptũ.

Et à Sibyllis prophetatum.

Et breuis egressus Mariæ de Virginis aluo
Exorta est nona lux. ——

Atque hisce oraculis clarè annuntiatum est Mariæ nomen. Sunt præterea qui ex alijs quibusdam vel numeris

vel literis illud vestigando indagant. Huc spectat quod ex Francisco Veneto in Harmonia mundi Cant. 1. Tom. 5. cap. 5. & Rutilius Benzonius super Cant. Magnificat lib. 3. c. 34. refert, inter reconditissima arcana Hebræorum illud celeberrimum haberi, vnam apud Deum esse primam omnium creaturarum, quæ omnium reliquarum perfectionem continet: quam illi appellant *Principem facierum*, quia semper stat ante faciem Imperatoris, iusque habet introducendi benemeritos ad præsentiam ipsius: & hanc dicunt locutam fuisse cum Moyse in rubo, eumque subuexisse vt tandem loqueretur cum Deo facie ad faciem. Hoc autem munus (est enim nomen hoc officij, non personæ) antequam Maria nascèretur, vicariâ potestate Seraphinorum supremus obiuit. Magis autem proprium hoc munus esse Mariæ, colligunt Hebræi, quòd extremæ litteræ vocis *Mitraton Serapenim* eundem numerum constituant, quem facit vox Maria, scilicet 999. Sed ne ad Massoretarum & Cabalistarum declinemus subtiles minutias, sufficiat hæc retulisse; tum vt constet, nomen Virginis ante eius ortum subobscurè indicatum; tum vt sciamus, vndique ei conquisitam fuisse, etiam ab illis Rabbinis, venerabilitatem, quam nos deinceps ex solidioribus eruemus fundamentis.

Hebræi quomodo dicant nomen Virginis figuratum.

CAPVT IX.

Quomodo post Virginis natiuitatem nomen eius ad Gentes sit delatum.

A B *ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus*, dicit Dñs Malachiæ 1. v. 11. & mox v. 14. *Et nomen meum horribile in Gentibus.* ac si diceret: Nolo ampliùs exiguis Iudææ finibus contineri nominis mei notitiam, arcta mihi est Ierusalem, angustum templum, coarctor in Palæstina: cælum enim & terram ego impleo, quare par est vt totus mundus mihi sit templum, vt omnes Gentes vbique me colant victimis & sacrificijs; quocircà breui per Christum efficiam, vt nomen meum Gentibus toto orbe prædicetur, illæque me vbique agnoscant, adorent, celebrent: sicque fiet ijs terribile nomen meum, hoc est, tremendum & reuerendum. Reuerentia enim, quando est eximia, ex profundâ consideratione tantæ maiestatis generat tremorem, horrorem & stuporem: ita de nomine suo Dominus. Quid nos de Dominâ, eiusque celeberrimo nomine dicemus, quod ipsa statim in adolescentia orbi vniuerso reuelauit, vt sit magnum nomen eius in Gentibus? Scimus quantâ festiuitate soleat Epiphania Domini celebrari, eò quòd Seruator omnibus natus eo die Gentibus sese manifestauerit, quod tanti fecit magnam partem ex Gentibus congregata Dei Ecclesia, vt pari honore celebraret diem quo cognouerat & quo acceperat Saluatorem. A Filio proxima est in omni discursu ad Matrem transitio, maximè quando vel de dignitate eius in se, vel misericordiâ erga nos agitur.

Quem

Quemadmodum ergo datum mundo Saluatorem magni facimus, sed Gentibus, vnde nos orti, reuelatum magis gratiâ & iucundâ adoratione celebramus: ita sanctissimum Virginis Deiparæ nomen à Deo mortalitati nostræ concessum, inter singularia eius beneficia reponimus; sed hoc ipsum Gentibus reuelatum & datum à Virgine, suaui & vtili deuotione colimus. Virgo autem præsaga mysterij, quòd scilicet maximè coleretur in Gentibus, & fortè excitata prophetiâ Malachiæ de nomine Filij sui quam attulimus, & incitata à Spiritu qui eam docebat prophetare, *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* statim, vt dixi, in adolescentiâ suâ Gentibus nomē suum augustissimum tradidit, & in tabulas earum publicas referri curauit. Res colligitur ex Lucæ Euang. cap. 2. v. 5. iis verbis: *Vt profiteretur cum* MARIA *disponsatâ sibi vxore prægnante*: vbi innuitur, non Ioseph tantum, sed etiam Mariæ nomen relatum fuisse in tabulas censuales. Quod disertè affirmat Tertullianus lib. aduersus Iudæos cap. 9. *Fuit de patriâ Bethlehem, & de domo Dauid, sicut apud Romanos in censu descripta est Maria, ex quâ nascitur Christus.* O non molestos (vt eos appellabat Marcion, cupiens cap. 2. Lucæ ex Euangelio eradere Cæsaris census) sed census nobis grauissimos, orbi saluberrimos, & Regno tuo, Auguste Cæsar, auspicatissimos, per hosce enim Reliquias, quibus tunc orbis non habebat religiosiores, archiuis tuis intulisti, scriptum scilicet, ipsâ profitente, augustissimum nomen MARIAE, quod ibi omnia gubernante prouidentiâ fuit accuratè seruatum, vt videre est apud Tertullianum lib. 4. aduersus Marcionem cap. 7. *Censum Augusti, vt testem fidelissimum Dominicæ natiuitatis, Romana archiua custodiunt.* Sequebatur hæc propagatio nominis MARIANI, non claudendi Iudææ augustiis, ex prædictâ per Malachiam nominis IESV propagatione. quod indicet S. Bonauentura in Spec. cap. 8. *Quia Dominus nominatissimus, siue famosissimus, famosissimè est tecum; ideò & tu es formosissima & nominatissima secum. O celeberrimi nominis* MARIA. *quomodo posset nomen tuum non esse celebre?* Consequentia hæc est Doctoris Seraphici: Si ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen Domini in Gentibus, non potest angustioribus terminis Dominæ nomen includi. Si enim ita famosè Dominus est cum illâ, vt gloria Matris & Filij non diuersa censenda sit, sed eadem (vt alibi ex Arnoldo Carnotensi docuimus) non potest Filij gloria ad Gentes propagari, quin eôdem Matris nomen perueniat. Ipsa Virgo hoc indicat in Cantico suo: *Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes; quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* ideò enim celebrandam se dicit, quia accepit magna non solùm à potenti, sed abeo, cuius nomen sanctum; vt indicet etiam nomen suum cum eius nomine celebrandum. Profiteatur ergo nomen suum Censoribus, scribatur in tabulis, in archiuo seruetur, vt, annuntiato deinde nomine Filij, ipsæ Gentes nomen Matris ex tabularijs suis eruant, gaudeantque tam sacratis Reliquiis, easque tot templis honorent, tot encomiis extollant, tot magnificis inscriptionibus celebrent, vt Alexandri, Pompeij, Cæsares, & quidquid est magni apud eos nominis, splendore IESV & MARIAE obscuretur. Ad hoc enim censeri in Matre Dominus voluit, vt non tamquam extraneus, sed tamquam ciuis Romanus à Gentibus celebraretur. Paulus Orosius lib. 6. ad finem hoc suggerit, dicens: *Nec dubium, quòd Dominus noster* IESVS CHRISTVS *Romam in hunc Regni apicem prouexerit, cuius potissimè voluit esse cùm venit, dicendus vtique ciuis Romanus, censûs professione Romani.* Vnde etiam Isidorus Peluſiota admiratur patientiam Christi, qui, cùm posset, vti noluit iure appellationis tamquam ciuis Romanus. Multa occurrunt in hac professione nominis MARIANI, quæ excitare possent nostram erga sacratissimum nomen hoc pietatem: atque in primis indicatur, quanta speranda sit à nomine isto vtilitas, quod nequidem Gentibus traditur sine munere. Nam siue more Iudæorum instituebatur census, dandum

Nomen suum in tabulas Romanas referri Deipara curat. *Luc.* 1. v. 48.

Luc. 1. v. 48.

Christus factus est ciuis Romanus per nomen Matris.

Propagatio nominis Mariæ sequitur ex nominis Iesu propagatione.

erat dimidium sicli, iuxta illud Exodi 30. vers. 11. *Locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Quando tuleris summam filiorum Israël iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi.* Si verò iuxtà ritum Romanum peragebatur, dubium non est, quin aliquid constitutum fuerit, quod ad professionem nominis offerretur. Quis non scribat, pingat, pronuntiet, ruminetque sæpiùs nomen illud, quod sine summâ vtilitate tractari nequit? Audi S. Bernardum de prec. ad Virginem: *Opia, ô magna, ô multùm amabilis* MARIA! *Tu nec nominari quidem potes, quin accedas, nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te: tu numquam sine dulcedine diuinitus tibi insitâ memoriæ portas ingrederis.* Quæstuosa ergo res nomen MARIAE; quod dicit Gilbertus in Cântica Serm. 5. de nomine Christi. De hac nominis MARIANI vtilitate infrà latiùs ex professo. Alterum quod in hoc censu notandum est, quòd multipliciter Filium sibi obligauerit Deipara hac nominis sui professione: nam, vti notabam ex Orosio, ciuis Romanus effectus est ex professione census Romani: vnde moralis accessit patientiæ eius æstimatio, quam Pelusiota expendit, quòd vsus non sit priuilegio appellationis Romanæ. Quàm grata erit Christo nominis illius celebratio, cuius professione passioni eius accessit pretium! Si ob exiguum Magdalenæ obsequium quo Christum in conuiuio honorabat, ei promittit tantam nominis sui celebritatem, vt nusquam Euangelium sit annuntiandum, quò nõ perueniat eius fama nominis; quid nõ merita est professione hac nominis sui Deipara, per quam tantum accederet Filio bonum? Tertiò, Euangelij præparatio fuit professio nominis MARIANI: vt discamus nominis huius crebrâ inuocatione præparare animas nostras ad gratiæ diuinæ abundantiam, & ad illuminationem multiplicem intellectus, quam MARIA significat: quia ad nominis sui inuocationem semper eam præstat. Discant hîc etiam mancipia dulcissimi huius nominis, libenter tributa pendere suæ seruitutis; quandoquidem Virgo Deipara id exsoluit, vt nobis nomen suum facilius innotesceret.

Nomen Mariæ sine vtilitate tractari nequit.

Passioni Dominicæ pretium accessit, eò quòd nomen suum Virgo in tabulas retulerit.

CAPVT X.

De etymologiâ nominis MARIAE, ac in primis de modo significandi nominum propriorum.

PLENA sunt omnia obseruationibus nominum, quibus vel omina pro felici aduersâve fortunâ, vel magnum ad laudem aut vituperiũ momentum inesse quidam arbitrantur: hinc etymologiæ sæpè obtorto collo adducuntur; hinc anagrammatismi conuersis & immutatis variè litteris excogitantur; hinc etiam per syllabas quasque nimis accuratâ diligentiâ significata produntur, quæ deinde applicantur ei cũius est nomen, vt sic vel vnius nominis liber conficiatur. Quæ si fortè in alijs apparent ridicula, in venerando Deiparæ nomine, quod tantâ sapientiâ à Deo nominatum est, omnia erunt pietatis argumenta, & diuinæ auctoritatis arcana. Vt enim in Scripturis diuinis accommodatitij quidam sensus, qui aliàs vanè & leuiter excogitari viderentur, ideò non tantùm tolerantur, sed etiam sine fastidio & cum aliquâ vtilitate leguntur; quòd is qui verba illa reuelauit, non tantùm litteralem, allegoricum & anagogicum intellexerit, sed sensus etiam omnes præuiderit, in quos ea essent à pijs Scripturarum indagatoribus accommodanda: ita in nomine MARIE, (quod posteà ostendemus esse totius Scripturæ compendium) omnis obseruatio religiosa est, quæ in alij superstitiosa

tiosa videretur. Vtique si in vastis Scripturarum voluminibus omne iota atque omnis apex suum habet, cur obseruetur, pretium; profectò in Virginis nomine, quod quinque literis tot voluminum describit compendium, nullum erit punctum, quod non contineat mysterium. atque ideò Lectorem rogo, vt remisso tantisper quo alia censurare solet supercilio, hæc quo par est animo voluat, pleno scilicet obseruantiæ, pleno pietatis erga Dominã suam. Ne tamẽ hac piâ animi inductione abvti videar, ita conabor inter hæc versari mysteria, vt solidè fundetur tanti nominis venerabilitas: quare præmitto conclusionem elucidatoriam de significatione, seu modo significandi nominum propriorum. Cùm ab eâ quam hîc subiungo conclusione, non solùm venerabilitatis, quam nomini Mariano inesse contendo, solida probatio, sed etiam plurimarum tum in Theologiâ, tum in Philosophiâ, quæstionum enodatio dependeat; necessariò paulò fusiùs erit explicanda. plurimas enim haullucinationes Doctorum in soluendis subtilissimis quæstionibus reperias, ex eo quòd modum significandi nominum propriorum prorsus ab omnibus alijs distinctum non animaduertant.

Nomina propria significant rem prout est absolutè.

Dico ergo: Nomina propria significant rem indiuiduam absolutè, non secundùm aliquam formam aut formalitatem, sed materialiter prout est.

Pro explicatione conclusionis sunt quædam notanda; ac in primis, propriũ hîc sumi non prout metaphorico opponitur (quo sensu Doctor Angelicus q. 13. art. 3. disputat, vtrùm aliquod nomen dicatur de Deo propriè) sed prout opponitur appellatiuo; quod cap. 1. ex Cicerone definiuimus, *Nomen quod vnicuique personæ attribuitur, quo quæque suo proprio & certo vocabulo appellatur.* Vel quod absolutè semper & vbique pro re potest substitui: quale est, verbi gratiâ, Petrus, Paulus; &, si extendas ad irrationabilia, Bucephalus, Cyllarus, &c.

Numquam significant id à quo deriuantur.

Notandum Secundò, quòd D. Thomas q. 13. art. 2. ad 2. dicit, *in significatione nominum aliud quandoque esse à quo imponitur nomen ad significandum, & id ad quod significandum nomen imponitur*; hoc in nominibus proprijs semper vsu venire, quando ab aliquo deriuantur, ad significandam seu indicandam certam quamdam proprietatem aut qualitatem. Exemplum D. Thomæ est: Nomen *lapis* imponitur ab eo quòd lædit pedem: non tamen imponitur ad hoc significandum, ita vt significet lædens pedem: sed ad significandam quamdam speciem corporum: alioquin omne lædens pedem esset lapis. Iam hoc in nominibus proprijs semper vsu venire patet; quia nomina propria imponuntur ad significandam personam seu rem hanc indiuiduam: ergo, vndecumque formes id nomen, cùm forma ista, seu res vnde sumis, sit vt minimum formaliter quid aliud quàm res hæc indiuidua materialiter sumpta; clarum est, quòd numquam significet id à quo formatur nomen, sed quid aliud, scilicet rem istam vnam singularem.

Distinctio nominum propriorum & antonomasticorum.

Notandum Tertiò, vehementer distingui nomina quæ significant actionem, formam, naturam, essentiam, &c. quæ non nisi vni conuenit (& proinde antonomasticè collocari possunt loco nominis) & ipsa nomina propria. propria enim significant ex vi institutionis suæ rem istam singularem: illa verò non rem istam de quâ verificantur, significant ex vi institutionis; sed formam actionem, naturam, seu essentiam istam per accidens autem est significationi eorum, quòd ista non nisi in vno reperiantur. Exemplum est: Primogenitus Iacob, & Ruben. Licet enim primogenitus Iacob sit Ruben; non tamen hoc est nomen proprium: accidit enim significationi vocis istius, quòd primogenitus Iacob verificari non possit nisi de homine isto qui est Ruben (si enim alius ante ipsum natus fuisset, non esset primogenitus Iacob Ruben) at significationi vocis *Ruben* non accidit, quòd hunc hominem significet: ad hunc enim in particulari significandũ est assumpta. Idem est in vocibus, verbi gratiâ, *infinitus*, *creator mundi*, imò & in voce *Deus*: horum enim significatis accidit, quòd nonnisi reperiantur in isto,

isto, quem proprio & ineffabili nomine *Iehouah* dicimus. quod est impositum (vt D. Thomas loquitur q. citatâ art. 11.) *ad significandam ipsam Dei substantiam incommunicabilem, & (vt sic liceat loqui) singularem.* Eadem ratione de Virgine solâ pronuntiare possumus, quod sit θεοτόκος, siue Deipara; non tamen est hoc nomen eius proprium, sed MARIA.

Notandum quarto, si res vna varijs appelletur nominibus proprijs, ea omnia esse merè synonyma, hoc est, prorsus idem eodem modo significare. Patet hoc ex alijs synonymis: ideo enim mucro & gladius sunt synonyma, quia vtrumque impositum ad significandam eamdem armorum speciem. atqui nomina omnia propria vnius rei imponuntur ad significandam eamdem rem indiuiduam simpliciter prout est: non ergo magis distinguuntur nomina propria quoad significationem quæ eidem rei tribuuntur, licet diuersis gaudeant etymologijs, quàm si diuersis eadem explices idiomatibus. Sic mulier & femina Latine (quamuis illud à mollitie, hoc fortasse à fetu deriuetur) non magis distinguuntur, quàm si diuersis idiomatibus feminâ expresseris. Et in proprijs, Simon & Petrus idem sunt: quamuis hoc à petrâ, illud ab obedientiâ formetur. Id ergo quod S. Thomas. 3. p. q. 37. art. 2. dicit, *Nomina quæ imponuntur aliquibus diuinitùs, semper significare aliquid gratuitum donum eis diuinitus datum*; explicandum, quòd formentur à verbo quod donum simul indicat, nobisque propter formationem illud in memoriam reducit.

Aliud est, significare quidpiam; aliud, hoc in memoriam reducere.

Pro quo notandum quinto, aliud esse, nomen hoc vel illud significare; aliud, hoc aut illud in memoriam reducere: lapis enim in memoriam reducit læsionem pedis, non tamen eam significat: & qui Romæ mirabilia vidit quorum aspectu fuit maximoperè delectatus, audiens vocem *Roma*, istorum recordabitur, quamuis id Roma non significet. applica hoc nominibus proprijs formatis à dono aliquo cælitus dato. Ex dictis sequitur, nomina propria, siue formata sint à verbis quibusdam significatiuis, siue prorsus sint originalia, nouа, aut barbara, prorsus idem & æquè multum significare. ratio est, quia imponuntur vt significent suppositum absolutè, non secundum aliquam formam, actionem, aut relationem, sed absolutè suppositum materialiter totum, prout est subiectum omnium formarum, formalitatum, actionum, relationum, &c. Non dico, quod significet subiectum, suppositum, seu indiuiduum, sub ratione formali subiecti, suppositi, seu indiuidui; sed id quod est suppositum sub nulla formalitate, prout est capax omnium: ita vt nihil sit affirmare de subiecto, quod non significet nomen proprium, eo modo quo est in subiecto: significet, inquam, non quòd imponens vel audiens debeat intelligere rem significatam secundum aliquam perfectionem; sed tantum in confuso secundum nullam perfectionem in particulari. Explico me, & indico quid propriè significent nomina propria. Cùm intellectus noster nihil possit perfectè subsistens concipere, nisi per modum formæ inexistentis; non potest, vt D. Thomas ait, *formas simpliciter per se subsistentes intelligere secundùm quod sunt*, sed intelligit eas ad modum rerum compositarum habentium formas in materiâ: imponensque eis nomina etiam secundùm naturam, adfert semper concreta significantia naturam in aliquo suppositо. nam si solam naturam cõcipiat, examinans conceptum suum, inueniet se rem concepisse per modum abstracti, hoc est, per modum rei imperfectæ: qui conceptus, aut vox eum significans, non potest rei tam perfectæ conuenire. vnde fit, nomina ista concreta, quantum est ex vi significandi, esse communicabilia, eò quòd significent formam illam abstractam inexistentem alicui suppositо: per accidens autem est significationi eorum, quòd forma, quam significat, fortè sit talis, quæ non possit nisi vni aut paucis inesse. At cùm simili formæ, vel ipsi Deo, imponimus nomina non ex parte naturæ, sed ex parte suppositi, secundùm quod considerantur vt hoc aliquid; illud nomen est nomen proprium & omnibus incommunicabile: sicut fortè, inquit D. Thomas, est nomen tetragrammaton,

Nihil possumus perfectum cõcipere nisi per modum concreti.

maton apud Hebræos. Hinc docet Galatinus lib. 2. de Arcanis Catholicæ veritatis cap. 10. ex Rabbi Moyse in lib. More 1. p. cap. 40. nomen Dei tetragrammaton non significare quidpiam commune Deo & creaturis, sicut alia nomina Dei significant; vt sapiens, &c. Reliqua enim nomina dicunt expressè aliquam vel actionem vel proprietatem, &c. quam à creaturis acceptam transferimus in Deum: nõ affirmantes eam prorsus in Deo vt in creaturis existere; sed, vt S. Dionysius loquitur, conuenientem Deo rationabilitatem & sapientiam declarantes. At nomine proprio non aliquam similem proprietatem declaramus, sed simpliciter eum qui omnibus istis Deo conuenientibus proprietatibus est præditus, prout est hic singularis: quod nulli creaturæ potest conuenire. Atque hæc prænotata sufficiant de significatione nominum propriorum: nam accuratiùs ea probare, argumentaque contraria refutare, & dubia quæ oriri possent resoluere, non est huius loci. his ergo iam venerabilitatem nominis MARIAE superstruamus.

CAPVT XI.

Sanctissimum nomen MARIA signicat omnes omnino alios Deiparæ titulos, & meliùs eã refert quâlibet imagine: ideò super omnes venerandum.

QVi ceperit ea quæ Capite superiore de significatione nominis proprij disputauimus, declaratione non egebit pro intelligenda conclusione quam hoc capite asserimus: nam si non de etymologiâ vocis MARIA, de quâ mox, sed de significatione verâ huius vocis MARIA agamus, cùm ipsa sit nomen proprium Virginis; id est, ex vi suæ impositionis significet eam feminam, quam nos supplici hyperduliâ vt Dei matrem veneramur, prout est materialiter, seu prout est substratum omnium titulorum, quæ de eâ possunt enuntiari; certum est MARIAM significare omnes istos titulos, siue certum quemque titulum esse exiguam aliquam explicationem nominis MARIAE. Nam si mater Dei est honorificus titulus; MARIA est mater Dei, & quid amplius. Si virgo, si Domina, si vita, si dulcedo, &c. ingerant suauem aut venerandam aliquam opinionem; hæc omnia, & multò etiam amplius dicitur, quando MARIA nominatur. Atque hinc fit, vt ceteris quidem titulis MARIA honoretur; nomini autem MARIAE honor exhibeatur tamquam ei quod ipsam significet, cui omnia ista tribuuntur. Vel si comparatione vti velimus, reliqui tituli sunt vt manus, pedes, collum, caput, & cæteræ partes statuæ alicuius, vnde diua Virgo effingitur: MARIA verò vt integra eius statua. Iam non fit ordinariè, vt partibus statuæ separatis tribuamus honorem, nisi reflectamus ad totam imaginem, easque veneremur tamquam ad totam concurrentes: ita si quem alijs titulis deferamus honorem, non fit nisi immediato respectu ad Nomen MARIAE, quòd scilicet ei sublimissimo titulo omnia conueniant. Vt enim partes statuæ non sunt immediatè imago Virginis, & ideò non sunt ita immediatè venerandæ: sic nomina reliqua, cùm non immediatè significent Virginem Deiparam prout est à parte rei, nec pro eâ immediatè supponant, non solent cum tantâ veneratione referri. at nomen MARIA cùm immediatè supponat pro Virgine, eâdem cum illâ veneratione est adorandum. Non ingredior hic disputationem istam Theologorum famosissimam, an eâdem prorsus adoratione nomen Virginis prolatum aut scriptum, cum ipsâ personâ Deiparæ sit adorandum, an verò cultu quodam particulari etiam interno no-

Alij Virginis tituli venerandi sunt eum respectu ad nomen eius.

men separatim sit adorandum; ita vt terminus vltimus totius adorationis sit ipsum nomen, & non significatum nominis: cùm eam iam doctissimè tractauerit Vasquez in 1.p.q.25.art.3.disputat.108. & Suarez ibid.disp. 54. licet alter ab altero de more dissentiat; de quo posteà fortè mentem meam indicabo.

MARIAE nomen Reliquiis eius omnibus venerabilius.

Nunc quàm venerandum sit nomen Virginis, indago: nec puto errauero, si id non tantum omnibus Virginis nominibus, sed omnibus etiam quas habemus eius Reliquiis cunctisque imaginibus venerabilius asseruero. Quid enim immediatiùs eam significat, quid mentem promptiùs ad memoriam eius citat, quid frequentiùs vice eius fungitur, quàm venerandum MARIAE nomen? Nec iis assentior, qui verbis primò mentis nostræ conceptus, scriptis verba immediatè significari asserunt: siue enim scribam, siue loquar, non quid ego concepero aut dixero, sed quid de re sit indicare volo. Et quamuis de vniuersalibus vocibus & orationibus formatis fortè contrarium quis existimaret; adhuc de nominibus propriis particularis videretur ratio, quæ rei imponuntur vt eam significent prout est à parte rei, non prout subsstat alicui conceptui. Itaque immediatissima Virginis Deiparæ imago dici posset ipsius nomen; quòd ita prompte determinet mentem audientis ad eius recordationem, & voluntatem ad pium eius cultum, vt vix vmquam practicè fieri existimem, vt audiens nomen MARIAE ipsum veneretur, sed totus feratur in venerationem prototypi. Eæ autem, secundum Doctorem nostrum Hierarchicum, optimæ sunt rerum sublimiorum figuræ siue imagines, quæ sic mentem nostram ad eas transferunt, vt quàm minimùm sistant in hisce inferioribus. Ipsa magni Patris verba admetiar, quòd ex ijs quiddam elici posse videatur, quod vehementer commendet nominis MARIANI dignitatem. Ponebat lib. de Cæleſti Hierarchiâ cap. 2. §. 2. obiectionem aliquorum hisce verbis: *Sunt & qui dicunt, Theologos oportere, dum ad omnino in corporearum rerum corporationem veniunt, proprijs illas, & quoad fieri potest, cognatis efformare atque explicare speciebus earum, quæ apud nos sunt præstantissimarum, & ex parte immaterialium ac transscendentium substãtiarum; & nequaquam cælestibus ac deiformibus simplicitatibus terrenas illas infimas circumdare multiformitates. Siquidem id nostræ magis etiam conduxisset sublimationi, neque supermundiales explanationes ad incongruas dissimilitudines coëgisset: hoc autem & diuinas nefandè virtutes eleuat, atque nostrum pariter errare facit intellectum, dum immundis illis inhæret compositionibus? & fortassis etiam putabit supercæleſtia leoninis quibusdam & equinis examinibus referta esse, nec non mugitu reboantibus laudum canticis, & auicularium gregum præfecturis, aliisq; animalibus, ac vilioribus materiis, quas ad absurditatem & spurcitiam ac passionem prouocando, per omnia dissimiles eiuscemodi elucidantium eloquiorum similitudines describunt.* Hæc erat aliquorum obiectio: cui pulcherrimè ex sublimiori diuinitatem contemplandi modo satisfacit Sanctus, docens, quemadmodum duorum modorum, quibus in diuinitatis cognitionem venimus, magis proprius est is, per quem, non quid est affirmatiuè, sed quid non est, negatiuè dicimus; ita magis conuenire res cæleſtes & supermundiales per rerum inferiorum quàm per sublimiorum similitudines adumbrare: aitque §. 3. *Quòd verò absonæ similitudines magis mentem nostram erigant, nemo, vt opinor, cordatus contradicet: in nobilioribus enim formis effingendis credibile est errare aliquos, qui existiment esse naturas cæleſtes specie quadam aureâ, viros quosdam micantes, fulgore decoros, vestitu splendido amictos, igneum quiddam innoxiè vibrantes, & quæcumque aliæ eiusmodi formæ sunt, quibus Theologia cæleſtes mentes figurauit. Quod quidem ne ijs eueniat, qui nihil altius quàm illa pulchra & speciosa quæ apparent mente complexi sunt; SS Theologorum sapientia, quæ sursum ducendi vim habet, ad dissimilitudines absonas sanctè se deiicit, non permittens id quod in nobis materiale est, illis indecoris imaginibus inhærendo acquiescere; sed ipsâ deformita-*

Nomen Deiparæ optima eius imago.

te

te figurarum excitans & ſtimulans ſuperiorem animæ portionem, tamquam nefas ſit, & ne iis quidem qui rebus terrenis valdè affixi ſunt veroſimile videatur, tam abſurdis formis ſimilia reuerà eſſe illa ſupercæleſtia & diuina, quæ in ſymbolis cum admiratione ſpectantur. Ita S. Dionyſius de ſymbolis inferioribus & materialibus ratiocinatur; per quæ nos ad ſupercæleſtium cognitionem erigimur: quod nobis optimè licet imaginibus B. MARIAE Virginis & eius ſacroſancto nomini accommodare. Vtraque enim adhibentur, vt per ea mens ad venerationem & cultum abſentis Dominæ noſtræ excitetur: at ſi quæratur, vtrum ad munus iſtud ſit aptius; cum ſancto Doctore reſpondeo, quòd nomen MARIAE magis mẽtem noſtram erigat: nemo, vt opinor, cordatus contradicet. In imaginibus enim alijs effingendis credibile eſt errare aliquos, qui intuentes egregiâ formâ depictam virgunculam, igneum quiddam à facie innoxiè vibrantem, ſceptro & diademate inſignem, aureis purpureiſque circumdatam veſtibus, alijſque exornatam inſignibus, quibus ars pictoria variè conatur Regiam eius dignitatem virtutumque admirabiliter conſpirans in eâ concilium exprimere, nihil altius mente complectantur, hæreantque in iſtâ imaginis adoratione, atque potiùs quàm prototypon venerentur: at nomen ſacroſanctum Mariæ cùm iſtis careat pulchræ ſimilitudinis illecebris, & polleat virtute immediatiùs Virginem repræſentandi; quis non videat eſſe aptiſſimam omnium imaginem, quæ rectà nos ducit ad prototypi venerationem? Non dico malè ab Eccleſiâ adhiberi laudatiſſimum imaginum vſum; neque ſanctus Dionyſius dicebat, malè Scripturam vti ſublimioribus iſtis ſymbolis: *Nam veritatis*, inquit, *vti reor, indagatio demonſtrat ſacratiſsimam eloquiorũ ſapientiam in cæleſtium effictionibus intelligentiarum, vtrumque luculẽter præuidiſſe, vt neque virtutes diuinæ (vt ita quis dixerit) contumelioſiùs extenuarentur, neque nos humi repentibus imaginum vilitatibus tenaciùs affigeremur.* poſteà tamen, cùm vtrorumque ſymbolorum fit comparatio, dicit quæ attulimus: vt nos, cùm imaginum vſum laudauerimus, nominis MARIANI vim ſurſum deducendi & Virginem in memoriam reuocandi potentiam non reformidaremus præponere; præſertim cùm vicaria, ſit vbique vox iſta ipſiuſmet Deiparæ, ſic vt vbique pro ipsâ ſubſtituatur, ſitque omnium laudum eius ſubiectum & inſtrumentum. Omitto eam vocis Mariæ cum imagine collationem, quam curioſus quidam Auctor profert, quòd, cùm vox illa in ratione imaginis ſeu ſimilitudinis cum ijs conueniat, vt affirmat Ariſtoteles lib. 1. Peri herm. cap. 1. *Rerum ſimilitudines voces ſunt*; excedat in eo quòd vitalis ſit, & inter humanas actiones computanda. Sic crucis, inquit, ſignaculum vincit potentiam ſtabilem, quam habet eiuſdem crucis figura, etiamſi quoad cultum & adorationem parem exigant reuerentiam; fortaſſis quòd tranſiens illud ſignum habet defluentem, vitam à pio animo profectam, eique valdè coniunctam. Quare ſi illud crucis ſignum, quod ſimul atque formatum eſt deſinit eſſe, linquit ſalutares effectus, etiam tunc cum expreſſa figura præterijt; & quia viuum ſignum eſt, plura & efficaciùs operatur quàm lignea aut aurea eius figura, quamquam tota efficacia à Deo eſt non ab homine, vt ex Patribus & ratione exiſtimant nonnulli; ſupereſt idem ius ad ſtatuendum maius ineſſe robur prolationi Nominis MARIAE, quàm vel ſcripto vel imagini ipſius: atque ideò omitto, quia de potentiâ nominis agemus inferiùs. At quia pictura vt plurimum non eſt ſimilis Deiparæ, ſed ab hominibus lineamenta pro arbitratu inuertuntur & peruertuntur, & quandoque ad non caſtiſſimarum figuram effinguntur; nomen autem Mariæ integrè & incorruptè, prout à cælis demiſſum eſt, à nobis profertur; propterea pleniùs deſcribit Virginem ſanctiſſimam nomen à Deo impoſitum, quàm imago ad pictorum libitum diſpoſita: ac multum coloris habet, vt dicatur ſanctior & efficacior nomenclatio Mariæ, quàm eius effigies. Atque hæc ſufficiant de nominis

Vox Maria eſt imago quodammodò viua Deiparæ.

Pictura non benè refert Virginem, nec eius nomen.

MARIAE vero & primario significato, ex quo supra omnes eius imagines & Reliquas, & supra omnes eius titulos extollitur. restat, vt etymologiam vocis scrutemur.

CAPVT XII.

Etymologiæ variæ nominis Mariæ.

DIxi in nominibus proprijs, nihil ad significationē primariamq; eorum seu quasi essentialem venerabilitatem referre, siue ab aliquo alio formentur vocabulo, siue nullâ radice significatiuâ constent; cùm primarium, imò solum eorum significatū, sit persona ista indiuidua, ad quā significandam assumuntur. Sunt tamē multa alia in nominibus tum ornamenta, tum quasi accidentariæ maioris venerabilitatis causæ, seu potiùs incitamēta quædam, quæ nos manuducunt ad eam, quam etiam sine istis debeamus, venerationem: talia sunt, auctor ipsius nominis, cærimonia quâ imponitur, nominis etymologia, literæ quibus scribitur, soni elegantia, & figuræ ornatus.

Quænam præter significationem spectentur in nominibus.

De auctore nominis MARIAE iam fusè probaui, eum fuisse Deum ipsum. & magna est Virginis Deiparæ gloria, quòd tanti eam fecerit, vt non alteri voluerit nominis eius impositionem committere. Quamuis enim poneremus, futurum fuisse vt idem nomen Virgini Deiparæ à parentibus imponeretur, quod à Deo nominatum est; glorioſissimum tamen est Virgini, id non à parentibus sed à Deo accepisse. In humanis hoc patet: licet enim æquè multùm valeret aureum numisma quod ab amico mihi, atque id quod à Rege conferretur; quantæ tamen maioris æstimationis moralis esset, Regem mihi id dare? Iam verò cærimonia quâ dedit, quæ poterat esse solemnior, quàm demittere è cælis Legatum qui id annuntiet separatim vtrique parenti, vt suprà est probatum? nolebat enim deferri hoc totius Scripturæ compendium à Legato minoris dignitatis, eo qui Scripturam ipsam & legem annuntiauerat. Ex quibus duabus circumstantijs sequitur altera, quæ largiorem nobis suppeditabit discursus materiam, mirabilis etymologia nominis Mariæ, quæ miram nominibus proprijs addit elegantiam. Deus enim, cuius perfecta sunt opera, quando nomen imponit, solet id deriuare à dono aliquo gratuito à se dato; vt dum vocem audimus, non tantùm intelligatur quis eâ vocetur, sed etiam recordemur excellentiæ istius, propter quā hoc potiùs nomine quàm alio quolibet eum Deus censuerit nominandum: & elegantia nominum tantò est maior, quò ijs plura & magis conuenientia dona, priuilegia, virtutes, facinora, &c. personæ, in memoriam reducuntur. Cum ergo tanti fecerit Deus nomen Virginis, vt à se id imponendum; & per Angelum vtrique parenti nuntiandum putaret; haud dubiè noluerit illud carere istâ laude, quòd aptissimè fuerit ad multas Virginis proprietates exprimendas formatum. quibus indagandis & explicādis iam imus impensum qualem qualem nostram operam, ad laudem & gloriam eius, cuius nomen cupimus cum Filij nomine in æternum celebrari. Si enim S. Chrysostomus Hom. 3. in Epist. ad Rom. dicat, *Est & in nudis ipsis nominibus magnum inuenire thesaurum*; quos non speremus thesauros ex ditissimo Virginis Mariæ vocabulo? De quo cum SS. Patribus affirmare audemus, quòd sit *Scripturæ totius compendium & collegium sanctitatis*; & cum Concilio Ephes. quòd sit *salutaris reconciliationis panegyris*; imò quòd in hoc contineantur omnes Mariæ laudes & encomia. Singulari enim Dei in Virginem amore & prouidentiâ factum est, vt in vnam Virginem diuinitus collata tot beneficia, quot numquam Sancti omnes simul ausi fuerunt sperare, in vnum vocabulum compingerentur ab eo qui optimè linguarum omnium vim & energiam nosceret: in quo Dei sapientia prorsus aliam iniuit viam, quàm infirmitas nostra hactenus in ipso dilaudando triuerit,

Incongruâ ratione etymologicâ constitit magna nominum elegantia.

Etymologia nominis Mariani alludit ad omnes Deiparæ laudes.

rit, & etiamnum in Virgine honorandâ seruat. Ait enim S. Bernardinus Tomo 3. Serm. 1. de nomine Virginis: *Sicut Deum ipsum non tantùm vno nomine nominamus, sed multis, vt sic eius incomprehensibilitatem enuntiemus; sic & gloriosam Virginem multis nominibus designamus, & nunc lucem, nunc solem, & huiusmodi nominare solemus, vt sic ad sublimitatem eius cognoscendam aliquãtulùm pertingamus.* Quid autem Deus? vt suam nobis in fingendis nominibus ostenderet sapientiam, Virginem vnicam pænè infinitis præditam gratijs & prærogatiuis vnico appellauit nomine, sed eo quod magnam donorum & virtutum ipsius copiam voce simplici significaret; ita vt pænè æquè laborandum sit in attingenda vocis istius significatione, atque in explicanda Virginis Deiparæ dignitate. Hîc etymologias simpliciter ex Patribus & bonis Auctoribus prodemus, eas deinceps pluribus Capitibus examinaturi. Audiamus ex ordine Doctores. S. Ambrosius lib. de Institut. Virgin. cap. 5. ait: *Speciale Maria Domini hoc nomen inuenit quod significat Deus ex genere meo. Dictæ sunt & antè Mariæ multæ: nam & Maria soror Aaron dicta fuit, sed illa Maria amaritudo maris dicebatur.* Beatus Albertus Magnus Tract. super Missus cap. 167. obseruat ipsum nomen Maria idem esse quod Latinè MARIA. S. Hieronymus de Nominibus Hebraicis, titulo de nominibus ex lib. Exodi ait: MARIA *illuminatrix mea, vel illuminans eos; aut smyrna maris, vel stella maris.* in titulo de Euangelio Matthæi hæc addit: *Mariam plerique existimant interpretari, illuminant me isti, vel illuminatrix, vel smyrna maris; sed mihi nequaquam videtur: melius autem est vt dicamus sonare stellam maris, siue amarum mare: sciendumq; quòd Maria sermone Syro Domina nuncupatur.* Eucherius lib. 2. Instruct. cap. 5. *Maria*, inquit, *illuminata, siue stella maris, sed sermone Syro Domina.* Idem docent D. Epiphanius Serm. de Laudib. Virg. S. Ioannes Damasc. lib. 4. Fidei orthodoxæ cap. 15. Petrus Chrysol. Serm. 146. & Beda in cap. 1. Lucæ S. Thomas opusc. 8. *Conuenienter vocatur Maria illuminatrix in alios.* & ibidem: *Conuenienter vocatur Maria illuminata in se.* S. Epiphanius: *Mariæ nomen interpretatur illustrata.* S. Ildephonsus Sermon. 1. de Assumpt. *Secundùm verbum Hebraicum Maria interpretatur stella maris.* S. Epiphanius suprà: *Rursum nomen illud Mariæ interpretatur myrrha maris.* Ita Patres in interpretando nomine Mariæ feliciter suam posuerunt operam: vt, quod facilè ex sequentibus patebit, variâ interpretatione comprehenderent quidquid ferè hactenus de Virgine Deiparâ dictum est sublimius. Sed priusquam etymologiarum explicationem aggredimur, etiam radices quasdam adferamus ex P. Cornelio in Prouerb. cap. 8. v. 27. vbi sic habet: Nota, S. Ambrosium censere nomen MARIA, vel, vt Hebræi dicunt; *Mariam*, per crasim dici quasi *Merechemia*, id est, *ex vtero Deus*; quia scilicet ipsa vtero concepit & genuit Deum. Secundò, S. Epiphanius nomen Maria autumat dici, quasi *Mor iam*, id est, *myrrha maris.* Tertiò, alij Mariam deriuant à *iara*, quod in hiphil *bora* idem est quod ostendere, docere, dirigere; vnde *more* est Doctor; hinc Maria est doctrix, vel illuminatrix maris, quia ipsa omnes in hoc sæculo veluti mari procelloso se inuocantes docet, illuminat, & ad portum salutis æternæ dirigit. Quartò, alij Mariam interpretantur *pluuiam maris*: *more* enim etiam pluuiam significat, quia ipsa gratiarum copiam, & quasi mare, è cælo suis precibus elicit, & in homines depluit. Quintò, multi Mariam exponunt, vt idem sit quod Domina maris. *Mara* enim Syriacè est *Domina* (vnde *Maran ata* idem est quod *Dominus noster venit*, 1. Corinth. 16. v. 22.) *iam* est mare, quia ipsa maris, terræ, totiusque mundi est Princeps & Domina. Sextò, alij interpretantur Mariam per anagramma, quasi *Rum iam*, id est, *celsitudo maris*, vel *rama mi iam*, id est, *excelsior mari*; quia ipsa omnes huius sæculi ærumnas, persecutiones, tribulationes, mortes, &c. longè superat & transscendit. quare ipsa sicut puritate est virgo, & pietate mater omnium viuentium veriùs quàm Heua; sic pariter omnium dolores & affli-

Radices variæ nominis Mariæ,

afflictiones ipsa in se concipit, concludit, absorbet, dum eos ad se suspirantes solatur, curat, sanat, exhilarat, viuificat, corroborat.

CAPVT XIII.

MARIÆ nomen continet nomina sacrosancta Iehouah & IESVS; item significat eadem quæ vox Deus. & de primâ eius ratione etymologicâ, quæ est, *Deus ex genere meo.*

QVAM sibi ita similem effecerat Deus vt multis modis res vna eademque cum ipso dici posset, prout alibi ostendimus; ei voluit nomen tribuere, quod diuini nominis sui vim virtutemque contineret. Vt Adam nomenclaturam suam, inquit Fernandius in Genes. cap. 2. sect. 15. n. 4. mulieri suo de latere fabricatæ indidit; sic planè sublimiori quodam modo suum Deus nomen Iehouah, & suum Verbum caro factum Iesus communicauit Virgini Deiparæ. Vtrumque enim in sacrosancto & ineffabili nomine Maria Hebraicè continetur; vt verè & perdoctè (inquit ipse) ostendit eruditissimus Doctor & Magister meus Blasius Viegas in cap. 12. Apocal. com. 2. sect. 1. vbi hic Blasius docet Primò, tria nomina esse tetragrammata, seu quadrilittera, ineffabile Dei, Iesu Redemptoris, & Mariæ Deiparæ: Secundò, nomen *mitraton*, quod Hebraicè *principem facierum* significat, eumdem constituere numerum, quem nomen Maria, scilicet 999. Tertiò, Iesu & Mariæ nomina ascendere ratione arithmeticâ ad numerum *berith*, id est pactum; vnde Cabalistæ ex Ieremiæ c. 33. v. 20. *Nisi pactum meum esset*, &c. colligunt, mundum à Deo conditum propter Deum & Mariam. Quartò, docet in istis, Isaiæ 9. v. 7. *Ad multiplicandum imperium*, Mariæ nomen contineri. Ad hunc igitur curiosum Lectorem remitto, vt scrutetur quomodo illa duo sanctissima nomina in vno tertio Mariæ contineantur: vt, quemadmodum solet eum, qui erat in principio apud Deum, factum hominem simul & Deum permanentem in vtero Virginis adorare; ita nomen illud ineffabile, quod erat Dei solius, & alterum Dei simul & hominis, in nomine Mariano colat. Vt vndique cum rebus nomen hoc conueniat, etiam illa non minùs curiosa quàm pia est animaduersio, quòd Mariæ nomen eadem connotet quæ vox *Deus* significat. S. Damascenus lib. 1. de Fide orthodoxâ c. 12. Vox *Deus*, ait, vel à verbo θέειν, hoc est currere; est ducta, quòd discurrens quasi per omnia creata, singula foueat atq; conseruet; vel ἀπὸ τοῦ δαΐεσθαι, hoc est prospicere. de quo S. Thom. q. 13. art. 8. in corpore: *Imponitur hoc nomen Deus ab vniuersali rerum prouidentiâ: omnes enim loquentes de Deo, hoc intendunt, nominare Deum, quòd habet prouidentiam vniuersalem de rebus; vnde dicit Dionysius 12. cap. de Diuinis nominibus, quòd Deitas est, quæ omnia videt prouidentiâ & bonitate perfectâ.* vel denique formatur vox *Deus* à verbo αἴθειν, quod est vrere; quoniam Deus ignis dicitur vitia absumens. Quam vocis etymologiam, præter D. Thomam citatum, etiam tradidit Athanasius lib. de Definitionibus, paulò post initium; & ex parte probauit Nazianzenus Orat. 16. num. 70. Iam Mariæ vox ex plurium sententiâ apud Canisium lib. 1. cap. 1. à radice Hebraicâ deducitur, quâ non tam cursus quàm raptus & proiectio denotetur: *iarah* enim (vnde nomen hoc sacrosanctum formant) tam proijcere quàm docere significat. Deinde myrrham sonat Maria, quæ cadauera fouet atque conseruat, atque in eo Deo est similis: qui inde dicitur, auctore Damasceno, quòd res omnes confoueat. Tertiò, non quidem vrendi significationem

Mariæ nomen continens Dei & Iesu nomina.

Nominis Mariæ etymologia conuenit cum etymologiâ vocis Deus.

ficationem inuenies in Mariæ nomine clarè expressam, sed illuminandi: quæ nobilior est ignis virtus, & numquam sine caloredissunditur. Vnde etiam alterum Dei significatum, quòd omnia perspiciat, quasi consecutiuè deducas: nam si illustrat atque illuminat omnia Maria, haud dubiè eadem perspicit: nec enim cæca radios suos vspiam dimittit, sed videns quem illuminet. Et S. Epiphanius Orat. de ipsius laudibus. *Multoculam & Seraphim incomprehensæ visionis* eam appellat. Notandum hic occurrit quod dicitur Genes. 2. v. 23. de feminâ: *Hæc vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.* Vbi ratio datur, cur feminæ nomen flectatur à nomine viri; quòd scilicet hæc de carne & ossibus eius formata esset: vt idem agnoscas mysterium in eo quòd Mariæ nomen Dei nomina contineat; quia scilicet Deus Verbum caro factum ex ipsa natum est, atque ob hanc rationem super omnem rerum creatarum nomenclaturam nomen eius extulit, idque de suo nomine formauit. Itaque Virgo Deipara tribuens Deo propriam carnem & sanguinem, vt ipsi similis posset in infirmitate nostrâ pati & mori, accepit ab eo de nomine sibi proprio formatum nomen; quo Deo, quantum creaturæ status admittit, simillima, immortali cum eo gloriâ celebraretur. Iterùm in nominibus Abrahæ & Saræ hoc adumbratum notant mysterium, qui accuratiùs Scripturæ nomina excutiunt: ideò enim vtriusque coniugis nomini *he* litteram nominis sui apponebat Deus, quòd esset ex stirpe eorum nasciturus; at Virgini Mariæ totum suum nomen tribuit, quòd ipsa futura erat eius Mater. Quanti faciunt aulæ Proceres, si cui eorum Rex aut Imperator permittat gentilitio scuto partem aliquam insignium suorum apponere; tanti profectò nos (seruatâ quæ Deum inter & Reges terreos atque terrenos interceditproportione) faceredebemus, quòd Domina nostra ipso suo nomine glorioſissimum Dei nomen circumferat. Si magnifiunt vel feliciter inuenta anagrammata, vel emblemata ingeniosè excogitata, quibus dignitas, aut nobilitas, aut res gestæ virorum magnorum exprimuntur; quanti faciemus hoc tam aptè à Deo inuentum anagramma, vt Maria simul ineffabile Dei, & Iesu suauissimum nomen contineat? Quanto stupore hoc emblema supra omnes Ægyptiorum notas hieroglyphicas venerabimur, intelligentes, quod scripto Mariæ nomine, ei intimè Dei ac Redemptoris nomen inscribatur significans Deum hominem fuisse visceribus eius inclusum, & sanguinem eius de ipsius sanguinibus formatum? Nomina Hebræa dicit S. P. N. Augustinus lib. de Doctr. Christ. cap. 16. non paruam habere vim atque adiutorium ad soluenda ænigmata Scripturarum, si quis posset ea interpretari. Si hoc de vllis nominibus, certè de sacrosanctis illis Iehouah, Iesu, Maria potest verificari. Ænigma proposuit sanè difficile Ieremias Propheta c. 31. v. 22. *Quia creauit Dominus nouum super terram: femina circumdabit virum.* Vis huius solutionem? vide quod Mariæ nomine contineatur nomen, & Virginem virumque inueneris. Ænigma erat omnibus antiquis indissolubile, quomodo venturus erat quem exspectabant; lege autem Mariæ nomen, & solutum videbis ænigma, si sic ratiocineris: Qui nomen suum ineffabile, nomini Mariæ inclusum, omnibus fecit dulce & familiare; is Verbum suum vtero Virginis comprehensum omnibus fecit tractabile & salutare. Imò ipsa ratio etymologica poterat sanctos Patres ad rei obscuriſſimæ intelligentiam perducere, si nomen Virginis audiuissent. Sanctus enim Ambrosius Mariæ nomen interpretatur lib. 1. de Instit. Virg. cap. 5. *Deus ex genere meo*: *Speciale*, inquit, *Maria Domini hoc nomen inuenit: quod significat, Deus ex genere meo.* Quod P. Cornelius à Lapide Prouerb. 8. v. 29. format per crasim à verbis Hebraicis *merechem ia*, hoc est, ex vtero Deus. Poteratne clariùs dici, ex vtero illius quæ Maria vocaretur Deum nasciturum, non aliter vtique quàm hominem factum, & infirmitate nostrâ circumdatum? Sit hæc ordine prima etymologiarum nominis Mariæ, quæ prima est dignitate: fiatque ea nominis cum re proportio, vt, quemadmodum omnium

Cur Virgini nomen tributum quod Dei nomen continet.

Ænigmata Scripturarum soluuntur ex Mariæ nomine.

Maria significat, Deus ex genere meo.

nium dignitatum eius fundamentum, regula & mensura est Dei maternitas, ex quâ alibi diximus oriri vt ipsa sit rerum omnium Domina, nos autem eius mancipia; ita etiam in nomine explicando primum ponatur, quod ante alia spectauisse oportet Deum sapientissimum nominis huius inuentorem, vt summam eius dignitatem primariò significaret. *Quælibet res nomen habet à suo complemento*, inquit S. Thomas 3. p. q. 60. art. 2. nec satis concinnè eum qui Rex est Comitem vocaueris, Regio titulo omisso, licet Comitis dignitate non careat. ita Deus volens vnico Mariæ nomine ingentem dignitatum Matris suæ texere catalogum, omittere non debebat id quod in ea erat summum, vt scilicet Mater Dei vocaretur; hoc autē Maria significat, interprete S. Ambros. siue ipse id formauerit ab isto *merechemia*, quod adfert Cornelius, siue ex alijs quibusdam Hebraicis radicibus, quæ iam nos latent. sufficit nobis tantum habere ita censendi auctorem atque est Ambrosius, qui non temerè affirmauit tantum Mariani nominis mysterium, quòd nempe significet, *Deus ex genere meo. Vidisti*, inquit S. Chrysost. Hom. 21. in Gen. *appellationē diademate clariorem, purpurâ nobiliorem; quid fuerit illo beatius, qui inuocatione ornatur Dei, idq; pro nomine possidet?* agit autem de filio Seth, quem pater Genes. 4. vocat Enos, id est, virum inuocatorem Dei. At ego mancipijs Deiparæ, eiusque dulcissimi nominis, dico: Vidistis appellationem diademate clariorem, purpurâ nobiliorem, etiam diademate & purpurâ quâ ornata est cæli terræque Regina; appellationem scilicet Mariæ, quæ non tantùm inuocatum Deum, sed ab ea conceptum & natum significat. Contineamus ergo tantisper impetum, quo ferri nos erat pronum, vt statim mancipijs tantæ Reginæ eam nominis interpretationem proponeremus, quâ Dominam significat: nàm à maiori & digniori eius significatione inchoandum est. *Et maius est hoc donum quòd sit Mater Dei, quàm, quòd sit Domina creaturarum*, inquit de Virgine S. Bernardinus Tom. 1. Serm. 52. Quando ergo tanto studio Synodus Constantinopolitana collat. 6. & sexta Synodus act. 13. sub Agathone, & Concilium Chalcedonense def. 4. & Concilium Ephesinum sæpiùs, & plurima Conciliorum Patrumque decreta statuunt, & singularibus verbis commendant vocem θεοτόκος; quid aliud nisi Virginis Mariæ glorioſissimum nomen interpretantur? A maiori parte, non à minori appellationes fiunt ac nomina imponuntur, ab ijs præsertim qui laudant & honorare volunt, inquit Theod. Abucara. Atqui certum est Deum Laconicam Deiparæ panegyrim fecisse, quando ei nomen imposuit, quo præcipuas eius laudes attingeret. Quis ergo putauerit Dei maternitatem in ea omissam? Certè nemo qui laudis Marianæ zelum, quo Deus fertur, cognouerit; vel qui S. Ambrosio asserenti, Mariam significare *Deus ex genere meo*, fidem habuerit. Guerricus Abbas Sermone 3. de Ioanne Baptistâ aduertit, quòd Apostolus in limine Epistolarum se seruum Dei appellat, *vt auctoritas tanti nominis primâ fronte prælati, totum deinceps opus commendabilius redderet.* Quidni Deus in ipso hoc multorum librorum verbo, in hoc totius Scripturæ compendio, in hac Reginæ cæli panegyri statim initio eam Matrem Dei appellaret, quò deinde maiori veneratione tum ipsa, tum nomen eius coleretur? Significat ergo Maria primò, *Deus ex genere meo*: quâ nominis interpretatione nihil singi potest sublimius.

CAP.

CAPVT XIV.

ETYMOLOGIA SECVNDA.

Nomen MARIÆ significat Dominam.

OTIOR est quoad nos dignitas B. Mariæ Virginis, quæ explicatur per cæli terræque imperium, quàm ea quæ mysterioſis Matris Dei verbis inuoluitur, quamuis hanc illa conſequatur. Ecce autem hoc ipſum nomine adumbratum: nam magis notum eſt omnibus, Mariæ nomen Dominam ſignificare, quàm Matrem Dei; licet non ſatis aptè tantum ſignificaret dominium, niſi ſimul Dei maternitatem aliaque diuina myſteria denotaret. Quis enim, dum audit nomen hoc maximè vulgari etymo Dominam ſonare, non continuò reflectens ad ſignificationem ſuperiùs indicatam, concludit, non poſſe niſi ſummum atque hierarchicum eſſe dominium, quod eidem conueniat quæ ſimul nomine ſuo præ ſe fert quòd ſit Mater Dei? Significationem hanc nominis Mariani, & rem ſignificatam confirmat Primò, quòd iſto Iſaiæ 9. v. 7. *Multiplicabitur eius imperium*, (quod Hebraicè eſt *Ad multiplicandum imperium*) vbi eſt ſermo ad litteram de Meſſiâ, nomen Matris Dei contineatur: docet, inquam, Rabbi Haccados apud Galatinum lib. 7. Arc. cap. 13. in illis verbis contineri hæc duo nomina *Miriam Sarah*, id eſt, *Maria Domina*, ac fusè de eo agit; vt nimirum indicaretur, Mariam Matrem Meſſiæ eſſe Dominam vniuerſi, ſimulque cum principatu Meſſiæ eius principatum multiplicandum. Vbi etiam obſeruandum, verbum *lemarbeh*, id eſt ad multiplicandum, habere illud *mem* clauſum in medio dictionis præter morem Hebræorum, qui *mem* clauſo tantùm vti ſolent in fine dictionis. myſteria ergo multiplicia in iſta clauſura includi Hebræi dicunt; ſed illud præcipuè, quòd Meſſias, cuius imperium multiplicandum prædicitur, naſciturus erat ex Virgine. Sed apertiùs hæc ſignificatio Syriacâ linguâ proditur: illâ enim paſſim produnt ſancti Patres nomen Mariæ *Dominam* ſonare. Arnoldus Carnotenſis Tract. de Laud. Virginis. qui refertur Tom. 6. Biblioth. ſanctorum Patrum: *Maria*, inquit, *linguâ Syriacâ Domina dicitur, licet ipſa ſe Chriſti profiteatur ancillam: hoc ſeruitutis genus omni Regno ſublimius eſſe intelligit. Conſtituta quippe eſt ſuper omnem creaturam: & quicumque Jeſu curuat genu, Matri quoque pronus ſupplicat: & Filij gloriam cum Matre non tam communem iudico, quàm eamdem.* Huic adſtipulatur D. Hieronymus lib. de Nominibus Hebraicis in titulo de Euangelio Marthæi, vbi ait: *Sciendumq́, quòd Maria ſermone Syro Domina nuncupatur.* & Eucherius libro 2. Inſtruct. cap. 5. *Maria illuminata, ſiue ſtella maris; ſed ſermone Syro Domina.* Dicitur autem Syro ſermone *Maran* Dominus; vnde 1. ad Cor. 16. v. 22. illud *Maran ata*, id eſt, *Dominus venit.* At nihil opus eſt linguarum radices eruere, cùm certiorem, &, quod quærimus, ad praxim vtiliorem modum vim nominis huius cognoſcendi ſuggerat S. P. N. Auguſtinus in Pſal. 9. dicens; *Qui ſe libenter Deo famulum ſubdit, cognouit eius nomen.* & S. Remigius in eumdem Pſalmum neget, abſque hac praxi nomen hoc poſſe cognoſci: *Hoc nomen*, inquit, *non nouit, qui meritum ei non exhibet famulatum.* Videte mancipia Virginis Deiparæ vocationem veſtram; veſtrum eſt intelligere, quid ſignificet nomen hoc ſuauiſſimum Maria, quia veſtrum eſt exhibere iſti Dominæ meritum famulatum: ab hoc nomine mancipatus veſter denominatur, quia Deiparæ vos veſtraque omnia mancipantes, re ipsâ interpretamini quid ſignificet Maria; ita tamen, vt nemo intellecturus ſit,

Permancipatum Deiparæ venitur ad cognitionem nominis eius.

quàm illud sublimem significet dominatum, nisi qui imitatione vestri intellexerit, quid sit infimus & humillimus Deiparæ mancipatus: nam hoc nomen non nouit, qui meritum ei non exhibet famulatum. Occurrit hîc quod ait Apostolus in eumdem pænè sensum

Quid significent hæ voces Dominus Iesus.

1. Cor. 12. v. 3. *Nemo potest dicere, Dominus Iesus, nisi in Spiritu sancto.* non esse mentem Apostoli, quòd nemo possit exprimere hoc Domini nomen Iesus, nisi in Spiritu sancto; vel inde patet, quòd plurimi à Spiritu sancto & fide alieniſſimi illud pronuntient; & blasphemantes nomen illud, etiam id pronuntiant, non vtique in Spiritu sancto, sed in spiritu nequissimo. Vult ergo Apostolus, neminem posse dicere & fateri Iesum esse verum Deum & Dominum, siue Iehouah, nisi in Spiritu sancto. Nec mirandum, quòd ita prædicatum subiecto proponatur, cum hoc in Scriptura non sit nouum: nam Rom. 10. v. 9. idem Paulus: *Quia si confitearis in ore tuo Dominum Iesum & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Cuius loci sensus est: Si confitearis in ore tuo, quòd Iesus est Dominus, hoc est, Iehouah, &c. Hunc sensum colligere est ex S. P. N. Augustino Conc. 13. in Psal. 118. vbi ait: *Nos autem ne offendamus & cadamus, opprobria eorum ne timeamus, sed respondeamus eis verbum, hoc est, verbum fidei quod prædicamus; Quia si credideris, inquit, in corde tuo, quia Dominus est Iesus; & confitearis in ore tuo; quia Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris.* Nec desunt plurimæ auctoritates, quibus optimè probari posset, quando venerando Iesu nomini adijcitur *Dominus*, significari non quodlibet dominium, sed absolutum illud atque supremum, quod nomine ineffabili Iehouah exprimitur: quod ideò legebant Adonai, & Latinè vertitur Dominus; estque nomen proprium Dei. Vide quàm faciat ad etymologiæ huius illustrationem, quòd vti Dei ineffabile nomen, quo ipse incommunicabiliter & prout est significatur, explicatur per Dominum; ita Mariæ nomen proprium formetur à voce quæ significet Dominam. Verùm non hoc ago; sed quod inde sequitur, breui ratiocinatione exprimendum. Ait Apostolus, quòd nemo dicere possit, quòd Iesus sit Dominus, siue intelligere admirabile nomen quod dominium significat, nisi in Spiritu sancto; hoc est nisi assciptus sit per Spiritum sanctum numero seruorum Iesu. atque in eo S. Remigius consentit: *Hoc nomen non nouit, qui meritum ei non exhibet famulatum.* Quidni-

Super Psalmum. 4. Nemo dicere potest Mariam Dominam nisi eius mancipium.

ergo dicimus, Nemo dicere potest Mariam esse Dominam, nisi adscriptus sit per Spiritus sancti inspirationem & gratiam mancipatui Mariano? dicere, inquam, opere & veritate, non ore tantum & linguâ confitendo, dominium illud sublime quod Matri Dei conuenit, & quod nomine eius exprimitur; eò quòd in ipsa illa confessione agnitio & professio inuoluitur nostri mancipatus. Significatur ergo Mariæ nomine omnis illa maiestas & magnificentia, omne ius & imperium, omnis potestas & iurisdictio, quâ Mater Dei creatis omnibus & Deo Filio suo imperitat. Verissimè Princeps & Domina Virgo est, quæ concepit & peperit Altissimi Filium, cuius Regni non erit finis: Regina vtique Mater Regis omnium creaturarum, tam grandis & augusta Domina, vt etiam Rex ipse mundi Christus Dominus Dominam suam verè sæpiùs (vt filius matrem) nominauerit; quin & de iustitiâ illi debitam obedientiam exhibuerit, illi desertierit, ab illa maternis imperijs dirigi consueuerit. Sunt ex recentioribus qui ex vi hac nominis Mariani, quâ Matrem Dei & Dominam significat, contendunt rerum omnium etiam vtile dominium (quod à nonnullis in controuersiam vocatur) ad eam pertinuisse. idque probant hac ratione: In mundi primordijs, cùm omnibus ad singula æquale ius esset, id sibi quisque proprium faciebat quod priùs occupauerat: verùm si Maria tunc fuisset inter homines, ob prærogatiuam Matris sic alijs esset anteponenda, vt nemo posset cum eâ iure contendere, aut solo occupationis titulo anteuertere dominatum. nam id tantùm inter eos habet locum, quorum par est conditio,

Probatur Mariæ Virginis in res omnes dominium vtile:

conditio, & ius ad rem æquale: quippe in pari causa & æquali iure, is cui possessio succurrit, melioris conditionis censendus est. quod secùs habet in ijs qui alteri debent iure cedere, ob præstantiam conditionis & dignitatis: anticipata enim possessio nisi ex veniâ & permissu dignioris ius non vindicat. propterea licet homines rerum dominia manutentione acquisiuerint, & deuoluerint ad proximos vi successionis; vbi tamen Maria adfuit, bonis omnibus cedere debuerunt, si ipsa & suo & Filij nomine repetere voluisset. Quod ex eo confirmant, quia nullis humanorum Principum legibus ius præscriptionis aduersus Regum & Imperatorum Reginam & Dominam induci potuit: quamobrem bonorum omnium Domina iure habenda fuit, nec nisi eâ permittente priscis dominis retinere licuit, vt de Regnis quæ in aliorum potestate fuerunt, philosophamur. Neque verò assequi possum, cur qui Regem Christum natum fatentur, tametsi alij fuerint Reges, non etiam Mariam Dominam fateantur omnium, quamquam alij fuerint domini; quæcumque autem contra dominum dupicem in rem eandem valent, vim eamdem exercent in Regiam potestatem. Quare antiquis rerum possessoribus fuit verum in eas dominium Mariâ conniuente, per quam retinere eas licuit, cuius certè erat in illas ius longè præstantius. Et quidem in emphyteusi duo dominia diuersæ rationis statuuntur; quid mirum si duo etiam in alijs rebus dominia constituantur omnino diuersa, comparatione Mariæ & aliorum hominum, alterum alteri subiectum, & quasi ab eo pendens? neque enim nisi ex Mariæ permissione poterant vti homines rebus quas possidebant, aut eas repetere. Hæc Auctor quidam, quem nec probare nec improbare est meum, ex aliorum refert sermone. Certè sententiam ad laudem Virginis facientem, & alijs rationibus alibi à nobis probatam, etiam hoc adminiculo spoliare non debui: quòd scilicet eo ipso Virgini cedebat ius & dominium vtile in omnia, quo esset & vocaretur Maria, hoc est, Mater Dei, & Domina ac Regina, titulo excellentiæ & præeminentiæ. quod ferè coincidit cum eo quod suprà posuimus, ex ipsa maternitatis excellentiâ Virgini competere in omnia dominium. Sed hîc non tam de re quàm de nomine, non tam de dominio Virginis quàm de nomenclaturâ Mariæ agimus. Potiùs ergo huc spectare videtur istud, quærere cur nomen adeò plenum maiestatis & reuerentiæ datum sit Virgini dulcissimæ, cuius omnia viscera transierunt in misericordiam, maximè cùm Filius eius Deus, quasi depositâ magnificentiâ, exinaniret semetipsum, & non solùm diuinitatem suam humanitate nostrâ velaret, sed etiam omnia maiestatis nomina & titulos auctoritatis suauissimo ac dulcissimo Iesu nomine commutaret. *Qui futurus est*, inquit Ecclesiastes cap. 6. v. 10. *iam vocatum est nomen eius; & scitur quòd homo sit*; ex ipso scilicet nomine humanitatis benignitatisque plenissimo. Et pulcherrimè Gerson dicit Tract. 4. super Magnificat, id quod Rex Assuerus obtulit Esther. *Quid vis Esther Regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem Regni petieris, dabitur tibi*; Esther 5. v. 3. id completum fuisse in Virgine, cui nimirum Deus dedit dimidium Regni sui. Regnum porrò Dei duobus ait contineri, potentiâ & misericordiâ, iuxta illud Psalmi 61. v. 12. *Duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia*; potentiam sibi reseruauit, misericordiam Virgini cessit, diuidens quodammodò cum eâ imperium. Quod si ita est, quomodo hæc nomina rebus conueniunt, vt iudicis Filij sonet benignitatem, Matris aduocatæ maiestatem? Non rebus tantùm, sed & rebus nostris aptata sunt hæc nomina, Sodales. Audimus vtique in veteri Testamento Deum terribilibus nominibus populi Israëlitici ceruicibus incumbentem, vt frangat aut flectat earum duritiem: vbique enim sonat formidabile illud, *Dominus est nomen ei*; *Hæc dicit Dominus*; *Ego sum Dominus*. quare ita exterritus erat populus iste, vt totus trepidaret ad tanti nominis maiestatem, vergeretq; potiùs ad desperan-

Cur Dei paræ datum sit nomen plenum maiestatis.

dam quàm petendam delictorum veniam. Quid ergo Deus? descendere & condescendere cupiens infirmitati nostræ, exuit se diademate gloriæ, vestiturque humanitate & infirmitate nostrâ; &, nequis accedere timeat, omissâ nominis magnificentiâ, Iesum se & Redemptorem appellat. Quid actioni isti & commodis nostris hoc saluberrimo nomine conuenientius? Rursus, cùm non posset humano modo nasci ex homine, nisi vnam aliquam, creaturarum omnium felicissimam, matrem suam efficeret, consequenterque in creatæ dignitatis maiestatisque fastigio ita collocaret, vt non sineret sibi modum aliquem possibilem meram creaturam vlteriùs prouehendi: quid rursum conuenientius, quàm ei creaturæ, quam ad nostram vtilitatem descendendo, ad vsque solium diuinitatis suæ exaltauerat, imponere nomen maiestatis, quod ipse deponebat; vt vtilissimâ nobis commutatione sumeret ex Virgine naturæ nostræ induuias, & nobis, eidem Virgini Dominæ nomen imponendo, quodammodò largiretur maiestatis suæ exuuias? Ita nobis conueniebat, Sodales, vt iudex assumeret nomina humanitatis, ne desperaret mens sibi conscia scelerum; & Aduocata nostra honoraretur titulis maiestatis, vt sperarenius exaudiendam ob tanti nominis reuerentiam. *Domina* eiam magnificentissimo nomine vocanda erat Maria, ne tantam, vnde conflata est, benignitatem, & misericordiam verteremus in contemptum: & dulcissimo Iesu nomine appellandus erat Redemptor, ne formidaremus diuinitatis auctoritatem, humanitate tamquam gladium vaginâ reconditum. Denique Maria, hoc est Domina, vocanda erat Deipara, vt memores redderemur ipso nomine tanti boni, quod ex mancipatu eius possumus recipere: nam si Nyssenus lib. de Vitâ Moysis dicit, *ad vnum finem in hac vitâ esse respiciendum, vt serui Dei nomen assequamur*; & paulò pòst, *Virtuosæ vitæ est, vt seruus Dei sis & vociteris*; addere licet, postquam Dominæ nomen datum est creaturæ, medium ad finem istum perueniendi facillimum & certissimum esse, si quis studeat serui ac mancipij Mariæ nomen gerere, & rem nomine significatam præstare.

CAPVT XV.

TERTIA ETYMOLOGIA

Nomen MARIÆ illuminatam & illuminatricem significat.

SI quæ foret maiestati vestis concinnanda, si quis thronus erigendus, si qua domus ædificanda; non aliunde quàm ex lumine & luce sumenda esset materia, ideò quia luce ipsâ nihil vel esse vel fingi potest lucidius. Quidquid autem sumpseris, infra dignitatem erit maiestatis, si quid reperiri possit quod magis splendeat. Hinc Daniel 2. cap. v. 22. conciliare volens diuinæ maiestati apud incredulum Regem auctoritatem, de Deo ait: *Nouit in tenebris constituta; & lux cum eo est.* & Apostolus 1. ad Timoth. 6. v. 16. *Lucem inhabitat inaccessibilem.* & Eccli 46 v. 18. vocatur absolutè Deus lucis. Rationem dedimus Capite superiore, cur nomen adeò plenum maiestate Virgini Deiparæ Deus imposuerit, vt significaret absolutum eius in creata omnia dominium: quia nimirum volebat eam creaturis omnibus vel nomine ipso esse venerabilem. Vide autem quàm sapienter, non spoliatam ornamentis suis proposuerit nominis Mariani maiestatem. Domina siquidem veste lucidâ erat circumamicienda, Dominæ thronus fulgentissimus constituendus, ac domus vndique diaphana & immensis rutilans splendoribus exædificanda. quæ omnia non solùm Virgini prouidit, sed etiam ita factum esse nomine ipso significauit amator eius liberalissimus: nam hæc omnia, illuminatrix, illuminans, illuminatrix mea, illuminans eos, illuminata,

nata, nomine MARIAE significari Patrum auctoritate suprà comprobauimus; nunc quàm ei conueniant, varijs discursibus illuminante nos ipsa MARIA, ostendemus. Et primùm quidem, quàm illuminata fuerit in se: deinde, quomodo illuminet alios quæremus, ordinem docente D. Thomâ Opusc. 8. vbi dicit: Conuenienter vocatur MARIA illuminata in se, & illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum; ideò assimilatur Soli & Lunæ. Illuminata fuit in se MARIA à Patre luminum, à quo descendit omne datum optimum, tot luminibus quot virtutibus. Vt ergo nemo illâ sanctior, ita nullus clarior. Illuminata fuit à Spiritu sancto, quando ipso conceptionis momento gratijs diuinis præuenta, & ipso sancto Spiritu repleta fuit. Illuminata denique à Dei Filio, vero Sole iustitiæ, quando eum totum in corde suscepit, & in ventre portauit. Quî enim poterat esse non illuminata, quæ fontem luminis totum susceperat? *Signum magnum*, inquit Euangelistarum aquila, *apparuit in cælo, mulier amicta sole.* dic amabo, Propheta Magne, dum hoc signum ingens miraris, quid potissimum admiraris? an mulierem, an solem illi circumdatum, an lunam scabellum pedibus substernentem, an diadema stellarum lucidissimum, an miram tot lucidissimorum planetarum & siderum in muliere exornandâ conspirationem? Infinita sunt in hoc signo significata, quæ singula possent iucundissimo stupore calamum detinere, & Lectorem suspendere. Verùm vnicum inuenio inter omnia mirabilia admirandum, quod clarè videbimus Euangelistam stupere, si ita textum distinguamus, vt dicat per exclamationem, *Signum magnum!* & hîc sistat conciliaturus attentionem. At quod, quæso, signum illud; quod tantâ præparatione indicas proponendum? *Apparuit*, inquit, *in cælo mulier amicta sole.* ac si diceret: Scis quid stupeam, quid mihi signi ac prodigij maximi loco sit? Cæli à terrâ distantiam cùm Astrologis metire, solis claritatem, lunæ nitorem, stellarum fulgorem contemplare: & vide, an non prodigij loco habiturus sis, quòd mihi in terra existenti mulier appareat in cælo amicta sole, stellis coronata, lunæ insistens. Quænam, Deus bone! quænam ista tantæ feminæ vnius claritas quæ inter tot luces non obscuretur? O quàm iucundo fulgore, dum sudum est cælum, noctis tenebras illustrant formosæ stellarum flammæ ex tantâ distantiæ immensitate lucentes! quàm aspectabili decore lunâ medijs earum choreis argenteum infert caput! Vbi tamen pater ille & fons lucis pleno vomit ore diem; fugit omnis illa pulchritudo, victa tam rutilanti mundi face, nec quidquam præter solem apparet: atque hic ipse propter spatium interiectum non maior tricubitali sphærâ, licet centum & sexaginta vicibus terræ magnitudinem ex suppatatione Astrologorum superet. Quis ergo non stupeat tantam in femina lucem, vt soli non tantùm propinqua, sed medijs eius radijs immersa, ac præterea coronata stellis, lunâ calceata, homini è terrâ in cælo appareat? Dubitarine potest an MARIA, hoc est illuminata, sit illa mulier quæ tantâ luce non obscuratur, quæ Dei ipsius vicinitate ac tanti solis splendore non vincitur, quo minùs appareat, & luceat, & tanto interuallo non occultetur? Vnde etiam colligere possumus, quantum Sanctis alijs plus lucis Virgo acceperit, quippe qui iuxta Virginem positi, videri à nobis in terrâ non possunt, maiore lumine victi. Quod indicat S. Petrus Damianus Serm. de Assumpt. Virginis: *In illâ*, inquit, *inaccessibili luce perlucès, sic vtrorumque spirituum, id est hominum & Angelorum, habetat dignitatem, vt in comparatione Virginis nec possint nec debeant apparere.* Nota proportionis inæqualitatem, & non miraberis exclamare Euangelistam, *Signum magnum!* Virgo ab illâ infinitâ & inaccessibili luce non obscuratur; Sancti coram ipsâ Virgine delitescunt. Nec mirum, cùm ipsa sit lux illa primigenia primo die creata, quæ diuisit lucem à tenebris; ex quâ Magister Sentent. in 2. dist. 13. formatum putat posteà fuisse corpus Solis, CHRISTVM scilicet Solem iustitiæ. de hac enim dicitur: *Et vidit Deus lucem quòd esset bona.* Sicut enim nemo bonus nisi solus Deus; sic nulla anima MA-

Illuminata fuit Mariaà SS. Trinitate.

Maria iuxta solem posita etiam appareat. Apoc. 12. v. 1.

Genes. 1. v. 4.

RIAE comparata inuenitur perfecta: nam ſicut ipſe eſt ſuper omnia Deus benedictus, ad Rom. 9. ſic Maria inter mulieres, id eſt ſuper omnes mulieres, benedicta. Aduerte autem apparatum creationem lucis iſtius præcedentem. Totâ æternitate ſiluerat Deus, iam accingebat ſe, vt, producendo effectus quoſdam extra ſe, cum creaturis quodammodò loqueretur: hæc ergo diuturna æternitatis ſilentia frangit voce plenâ myſterijs, & potentiſſimâ effectibus, *Fiat lux*. Vox digna tantâ exſpectatione, digna Deo, & creaturis mox prodituris in lucem gratiſſima: nam facta eſt lux, & diuiſæ fugatæque tenebræ, rebuſque color quidam & ordo datus, quæ ante à tenebris, tamquam infantiæ faſcijs, erant inuolutæ. Sic enim Iob loqui videtur cap. 38. v. 8. *Quis concluſit oſtijs mare, quando erumpebat quaſi de vuluâ procedens, cùm ponerem nubem veſtimentum eius, & caligine illud quaſi pannis infantiæ obuoluerem?* poſteà autem dicturus erat Propheta Regius: *Tempus faciendi, Domine, diſſipauerunt legem tuam*, Pſal. 118. v. 126. tamquam ſi diceret: ſemel tempus erat faciendi, Domine, quando tu ſecundùm decretorum tuorum ordinem creaturas nihiletatis caligini inuolutas producturus in lucem, hanc prius myſterioſo illo ac potenti verbo *Fiat lux* produxiſti: ecce iterùm tempus faciendi, Domine, quæcumque feceras in numero, pondere & menſurâ, optimiſque firmaueras legibus, fracta, diſſipata, & confuſioni inuoluta ſunt, vt ferè præſtaret non eſſe, quàm malè eſſe rebus quas tu feceras: diſſipauerunt enim prorſus legem tuam, quapropter rurſum tempus faciendi ac reficiendi quæ creaueras. Quid ergo primùm poſtquatuor millium annorum ſilentium, quibus vox illa refectiua mundi exſpectabatur, dixit Dominus? *Fiat lux*: fiat, inquit, MARIA tantâ lucis claritate amicta, vt etiam in illa inacceſſibili luce pelluceat. & dicit Virgini, *Dedi te in lucem Gentium*; fecitque eam de tenebris lucere ac ſplendeſcere, redditusque eſt ordo ac color creaturis, quem rebus nox atra abſtulerat, audiriique cœpit Eccleſiæ canticum,

Genes. 1. v. 3.

Prima reficiendarũ lucidiſſima Virgo Maria.

Iſaiæ 49. v. 5.

Rebuſq; iam color redit
Vultu nitentis ſideris;

acciniique Virgini genethliaci loco illud Prophetæ Dauidis, *Apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Cùm illuminatam in ſe, ſiue lucem dicamus Virginem, luxque ſit qualitas: idem de hac luce diſputari poſſet, quod de primigeniâ iſtâ luce quæritur, in quâ materiâ fuerit ſubiectata, an aëre, an verò in cæleſti aliquâ materiâ, quali veroſimile eſt ſolem ceteraque aſtra cõſtare. Et pro aëre dici poſſet, quòd, ſicut ille diaphanus dicitur, eò quòd proprietas eius ſit, luci non obſiſtere, ſed omnibus in partibus ſiue extimis ſiue profundis lucem capere; ſic MARIA nullam habuerit mentis aut corporis facultatem quæ non cæleſti lumine illuſtraretur, nullumque ab ipsâ conceptione momentum temporis fuerit, in quo non perſpicua & intus foriſque illuminata exiſteret. Aſpirate, Sodales, ad aërẽ hunc ſaluberrimum, cæleſti hac aurâ veſcimini; & crebrâ nominis eius ſanctiſſimi pronuntiatione per eam reſpirate, non ſolùm vt vitam conſeruetis, ſed etiam vt lumen à lumine eius accipiatis, viuatiſque vitâ quadam ſpirituali ac intellectuali, per rerum cæleſtium cognitionem ſupra terrena eleuati. Audite Idiotam iſtum, qui ſuum vel ideò occultauit, vt puriore affectu nomen Virginis ſanctiſſimum celebraret. Is lib. de Cant. Virg. c. 5. ſic habet: *Tanta eſt virtus tui ſanctiſſimi nominis, ô* MARIA, *quod mirabiliter mollit & penetrat duritiem cordis humani: ideò ſcribitur Prouerb. 20. Lucerna Domini ſpiraculum hominis, quæ inueſtigat omnia ſecreta mentis. ſic etiam dicere tibi poſſumus: Lucerna Dominæ, id eſt Mariæ, ſpiraculum hominis, quia peccator per te reſpirat in ſpe veniæ & gratiæ.* Si tamen lucem hanc in cæleſti potiùs ſubſtantiâ dicamus hærere, quòd tota cæleſtis ſit Virgo, habebimus ab alterâ Etymologiâ nominis, quâ *Stella maris* dicitur, quo ſententiam hanc roboremus. quod poſtmodum videbimus: nunc ad lucis effectus tranſeamus.

Pſal. 35. v. 10.

Maria totâ eſt diaphana.

CAP.

CAPVT XVI.

Proprietates lucis Virgini Deiparæ applicatæ.

POST Dei nomen nullum esse MARIAE nomine venerabilius (quia post Deum ipsum hac nemo est melior) iam credo sæpiùs inculcatũ: vtque hoc ipsum indicaret Deus, nomen Virgini indidit ab eâ qualitate, quâ nulla summi boni naturam refert accuratiùs. ideò S. Dionysius lib. de Diuinis nominibus cap. 4. §. 5. ait: *Dicendum, quod is qui bonus est* (qui vtique, vt antè demonstrauerat, solus est Deus) *lux intellectilis dicitur, quia omnem mentem supracælestem implet lumine intellectili.* & insignis interpres ac Commentator Dionysij Corderius subiungit: *Nota verò, rem nullam magis quàm lumen referre naturam boni: bonum quidem increatum refert*, vt suprà §. 4. dicit S. Dionysius, *quatenus tenuissimum quid illius boni in eò procul resonat*; vel, vt Græca habẽt, κατὰ πολλοστὸν ἀπήχημα τἀγαθοῦ, pulcherrimâ, & quâ meritò sibi S. Dionysius placet, comparatione: quod Latinè, sed obscuriùs, diceremus, *secundum multesimam* (hanc enim vocem ita Latine reddit Lucretius lib. 6. eâ ratione qua dicitur millesimum & centesimum) *boni extremam resonantiam.* Vt si quis, inquit S. Maximus, magnâ vociferatione aliquid dicat, qui adstant, benè clamorem & quod dictum est percipiunt; qui autem distant, minùs audiunt; qui verò longè sunt, tenuissimum sonum audiunt, sine significatione vocis: sic cogitandum, inquit, de lumine solis, si cum diuino conferatur, esse scilicet diuinum lumen infinitum, & conferri cum illo non posse, adinstar acutissimi clamoris & clarisonæ vocis cum tenuissimo & obscurissimo sono collatæ.

Lux creata est extrema resonantia increatæ.

Hæc præmittenda, vt virtus illuminandi, creata quidem, quæ est in Virgine, sed multis etiam modis supra omnem lucis corporalis claritatem eleuata, intelligatur, &, prout debet, magni fiat: vix enim, si conferas lucem corpoream, inuenies extremam resonantiam esse istius diuinæ lucis quæ est in Virgine, cuius nobis radios illuminando communicat. Ex Doctore igitur nostro Hierarchico aliquot lucis proprietates Virgini applicabimus, vt constet quàm iustè non tantùm illuminata, sed etiam illuminatrix dicatur. Ac in primis, lumen in genere sensibili purissimum eminentissimumque apparet, imò tantum est suprà omnem corporearum rerum dignitatem eleuatum, vt metitò medium quid inter spiritualia corporeaque dici possit: quippe cùm rebus corporeis communicat, quòd sensu capiatur; ita tamen spiritualia pulchrè refert, vt, nisi distinguatur subtiliter, facilè ex eorum numero esse existimes. Quid meliùs adumbrare posset Virginem ac Dominam nostram, quæ inter Deum & creaturas ita media est, vt, cùm creaturam esse fide doceamur, omnia tamen in eâ aduertamus ita diuinitatem imitantia, ipsamque ita luci inaccessibili immensam, vt magister noster subtilissimus pænè cæcutierit, parumque abfuerit, quin aliquid diuinitatis ei inesse arbitraretur. Secundò, lumen facillimè omnium; & amplissimè momentoque dilatatur. qui hoc videre amat in Virgine, vel legat ea quæ alibi de modo eius intercedendi pro omnibus dixi; vel cogitet quàm promptè omnibus inuocãtibus se præstò sit, vt non sit qui se abscondat à calore eius; ita vt sæpè citiùs auxiliũ veniat à Dominâ, quàm plenè fuerit inuocata: luminis vtique tam prompta est diffusio, vt antè domum intrauerit, quàm fenestra omnino fuerit aperta. Tertiò, lumen innoxium occurrit omnibus, atque penetrat, & leniissimum atque blandissimum est: an non describi videtur ipsa MARIAE indoles, quæ nocendi vi carens omnibus salutaris occurrit, & penetrat leniissimè blandissimeque, vel supra naturam lucis, lapidea atque opaca corda peccatoris? Quartò, calorem

Lux est quid medium inter corpora & spiritus.

Momento amplissimè dilatatur.

Innoxiè penetrat etiam durissima.

ginare

Calorem habet fouentem omnia:

secum fert almum, omnia fouentem & generantem atque mouentem. imaginare tibi quis mundus fuerit, antequam aurora nostra suos vibraret radios: quàm emortua, quàm ægra omnia: quàm rarus in eo virtutis sectator, quàm pauci qui vitam viuerent spiritualem. Rursùm post eius aduentum eumdem contemplare, quàm blandè foueret in vno suo naturali innumeros adoptionis filios; quomodo animus vitaque reddita languidis, spes desperatis, gratia peccatoribus, cœperintque omnes calore hoc è languore excitati, sentire vitæ suæ & virtutis gratiæque bonum. Quintò, lux dum adest inestque cunctis, à nullo inficitur, nulli miscetur: imago scilicet istius puritatis, quæ in mundo conuersata nihil mundani pulueris contraxit, quæ per vitæ nostræ introitum, turpissimis primigenij peccati reliquiis conspurcatum, mũdissima ad essentiæ vitæq; limina processit; quæ peccatoribus semper addita & addicta, nihil ab ijs labis accepit: quæ denique mater effectaest, nec in viâ ista inquinatissimâ virginitatis suæ splendorem infecit, sed intendit. Sextò, lumen est inæstimabile atque ineffabile: hoc enim nullus adhuc Philosophorum definiuit; ita vt, cùm nihil lumine clarius sit, nihil tamen videatur obscurius. Et quis Virginis Deiparæ dignitatem æstimabit, quis virtutibus eius pretium ponet, quis gratias, dona cælestia, prærogatiuas enumerabit? nihil in eâ est quod definiri possit, quæ incomprehensibilem & infinitum angustis corporis sui terminis circumscripsit. Vel ipsum nomen eius prorsus est ineffabile & inæstimabile, vt non tantum ex nostrâ patet infantiâ, sed ex tot Patrum sanctorum eloquentiâ; qui vno ore fatentur, nihil adferri posse eius dignum maiestate. Septima denique & optima proditur à S. Dionysio luminis conditio, his verbis de sole agente: *Omnia quæ eum participare possunt illustrat; &, si quid eum non participat, non est in causâ imbecillitas aut tenuitas facultatis illuminandi, sed potiùs rem ipsam non esse expeditam ad participationem luminis quia non sit idonea ad admittendum illud.* Quibus optimè explicatur sinus ille bonitatis & misericordiæ, quem Virgo semper haet explicatum: dicit enim cum Filio Apoc. 3. v. 20. *Si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum.* & Cãt. 2. v. 9. *Respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* (quemadmodum lumen vigilat ante fenestras, vt vel minimâ apertâ rimulâ ingrediatur) *præoccupat* eos *qui se concupiscunt, vt illis se prior ostendat*, Sap. 6. v. 14. Quòd autem opaca non penetret, facit corporum ineptitudo, non luminis ad penetrandum impotentia: nam cùm peruadat crystallum penetratu difficillimum, ad folij lanæque hæret mollitiem, quia hæc lumini ex se repugnant. O si non esset in mente nostrâ pertinaciæ opacitas, quàm citò cælesti lumine Virgo eam totam collustraret! lux enim eius vel in tenebris animæ lucet, sed tenebræ eam non comprehendunt. Aperiamus vel exiguam ei rimam, & diffundet lumen suum in cordibus nostris. *Quasi modica rima est*, inquit Richar. à S. Laur. lib. 7. de Laud. Virgin. *aliquoties eam deuotè salutare, pro amore eius lubenter eleëmosynam dare, Missam suam deuotè auscultare, vel sermonem de eâ; blasphemantes eam vel iurantes acerrimè redarguere, eius magnalia firmiter credere, tutelæ ipsius se se commendare, & huiusmodi.* ibat autem, vt patet, ferè omnes Regulas & obsequij nostri pias exercitationes enumeratum, per quas, tamquam per rimas, admittendum est hoc Virginis lumen. Est quòd hic Sodalibus reuelem magnum, ex eo quòd admissi sunt, mysterium. an non animaduertere est lumen à corpore lumino so sic vniformiter difformiter propagari, vt viciniora semper, nisi obstet peculiaris in illis incapacitas, plus illuminentur? in signum & spem certam, quòd Virgo luminis sui abundantiam primò communicabit domesticis sibi vicinioribus. Scriptura id indicat, & res acta, quid porrò sperandum sit, declarat. Benedicens filijs suis magnus Patriarcha Iacob ait: *Zabulon in littore maris habitabit*, Genes. 49. vers. 13. & Deuter. 33. v. 19. de eodem: *Innundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.* Hæc figura erat, agens ex vicinitate maris de temporali felicitate

A sordidis non inficitur.

Definiri non potest.

Est sui communicatiua.

Lux viciniora prius magisque illuminat, nisi quid obstet.

felicitate & diuitijs Zabulonis. quam moralizauit & ad spiritualia traduxit verus, nisi futura loqueretur, Euangelista Isaias cap.9.v.1.vbi ait: *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali; nouissimo aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ Gentium. Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam; habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* Hæc Prophetia est, quàm explicat & veram ostendit subsequens euentus: nam terra Zabulon in primis Dominicæ incarnationis doctrinam accepit; ex eâ namque Apostoli vocati, vt lucem ortam susciperent ipsi, & mundo communicarent. Cur autem lucem primò accepit Zabulon, dicit S. Ambrosius in Psal.1. *Regio Zabulon, populus qui ambulabat in tenebris, lucem vidit magnam*, & post pauca: *Et quasi requirenti tibi vnde tantus splendor, & tanta gratia sit*; respondet: *Quoniam puer natus est nobis; puer qui ortus ex Virgine est.* Circà mare, hoc est MARIAM (mare enim nomen eius significare iam diximus, & infrà explicabimus) erat Zabulon: MARIA autem lux est, quæ lumen effudit, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Quid mirum, si primò lucem accipiat Zabulon MARIAE vicinus? erat iuxta puerperium Virgineum: quid mirum si primus inaccessæ lucis radios intromittat, quòd obstrusissima diuinitatis secreta iam patefacta sentiat? Nemo vicinior Virgini Deiparæ fuit Euangelistà Ioanne, qui ex illà horâ qua audiuerat, *Ecce mater tua; accepit eam in sua*; nec vllus clariore rerum cælestium lumine fuit illustratus. Causam dat Guerricus Abbas Serm. de Assumpt. *Quia fidelis probatus est Ioannes in obsequio incorruptæ Matris, mysteria quoque diuinitatis & arcana Verbi incorruptibilis sibi credi promeruit.* Notanda sunt verba, *Quia fidelis in obsequio incorruptæ Matris*; vt spem intendant Virginis Sodales, obsequiis eiusdem incorruptæ Dei Genitricis mancipati, sciantque maiora sibi rerum cælestium lumina ab hac eius vicinitate & obsequio communicanda.

Ioan. 19. v. 27.

CAPVT XVII.

Aliæ lucis proprietates B. MARIAE Virgini applicatæ.

VLTRA triginta lucis proprietates, quas adfert S. Dionysius lib. de Diuin. nominib. c. 4. & l. de Cælesti Hierarchia cap. 1 & quarum præcip. as Capite superiore attigimus, & Virgini applicuimus; hic rursum tum ex illo, tùm ex alijs promiscuè quasdam adferemus, vt vndique pellucentem & rutilantem Virginem Deiparam cognoscamus. Est tamen quod doctrinæ claritatis causâ ex D. Thomâ præmittamus: disputat enim is 1.p. q.67. art. 1. vtrum lux, propriè in spiritualibus dicatur; in corp. respondet, quòd de aliquo nomine dupliciter conuenit loqui, scilicet primo modo secundùm primam eius impositionem, alio modo secundum vsum nominis: sicut patet in nomine visionis, quod primò impositum est ad significandum actum sensûs visus; sed propter dignitatem & certitudinem huius sensus extensum est hoc nomen, secundum vsum loquentium, ad omnem cognitionem aliorum sensuum, & vlterius etiam ad cognitionem intellectus, iuxta illud, *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et similiter dicendum est de nomine lucis: nam primò quidem est institutum, ad significandum id quod facit manifestationem in sensu visûs: postmodum autem extensum, ad significandum omne illud quod facit manifestationem secundum quamcumque cognitionem. Si ergo accipiatur nomen luminis secundum suam primam impositionem, metaphoricè in spiritualibus dicitur, vt S. Ambrosius ait; si autem accipiatur secundùm quod est in vsu loquentium ad omnem manifestationem extensum, sic propriè in spiritualibus. Ex hac prænotatione &

An lux in spiritualibus propriè dicatur.

Matth. 5. v. 8.

dicta lucem accipiunt, & dicenda illustrabuntur. Iam pergo ad lucis luminisque proprietates, vt eas Virgini conuenire ostendam. Et primò videre est in ipsâ claritatis diffusione magnum maternæ virginitatis mysterium: diffundit enim se lumen sine vllâ sui imminutione, sine labore, sine contrariantis repugnantiâ, in instanti; nec citiùs corpus illuminosum illuminatur quàm illuminet. Quàm accuratè depicta diuinæ incarnationis & maternæ virginitatis imago! nec enim magis quàm crystallus mundissima solaris radij susceptione, corrupta fuit Virginis integritas Filij Dei conceptione, quem sine labore portauit, sine dolore peperit: non habuit in se peccati, non voluntatis inobedientis repugnantiam; imò nec obstitit productioni instantaneæ materiæ in corpus diuinum formandæ tarditas, quandoquidem instanti temporis perfectâ organizatione femina virum circumdedit; neque citiùs illuminata erat tam diuino radio, quàm eundem in vicinos, in Baptistam, in mundum vniuersum spargeret. *Effudit illam* (lucem quam susceperat) *super omnia opera sua, & super omnem carnem*, Eccli. 1. v. 10. Aliam lucis qualitatem subindicat Propheta Iob. 12. v. 22. *Reuelat profunda de tenebris & producit in lucem vmbram mortis.* ipsi enim peccatores, qui procul à luce æternâ in barathrum nequitiarum recesserant, & facti erant sibi vmbra mortis, nec videbantur â Deo in bonum, nec ipsi eum vllâ ratione conspiciebant; per lucem misericordiæ MARIANAE de tenebris eruuntur, & statuuntur ante faciem Filij eius, vt oculis paternis ac misericordiam spirantibus illos intueatur, ac veniam concedat omnium scelerum ipsorum, sintque posthac non vmbra mortis, sed filij lucis. Vtilis etiam est ista lucis conditio, quòd radio suo rimas ac foramina domus patefaciat. Quàm autem certa est index defectuum lux MARIANA? vix se quisquam sincero animo mancipatui eius addixit, qui non statim videat, quot rimis & foraminibus cor suum pateat, per quæ accipiens paulatim inimicum imbrem, per occulta vitiorum stillicidia tandem ruiturus erat, vt ædificium paulatim per occulta vitia exesum. Est ergo lux MARIANA reuelans vestigia occultorum, rogemus eam, vt nobis immittat penetrantem omnia radium diuini timoris, quo possimus scrutari omnia vitia nostra: nam *qui timet Deum, conuertetur ad cor suum*, Eccli. 21. v. 7. concluseque totâ cogitatione intus, & sensuum occlusis fenestris, videbit, luce MARIANA reuelante, quot hiet vndique scissuris ac foraminibus. Lux grata est oculis sanis; Eccle. 11. v. 5. *Dulce lumen, & delectabile est oculis videre solem*; at lippientibus & ægris maxime inuisa. Sanctus Augustinus ait: *Palato non sano pœna est panis, qui sano est suauis; & oculis ægris odiosa est lux, quæ puris est amabilis.* Lippientibus oculis sunt Pagani, Iudæi, hæretici, blasphemi; atque ideò nihil ægrius illis accidit fulgentissimo solis MARIANI radio: nam qui malè agit, odit lucem, etiam hanc quæ statim reuelat defectus & vitia: vnde & ipsi cum superioribus sunt *rebelles lumini*, Iob. 24. v. 13. Verùm *inimicos eius persequentur tenebræ*, Nahum 1. v. 8. cadentque ex hac ægritudine in cæcitatem, & tandem proijcientur in tenebras exteriores. Solis lux vtrumq; illuminat hemisphætium, & MARIA Virgo vtramque collustrat Ecclesiam: dicit enim Eccl. 24. v. 45. *Illuminabo omnes sperantes in Domino.* In arcâ Noë, quæ militantem Ecclesiam significat, fenestra erat vna crystallina, per quam omne lumen accipiebat: in Ecclesiâ vnica est MARIA, per quam transire debent omnes diuinæ bonitatis radij, quibus collustrantur. De triumphante verò Ecclesiâ ipsa dicit Eccli. 24. v. 6. *Ego feci in cælis vt oriretur lumen indeficiens. Ciuitas* enim illa *non eget sole neque lunâ, vt luceant in eâ; nam claritas Dei illuminauit eam, & lucerna eius est Agnus*, à MARIA scilicet natus; & *ambulabunt gentes in lumine eius*, Apocal. 21. vers. 23. & 24.

Non est finis proprietatum lucis, & multò etiam minùs laudum Mariæ, quæ iure optimo vocatur illuminatrix, vel

Lucis diffusio multifariam partum Virginis adumbrat.

Lux gratæ oculis sanis, ingrata vitiosis.

Lux eruit de tenebris, & Virgo à peccatis.

Lux vtrũque illustrat hemisphærium, Maria vtramque Ecclesiam.

Vitia & rimas domus lux manifestat, Maria conscientiæ.

vel illuminans eos: quòd, quidquid est in luce laudabile, ipsa multò eminentiore ratione contineat: ipsa enim docuit & illuminauit Apostolos, qui dati erant in lucem gentium; & quotidie immittit cordibus salutiferas faces. Colligat ergo ex Scripturâ, si cui supereſt ad hanc pietatem otium, omnia de luce & lumine vocabula, eaque MARIAE sic applicet, vt nomen eius in nomina omnia istâ diffundat, intelligendo ea antonomasticè de Virgine, cum articulo arctante communem appellationem ad propriam & singularem MARIAE personam: qui licet Latino sermone non exprimatur, potest tamen etiam Latinè loquenti vis ista quæ Græco ineſt articulo, succurrere. Cùm ergo dicimus *Aue* MARIA, dicit piissimus auctor Richardus à Sancto Laurentio, debemus humiliari coram eâ, tamquam serui coram Dominâ; debemus etiam de peccatis contineri, reducentes ad memoriam ipsius & Filij passionem, cui peccatis nostris dedimus causam; debemus etiam memorare, inter quæ versemur pericula; & tenebras ignorantiæ nostræ; vt sic corde contrito & humiliato, quod nec ipsa nec Filius eius despicit, impetremus ab eâ lumen gratiæ, & ducatum inter pericula.

CAPVT XVIII.

Non tantùm Virgo Deipara, sed etiam nomen eius, lux est & lumen.

CANIT in officio de sanctissimo nomine Virginis MARIAE Ecclesia: MARIAE *nomen cunctas illustrat Ecclesias, cui fecit magna qui potens est, & sanctum Nomen eius.* Quæ verba non sinunt me acquiescere in istâ nominis MARIANI interpretatione, quâ dicitur illuminatrix aut illuminans, quòd ipsa, quæ nomine hoc significatur, sit lux, lumen & illuminatrix; sed præterea inquirere cogunt & explicare, quomodo ipsum nomen sit lux & lumen. Si enim non ipsa solùm Virgo, sed nomen etiam eius illustrat Ecclesias, necesse est vt & ipsum lux sit, aut corpus luminosum. Ad quem discursum viam sternet locus S. Bernardi pulcherrimus in Cantic. Serm. 15. vbi ait: *Vnde putas in toto orbe tanta & tam subita fidei lux; nisi de prædicato* IESV? *nonne in huius nominis luce Deus nos vocauit in admirabile lumen suum? quibus illuminatis, & in lumine isto videntibus lumen, dicat meritò Paulus: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Hoc denique nomen coram Regibus & Gentibus & filijs Israel portare iussus est idem Apostolus: & portebat nomen tamquam lumen, & illuminabat patriam, & clamabat vbique; Nox præcessit, dies autem appropinquauit: abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die honestè ambulemus. & monstrabat omnibus lucernam super candelabrum, annuntians omni loco* IESVM, *& hunc crucifixum: Quomodo lux ista resplenduit & perstrinxit cunctorum intuentium oculos, quando de ore Petri tamquam fulgur egrediens, claudi vnius corporales plan-*

Nomen IESV lux est.

Rom. 13. v. 12.

tas solidauit & bases, multosq. spiritualiter cæcos illuminauit? numquid non ignem sparsit, cùm ait; Act. 3. v. 6. *In nomine* IESV CHRISTI *Nazareni surge, & ambula? Nec tantùm lux est nomen* IESV, *sed est & cibus*, &c. Hactenus S. Bernardus: quo discursu affirmat & probat IESV nomen esse lucem. Nota autem, prudenter Ecclesiam, quando de Virginis sanctissimo nomine idem affirmat, nominis Dei & IESV meminisse, dicendo, MARIAE *nomen cunctas illustrat Ecclesias, cui fecit magna qui potens est, & sanctum nomen eius.* vt ostendat, quâ fiduciâ audeat affirmare de nomine Matris, quod sine vllâ dubitatione dicitur de Filij nomine quòd scilicet non solùm sit nomen sancti, sed & ipsum sit sanctum, fulgeatque ac luceat sanctitatis radijs per vniuersum orbem. Nomina non possunt esse magna, nisi magnus sit qui iis nominatur: Virgo maxima est, quia magna ei fecit qui potens est quidquid vult efficere. *Et sanctum*, inquit, *nomen eius*. qui tanta fecit Virgini, ne dubites affirmare idem de nomine, cui, quanta potuit, fecit is cui nihil est impossibile. Quâ ergo proportione B. MARIAE Virginis splendorem & lucem solemus Filij eius claritati comparare; eâdem debemus de vtriusque nominis luce philosophari. atqui certum est, vel ex ipso Lactantio, IESV CHRISTI nomen iisdem nitere radijs quibus Christus ipse fulgebat. quin igitur de nomine B. MARIAE Virginis arffirmemus, non tantum nomen esse lucidissimi solis & lunæ, sed ipsum lucem habere, quæ cum iisdem sideribus possit contendere? Producenda sunt Lactantij verba, ne gratis tantam nomini laudem tribuete videamur: *Sicut Christus*, inquit lib. 4. c. 27. *cùm inter homines ageret, & vniuersos dæmones verbo fugabat; hominumque mentes emotas, & malis incursibus furiatas, in sensus pristinos reponebat; ita nũc sectatores eius eosdem spiritus inquinatos, de hominibus & nomine Magistri sui, & signo passionis excludunt.* Vides tenebras & tenebriones infernales tam facilè luce nominis fugari, quàm ab ipsomet sole Christo pellebantur. Idem de MARIANI nominis splendore, confirmatus Ecclesiæ auctoritate, affirmare, ne dubita. Obijcis: Nomen rem vel ut vmbra corpus sequitur; quomodo ergo lucem vocari vis, quod verè vmbra nominatur? Multa sunt in corpore & vmbrâ, quæ rei & nomini accommodari possunt; ita vt non sit necessariò huic sensui insistendum, quòd nomen obscuriùs quàm res ipsa luceat. Verùm cum nihil lucem faciat aspectabiliorem quàm posita iuxta eam vmbra; negare nolo, Virginis claritatem à nominis vmbrâ quodammodò intendi: idem tamen contendo, vmbram hanc qualibet aliâ luce esse splendidiorem: nam vmbram lucem esse tum Philosophia fatetur, tum experientia docet. quî enim fulgente sole residens sub vmbrâ videretur, si lucem omnem vmbra excluderet? Iam facile est colligere, ex eo quòd vmbra meridie lunaribus radiis sit fulgentior, quomodo consistat; tantùm vmbram Virginis esse nomen MARIAE, & simul idem esse quolibet alio lumine splendidius: tam enim artificiosè eam Spiritus sanctus hac nominis sui vmbrâ sepsit, vt, cùm lucem eius directè intueri non possimus, ad hunc nominis temperatum splendorem exerceremur. quod iam aliquot symbolis, quibus lucidissimum hoc nomen comparatur, est faciendum. dicit Genes. 9. v. 13. Dominus: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram.* ne dubium relinqueret, quid arcu isto significaret, tam diserte meminit fœderis inter se & terram, eius scilicet quod pepigit, dum, misericordiæ suæ recordatus, deleuit chirographum mortis, & regenerauit nos in spem filiorum Dei. Cuius vix habemus memoratiuum signum nobilius quàm nomen hoc sanctissimum Virginis: quod multiplici sui interpretatione non tantùm exprimit Deiparæ magnitudinem, sed etiam Dei erga nos misericordiam, atque in memoriam reducit diuinam incarnationem; indubitata certitudine promittens, quòd nemo periturus sit inundanti peccatorum diluuio, qui salutare hoc signũ nominis MARIANI deuotè aspexerit.

Quamuis nomen sit vmbra rei non tamen desinit esse lux.

Mariæ nomen est arcus cælis.

xerit. Varia de arcu hoc dicuntur. *At illud*, inquit Seneca lib. 1. Nat. quæst. cap. 3. *esse dubium nulli potest, quin arcus imago solis sit, roscidâ & cauâ nube concepta*. Ex Aristotele 1. Peri herm. cap. 1. docuimus, quòd nomen sit repræsentatio & imago rei nominatæ. Solem esse Mariam, nisi luce solis esset clarius, probarem, dicente Ecclesiastico 26. v. 21. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei; sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.* Clarè ergo sequitur, nomen Mariæ esse iridem seu arcum cælestem solem referentem, præsertim cùm laudes, quæ ab Ecclesiastico iridi tribuuntur, nomini Mariano sunt propriæ. *Vide*, inquit cap. 43. v. 12. *arcum & benedic eum qui fecit illum; valdè speciosus est in splendore suo. Gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ, manus Excelsi aperuerunt illum.* Varia meteori tam admirabilis laus. *Valdè speciosus est*, inquit, *in splendore suo*: nam

Æneid. 5. *Mille trahit varios aduerso sole colores.*

vnde eum vocat idem Poëta *cæli decus.* Colores tot in Mariæ nomine habemus, quot virtutum proprietatumque eius pollet interpretationibus: qui omnes ab ipso sole trahuntur, quia re ipsâ Virgini conueniunt; vnde nomen valdè speciosum est in splendore suo, quem tamen à Virgine accepit. Subdit: *Gyrauit cælum in circuitu gloriæ suæ*; id est, ambiuit & cinxit cælum per circuitum gloriæ suæ, quod Vatablus vertit: *Gloriosâ curuaturâ suâ cælum succingit circulo.* Si nomini applicas Mariano, videbis, quàm glorioso ambitu impleat vtrumque hemisphærium, cingatque orbem vniuersum gloriâ suâ. Dicit tandem: *Manus Excelsi aperuerunt illum.* vel alludens ad magnitudinem: nam Græcè est ἐτάνυσαν, hoc est, extenderunt; vel ad eam laudem, quòd tam admirabile opus non ab hominibus aut Angelis inuentum, sed à Deo ipso excogitatum sit atque perfectum: vti de nomine Virginis probauimus, quòd illud os Domini nominauit, & non sit hominum vel Angelorum impositio. Frustrà per alias iridis laudes discurremus, vt eas in Mariæ sanctissimo atque admirabili nomine reperiamus; cùm ea, quam primo loco attulimus, omnium sit gratissima & maxima, quòd scilicet nomen hoc sicut iris sit signum diuinæ clementiæ & misericordiæ. quapropter iucundum erit ex SS. Patribus aliisque auctoribus iridis encomia colligere, vt inde suaues nominis Mariani Litanias conficiamus. nam à S. Chrysostomo nuncupatur, *Dei hominibus reconciliati chirographum*: ab Hieronymo, *superna clementiæ simulacrum: cælestium induciarum pignus*, à Damasceno: ab Augustino, *diuinæ amicitiæ tessera: sempiterni fœderis obses*, à Bernardo: ab Ambrosio, *inuiolabilis virtutis Dei & multiformis gratiæ specimen: cælestis benignitatis typus*, à Cypriano: à Gregorio, *sancti Spiritus ideæ: beneuolentissimi numinis testimonium*, à Nazianzeno: à Basilio, *pacis sequestra*: à Bedâ, *diuinæ propitiationis symbolum*: ab Anaxagora, *serenitatis præludium*: *Thaumantis* siue *admirationis filia*, à Platone: *diuini splendoris imago*, à Pythagora: *multifarium lucis decus*, à Philone: à Macrobio, *benignissimum cæli prodigium: astrorum lingua*, ab Homero: *cæli decus*, à Virgilio: ab alijs denique, *diuina quædam astrologa, Superûm legata, felicitatis index, tranquillitatis præco, lætitiæ præambulatrix.* Dicam etiam quibus à moderno Poëta elogijs celebretur, vt excitentur ad similia de nomine Mariano excogitanda aliquorum ingenia: Varia iridis encomia.

Illustrissima lucis pupula, aëris alumna,
Edita patre sole, patriâ cælo,
Prodiga luminis, nuntia numinis.
Legata serenitatis, præsaga felicitatis,
Obses fœderis, hospes ætheris, ciuis sideris,
Pacis pincerna, naturæ lucerna,
Diei spectaculum, Dei miraculum,
Cælorum progenies, colorum congeries,
Mille luminibus irradiata facies, variata maculis,
Calorum imperatrix, eademque temperatrix,
Illustri parente illustrior soboles.

Vtinam concertent Poëtarum ingenia, vt iridem nostram, nomen sanctissimum Mariæ, tot versibus celebrent, quot ipsum pollet ad iuuandum re-

ereandumque mortales virtutibus! Ex occasione iridis hîc moneo, vt sæpiùs versetur nobis in ore sanctissimum hoc nomen, quod est imago Mariæ; vt ex sæpiùs pronuntiato hoc vocabulo multiplex consurgat imago, ex eaque arcus ille admirabilis, qui orbem vniuersum cingit, Virginis gloria: nam *quidam existimant arcum ita fieri*, ait Seneca lib. 1. Nat. quæst. cap. 3. *dicunt in ea parte in quâ pluit, singula stillicidia pluuiæ cadentis singula specula esse, à singulis ergo imaginem reddi solis; deinde multas imagines, imò innumerabiles, & deuexas, & in præceps transeuntes confundi, itaq; & arcum esse multarum imaginum solis confusionem.* ego verò existimo, ex frequenti atque à multis factâ reuerenti nominis Mariæ pronuntiatione; cùm in singulis imago Virginis reluceat, arcum quemdam confici, qui vtramque Ecclesiam glorioso cingat baltheo; atque hoc esse quod canit ipsamet Ecclesia: *Mariæ nomen cunctas illustrat Ecclesias.*

CAPVT XIX.

Speculum & parelion est nomen Virginis.

E speculis, inquit Seneca lib. 1. Nat. quæst. cap. 5. *duæ opiniones sunt: alij enim in his simulacra cerni putant, id est, corporum nostrorum figuras, à nostris corporibus emissas ac separatas: alij imagines aiunt non esse in speculo, sed ipsa adspici corpora, retortâ oculorum acie, & in se rursus reflexâ.* hæc ille, pulcherrimo explicans symbolo duplicem Theologorum sententiam quæ circa nominis Mariani honorem statuitur. Alij enim in ipso quasi simulacrum dignitatis Virgineæ esse contendunt, atque ob eam rem nomen in se aliquo, sed inferiore quàm Virgo, honore colendum esse dicunt: alij dignitatem aiunt non esse vllam in nomine, sed ipsam in nomine coli Virginem, acie mentis occasione nominis in eam directâ. Quid horum verosimilius videatur nihil hîc attinet statuere. sufficit tam aptè speculi naturam referre nomen Mariæ, vt quæ subtiliter de illo dubitantur, etiam circa hoc vocentur in controuersiam: vt verè ei conueniat, quòd sit speculum sine maculâ; nec tantùm hoc, sed speculum vndique luce circumfusum, vndique illuminatum & illuminans, vtpote semper soli suo oppositum, quem numquam non referat, ac referendo mundum collustret. Speculum dicebam prorsus sine maculâ, quia nullius infamiæ fuit vmquam conspersum labeculâ, vnde reddit imaginem eodem splendore quo eam accepit, nullâ ratione detortam vel obscuratam; hincque fit, vt sæpè tam celeriter dæmon fugiat, mens illustretur, ac gratijs cælestibus dotetur, nominatâ Virgine, quàm eâdem conspectâ. Certè, ex mente eorum Theologorum qui negant diuersâ adoratione imaginem siue nomen à re adumbratâ seu nominatâ posse adorari; necesse est mens non secùs afficiatur audito nomine, ac conspectâ Virgine, maximè in sententia eorum qui putant, non secùs in nomine & imagine rem animo adorari, ac Philosophi, de quibus suprà, existimant, in speculo non simulacrum rei, sed rem ipsam oculis conspici. Quòd si vlteriùs nomen Virginis cum speculo conferre lubet, inuenies, speculum ab arte habere, quòd solem referat, &, quòd hoc vel illo gradu perfectionis referat; at positâ ab arte figura & politione, ceterisque ad referendum necessarijs, iam naturaliter, quotiescumque soli opponitur, eum repræsentat: ita venerandum Mariæ nomen ab arte seu institutione habet, quòd Deiparam repræsentet; sed, positâ intellectâque institutione, iam naturaliter offert intellectui totam, quam ipse formare solet, Deiparæ maiestatem. Præterea, non est negligenda ea matronarum curiositas, quæ specula de cingulo dependunt ad ornatum, & multiplicem ac frequentem vsum; vt doceantur Sodales Virginis curiosiores, scriptum in charta, vel effigiatum in annulo, vel alio quocumque

Virginis nomen est speculum.

que modo expressum Mariæ nomen circumferre, in eoque, tamquam in speculo, vitam suam recognoscere: ipsum enim offert totam Marianæ virtutis congeriem, ex qua facilè quis colligat, quid sibi desit, quid distortum sit, quid abundet. Nam Virginis nomen se habet ad ipsam Virginem, non secùs ac meteora quædam quæ parelia vocantur, ad solem. de ijs Seneca lib. 1. Natural. quæst. cap. 11. *Aliud quoque virgarum genus apparet, cùm radij per angusta foramina nubium tenues, intenti distanteſque inter se dirigun-tur; & ipsi signa imbrium sunt. Quomodo nunc me hoc loco geram? quid eas vocem? imaginem solis? Historici soles vocant, & binos ternosq; apparuisse memoriæ tradunt: Græci parelia appellant, quia in propinquo ferè à sole visuntur, aut quia accedunt ad aliquam similitudinem solis.* Parelion, inquam, Dominæ nostræ, quæ vtique electa vt sol, est nomen Marianum; tum quòd eam tam perfectè referat, vt, cùm nihil minus sit quàm Virgo, omnem tamen virtutem, bonitatem, clementiam & maiestatem Virginis exhibeat; tum quòd difficile sit distinguere, quid sit quod venereris, dum Mariam nominari audis, an nomen, an rem: vti difficile, aiebat Seneca, est statuere quomodo soles istos apparentes appelles, aut à sole vero distinguas. Adde, quòd parelia nihil sint, nihil lucis habeant, nisi à sole essentiam & splendorem suum accipiant: ita nomen Virginis ter venerandum cùm ita fulgeat, vt omnes illustret Ecclesias; nihil tamen habet dignitatis aut venerabilitatis, nihil lucis aut virtutis, quod non sit à Virgine. Verè igitur dici potest nomen hoc parelion, quia verè sol dici potest ea quæ refert solem; quia *electa vt sol*, Cant 6. v. 9. Sol, quia Pater ipse testatur Psal. 88. v. 38. dicens Filio suo: *Thronus eius*, id est beata Virgo (vt doctissimè ostendit Spinellus scripto de hoc pientissimo volumine) *sicut sol in conspectu meo.* Sol, quia Eccli. 26. v. 21. dicitur: *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei; sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.* Sol denique, propter multiplicem eius cum sole similitudinem.

Cur parelion dicatur nomen Mariæ.

Diua Virgo sol est.

Nam si sol ille pater luminum ita dicatur, quòd solus mundo sufficiens, parem nullum agnoscat; beata Virgo, vt Sedulius canit,

Nec primam similem visa est, nec habere sequentem;

& sola post Deum sufficit ad illuminandum orbem. Vnde S. Bernardus: *Tolle Mariam, quid restat nisi tenebræ?* Quæ sit solis huius vtilitas, claritas, calor, aliæque proprietates, vide apud Richardum à S. Laurentio lib. 7. de Laud. B. Mariæ, qui fusè id tractat: ego hîc tamquam non solùm ab illo, sed & à Scripturâ Patribusque satis probatum suppono, solem esse & dici posse Mariam. vt verè affirmare liceat, nomen Mariæ perfectissimum esse parelion: quod, tamquam salutiferum meteorum resplendens in cælo, multa nobis præsagit bona: est enim signum imbrium cælestium gratiarum, quæ affatim defluunt in animum eius quem parelion hoc collustrarit. semper enim, vt inquit Seneca, in propinquo ferè à sole visitur; nusquam autem sol Marianus propinquat, vbi non producit admirabiliter clementissimi sideris sui effectus. Quamquam vel ipsum parelion sufficit ad eosdem effectus: in eo enim superat meteorum istud virgarum, cui nomen comparamus, quòd ipsum radij eius non totum solùm imitantur, sed & imaginem eius figuramque ceterùm nihil habent ardoris, hebetes ac languidi; at parelion nostrum ijsdem pollet virtutibus quibus sol ipse quem refert: non enim figuram eius tantùm refert, sed totam eius defert bonitatem, virtutem & potentiam. Suprà id testatus est Lactantius in Iesu nomine; de nomine autem Mariæ hîc audiendus ille Idiota, qui vt Virginis celebraret nomen, suum subticuit. *Nomen Virginis*, inquit, *tantæ virtutis & excellentiæ est, vt ad eius invocationem cælum rideat, terra lætetur, Angeli congaudeant, dæmones contremiscant, & infernus conturbetur. Tanta est virtus tui sacratissimi nominis, ô semper benedicta Virgo Maria, quod mirabiliter emollit & penetrat duritiem cordis humani.* Ita ipse lib. de Contempl. Virg. cap. 5. maiorem omnino dicens commotionem & alterationem

Serm. de Natiuitate Virg.

tionem totius vniuersi oriri ad inuocationem nominis Mariæ, quàm fiat orto sole in eo quod colluſtrat hemiſphærio. Habet ergo parelion noſtrum eamdem cum sole ſuo virtutem. quod clariùs tum patebit, cùm infrà de poteſtate nominis Mariani tractabimus; nunc ad alias pergo nominis eiuſdem interpretationes.

CAPVT XX.

ETYMOLOGIA QVARTA

Nomen Virginis ſignificat Stella maris.

NONDVM abimus à lumine, quamuis nouâ interpretatione nomen luciſſimum B. Mariæ Virginis explicemus. illuminatricem ſonat, vt intelligamus, eam ſupra omne quod corporalis lucis ſplendore micat lucidiſſimam, ac ſole ipſo præſtantiorem: iam etiam ſtellam maris ſignificat, ne putemus vllam in aſtris virtutem aut influentiam, quam Deus huic Virgini non incomprehenſibiliter perfectiùs communicauit. Circa quam nominis etymologiam Primò oſtendendum occurrit, quòd ſtella ſit Virgo. Secundò, quærendum qualis ſtella ſit: nam ſtella maris variè poteſt ſumi. Tertiò, inuitandi nauigantes, vt hoc ſidus ſuum obſeruent. In ſtella ſex conſideranda ſunt, eademque Virgini tribuenda, vt inter ſidera referatur, ſitque re, quod nomine, ſtella maris; materia, forma, quantitas, ſitus, motus, & virtus.

Stellarum materia eſt incorruptibilis.

Materia in rebus omnibus lunâ inferioribus, corruptionis ſubiectum, in ſideribus incorruptionis eſt fundamentum: tam enim conſtant ea nobili ſubſtantiâ, vt nullo contrariarum qualitatum conflictu alterari poſſint aut corrumpi. Tali profectò conſtituiſſe materiâ eam neceſſe eſt, vnde corpus aſſumpſit, quem non ſinit Deus videre corruptionem: quamquam etiam in ſe ſatis oſtendit hanc materiæ incorruptibilis virtutem, cùm incorruptâ virginitate peperit, & corpore omnis putredinis experte in cælos aſſumpta fuit. Sunt ergo ſtellæ incorruptibiles naturâ, Maria gratiâ: quod multò eſt præſtantius priuilegium. Non excutio ſecundas, quas Medici vocant, qualitates, à materiâ per primarum temperaturam exorientes; quòd hæ, ſicut nos de ſtellis latent, ita in Virgine prorſus ſint obſcuræ. Solemus enim omnes ſtellarum influentias operationeſque vel primis, vel tertijs, ſeu occultis qualitatibus aſſcribere: ita quidquid vel in ipſa Virgine admiramur, vel ab ea ſperamus, non ex naturæ eius proprietate aut viribus, ſed ex occulta latente in ea virtute Spiritus ſancti progreditur.

Forma eſt rotunda:

Forma ſtellarum ea eſt quæ inter geometricas figuras eſt perfectiſſima. Omnis enim ſtella eſt plena & perfecta, id eſt ſphærica: vt ad eam reflectamus quæ ſalutatur ab Angelo gratiâ plena; & cui dicitur, *Beata, quæ credidiſti, quoniam perficientur ea, quæ dicta ſunt tibi à Domino.* vbique circulum implet Virgo, nihil in ea vacuum, nihil hiulcum; & tamquam circino ducta eſt peripheria circuli tam admirabilis. Ieremias ait cap. 31. v. 22. *Creauit Dominus nouum ſuper terram: femina circumdabit virum.* Punctum in medio circuli eſt vir ille, de quo S. Dionyſius lib. 1. de Diuinis nominibus: *Reuocans ad ſe, ſibiq; iungens humanam humilitatem, ex qua ſimplex Ieſus ineffabili modo conſtitit*; centri adinſtar vnicus & indiuiſus, à Virgine tamquam à circumferentiâ, circumdatus. *Luc. 1. v. 45.*

Magnitudo mira:

Tertium quod in ſtellis conſiderandum, eſt quantitas, mirabilis quidem in illis: nam & minimæ apparent, & ſunt reuerà maximæ, cùm vix vlla orbe terrarum minor ab Aſtrologis perhibeatur: at hæc magnitudo nonniſi ſubtilibus eorum ratiocinationibus agnoſcitur, nulli ſenſuum noſtrorum perceptibilis. adeò hæc ſtellæ noſtræ conuenit in æſtimatione paruitas, vt fuerit qui ſtillam potiùs quàm ſtellam maris

dicen-

dicendam putet, contendatque hanc esse nominis etymologiam. nata quidem est hæc apud auctorem nequissimum interpretatio; quem ego non contradicendo refutare, sed, accipiendo quod adfert, exarmare volo. Cùm enim minimæ instar stellæ aut scintillæ appareant astra, non ideo negandum est, stellam esse maris Deiparam, quòd stilla appareat; sed vel ideò stella dicenda, quòd, maxima cùm sit, appareat stilla: admirabiliter namque in Virgine virtutes omnes quantumcumque in speciem repugnantes concordant, vt mirum non sit, nomine eius res in speciem repugnantes significari. mox latiùs de hoc discurremus, dum lunam esse dicemus Virginem. Huc facit, eam stellis in hoc quantitate esse simillimam, quòd magna sit, & parua appareat iis oculis, qui non sunt docti cælestium æstimatores: at si quis penitiore mentis intuitu cælos peruaserit, ac solitus sit familiariùs cum astris conuersari; is eam inueniet in Virgine magnitudinem, cui maxima comparata vix appareant. Quod vel eâ ratione colliges, quâ Astronomi solent stellarum magnitudiuem supputare: cognitâ scilicet earum altitudine, facilè concludunt opticis suis ratiocinationibus, quantum esse debeat quod in tantâ distantiâ, istâ vel istâ quantitate apparet. eâdem ratione tantò altiorem cæli empyrei situm si consideres, audiasque Euangelistam, diuinum illum Astrologum & Thelogum, affirmantem, quòd inde è terrâ Virginem ibidem muliebri magnitudine conspexerit; facilè concludes, hanc guttam esse mare magnum, hanc stillam esse stellam præclarissimam, hãc denique scintillam esse luminare quod illustrat vtramque Eccleſiam.

Situs altissimus:

Quartò in stellis considerandus est situs: sunt enim altissimo mundi loco, tamquam nobilior eius pars, firmamento infixæ. Si rationem quæris, continuò occurret: *Nemò lucernam accendit, & ponit eam sub modio, sed supra candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt*, aspectabili qualitate

Luc. 11. v. 33. Matth. 5. v. 15.

præcellentes astrorum globi, non alio quàm altissimo in loco erant constituendi, vt videri possent ab omnibus qui sunt in hac ampliſſima mundi domo. Et Virgo tota illuminata, tota luce cælesti circumamicta, accensa vt luceat in caliginoso loco, & vniuersam illustret Ecclesiam; an non in altissimo Ecclesiæ fastigio ad ipsam Filij sui dexteram collocata est, vt neminem tanta lux possit latere, nisi qui sponte oculos clauserit? ideo Eccli. 24. v. 7. dicit, *Ego in altissimis habitaui*; semper fixa in firmamento cæli per iugem mandatorum Dei contemplationem, & amorem rerum cælestium,

Motus circularis:

Iam motus stellarum quinto loco veniebat considerandus: est autem omnibus motus circularis, aliis quidem tardior, aliis celerior, constans tamen & æquabilis; ita vt nobis annos, menses, dies & horas designent, componantque tot ingentibus rotis certissimum mundi horologium, ac nobis tempus admetiantur. Si omnium astrorum in hoc vicem motu suo Ecclesiæ supplere Virginem dixero, fidem faciet annus pulcherrimè per vitæ eius mysteria distributus: sic enim à Filij ipsius natiuitate per eius adolescentiam ad passionẽ, resurrectionem, ascensionem, Spiritus sancti missionem, Virginis assumptionem, aliaque vitæ Marianæ mysteria quotannis voluimur, vt à stellæ huius vnius motu toti pendere videamur. Quòd si aliter motum eius æstimes, videasque, à Deo omnia accepisse quæ mira & magna possedit, omniaque in eum retulisse, vt semper in se parua maneret; etiã poteris vel ideo circularem appellare.

Effectus stupendi.

Vltimum quod in quaque stellâ considerandum notabam, est virtus, quæ singulis est verè admirabilis. non quòd superstitiosè putem in illis descriptum esse, quid quisque sperare, quid timere debeat; aut quòd existimem, fata nostra in iis posse notari; sed quòd videamus, magnâ ex parte rerum admirabiles effectus, mutationes, terræ fecunditatem, tempestatum temperaturam, multorum et-

iam ingenium & indolem ab earum influentiis dependere. O ſtella, ô aſtrum noſtrum Virgo Maria, quàm certò, quàm infallibiliter fata noſtra deſcripſit in manibus tuis, qui tibi dedit vitæ noſtræ ſalutiſque æternę arbitrium! nam *ſicut, ô beatiſſima, omnis à te auerſus & à te deſpectus neceſſe eſt vt intereat; ita omnis ad te conuerſus & à te reſpectus impoſſibile eſt vt pereat.* S. Bonauentura lib. 1. Phar. cap. 5. ex S. Anſelmo. Quàm admirabiles tu operaris effectus, ſi quando illos tuos miſericordes oculos ad aliquem conuertis! quantas inducis ſubitò mutationes, vt fugiat ea quæ priùs expetebat, expetat quæ fugiebat! quantâ tu fecunditate ſoles Eccleſiæ agrum benedicere, ſi quando ſereniore vultu illuxeris! quàm ſubitò mentes fœdis tentationum procellis iactatas tranquillare, ſi fortè te aſpexerint! ô quàm benignâ indole, quàm facili ingenio, quantâ cęleſtium temporaliumque rerum felicitate beare ſoles eos, quibus contingit ſub benigni ſideris tui horoſcopo concipi, aut mundo naſci, vel Eccleſiæ renaſci! Patuit in S. Ildephonſo, Bernardino, Bernardo, & nuperrimè in Alphonſo noſtro Orozco.

CAPVT XXI.

Cur B. Virgo ſit ſtella maris.

Vita hominis eſt mare:

PRÆSENS vita pelagus quoddam eſt perturbatum, inquit ſanctus Chryſoſtomus in Matth. Hom. 82. Et ſicut in mari hoc diuerſi ſinus diuerſis tempeſtatibus aguntur, ac Ægęus propter ventos difficilis eſt, Tyrrhenum verò fretum propter anguſtias; Charybdis, quæ Libyam reſpicit, propter ſyrtes & breuia; Propontis verò, quę iuxta Pontum Euxinum ſita eſt, propter magnitudinem fluctuum impetumque; Oceanus autem Hiſpanicus, propter ſolitudinem & inſrequentiam locique ignorationem; atque alia pars pelagi aliis de cauſis: ita quoque vitæ noſtrę vſu venit. Ac primùm in ea videre licet pelagus quoddam puerilis ętatis multis procellis agitatæ, cùm propter imprudentiam, tum propter flexibilitatem, tum quia nondum firmata; quapropter illi pædagogos magiſtroſque præficimus, defectum naturæ diligentiâ ſupplentes, ſicut ibi arte gubernatoriâ. Poſt hanc ætatem, adoleſcentiæ ſuccedit mare: hîc venti vehementiores, vt in Ægæo pelago, creſcente in nobis concupiſcentiâ: & vel hæc maximè ętas directione deſtituitur, non ſolùm quia magnis turbationum fluctibus quatitur, verùm etiam quòd peccantes non redarguuntur, cùm & pædagogus & magiſter ſubtrahantur. Cùm igitur & maiori turbine venti ſpirent, & gubernator ſit imbecillior, conſidera tempeſtatis magnitudinem. Poſt hæc altera pars ætatis virilis illa inſtat, quam rerum vrget diſpenſatio: tunc vxor, nuptiæ, prolis procreatio, & plurimæ curæ mentem obruunt; tunc auaritia inuidiaque maximè vigent. Si igitur vnamquamque partem ætatis cum naufragiis peragamus, quomodo hanc vitam tranſibimus? quomodo æterna fugiemus ſupplicia? nam ſi nihil ſinceri atque integri in primâ ætate didicerimus, ſi iuuenes modeſtè non vixerimus, nec auaritiam viri ſuperauerimus, ad ſenectutem, quaſi in ætatis quamdam ſentinam, deuecti, animæ nauiculâ iam tempeſtatibus obrutâ, cùm fluctibus compagines defatiſcant, in portum tandem defetemur nõ ſpiritualibus mercibus, ſed luto ac ſordibus onuſti. vnde diabolo quidem riſum mouebimus, nobis verò perpetuam mœſtitiâ adſciſcemus, intolerabili ac ſempiterno cruciatu diuexati. Hæc ille Oratorum eloquentiſſimus ad explicandam nominis Mariani etymologiam, quâ Stella maris dicitur, accommodatiſſimè. Iam enim quærendum non eſt, quodnam illud mare, cuius ſtella Maria: nam cùm maria omnia in vnicâ hominis vitâ per diuerſas ætates

Cuius ſtella eſt Maria.

tes quasi sinus varios periculosâ descripserit; horum vtique ex nomine suo stella est Maria, omnes ætates dirigens, vitam vniuersam regens atque componens ex suâ Filiique sui voluntate. Illud tantùm restat disquirendum, quodnam illud sit astrũ quod *Stella maris* dicitur. Sunt qui maris stellam propriè lunam dicendam putent, quòd, ex communiore Philosophorum sententiâ, æstus marini virtute eius moueantur, magnumque exerceat in vastum illud elementum imperium. Sunt qui luciferum, sunt qui stellam polarem eo gaudere epitheto contendant. Ego omnia admitto: nam omnia virtute suâ complexa est stella nostra, & habet ad vitam nostram, quemcumque astra illa ad mare, respectum. De lunâ se intelligere subindicat S. Bernardus, dum Sermone de Natiuitate Virginis ait: *Tolle corpus hoc solare quod illuminat mundum, vbi dies? Tolle Mariam hanc maris stellam, maris vtique magni & spatiosi, quid nisi caligo inuoluens & vmbra mortis, & densissimæ tenebræ relinquuntur?* Soli quidem comparat stellam illam; sed vel ideo lunam eum intelligere quis dicat, quæ noctem illustrat non secùs atque sol diem? ipsa etenim est luna, de qua Ecclesiasticus cap. 43. v. 7. *Luminare quod minuitur in consummatione.* & v. 8. *Crescens mirabiliter in consummatione.* Minui lunam, eamdemque rursum crescere, licet inter magna cæli portenta numeretur, iam tamen ob frequentiam rei nemo miratur; ac vtrumque fieri in consummatione, vt hîc testatur Siracides, non caret admirabilitate. De augmento non est quòd probem: nam oculis patet id fieri, donec orbem totum expleat, perfectaque ac consummata appareat: at imminutionem quoque facere ad perfectionem eius quî capietur: maximè si dicatur magis eam perfici decrescendo quàm crescendo; nisi aduertas, eam, quò obscuriór minorque nobis apparet, eò soli luminis sui largitori fieri propinquiorem? &, vt Plinius ait, *omnem suæ lucis hausturn eò regerere vnde accipit?* Aduertite, Sodales, lunæ vestræ ingenium, quod toto hoc Libro proponimus: partim enim in plenilunio eam suo spectamus, quando auersi tantisper à sole directis eam oculis intuemur in splendore suo; quem tamen à sole eam accipere cognoscimus: hîc eam Dominam, hîc Reginã, hîc Imperatricẽ cæli & terræ vocamus, hîc gratiâ plenam, hîc Dei Matrem; hîc infinitis eam gloriosis titulis appellamus: partim in nouilunio eam aspicimus, vbi Deo se coniungens, eique semetipsam componens, omnem suæ lucis haustum eò regerit vnde accipit, seruam, ancillam, mancipium Domini sese vocans: nihil se habere, nihil esse profitens, quod non à sole isto acceperit. Iam dic, amabo, vtra lunæ nostræ species glorioſior, vtra perfectior, an, dum Dei maiestatem, quantum creatura eam capere potest, nobis in plenilunio suo ostentat; an dum coniuncta Deo, genibus ipsius affusa, omnem splendorem nobis abscondit, vt ei soli luceat, à quo omnia habet, quibus iam glorioſa appareat? Hæ sunt alternę lunæ nostræ vices, quibus crescit & decrescit, sed vtrimque ad perfectionem: hoc est quod nomen ipsum Virginis dicit: quam enim hîc Stellam maris, hoc est lunam, interpretamur, eadem stilla maris dici potest; quòd tam parua sit in oculis suis, vt sese vix creaturarum stillam, imò omnium ancillam agnoscat; tam parum lucis ostentet, vt ipsa Dei virtus & gloria non splendorem ei addere, sed vmbram facere videatur. quò enim propiùs ad eam accedit, eò se magis abscondit, ad ancillarum mancipiorumque obscuritatem declinans, nihil præter ancillaria ministeria appetens, nihil præter humilitatem sonans; optimè docta ludum eum, quem semper in cælis sol & luna ludere videntur. *Quã-tò magnus es, humilia te in omnibus; & corã Deo inuenies gratiam.* Vix enim coram nobis magna & plena est, cùm statim se, accedendo ad solem, humiliare, ac luce suâ quoad nos spoliare incipit; vt coram eo, hoc est, eâ

Stella maris quibusdam est luna.

Luna tam decrescens quàm augescens perficitur.

Idem Mariæ conuenit.

Eccli. 3. v. 20.

parte quâ à sole respicitur, inueniat lucem. Ab hac lunę mutatione mare trahit mirabilia incrementa & decrementa; & nos vitam nostram ad lunæ huius mutationem conformemus, vt iam filij, iam sponsi titulo à Matre nostrâ honorati, quasi in æstu pleno eius fauoris nos ostentemus; iam viliratem nostram agnoscentes, ad mancipiorum obscuritatem descendamus: sic enim ei per humilitatem coniunctiores illustrabimur eâ parte quâ ipsam aspicimus, hoc est, gratiis ditabimur cælestibus; licet obscuriores fortè simus coram mundo, & pauperiores à rebus temporalibus. Quòd si visionem oblatam Euangelistæ Apocalypseos cap. 12. attentiore animo considerare velimus, fortè etiam ibi lunam dici Mariam inueniemus: mulierem enim istic descriptam, licet contextam gerat ex solis splendore tunicam, coronamque stellarum duodecim fulgore radiantem, non esse Virginem, sed Ecclesiam militantem ex bonis malisque compositam, partus dolores clamoresque loquuntur; quibus ita liberam fuisse constat Mariam, vt eos vel metaphoricè ipsi attribuere, religio pænè reformidet. Est ergo mulier ibi ostensa, Ecclesia; luna quæ pedibus substernitur, Maria. Ne mireris autem mulieris pedibus subiectam lunam, tamquam minoris æstimetur Maria quàm Ecclesia: si quidem non semper abiectionis subiectionisve signum est substerni; sed situs ille, prout signorum gestuumque externorum plerique, variam habet ex circumstantiis diuersis interpretationem. Si serpens pedibus Virginis substernatur, res ipsa loquitur eius conculcationem contemptumque significari; at basis columnæ non ad sui contemptum, sed ad columnæ molisque superiectæ securitatem & firmamentum subiicitur. Et mulier in aëre, loco vtique incerto mutabilique, lunæ insistens, non potest eam calcare, vt parui faciat atque contemnat, sed premere, vt inter cornua eius tuta sit, securaque consistat. Si vlteriùs ludere hîc quis velit cum piissimis Auctoribus, multa inueniet in lunâ Mariæ symbola, quibus confirmabit hoc Cant. 6. v. 9. *Pulchra vt luna.* Et videri potest Alcazar in Apocalyps. cap. 12. v. 1. notat. 2. qui etiam habet eam interpretationem nominis, quâ Stella maris dicitur Maria. & Richardus à S. Laurentio lib. 7. de Laud. B. MARIÆ: vnde noto hoc pænè facetæ pietatis; *Luna*, inquit, *crescit vsque ad decimum quartum diem, & tunc luna plena apparet, & circa 14. annum vel 13. Filium Dei creditur Maria concepisse; & tunc apparet in medio lunæ, quo signatur vterus virginalis, quasi imaguncula hominis pendentis, vel quasi rusticus oneratus fasce spinarum: hic est Christus, qui suspensus in patibulo Crucis, nostrorum portauit onera peccatorum. sicut dicitur 1. Petri 2. Qui peccata nostra pretulit in suo corpore super lignum, ist est, pœnam peccatorum, quæ designatur per spinas. Isaiæ 53. Verè languores nostros ipse tulit. Circa decimumquintum verò diem incipit luna decrescere; quod & Mariæ contigit, quando audiuit à Simeone, Tuam ipsius animam pertransibit gladius, Luc. 2. Computa diem pro anno, sicut dicitur Ezechielis* 4. Hæc ille. Addi posset gnome Plinij lib. 2. cap. 9. vbi vocat lunam omnium quę in cęlo prænosci possunt magistram: talis namque est Virgo nostra, miris consolationibus docens suos quòd sint filij prædestinationis æternę; quod est omnium quę in cælo prænosci possunt maximum. Item ait: *Omnem admirationem vincit lunæ sidus terræ familiarissimum.* quod non de lunâ, sed de Maria omnem admirationem vincente dictum videtur; cuius deliciæ sunt esse cum filiis hominum. Sexcenta colligi possunt similia ad illustrandam hanc interpretationem nominis; sed aliò vocat S. Ildefonsus Sermone 1. de Assump. Virginis, qui ait: *Secundùm verbum Hebraicum Maria interpretatur Stella maris. Hinc agite, dilectissimi, vt lucifer ille qui nescit occasum, oriatur in cordibus vestris, dum in hoc sæculo estis: nam mare prorsus sæculum est, stella autem B. Virgo* MARIA. Vbi facile est intelligere, quomodo lucifer & stella matutina dicatur

In quo nobis imitanda.

Varia lunæ & Virginis comparatio.

Stella maris aliis est lucifer.

dicatur Virgo Maria; sed quâ ratione cupiat luciferum stellam maris dici, non capio, nisi fortè ad Poëtas alludens, qui eum eumdem cum Venere fabulantur, quam ortum habere fingunt ex mari; haud dubiè propter singularem aliquam istius astri, quæ me latet, cum mari sympathiam. ad quam nescio an alludat Ouidius 6. Fastorum, dum ait:

—Vigil lucifer exit aquis.

Aliis astrũ polare stella maris dicitur.

Communior ergo Patrum interpretatio & Astrologorum mens est, vt per stellam maris astrum polare intelligatur. Ita S. Hieronymus in Psal. 118. Eucherius lib. 2. Instruct. Beda lib. 1. in Lucam cap. 3. Isidorus lib. 7. Etymolog. cap. 10. & S. Bernardinus Senensis Tom. 3. Sermone 1. art. 3. applicat his verbis: *Nec intonuenienter situs stellæ maris, cùm sit in Aquilone, conuenit Mariæ; quoniam per Aquilonem persecutio vel tribulatio designari solet, propter ventorum & procellarum vehementiam: ideo locus Mariæ in Aquilone est, vt per eam austeritas persecutionis inflictæ humaniùs temperetur.* Aliam rationem dat ibidem artic. 2. cap. 1. *Ipsius autem & Filij eadem est natũra, ergo idem locus erit; quapropter & merito & loco vicinissima erit Filio suo, non secùs ac Stella polaris polo suo.* Duas tetigit Sanctus stellæ huius in Maria proprietates, plagam mundi, & vicinitatem cum polo; quibus addi potest, quòd hæc stella ferè sit immobilis, cùm aliæ rapidissimo impetu modò in Orientem, modò in Occidentem ferantur: quemadmodum Sancti alij variis agitabantur motibus, modò ad vitia procliues, modò ad virtutem feruenti zelo raptati; at Maria neque tentationibus moueri poterat ad peccandum, neque vllis promissis Angelicis induci vt votum castitatis mutaret: eò enim sub initium ignoranti conceptionis modum res spectare videbatur. Verùm præcipua ratio, cur stella polaris stella maris appelletur, est, quòd nautæ eam diligenter obseruant, quòd eâ deperditâ cursus sui ignari iactantur; eâ inuentâ, quo mundi climate resi-

Tres polaris astri proprietates:

Præcipuus eius vsus est, viam ostendere.

deant, statim coniicere possunt ex eius supra caput suum eleuatione: si enim altior sit supra eos eleuata, ad Septemtrionem se declinasse; si depressior appareat, ad Æquatorem accessisse se certò sciunt. Hæc scilicet est præstantissima Virginis MARIÆ conditio, quare Stella maris dicitur. Nauigamus omnes mare periculosum, turbidum, & fœdissimis tempestatibus infame; heu quoties amisso cælesti lumine cæcâ in nocte iactamur, cursus omnis viæque ignari! quoties ad ipsas inferni portas pènè nauem frangimus, agitati turpissimis cupiditatibus! quæ autem in desperatissimo isto statu spes salutis, nisi vnica Stella maris Maria? hanc si videre, eiusque supra caput nostrum eleuationem dimetiri contigerit; simul intelligemus quantum à salute distemus, facileque eam in viam redibimus quæ ducit ad vitam æternam. Multis abundant mancipia Deiparæ ex tam benignæ Heræ famulatu priuilegiis; at ego semper hoc inter præcipua soleo numerare, quòd hoc astrum eis sit fixum in viæ indicium, sine quo, cùm necesse sit tam turbido in æquore multis iactari tempestatibus, semel de viâ abducti certò perirent æternùm: nec enim peccatorum vllus ad veniam reducitur, qui non debeat huic stellæ polari suam in viam reductionem. Quare mellifluam S. Bernardi hîc subiungam orationem, quâ nos inuitat vt hanc stellam assiduè respiciamus, & Mariam inuocemus.

CAPVT XXII.

Crebrò inuocanda Stella maris Maria.

QVANTI fecerint sancti Patres symbolicas eas nominis Mariani interpretationes, ex vnico S. Bernardi loco fiet manifestum, quo nouissimè allatam explicationem confirmat, & cunctos inuitat vt ad stellam istam polarem respiciamus. Is Sermone 2. super Missus ita ait: *Loquamur pauca super hoc nomine, quod interpretatum Maris stella dicitur, & Matri Virgini valdè conuenienter aptatur: ipsa namque aptissimè sideri comparatur: quia sicut sidus sine sui corruptione emittit radium, sic absque læsione Virgo peperit Filium; nec sideri radius suam minuit claritatem, nec Virgini Filius suam integritatem. Ipsa est igitur nobilis illa stella ex Iacob orta, cuius radius illuminat vniuersum orbem; cuius splendor & præfulget in supernis, & inferos penetrat, terras etiam perlustrans, & calefaciens magis mentes quàm corpora, fouet virtutes, & excoquit vitia: ipsa namque est præclara & eximia stella, super hoc mare magnum & spatiosum necessariò sublenata, micans meritis, illustrans exemplis. O quisquis te intelligis in huius sæculi profluuio magis inter procellas & tempestates fluctuare, quàm per terram ambulare, ne auertas oculos à fulgore huius sideris, si non vis obrui procellis. Si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum; respice stellam, voca Mariam: si iactaris superbiæ vndis, si ambitionis, si detractionis, si æmulationis; respice stellam, voca Mariam: si iracundia, aut auaritia, aut carnis illecebra nauiculam concusserit mentis; respice ad Mariam: si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, iudicij horrore perterritus, barathro incipias perturbari tristitiæ, vel absorberi desperationis abysso; cogita Mariam: in periculis, in angustiis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam inuoca: non recedat ab ore, non recedat à corde; & vt impetres eius orationis suffragium, non deseras conuersationis exemplum: ipsam sequens non deuias, ipsam rogans non desperas, ipsam cogitans non erras: ipsâ tenente non corruis, ipsâ protegente non metuis, ipsâ duce non fatigaris, ipsâ propitiâ peruenis: & sic in te ipso experiris, quàm meritò dictum sit, Et nomen Virginis* MARIA. Nihil dici poterat, quo vel clariùs multiplex stellæ huius officium proponeretur, vel fortiùs mortales ad eam inuocandam excitarentur: nam si aliquod nautis luceret sidus eâ potestate, vt solo aspectu æquora turbata pacaret, tempestatem sedaret, cælo lucem & ponto cælum redderet; quàm putas intento id oculo obseruaretur ab omnibus periclitantibus? at si idem illud astrum eâ deinde esset benignitate, vt inuocatum statim se visendum præberet; an putas momento eius aspectu hemisphærium nostrum vacaret propter frequentiam id inuocantium? Iam cùm nec cogitando fingi possit tanta in vllo astrorum potentia, neque tam facilis ad iuuandos mortales influxus, quàm re ipsâ in stellâ nostrâ polari quotidie experimur; quid cessamus in vota precesque? quin die ac nocte hanc stellam obseruamus? quin spem omnem perueniendi ex nauigatione hac difficili ad portum salutis æternæ in eâ reponimus? Aberrauimus à viâ? densis vndique peccatorum inuoluti tenebris, ignari hominumque locorumque erramus? nubes densissima ignorantiæ pontumque diemque eripuit oculis? crebris diuinæ vindictæ micat ignibus æther? horrendùm mugiunt rauca minarum cælestium tonitrua, & præsentem omnia mortem intentant? vna salutis spes, vna euadendi via, si stellam hanc polarem aspexerimus. si adhuc minimus erga eam pietatis radius mentem illustret, nondum periimus; imò spes certa euadendi, modò hanc lucem non deperdamus. *Non recedat ab ore,*

Cur Maria stellæ comparetur.

In omni necessitate inuocanda Maria.

Sola nominis Mariani inuocatio saluat periclitantes.

ore, non recedat à corde, inquit S. Bernardus. *Non recedat ab ore nomen vtique Virginis*, aiebat Idiota, *tantæ virtutis & excellentiæ, vt ad eius inuocationem cælum rideat, terra lætetur.* Ex fœdâ nimirum tempestate, solâ inuocatione Mariani nominis, in risum lætitiamque vertitur cælum & terra; absterſisque imbrium lacrymis, cessantibus tonitruum singultibus, aspectu gratissimo arridet sese dulcissimo hoc nomine resonanti. *Non recedat à corde.* hoc enim supra magicam omnem incantationem potentius habet breuissimum hoc trium syllabarum carmen, vt vel cogitatum vires suas exerat; nec ingredi possit memoriæ portas, minùs hærere in cordis penetralibus, quin vbique vestigia imprimat suę virtutis. Quid lux huius stellæ polaris faciet, si vel vmbra eius, hoc est nomen, quod semper rem, sicut vmbra corpus, sequitur, solâ cogitatione mentem illustret? Nescio, an non præcipuum stellæ polaris sit beneficium, quòd, cùm sit vnicum errantium auxilium, semper sui præbeat opportunitatem; neque, vt stellæ ceteræ, alternâ vicissitudine nobis oriatur & occidat, sed polo affixa hæreat, quasi è sublimi statione despiciēs, num quis eam sit respecturus. Magnum profectò benignę prouidentiæ argumentum, quâ Deus necessaria & vtilia nobis obuia esse voluit, ne beneficij gratiam imminueret difficultas eo vtendi. Applica hoc Dominæ tuæ, quisquis ei deuotâ mente famularis: est ipsa errantium via, naufragantium auxilium, pereuntium salus, spes desperantium: est, inquam, stella polaris omnibus nauigantibus necessaria, sine quâ cursus omnis noster periculum, progressus perditio, nauigatio interitus, lux tenebræ, vita mors vocari possit. Miseros ergo nos, si stella hæc vel temporis momento occidat, cùm spatio ampliori non sit opus ad exitium nostrum sempiternum! Quid autem diuina bonitas, quę nobis Mariam ponebat in auxilium tam necessarium? eâ scilicet in parte cęli eam collocauit, vbi semper nobis benigno astro luceret, numquam occideret. Non abutor nomine, cùm Deum, sine quo vbique infernus est, cælum apello: in hoc duo poli sunt, Arcticus vnus, alter Antarcticus, sibi è diametro oppositi, Misericordia & Iustitia. Circa hos enim vertitur quidquid agit ille, qui immotus ipse dat cuncta moueri: sub Antarctico Iustitiæ polo ij habitant, qui absconditi in inferno numquam vident amicam Dei faciem; ibi nox perpetua & tenebræ Cymmeriis horribiliores; illic

Luctus, & vltrices posuêre cubilia curæ. Æneid. 6.

Miseri! quos ita præcipites à cursu suo egit cupiditas, vt delati ad hosce nostros antipodes, polum illum semper intueri cogantur nullâ remeandi spe aut libertate. Sub altero Clementiæ polo viuimus, quicumque mortali hac aurâ etiamnum vescimur in terris, eum plus minusve habentes supra caput eleuatum, prout ipse nos per æternæ prædestinationis prouidentiam meliore sub climate voluit habitare, & vitæ huius cursum peragere; sic vt nulli vmquã polus iste occidat, quamdiu vitę cursum tenet. Verùm quòd oculi nostri ad cælestia sint hebetiores, difficile est tanto interuallo immobilem istũ poli verticem cernere, nisi Stella polaris addatur, quę paruo interuallo inde distans, atque exiguum describens circulum, ipsum polum visibili circumdet peripheriâ; vt iam cerni possit, qui aliàs lucem quidem habitabat, sed inuisibilem & inaccessibilem. apparuit enim humanitas & benignitas Saluatoris nostri Dei per circulum, quem ei circumscripsit Maria, quando femina carne nostrâ circumdedit virum. Cùm ergo nos Dei benignitate sub polo isto Clementiæ viuamus, necessariumque sit eum sæpiùs intueri; eâ in cæli parte collocata est Virgo, quæ semper vertici nostro imminet, nec vmquam occidit quamdiu viuimus. O felici si dere nata mancipia B. MARIÆ Virginis! quę non obliquam habitant sphęram, sed quorum capitibus astrum hoc polare benignissimæ influentiæ

Deiapara semper in auxilium nostrum parata.

Deus cælum: quinam in eo poli.

Maria tam. quam astrũ polare detegit polum Clementiæ.

Directè sub hoc polo viuunt mancipia Mariæ.

fluentię imminet, rectoſque mittit miſericordiæ ſuę influxus. parum aut multùm à ceteris declinat, prout varios habent profeſſionis negotiorumque ſuorum ſtatus : at mancipiis, quorum profeſſio eſt, ſeruire Deiparæ; quorum vnicum negotium eſt, Heræ ſuę procurare negotia; in idem punctum cum zenith concurrit, vt nihil timere debeant quorum vertici imminet polus diuinæ Clementiæ, aſtrumque illud, quod eam nobis admirabilibus operationibus manifeſtat. Reſpicite ſtellam, inuocate Mariam, Sodales, & pyxidem nauticam ex cordibus veſtris confícite; quæ numquam quieſcat, niſi aſtrum ſuum & polum ſuum reſpiciat; huſquam delectetur, niſi in ſuauiſſimo Deiparæ eiuſque ſanctiſſimi nominis cultu & veneratione. ita fiet, vt ſecuri inter pericula, lęti inter aduerſa, inter tempeſtates propemodum otioſi, curſum dirigente hac ſtellâ polari, perueniatis ad portum ſalutis æternæ.

CAPVT XXIII.

ETYMOLOGIA QVINTA.

Nomen Virginis mare amarum exponitur.

HALETIS ſententia erat, orbem terrarum aquâ ſuſtineri & vehi more nauigij; mobilitateque eius fluctuare, dum dicitur tremere: hanc ineptam ſententiam quamuis vocet Seneca, rei tamen ſuæ applicat: nam inquirens fontium & fluminum perpetuò manantium cauſam, *Non eſt ergo*, inquit, *mirum, ſi abundat humor ad flumina, cùm mundus in humore ſit totus.* Ego licet ſententiam illam de mundo nauigante putem ineptiſſimam, vtpote qui pondere ſuo libratus nullo eget, prętèr idem pondus ſuum, ſuſtentaculo; poteſt tamen pulcherrimè B. MARIÆ Virgini, propter eam nominis etymologiam, quâ mare ſignificat, aptari: nam veriſſimè de hoc mari dicitur, quòd eo terrarum orbis ſuſtentetur. Quis hoc neget eorum qui legerit audieritque aliquando traditam à tot fide dignis Auctoribus hiſtoriam, quâ SS. Franciſco & Dominico vno eodemque tempore oblatam narrant viſionem irati Numinis fulmine triſulco, quo armata eius erat dextera, extremam rebus perniciem minitantis; niſi in tempore occurrens Virgo Deipara vindictam ſuiſſet deprecata, lacrymiſque ſuis mare feciſſet, cui rurſum mundus incumberet, iam pænè deſertus à priſtino patientiæ ac longanimitatis diuinæ ſuſtentaculo? Quis, inquam, neget hoc mari inſtar nauigij vehi mundum, cùm omnis tremor eius & concuſſio fiat ab exortis in Maria tempeſtatibus? Numquam maiori mare hoc amarum concuſſum fuit procellâ, quàm dum in Filij Dei morte totum obductum eſt tenebris & caligine, omnibus iis partibus, quæ ſine defectu moueri poterant, agitatum. Vide autem quanta mox in nauigio hoc, quod eo ſuſtentatur, commotio: nihil in eo manet inconcuſſum, ſolidiſſimæ eius partes confringuntur, lumen exſtinguitur ſole & lunâ obſcuratis, rimas agit apertis ſepulchrorum compagibus; &, vt nauigantes ſciant quàm propè abſint ab interitu, non mors tantùm, ſed & mortui ipſi de ſepulchris ſuis ſurgentes omnium oculis obuerſantur, veluti præſagia, non mortem ſolùm inſtare ſingulorum, ſed vniuerſalem mundi interitum, diemque fatalem iudicij. Tempeſtas eſt prætereà in mari iſto, quoties ſceleribus nauigantium offenditur: & offenditur numquam, quin ſtatim nauigium iras ſentiat, multiſq; partibus iam fame, iam bello, iam peſte, iam aliis iactetur incõmodis; quę numquã contingerent, ſi factâ cum elemento ſuo pace, curaſſet non commoueri mare Marianum. Accommodatam prætereà vibrat Philoſophus noſter de mari ſententiam, obiter hîc notandam: *Ignis, exitus mundi eſt, humor primordium.*

Omnis concuſſio mundi à turbatâ Maria oritur.

Mundus fluctuat inſtar nauigij in mari Mariano.

Exitus mũdi à Deo.

dium. Deum ignem esse, apertius Scriptura dicit, quàm vt sit probandum; at aquam, siue mare, esse Mariam, nomen ipsum indicat, quod iam mare interpretamur. Quid autem? *Ignis, exitus mundi; humor, primordium.* dubitas? Isaias affirmat cap. 9. v. 19. *In ira Domini exercituum conturbata est terra, & erit populus quasi esca ignis.* & iterùm cap. 33. v. 10. *Nunc consurgam, dicit Dominus: nunc exaltabor, nunc subleuabor. Concipietis ardorem, parietis stipulam: spiritus vester vt ignis vorabit vos; & erunt populi quasi de incendio cinis.* Ignis gloria & exaltatio est, vrere, & omnia consumere; ideo inquit, *Exaltabor*, & *subleuabor*: quando scilicet vertet populos omnes in cinerem: nam *exitus mundi ignis*, id est, Deus in iustitiâ suâ iras & flammas vomens destruet & consumet omnia. at *humor primordium* Maria, quæ humor est, quæ mare est; mater est viuentium, clementiæ suæ suaui vapore non tantùm languentes excitans ad vigorem, sed mortuos etiam suscitans ad vitam. ipsa primordium est mundi: nisi enim ipsa creanda fuisset, & ex eâ nasciturus homo-Deus; vix operę pretium erat tanto molimine appendere fũdamenta terræ, tanto artificio librare fontes aquarum, aut æthera firmare sursum. Primordium ergo ipsa est mundi; prout causa finalis, propter quam omnia fiunt; rerum dici potest primordium. Primordium præterea est mundi, quia nisi hac misericordiæ Marianæ aquâ temperatus esset diuinæ iustitiæ ignis, forte non creasset hominem peccaturum; certè perditum non eo modo refecisset, quo iam eum excitauit ad spem tam certam & tam sublimem filiorum Dei.

Initium verò est à Virgine.

Maria quãtumcumque accipit, non redundat.

Mare est Virgo Deipara, de quo dicitur Eccle. 1. v. 7. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat.* & Eccli. 40. v. 11. *Omnes aquæ in mare reuertentur.* Numquid omnes aquę dulces gratiarum, priuilegiorum, donorum cælestium intrant in Mariam? & illa adeò non redundat per iactantiam, non intumescit per superbiam, non egreditur littus humilitatis suæ per aliquam vanam complacentiã, vt potiùs gurgitem & abyssum profundiorẽ aperiat, & quò plus cepit, plura capere possit: vix enim acceperat apertis cæli cataractis impetum istũ aquarum, *Aue gratiâ plena, Dominus tecum, Spiritus sanctus superueniet in te*; quin statim aperuerit immensam illam mancipatus sui abyssum, *Ecce ancilla Domini* quâ apertâ, iam non istâ solùm flumina, sed aquam infinitam, primamque gratiarum omnium originem; Dei Filium capere potuit, & in circumscriptas illas aquas, quæ super cælos omnes sunt, sinu suo concludere; &, quod omnium est admirabilissimum, tum adhuc canere, *Ego dixi in abundantiâ meâ*; *Non mouebor in æternum*: sed intra humilitatis meæ limites consistam, eruntque mihi aquæ ipsæ murus & littus, dum ędificauero constantiam humilitatis ex ipsâ plenitudine virtutis. Iterùm mare est Maria, quia exhauriri non potest, quantumcumque perpetuò fluant ex illâ fontes & flumina gratiarum in nos. *Pluuia potest facere torrentem*, inquit Seneca, *non potest autem æquali inter ripas suas tenore labentem.* Sancti alij diuersis temporibus totem cælestem depluentes, salutari comparantur pluuię, qui sępè torrentes efficiunt quosdam, dum in magnâ abundantiâ clientibus suis gratias impetrant: sed vt perpetuò in omnes ita fluat gratia, non efficiunt; vti mare nostrum, ex quo omnia flumina oriuntur, omnes fontes scaturiunt. Siue ergo spectes flumina gratiarum intrantia in Mariam, siue exeuntia de Maria; dicere potes cum Ecclesiastico cap. 1. v. 2. *Profundum abyssi quis dimensus est?* Nusquam fundus, nusquam mensura aut finis, vndique mare vastum & spatiosum; aut cum Poëtâ,

Luc. 1.

Psal. 29. v. 7.

Maria quãtumcumque dat, non exhaurit.

Natural. Quæst. lib. 3.

— *cælum vndique, & vndique pontus*;

Per hoc mare infinitis dignitatis spatiis distans à nobis Seruator mundi adnauigauit infirmitati nostrę, apparens inter nos, & conuersatus nobiscum. Per hoc mare Israëlitæ transierunt, transeuntque indies siccis vestigiis, submerso Pharaone & Ægyptiis; ipsa vtique vniuersas hęreses

interemit, ipsa ducem earum, patrem mendacij, submersit. Per hoc mare breuissimum est & securissimum iter ad portum Regni cælestis: nulla tam exigua cymba est quæ hîc timeat periculum; nullus tam inexpertus nauigandi magister qui hîc faciat naufragium. mare namque tranquillum est atque pacificum, nullæ in eo charybdes, nullæ syrtes, nulli infames scopuli. Nam quòd *amarum* dicatur esse mare, non est quòd nauigantibus aliam quàm salutarem præbeat amaritudinem; qualis est vel à falsis pœnitentiæ lacrymis, quæ potæ causa sunt internæ dulcedinis; vel à nauseâ rerum terrenarum, quas mare hoc omnes vertit in amaritudinem, & efficit è contrario, vt inundationes maris, id est, gratias per Mariam impetratas, quasi lac sugant, Deuter. 33 v. 19 Fuit tandem ipsum amarum, quando exustum nimis Solis in meridie pendentis ardore, radios charitatis ab eo immissos nouo amore reflectens, exurebatur vsque ad fundum abysi, penetrabanturque omnes recessus cordis eius nimio ex amore dolore; vnde tota bibit salsedinem & amaritudinem, vel ex ipsis, quas largiter per oculos distillabat, aquis animaduertendam. Tunc committebatur in mari hoc mirabilis ista naumachia, quâ plenis velis amor Dilecti sui pugnabat cum resignatione voluntatis, & amore mortalium. Quis explicet, quot vulneribus tunc mare nostrum prosciss-sum, quanto sanguine cruentatum, quantâ amaritudine fuerit repletum? nemo crederet, ex tam amaro Virginis corde, quod alibi descripsimus, posse oriri tam dulces erga mortales affectus, nisi quotidie videremus, quod Trismegistus exclamat, *Oceano aquam diffluere dulcem.* Quàm glorioſum sit hoc nomen Virginis, quo *amarum mare* dicitur, facilè ex S. Hieronymo lib. 1. contra Iouinianum colliget, qui nouit præcipuam ex bellicâ fortitudine existere gloriam: *Commissâ*, inquit, *pugnâ vacant nomina dignitatum, & sola fortitudo quæritur.* quod idem est ac si diceret: Commissâ pugnâ sola sunt nomina dignitatum quibus fortitudo exprimitur. Non iuuat in bello claris ortum esse parentibus, vt nobilissimus; multos euoluisse libros, vt doctissimus; immensas opes possidere, vt ditissimus appelleris: sed forti animo præditum esse, torosis lacertis valere, hostes strauisse iuuat, vt victor, vt triumphator sis atque vociteris. Ita B. Virgo, dum agitur de certamine, dum venitur ad fatalem illam arenam, in quâ de exitio nostro sempiterno vel inferni expugnatione agebatur; omissis aliis dignitatum nominibus, hoc nomen assumit glorioſissimum, quod pugnam eius atque patientiam, quod fortitudinem & tolerantiam explicat: quòd scilicet tum mare amarum fuerit, potueritque tot fluctus amarissimos recipere, nec mergi doloribus; tantam tristitiam suscipere, & stare; tam multis & supra omnem hominum fidem acerbis cruciatibus cor & pectus præbere, nec cedere; conuerti tota in amaritudinem, non secùs ac mare versum est in salsedinem, & interim dulcissimas effundere in Deum amoris, in homines misericordiæ aquas: hoc dicitur, quando Virgo & Domina nostra Maria, id est mare amarum, nuncupatur. Non ergo vocetis eam Noëmi, id est pulchram, non vocetis Dominam, non Maris stellam; sed vocate eam *Mara* seu Mariam, quia amaritudine eam valdè repleuit Omnipotens.

Cur mare amarum dicatur Virgo.

Mare amarum glorioſum est Virgini nomen.

CA-

CAPVT XXIV.

ETYMOLOGIA SEXTA.

Maria significat pluuiam.

VNT qui nomen Virginis à *More iam* flectunt; vnde pluuiam maris, & quidem temporaneam, significare volunt. Nihil pugno multiformi nominis inflexioni, cùm plures in formas se vertat ipsa, omnibus omnia facta, vt omnibus benefaciat; quàm nos possimus nomen ipsius flectere, vt multiplicem virtutem eius, & diffundentem se vndiquaque bonitatem significemus. In duo genera, diuisas reperio aquas, cælestes scilicet & terrenas: terrestrium omnium fons & origo est mare, cælestium nubes & pluuiæ. qui autem diuisit aquas ab aquis, has inferiores in magnam abyssum diffundens, vt inde flumina, riui, fontes, putei, lacus, infinita alia ad commodum & vsum vitæ humanæ existerent; cælestes verò pepli adinstar aut conopei in aëris medio suspendens; vtrisque Mariam figurabat, vtrasque nomine eius significabat. de terrenis dictum: restant de cælestibus pauca dicenda. Et quis non libenter audiat, Mariam pluuiæ comparari, quando isto in nomine tam admirabiliter continetur beneficentissimum eius ingenium? nam de aquâ pluuiali Cornelius Celsus ait: *Primæ bonitatis est aqua pluuialis, tamquam maximè aërea, leuissima, ac dulcissima; deinde aqua fontalis; tertiò, fluuialis; quartò, putealis; quintò, niualis; sextò, quæ à lacubus & stagnis refunditur.* Nullum est ex his aquarum generibus cui Virgo non possit comparari: nam fons est gratiæ perennis & indeficiens; flumen est, propter abundantiam & impetum gratiarum; puteus, propter occultam gratiæ præsentiam; nix est, propter virginitatis candorem, vimque refrigerandi libidinis calorem; piscina seu lacus, quia in eâ viui homines perseuerant: at pluuialis aquæ sibi nomen assciuit, quia illa maximè aërea, leuissima atque dulcissima est; imò, quia nulla mundo vtilior, nulla effectis salubrior. Quidquid enim producitur vel in terræ ornatum, vel ad hominũ brutorumque necessitatẽ, hoc quasi lacte nutritur: pluuia in granum herbescit, solidatur in arborem, ducitur in culmum, flectitur in vineam, serpit in hederam, in florem coloratur, in omnes denique terræ fructus variatur: & cùm sit vnicus vniusque substantiæ humor, in tot diuersa abit, vt omnibus prosit. Pluuia est Maria, & pluuia temporanea, quæ numquam nocet, quocumque inciderit: sperentur igitur similes pluuiæ ab eâ effectus: cadit in virginem, fouet castitatem; adest Martyri, roborat constantiam; inuocatur à Confessoribus, docet perseuerantiam; venit ad Doctores, inspirat sapientiam. Rursum, in desperantibus excitat spem, in peccatoribus ciet pœnitentiam, infirmis confert sanitatem, pereuntibus salutem procurat: omnibus opportuna, omnibus temporanea, salutares vbique producit effectus. Stilla maris est, vt supra diximus, quòd non, densi adinstar imbris aut nimbi formidabilis, sternat sata læta boumque labores; sed quòd pluuiæ concisæ in morem, paulatim gratiam instillet, alteque penetret vsque ad ossa eorum quos diutiùs compluerit. Iam intelligis, quæ sit nubes ista candida, de quâ Apoc. 14. v. 14. *Vidi, & ecce nubem candidam*, per virginitatem & innocentiam, *& super nubem sedentem similem Filio hominis*. Ea nubes Maria est: argumento fit, quòd ei insideat similis quidam Filio hominis, puta ipsemet Filius eius: nubes, quæ leuissimo Spiritus sancti afflatu tamquam vento ferebatur; nubes, quæ infirmis oculis nostris Solis æterni temperauit fulgorem; nubes expansa in

Omni aquæ comparatur Virgo.

Pluuiæ vtilitas:

Maria pluuia omnibus opportuna.

Cur nubes dicatur Virgo.

sa in protectionem filiorum Israel; nubes vehementer impulsa vento persecutionis tempore passionis Filij sui; vnde tunc resoluta fuit in lacrymarum stillicidia: nubes denique refrigerans, vmbramque ac solatium præbens operantibus salutem suam in sudore vultus sui. Ecce nubem candidam, ecce pluuiam temporaneam, ipso nomine suo significatam: quam rogemus, vti frequenter irriget corda nostra imbre gratiarum omnia conuertente in salutem.

CAPVT XXV.

ETYMOLOGIA SEPTIMA.

Maria est myrrha maris.

SANCTVS Bonauentura in Meditationibus Vitæ Christi cap. 3. scribit, B. Virginem cuidam personæ sibi deuotæ (quam ipse putat fuisse S. Elisabetham) hęc verba dixisse: *Filia, dico tibi, quòd nullum donum, gratiam vel virtutem habui à Deo sine magno labore, continuâ oratione, ardenti desiderio, profundâ deuotione, multis lacrymis, & multâ afflictione; dicendo cogitandoq; semper placita sibi, sicut sciebam & poteram; exceptâ sanctificationis gratiâ, quâ sanctificata fui in vtero matris*: ipso scilicet instanti conceptionis gratiis præuentâ, antequam corrumperet eam peccatum. Additque: *Pro certo scias, quòd nulla gratia descendit in animam, nisi per orationem & corporis afflictionem.* Idem sibi dictum fuisse scribit S. Birgitta in suis Reuelationibus. Vnde facile est concludere, cùm nemo ad gratias Virginis vel per vmbram accedat, neminem æquè orationi & mortificationi institisse. Meritò ergo rebus conueniens nomen in omen abiit, myrrhaque appellata fuit, quæ semper eius amaritudinem sibi adhibuit. De hac mox dicemus: nam tãtisper subsistere facit adiecta particula quâ *myrrha maris* vocatur, cogitque inquirere, quid ea sit, quidve habeat cum Virgine commune. Myrrham inter gẽmas numerat Apollinaris carm. xi. Myrrha est gemma.

Myrrhina, sardonyches, amethystus Iberus, iaspis.

& Arrianus in Periplo bis lapidem appellat myrrhinum; Statius verò de comâ Earini ait:

——— *Myrrhasq; graues crystallasq; portat.*

& Lucanus lib. 4.

Non auro myrrhaque bibunt. ———

Denique Pausanias in Arcadicis: *Crystallus & myrrhina, & alia ex lapide ab hominibus facta, & vasa fictilia à Stygis aquâ franguntur.* Est ergo myrrha lapis pretiosus, siue gemma. Nascuntur autem gemmarum pretiosissimæ in mari; proinde non simpliciter myrrha, sed *myrrha maris* Virgo appellatur, quòd ipsa gemmas maris omnes pretio, pulchritudine & vtilitate excellat. Dedimus inter octo mancipiorum exercitia modum, quo possint Sodales collo Dominæ sertum gemmarum appendere, laudando & imitando præcipuas eius virtutes, quas ibi gemmis comparauimus. Quod exercitium etiam pertinere ad honorandum Mariæ nomen, iam patet ex hac etymologiâ, quâ *myrrha maris* dicitur, scilicet gemmarum omnium quæ ex mari oriuntur præstantissima. Quod etiam S. Ioannes Damascenus affirmat Oratione 1. de Natiuitate Virgin. dum ait: *Commoueatur mundi mare: in ipso enim concha gignitur, quæ cælitus ex diuinitatis fulgetro in vtero concipit*; affirmans non gemmam tantùm præstantissimam esse Mariam, sed præterea vnionis istius matrem, qui solus continebat pretium redemptionis nostræ. Sed notandum quod Arrianus suprà dicit, *Lapis myrrhinus fit in Diospoli*, id est, *Thebis*; vnà cum eo quod Martialis lib. 14. & Plinius lib. 37. cap. 2. indicat myrrham in pocula destinari: vt intelligamus, quid sibi velit myrrha nostra, id est Maria, de se loquens: *In ciuitate sanctâ coram ipso ministra.* Mariæ cõueniunt quæ de myrrhâ dicuntur. Eccli. 24. v. 14.

nistraui. Dioſpolis enim Iouis, ſeu Dei ciuitas eſt, in quâ myrrha gignitur, hoc eſt, *in ciuitate ſanctâ*. *Miniſtrare* verò ad menſam pertinet iſtius ciuitatis, vbi poculis myrrhinis miniſtratur à Virgine, vt impleat titulum quem ei dat S. Bonauentura in Cantico, vocans eam *cæleſtis curiæ pincernam*. Notum eſt enim, quòd in cęleſti Ieruſalem, vbi paterfamilias tranſiens miniſtrabit diſcumbentibus, otioſa non erit Mater hæc noſtra familias; ſed imitata Filij diligentiam, exhibendo varias ex plenitudine ſuâ delicias, augebit epulantium lætitiam, non tantùm in pincernam, ſed etiam in poculum mutata, vt vaſa ipſa augeant bibentium iucunditatem.

Hæc de myrrhâ gemmâ: nunc de vulgariore eius ſignificatione videamus. Plinius lib. 12. cap. 15. ſcribit, myrrham eſſe arborem, id eſt, arbuſtum altum quinque cubitos, ſpinoſum, caudice duro & intorto, craſſiore quàm cortice thuris, leui folio oliuæ, ſed criſpiori & aculeato, iubâ oluſatri: quæ bis per annum incidi-
Myrrha arbuſtum. tur, vt reſina, puta liquor myrrhæ, defluat: ſudat autem, inquit, ſponte priùs quàm incidatur, quæ vocatur ſtacte ſiue lacryma myrrhæ, eaque myrrha eſt præſtantiſſima: ſicut inter aliarum arborum reſinas lacryma, quæ ſponte fluit, eſt optima; ac inter vina lacryma, quę ex vuis maturrimis ſponte diſtillat, eſt ſapidiſſima. Myrrhæ lacryma etiam gutta vocatur; & ea quæ ſponte manat, in
Eccli. 24. v. 20: Cant. 5. v. 5. ſacris Litteris dicitur *myrrha electa*, & *myrrha probatiſſima*. Præſtat verò myrrha odore & potentiâ conſeruandi etiam cadauera à putredine; eſtque vnguentis aptiſſima. Iam notandum ex Theophraſto lib. 6. de Cauſis plantarum, quòd *omnia fermè odorata amara ſunt*. *Cùm verò illa duo*, inquit, *contraria inter ſe ſint, dulce atque amarum, alterum veluti initium grati ſaporis, alterum grati odoris eſſe videatur; & quodammodò magis primordium dixerim amarum grati odoris*. Pone ſtuporem, quiſquis ambitioſè miraris tantam nominis fragantiam, quæ cælum & terram implet gratiſſimâ odoris ſuauitate. Maria enim myrrha eſt amariſſima: amarum autem, initium eſt grati odoris. Contraria inter ſe ſunt dulce & amarum: hoc odoris, illud ſaporis boni initium. ergo ſi ſapor delectat, ſi dulcia ſectaris, ſi vitam in deliciis tranſigis; percipies quidem guſtus ſuauitatem, at carebis boni nominis fragrantiâ: fœtebit vita tua coram Deo & Angelis, & in turpitudine tuâ, tamquam in ſterquilinio, computreſces. Myrrha maris eſt quæ affiat odoris ſuauitatem; caſtimonia, ſobrietas, vigilantia, labor, pericula, aduerſorum tolerantia, hæc ſunt quæ ſpirant myrrhinum vitæ odorem. A Maria myrrhâ noſtrâ electâ id diſce: in ieiuniis, paupertate, vigiliis, exiliis, tyrannorũ perſecutione, Phariſæorũ ſubſannatione, in Filij tormentis & morte, in diuturnâ vitę auſteritate, in animæ ſuæ perpetuâ amaritudine demoratur; & hinc ſpirat tantam nominis fragrantiam, vt omnes curramus in odorem vnguentorum ipſius. Ipſi conuenit ænigma, quod de myrrhâ proditur:

De lacrymis, & pro lacrymis mea cæpit origo:
Ex oculis fluxi, ſed nunc ex arbore naſcor:
Lætus honos frondis, triſtis ſed imago doloris.

arbor eſt glorioſiſſima, quâ patet Oriens & Occidens diffuſa, &

——— *quantum vertice ad auras*
Aethereas, tantum radice in tartara tendens.

Arbor hæc lætiſſimum quidem habet frondis honorem; ſeruat tamen in myrrhæ ſignificatione triſtiſſimam doloris & mortificationis Marianæ imaginem, ne ſperemus aliter quàm per ſciſſuram & vulnera myrrhinum nominis noſtri odorem exhalandum. Quæ ſi ſpontaneâ morti-
Mortificatio ſpontanea eſt optima. ficatione aſſumamus, myrrha noſtra erit electa & probatiſſima, ſicut erat Dominæ noſtræ, quæ ideo Eccli. 24. v. 20. ait: *Quaſi myrrha electa dedi ſuauitatem odoris*. & Cant. 5. v. 5. *Manus*
Ex myrrhæ amaritudine oritur boni odoris fragrantia.

meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatiſſimâ. Manus & digitos nominat, cùm more gentis Iudaicę poſt lotionem corpus totum inunxiſſet, totaque ſtillaret myrrham, vt indicet, ſe ſponte adhibuiſſe mortificationem manibus ſuis, quâ fragrans ſponſo pulſanti, & immiſsâ per oſtij foramen manu, peſſulum aperire conanti occurrebat.

Cur maris myrrha vocetur Virgo.

Tam autem copiosè ſe Virgo inunxit vnguento hoc odoratiſſimo, vt iam non vncta, ſed vnguentũ ipſum videretur; ideoque vocata ſit Maria, id eſt, *myrrha maris. maris*, propter abundantiam; vel *maris*, hoc eſt, mundi huius, quòd ipſa ſufficeret ad omnes inungendos; nam de plenitudine Filij eius, quem ipſa mundo veluti vnguentum pretioſum effudit, omnes accepimus. vel *maris*, quòd vnguentum hoc pretioſiſſimum vltramarinũ eſſet, ac procul & de vltimis finibus pretium eius: venit enim ad nos trans mare illud rubrum, imò Oceanum magnum paſſionis Dominicæ, à quâ traxit præcipuum ſuum odorem. vel denique *myrrha maris*, quia, vt inquit S. Ambroſius lib. 3. de Virgin. *hoc vnguento vncta eſt Maria, & Virgo concepit, Virgo peperit bonum odorem, Dei Filium: hoc vnguentum effuſum eſt ſuper aquas, & ſanctificauit aquas.* Immiſſo, inquit, in aquas mundi huius olidas & profanas ſacro hoc Virginis vnguento, ſanctificatæ ſunt, mundatæ ſunt, & à corruptione præſeruatæ, vt non mirum ſit eam vocari myrrham, id eſt, vnguentum prę ſeruatiuum maris: hoc enim erat vniuerſis dando remedium. At ſingulis etiam eſt medicinalis myrrha hæc, & vel mortuos conſeruat à corruptione. Quot habet mare hoc mortuos peccatis ſuis, qui ſoli huic vnguento debent, quòd non dentur in corruptionem æternam! De CHRISTO ait S. Chryſoſtomus Sermone 57. *Sicut Reges triumphorum ſuorũ titulis nuncupantur, & ſubiectarum Gentium nominibus conquirunt numeroſiſſima cognomenta: ita Chriſtus bonorum ſuorum titulis nuncupatur. à chriſmate enim vocatus eſt Chriſtus, qui diuinitatis vnguentum aridis iam mortalium membris pius medicator effudit.* Numquid de Virgine, quâ Chriſto creaturarum nulla ſimilior, dicere idem poſſum, quòd à chriſmate & vnguento myrrhino nomen acceperit; quòd gratiarum diuinarum, imò diuinitatis vnguentum, aridis iam mortalium membris medicatrix infudit, quando lumen ęternum mundo effudit? Sed quatuor medicas virtutes videamus, quibus maximè prę ſtat oleum myrrhinum. Ac in primis myrrham Ægyptij vocant *bal*; quæ vox delirationis ſignificat amolitionem: cerebro enim mirabiliter conducit, & tollit noxios humores à capite defluentes. ita myrrha noſtra amaritudine ſuâ, id eſt crucifixi Filij ſui memoriâ, elidit omnem cogitationum arrogantiam, quæ peſſimum eſt capitis delirium. Secundò, dilatando pectori conducit myrrha; & Maria ſuis dat admirabilem animi magnitudinem. Tertiò, maſticata tollit fœtorem oris; Mariæ verò nomen ſæpiùs nominatum vetabit omnem verborum iactantiam, ſuggerendo profundiſſimam toties nominatæ Dominæ humilitatem. Quartò denique, conſumit putredinem vulnerum, aptiſſima iis qui, ob frequentem peccatorum iterationem, exclamare coguntur: *Putruerunt & corruptæ ſunt cicatrices meæ*, Pſal. 37. v. 6. Ipſa enim Virgo Maria prohibebit recidiuam, facietque vulnera priora per pœnitentiæ amaritudinem purgari & coaleſcere. Sed quid ſingula commemoro, cùm ad omnimodam faciat medicinam vel ſolum nomen Virginis? vt indicatur verbis iſtis Canticorum, *Oleum effuſum nomen tuum.* quę iam cum aliis nominis Mariani proprietatibus explicanda.

Medicæ virtutes myrrhæ Virgini applicatæ.

Cant. 1. v. 2.

CA-

CAPVT XXVI.

Quid sancti Patres de nomine Mariæ pronuntiauerint.

SIGNIFICATIONES nominis Mariani hactenus inuestigantibus magis de Virgine agendum fuit quàm de eius nomine: quamquam non exigua nominis laus est, quòd vnicum tam multas Virginis dignitates & proprietates significat; vt vix in longissimis Litaniis quis sit titulum inuenturus, qui non possit ad aliquam ex prædictis significationibus reuocari. Quidquid enim dici potest de Virgine, vel maternitatem Dei indicat, & hæc reuocatur ad significationem, *Deus ex genere meo*; vel resultantem ex ea dignitatem atque dominium Virginis exaltat, & hæc refertur ad magnificum *Dominæ* epithetum; vel multiplicem significat Virgineæ bonitatis communicationem, quâ sese ad omnes mortales diffundit, & hoc habes *Illuminata* & *Illuminatricis* titulis significatum: alij tituli eam ducem mortalium, conuersionis ministram, salutis causam faciunt; & hi *Stellæ maris* nomine habentur: alij dolorum mortificationumque eius magnitudinem describunt; pro quibus habes *Maris amari* ac *Myrrhæ* interpretationem: alij denique humilitatem aut virginitatem declarant; & ideò etiam *Gemmæ*, *Guttæ Stillæ* habes nomenclationem. Adeò vt qui Mariam inuocat nomine istosuo dulcissimo, attendens ad nominis etymologiam, ingentes compendio recitet Litanias, maioris sæpè meriti & efficaciæ quàm longè diuersorum vocabulorũ enumerationes. fit enim vt omnium titulorum virtus & efficacia in hoc nominis Mariani quasi centro collecta, fortiùs ibi vires suas exerat in verbi vnius puncto, quàm in omnibus latè diffusis multarum sententiarum lineis. Quapropter inutilem, spero, nemo existimabit quã insumpsimus multiplici nominis interpretationi operam: attamen, quia necessariò in explicatione significationũ fuit magis de Virgine quàm de nomine Mariæ discurrendum, vt ostenderemus, verè ei conuenire id quod nomen MARIA significat; deinceps eos titulos & proprietates examinabimus, quæ tribuuntur non tam Virgini per nomen Mariæ, quàm ipsi huic nomini propter Virginem. hoc namque Libro nominis dignitatem potestatemque, non Deiparæ maiestatẽ atque potentiam inquirimus. Audi verò conglobatas Patrum & Sanctorum sententias, atque vnico intuitu perlustra sapientissimum nomẽ Mariæ celebrantium concilium; vt scias, omnia, quæ posteà de eo dicturus sum, non esse nisi breuem huius sacrosanctæ Synodi commentarium. Chorum ducat Petrus Chrysologus, quia gnomis breuibus profundissima indicat nominis huius mysteria: ait enim Serm. 146. *Nomen hoc Mariæ prophetiæ germanum est, hoc renascentibus salutare, hoc virginitatis insigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium castitatis, hoc Dei sacrificium, hoc hospitalitatis virtus, hoc collegium sanctitatis.* Æquè magnificè se infert dicturus sententiam, at nomen suum celaturus, Idiota: qui lib. de Contẽpl. Virg. MARIÆ cap. 5. hos coaceruat nominis huius effectus: *Mariæ nomen supra omnia Sanctorũ nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, & iugum diaboli extrudit.* Succedit S. Germanus Patriarcha, non laudandum solùm, sed & inuocandum nomen hoc proponens. Primò enim de zonâ Virg. ait: *Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem; ita etiam sanctum tuum nomen, ô Virgo, quod in ore seruorum tuorũ versatur assiduè, in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ, auxilij non solùm est*

Nomen Mariæ omnes continet Deiparæ titulos.

Solum nomen Mariæ æquiualet longissimis Litaniis.

est signum, sed ea etiam procurat & conciliat. Iterùm verò encomio de Dormit. Virg. hortatur: *Simulatq; tremore correptus fuerit Christianus, aut lapide pedem offenderit, illicò præsidium tui nominis inuocatur.* Quarto loco audiatur S. Bernardinus Tom. 2. Serm. 42. vtilitatem crebræ inuocationis enumerans, *Hoc nomen*, inquit, *quod dedit cæcis visum, surdis auditum, claudis gressum, sermonem mutis: proinde si qua infirmitas tibi vel tuis occurrat, non spreto remedio naturali, recurre ad inuocationem nominis Mariæ.* Confirmat hanc, & amplius pronuntiat S. Bonauentura in Cant. post Psalter. *Domina nostra Maria Virgo, omnipotens post Deum nomen eius.* Imò inuocationi nominis Dei præponit inuocationem nominis Mariæ S. Anselmus lib. de Excell. Virg. cap. 6. propter vtilitatem scilicet inde resultantem ad nos, non verò propter maiorem eius dignitatem: *Velocior*, inquit, *est nonnumquam salus memorato nomine Mariæ, quàm inuocato nomine Domini* IESV *vnici Filij sui. Et id quidē non ideo fit, quòd ipsa maior & potentior eo sit: nec enim ipse magnus & potens per eam, sed illa per ipsum.* CHRISTVS *suo nomine vocatus non statim exaudit; profectò id iustè facit: inuocato autem nomine Matris, etsi merita inuocantis non merentur vt exaudiatur; merito tamen Matris intercedūt vt exaudiatur.* S. Bonauentura iterùm in Psalt. *Beatus vir qui diligit nomē tuum, Maria Virgo: gratia tua animam eius confortabit; tamquam aquarum fontibus irrigatum vber, in eo iustitiæ fructum propagabis.* Digna est quæ rogetur sententiam inter hos viros femina, inter Sanctos S. Birgitta, quia ex reuelatione humanâ maiore loquitur: dicit enim ipsi lib. 1. Reuel. c. 9. Virgo Deipara: *Nomen meum est Maria, sicut legitur in Euangelio: hoc nomen cùm Angeli audiunt, gaudent in conscientiâ suâ; & regratiantur Deo, qui per me & mecum talem gratiam fecit, & quòd vident ipsi humanitatem Filij mei in Deitate glorificatam.* Omnia audienda sunt quæ hoc capite fusè dicit de hoc nomine, ne iterùm sit reuocanda. Pergit ergo: *Illi qui in Purgatorio sunt vltra modum gaudent; tamquam æger in lecto iacens, si audierit ab aliquibus verbum solatij, & quod ei placet in animo, quo statim exultat. Angeli etiam boni audito hoc nomine statim appropinquant magis iustis, quibus dati sunt ad custodiam.* & mox: *Omnes etiam dæmones verentur hoc nomen & timent: qui audientes hoc nomen Maria, statim relinquunt animam de vnguibus, quibus tenebant eam. Sicut enim auis quæ in prædam vngues & rostrum habet, si audierit sonum aliquem, relinquit prædam; & cùm nihil operis sequi videt, statim reuertitur ad eamdem: sic dæmones audito nomine meo, statim relinquunt animam quasi territi; sed iterùm aduolant & reuertuntur ad eam quasi sagitta velocissima, nisi aliqua emendatio subsequatur. Nullus etiam tam frigidus ab amore Dei est, nisi sit damnatus, si inuocauerit hoc nomen hac intentione, vt numquam reuerti velit ad opus solitum, quòd non discedat ab eo statim diabolus, & numquam amplius reuertitur ad eum, nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter: tamen quandoque permittitur ei turbare eum, propter maiorem remunerationem eius, sed non possidere.* Rursum Idiota lib. de Contempl. B. Virginis: *Tuum*, inquit, *Dei Genitrix, nomen diuinis benedictionibus & gratiis omni ex parte refertum.* S. Bonauentura sæpiùs audiendus, qui in Psalterio orat: *Præbe ingenui memoriam nominis tui.* & in Speculo: *Deuotè nominari non potest Maria absque nominantis vtilitate.* Consonat incertus apud Alcuinum: *Tu ne nominari quidem potes, Maria, quin accendas; nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te: tu numquam sine dulcedine tibi diuinitus insitâ piæ memoriæ portas ingrederis.* Quæ verba sanctus Bonauentura in Spec. cap. 8. tribuit S. Bernardo. *Omnis lingua*, inquit sæpè nominandus Idiota, *confitetur huius sanctissimi nominis gratiam, gloriam & virtutem.* S. Anselmus: *Sæpè quidem vidimus & audiuimus plurimos hominum in suis periculis recordari nominis B.* MARIÆ, *& illicò omnis periculi malum euasisse.* Facilitatem pronuntiandi adfert sanctus Bernardinus Tom. 1. Serm. 52. *Non sunt nisi duæ syllabæ, vt non laboret homo in dicendo & frequenter nominando hoc sanctissimum nomen.*

S. An-

S. Antonius de Paduâ Dominicâ 3. in Quadrag. ait : *Nomen Mariæ iubilus in corde, mel in ore, melos in aure.* Idiota suprà : *Tanta est virtus tui sanctissimi nominis, ô semper benedicta Virgo Maria, quod mirabiliter emollit & penetrat duritiem cordis humani.* S. Chrysologus Serm. 142. adeò confortatiuum putat esse hoc nomen, vt valuerit ad ipsam Virginem confirmandam, ne timeret tempore annuntiationis, dictumque ei, *Ne timeas Maria*, vt vel ipsa vocis experiretur efficaciam. *Maria*, inquit, *Hebræo sermone, Latinè Domina: vocat ergo Angelus Dominam, vt Dominatoris Genetricem trepidatio deserat seruitutis.* Beatus Albertus Magnus in 1. caput Lucæ: *Si illecebræ carnis te trahant, & superantes iam ad illicitas delectationes te propellant; baptiza te in amaritudine maris, & nomina Mariam, & sic pro certo in te ipso experieris, quòd iustè vocatum est nomen Virginis Maria. Si aduersitates tribulationum te iactent, & iam superantes te quasi prosternant, inuoca Mariam.* S. Bonauentura in Spec. cap. 3. *Non sic timent hostes visibiles quamlibet castrorum aciem copiosam, sicut aëreæ potestates Mariæ vocabulum.* S. Gerardus Episcopus & Martyr de Laud. B. Mariæ Virg. *Inuitus quoque infernus* B. MARIA *vlulat, & procacissimi dæmones clamant.* S. Germanus Oratione in zonam Deiparæ: *Tu nequissimi hostis contra seruos tuos inuasiones solâ tui nominis inuocatione sanctissimâ repellens, tutos atque incolumes seruas.* S. Bonauentura in Psalt. *Glorioſum & admirabile est nomen tuum: qui illud retinent, non expauescent in puncto mortis.* & infrà: *Ab inuocatione nominis tui trepidat spiritus malignus: pax multa obseruantibus nomen tuum, Mater Dei.*

CAPVT XXVII.

Nomen B. MARIÆ est prophetiæ germanum.

MONET sæpiùs Hierarchicus Magister noster in libro de Diuinis nominibus, nihil de Deo affirmandum, nisi quod per Hagiographos, quos ille Theologos appellat, nobis dignatus est reuelare: nam statim sub initium capitis primi ait: *Sit autem etiamnum nobis oraculorum sacra lex proposita, vt veritatem ostendamus eorum quæ de Deo dicuntur, non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione virtutis, quam Spiritus Theologis inspirauit.* & mox: *Vniuersè igitur audendum non est, neque dicere neque cogitare quidquam de supersubstantiali & abditâ Deitate, præter ea quæ nobis in sacris oraculis sunt indicata diuinitus.* Eadem ferè repetit §. 2. ar. §. 3. ait: *Summæ quidem diuinitatis arcanum illud, quod omnem intelligentiam substantiamq; transscendit, à scrutatione vacuis sacrisq; mentis venerationibus, ineffabilia verò modesto quodam silentio prosequentes, fulgoribus, qui nobis è sanctis eloquijs affulgent, attendamus: quorum deinde luce ad diuinos hymnos excitemur, quibus supermundialiter illuminamur, sacrisq; laudum canticis formamur ad diuina lumina, quæ in ijs ad captum nostrum conceduntur, contuenda, beneficiumq; principium omnis illustrationis, prout ipsum de se in eloquijs expressit, collaudandum.* Ita vir ille sanctus, & parens eius scientiæ quam nos modò Theologiæ nomine insignimus, non modestè magis de se, quàm verè sentiebat de illis Theologis, qui diuinâ illustratione nobis præscripserunt speculandi sentiendique regulam. Materiam quidem ego tracto infiniti partibus eâ quam ipse sibi desumpserat inferiorem: tantum enim distat Mariæ

De Deo aut Virgine nihil temerè affirmandum.

ſanctiſſimum nomen ab ineffabilibus Dei nominibus, quantum Mater Dei à Deo; id eſt, quantum prima creaturarum ab eo diſtat, coram quo omnes creaturæ in vnum collectæ ſunt tamquam non ſint. Sed quid iuuat infra Deum eſſe Virginis nomen, modò ſupra vires noſtras ſit; cùm perinde nobis impoſſibile ſit lunam atque ſolem attingere, licet hoc illa ſit inferior? Si perinde, inquam, incapaces ſint omnes prudentiæ noſtræ dignè nomen Mariæ celebrare, atque diuina nomina, prout par eſt, explicare; quid iuuat, quòd hoc diuinis nominibus ſit inferius? eâdem profectò cautelâ eſt opus, ne corruamus in loco vno pariete concluſo, modò is omne lumen excludat, atque in eo qui centum parietibus clauditur: licet enim plura requirantur, vt hic quàm vt ille colluſtretur; quamdiu tamen neutri fax vlla ſuppetit, vterque in tenebris eſt. Facile eſt intelligere quid velim, videlicet, non minoris temeritatis fore, ſi de venerabili Mariæ nomine ſine Auctoribus quidlibet aſſerere audeamus, quàm fuiſſet S. Dionyſium de Deo ſine diuinis oraculis diſcurrere: non quòd omnia quæ dicturi ſumus à Scripturâ diuinâ proponantur, ſed quòd neque ei contrarientur, & ſanctos Patres habeamus dicendorum duces, quæ poſt diuiniſſima illa nobis etiam ſunt infallibilia oracula. Prodeat ergo rurſum primùm explicandus qui primus auream ſententiam dixerat Chryſologus, quàm magnificè de Mariæ nomine affirmans:

Serm. 146. *Nomen hoc Mariæ prophetiæ germanum eſt, hoc renaſcentibus ſalutare, hoc virginitatis inſigne, hoc pudicitiæ decus, hoc indicium caſtitatis, hoc Dei ſacrificium, hoc hoſpitalitatis virtus, hoc collegium ſanctitatis.* Singulis eſt inſiſtendum: *Nomen hoc*, inquit, *Mariæ prophetiæ germanum eſt.* Mirabile, ſed veriſſimum encomium: germanum eſt prophetiæ nomen Mariæ. Igitur eo abdita panduntur myſteria, igitur à Deo reuelatum eſt, & non inuentum ab hominibus; igitur librorum maximorum inſtar eſt, & breui licet compendio, ingentia prodit myſteria; igitur non præterita ſolùm commemorat, præſentia declarat, ſed etiam futura aperit infallibili euentuum certitudine. Prophetiæ germanum eſt: cuiuſnam, an Iſaiæ, an Salomonis, an Dauidis, an Ioannis Euangeliſtæ, an omnibus? ſiquidem eæ ſunt etiam germanæ ſorores, germanum eſt ijs Mariæ nomen; ſed ita quemadmodum Ioſephus germanus erat fratribus ſuis, quem procidentes in terram adorabant, agnoſcentes in eo dominij prærogatiuam: nomen enim Virginis ipſum prophetia maxima à cunctis Prophetis ænigmaticè prædicitur, à Prophetis omnibus adoratur. Germanum eſt prophetiæ, ſic vt prophetia omnis lucem, ſplendorem, auctoritatem ab eo capiat. Breui enim Mariani nominis compendio tota prophetia comprehenſa eſt, poſtquam Verbum caro factum tam mirabiliter abbreuiatum eſt. In etymologijs nominis ſuprà oſtendimus, quanta vnico duarum vel trium ſyllabarum vocabulo contineantur myſteria: at parum eſt ad explicandam nominis alicuius vim ratio etymologica. eam ſignificat nomen Maria; propter quam non tantùm prophetia, ſed, S. Bernardo teſte, Scriptura omnis facta eſt, & propter quam mundus vniuerſus conditus eſt: ſignificat, inquam, eam non ſecundùm hanc aut illam eius virtutem, gratiam vel prærogatiuam, qualem ſingulæ rationes etymologicæ poſſunt proponere; ſed ſignificat eam prout eſt ſecundùm omnem ſanctitatem, gratiam, excellentiam, dignitatem quam habet. vnde non tantùm prophetiæ germanum, ſed omnis prophetiæ compendium dici poteſt, quandoquidem eam, quam omnis prophetia per partes annuntiat, totam perfectiſſimè ſignificat. Eſt ergo eâ veneratione nomen beatiſſimum Virginis Deiparæ accipiendum, tamquam ſi liber integer propheticus, imò prophetia omnis, traderetur à Domino. Quid non debet capiti ſuo Chriſto Eccleſia, quòd ei per os Prophetarum aperire dignatus ſit abſcondita ſuæ diuinitatis, & ceterorum conſiliorum ſuorum arcana? at plus ei debet pro vnico Mariæ vocabulo, quàm pro tot voluminibus Prophetarum.

Quid ſit prophetiæ eſſe germanum.

Mariæ nomen eſt totius Scripturæ compendium.

Hinc ſummè venerandum.

phetarum. Si vel ad solam S. Ambrosij etymologiam attendas. quâ tradit maternitatem Dei Mariæ vocabulo significari, dum illud *Deus ex genere meo*, interpretatur; iam capies id omnium prophetiarum esse compendium. Huc enim omnes earum figuræ & ænigmata, huc facta & dicta omnia spectabant, vt nasciturum Dei Filium mundo annuntiarent; Maria autem non tantùm nasciturum eum, sed ex Virgine, & ex Virgine dignissimâ, eoque partu dignissimâ, primò nasciturum, & deinde natum declarat: indicat enim eam Matrem Dei esse, cui ipsum nomen erat proprium. Sed ista non repeto; potiùs ex S. Germano Chrysologum explico, dicoque prophetiæ germanum esse nomen Virginis, quia est vitæ, lætitiæ & auxilij prognosticon; nec prognosticon significatiuum tantùm, sed etiam efficax, vtpote causa eius quod annuntiat. Numquid ea vis verborum suprà citatorum, *Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita etiam sanctum tuum nomen, ô Virgo, quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ & auxilij non solùm est signum, sed ea etiam procurat & conciliat.* Nónne tamquã victoriæ signum Mariæ nomen ponunt ij Patres, qui illud aduersario nostro tam dicunt horribile, vt non æquè timeat castrorum aciem copiosam? quod S. Bonauentura suprà disertè affirmabat. Nónne æternæ prædestinationis prognosticon id faciunt, qui crebram eius pronuntiationem in morte commendant? tamquam certum sit, extra Dei amorem obire non posse, qui moribundus manducat & masticat hoc salutis æternæ antidotum.

Mariæ nomen est signum prognosticum.

S. Germanus de zonâ Deiparæ

Maneat ergo explicatum Mariani nominis verissimum & laudatissimum epithetum, quòd sit prophetiæ germanum, quia omnia nobis præstat quæ poteramus à quacumque prophetiâ exspectare. Considera, an non ideò cesset in Ecclesia Dei publicum istud & crebrum prophetiæ donum, quale in veteri lege erat, quòd iam habeamus Iesu & Mariæ nomina, quæ multò certiora & efficaciora nobis edunt oracula quàm omnes prophetiarum voces & libri? Liceat ergo dicere de Mariæ nomine, quòd *habemus firmiorem propheticum sermonem*, 2. Petri 1. v. 19. hoc est, prout hîc interpretationem cuiusdam lectionis Græcæ accommodamus, sermonem omnibus Prophetarum oraculis firmiorem, scilicet Iesu & Mariæ nomina: *cui benefacitis*, pergit S. Petrus *attẽdentes*, Græcè προσέχοντες, id est, *intendentes*, vt legit S. P. N. Augustinus Tract. 23. in Ioannem; vt studium Sodalium laudetur, quod insumunt mecum examinando & perscrutando nomini Mariano, non iam quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco (quod ipse de prophetiis) sed orto iam lucifero in cordibus nostris, tamquam soli splendenti in meridie. Praxim ex hoc nominis Mariani encomio trahent mancipia, vt non secùs nomen Mariæ atque prophetias & sacram Scripturam venerentur, Commentaria in illud conficiant, omnes eius apices examinent, omnia quæ in eo reperient mysteria colant atque suspiciant.

Praxis virtutis ex hoc nominis Mariani encomio.

CAPVT XXVIII.

MARIÆ nomen est renascentibus salutare.

ALTERA nominis Mariani laus ab eodem S. Chrysologo assignatur, quòd sit renascentibus salutare. Constat apud fideles, renasci omnes in Christi sanguine, qui fidei mysterijs initiantur, & vndâ baptismali perfunduntur; sed non ita constat, quid mouerit Patrem hunc, cur potissimùm ijs salutare Mariæ nomen esse pronuntiarit: an indicare fortè voluit, cùm natiuitas hæc secunda sit ad salutem, quòd ideò nomen Virginis sit renascentibus salutare, quòd non soleat nisi obstetricante Maria felix partus ille contingere? an hoc cogitabat, quòd Christus quidem auctor omnium Sacra-

mentorum, sed quòd non applicentur vlli in particulari, nisi per Mariam? an eò respiciebat, quod posteà dixit S. Thomas Opusc. 8. *Conuenienter vocatur Maria illuminata in se, & illuminatrix in alios, quantum ad totum mundum, ideò assimulatur soli & lunæ?* Haud dubiè multa voluebat animo sanctus Doctor, quando dicebat nomen hoc renascentibus salutare, quandoquidem multis modis Maria ijs operatur salutem. Richardus à S. Victore cap. 26. in Cant. ita scribit: *Talis fuit in virtutibus, tantaq; fuit eius charitas, vt non solùm ad eius gentem, Iudæos videlicet, extenderetur; sed ad ignotos & notos, ad omnes denique homines dilatata fuit. pro his indesinenter orauit; pro his solicita fuit; pro his orando exaudita fuit, dicente adeam Angelo Gabriele, Inueniti gratiam apud Deum, scilicet quam quærebas: omnium salutem desiderauit, quæsiuit, & obtinuit; imò & salus omnium per ipsam facta est, vnde & mundi salus dicta.* Et S. Ephræm Oratione ad Virginem: *Per te reconciliati sumus Deo: tu captiuorum redemptio, tu omnium salus. Aue pax, gaudium & salus mundi: aue mediatrix glorioſissima, aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix.* Plura in hanc sententiam diximus alibi, quando probauimus, mundi Redemptorem non egutsse quidem, attamen adsciuisse sibi corredemptricem Virginem Mariam. Nomen ergo Virginis est renascentibus salutare: quia, vt inquit S. Petrus Damianus, *init Deus consilium de redemptione hominum, statim de thesauro diuinitatis nomen Mariæ euoluitur; ac per ipsam, cum ipsâ, & in ipsâ hoc faciendum decernitur.* Salutare est nomen renascentibus, quia illuminationem significat; quæ in primis necessaria est vt partus iste edatur in lucem fidei. Salutare est nomen Mariæ renascentibus; quia ipsa, quæ nomine appellatur, mater & nutrix est omnium qui Deo regenerantur. *Illa vna femina,* inquit S.P.N. Augustinus, *spiritu planè mater est membrorum Saluatoris, quod nos sumus, quia cooperta est charitate, vt fideles in Ecclesia nascerentur, qui illius capitis membra sunt; corpore mater est ipsius capitis.* Sed opus non est interpre-

Maria corredemptrix.

Serm. de Annuntiat.

Mater & nutrix fidelium.

te alio quàm ipso Chrysologo, qui eodem Serm. 146. ostendit, quàm salutare sit renascentibus nomen Maria, cùm mater sit omnium fidelium: *Maria,* inquit, *mater vocatur. & quando non Maria mater? Congregationes, inquit, aquarum appellauit Maria. Nónne hæc exeuntem populum de Ægypto concepit vno vtero, vt emergeret cælestis in nouam creaturam renata progenies? iuxta illud Apostoli 1. Cor. 10. Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari. & vt semper Maria humanæ præuia sit salutis, populum quem vnda generatrix emisit in lucem, ipsa iure præcessit in Cantico: Maria, inquit, soror Moysi sumens tympanum in manu suâ. dixit: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est.* Vbiq; mater est Virgo Deipara; sed maximè renascentibus est salutaris; quia statim illos pectori suo admouet, & nutrit vberibus, ne vitam, quam mox acceperunt, perdant defectu alimenti. Guilielmus Parisiensis ad illud Cant. 4. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli,* ita de Virgine loquitur: *Plenum est vberibus maternum illud pectus intus & foris: foris quidem habet duo vbera, quibus pro tempore pia Mater aluit Filium intus item duo vbera habet ad alenda membra eius, vnum compassionis, alterum congratulationis.* hoc recreat Sanctos & iustos; isto animat peccatores & afflictos: vtroq; nutrit omnes qui Deo nascuntur in Ecclesia: & audeo dicere, alia non esse Deo vbera quibus nutriat lactetque suos, quàm hæc Virginis Deiparæ. Paradoxum hoc videtur & alienum à pijssimis illis, quas de bonitate diuinâ formare solemus, cogitationibus? non videbitur ei qui caput Canticorum quintum examinarit, & à Sponsâ ipsâ didicerit veritatem huius dicti: ipsa enim Capite superiore à dilecto suo exquisitis ornata laudibus, vt possit paria cum eo facere, distribuit per omnia eius membra orationem, singulisque insistens, tam aptis ea verbis describit, tam insignibus exornat comparationibus, vt dubites magisne rapiaris in amorem tam insigniter laudati, an tam artificiosè laudantis: nam caput eius

Deus non habet alia vbera quàm vbera Deiparæ.

ait instar auri probati rutilum; comas eâ formâ quâ elatissimæ palmarum superbiunt, eo colore qui coruis esse solet, insigniri: oculos verò columbis assimilat, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta riuulos aquarum; & genas aromatum areolis consitis à pigmentario. Quid manus, quid labia? hæc lilia esse dicit distillãtia myrrham primam, illas plenas hyacinthis facillimè versatiles ad largiendum: ita ventrem, crura, guttur, speciemque vniuersam dilecti sui aptissimè depingit coloribus. Sed quid? an nihil excedit, aut omissum per incuriam! grauis ea foret Sponsæ tam diligenter laudatæ accusatio, maximè in amœbæo carmine, in quo crescere potiùs debet quàm decrescere oratio: hãc autem neque personæ loquentis amor, nec scribẽtis admittit prudentia. Quòd ergo pectoris vberumque illud exornantium nullam hîc faciat mentionem, non reputandum est vitium, sed mysterium. An enim præcipuum illud corporis humani ornamentum & illecebrosum decus omitteret Sponsa amantissima, cùm sua videret à sponso tam studiosè esse laudata, vt octo queis Cantica absoluuntur capitibus, sexies eorũ mentionem fecerit; si vbera reperisset in Sponso quæ laudaret? Non enim est quòd dicatur, ea magis ad feminæ ornamentum pertinere, in eâque magis quàm in viris laudari: idem enim de ventre dici poterat. nam si dicas, omittendum eum non fuisse, quòd tot ipse sibi pepererit filios adoptionis, declarandum restat, cur ei, cui venter tribuitur ad pariendum, vbera non dentur ad nutriendum. Hoc autem declarat S. Germanus Homil. de zonâ, dum ait: *Nullus est qui saluus fiat, nisi per te, ô sanctissima: nullus est qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima: nemo est cui donum concedatur, nisi per te, ô castissima: nemo est cuius misereatur gratia, nisi per te, ô honestissima.* hoc est dicere: Si CHRISTVS peperit innumeram filiorum multitudinem, quando per crucis tormentum & ignominiam vitam nostram morte suâ reparauit, ijdem omnes filij non alijs admouentur vberibus, quàm tuis, ô Virgo Deipara. Clariùs indicabat S. Petrus Damianus: *Init Deus cõsilium de redemptione hominum, statim de thesauro diuinitatis nomen* MARIAE *euoluitur; ac per ipsam, cum ipsâ, & in ipsâ hoc faciendum decernitur.* Ipso illo instanti quo Deus tractat de producendis tot liberis, dum omnibus parturientibus grauiores sibi proponit dolores, vt edat in lucem gratiæ filios adoptionis; simul hoc circumspicit, quæ nutrix vberibus suis alet sobolem tam copiosam; & statim de thesauro diuinitatis MARIAE nomen euoluitur; inuolutum erat instar thesauri, vt in occasionem optimam seruaretur. Ecce autem dum agitur de lactandis filijs Dei, mora nulla, statim euoluitur: nam quæ melior nutrix quàm ea, quæ, teste Guilielmo Parisiensi, plena est vberibus intus & foris? Indaganda videntur hîc penitiùs in fabricando lacte naturæ secreta, vt appareat clariùs, quàm sit Virginis nomen renascentibus salutare. Macrobius lib. 5. cap. 11. ait: *Postquam sanguis ille opifex in penetralibus suis omne opus effinxit, atque aluit; aduentante iam partus tempore, idem ad corporis materni superna conscendens, in naturam lactis albescit; vt recens natis idem sit altor, qui fuerat fabricator.* At modum, quo id præstat natura, etiam curiosiùs scrutatur Clemens Alexandrinus lib. 4. Pædag. cap. 6. vbi docet, quo tempore infans maternis penetralibus clauditur, sanguinem per secundinas secretas fluere in alimentum prolis; at tempore partus, obturatâ viâ istâ, non inueniens sanguis exitum ordinarium, ad superiora vberum remeat: quorum, venæ apertæ & agitatæ motu arteriarum vicinarum albedinem inducit; quemadmodum mare agitatione tempestatis spumas producit albissimas. Verba Clementis sunt: *Vnda instar agitatus albescit, & tali interruptione ritu spumæ mutatur affectione quadam, ei quæ mari euenit non absimili.* hoc est naturæ in sanguine formando arcanum. Vide iam quodnam inde pietatis nostræ eruatur mysterium. Quamdiu Ecclesiæ filij erant adhuc in Synagogæ visceribus clausi & absconditi, neque prodierant in hanc gratiæ lucem, quâ modò fruimur Christiani; sustentabat illos sangnis CHRISTI fluens viis occultis

Quomodo natum in Deiparâ lac misericordiæ, quo nutrit renatos.

Quos CHRISTVS parit, dat Virgini nutriendos.

Serm. de Annuntiat.

& secretis per sacrificia legis veteris: at vbi aduenit tempus partus illius felicissimi, quo in cruce Seruator mundi ederet in lucem generosam Christianorum sobolem; sanguis omnis de corpore eius manâs collectus est in sinu B. Mariæ Virginis, ibique in lac albissimum miserationis atque congratulationis conuersus, quo iam edita proles nutritur & adolescit in robur viri perfecti, donec comedere possit cibum solidiorem in mensâ illâ, vbi CRISTVS ipse transiens ministrabit eis. *Ipsa priùs repleta es*, dicit alibi citatus Richardus Victorinus, breuiter pandens hoc mysterium, *& ex te nobis descendit hæc abundantia.* & Gulielmus Parisiensis suprà: *Per hoc quòd facta est verbi incarnati Mater corporalis, facta est membrorum eius mater spiritualis: per hoc quòd caput nostrum secundùm carnem concepit, membra eius lacte pietatis alenda suscepit.* Constat ergo, quòd maximè salutare renascentibus sit nomen Virginis, quod illuminationem sonat, per quam venitur in lucem gratiæ; & erutum de diuinitatis thesauris, nutricem nobis assignat, quæ alat suauissimo lacte misericordiæ quotquot nascuntur filij Ecclesiæ. Salutare est renascentibus, quia dulcissimum nomen illud est pronuntiantibus, & amarum omnibus inimicis nostris: simile ergo est salutari infantium medicinæ, quæ nec amara nec nimiùm fortis esse debet, ne corpusculum nondum benè coagulatum dissoluat; & tamen iis polleat viribus necesse est, quibus noxios humores aut morbi venenum, quod teneros artus occupauit, depellat. Infantes omnes sumus, asperiores potiones, quales sunt afflictationes corporis, mortificationes passionum, tormenta pro Christo subeunda, reformidamus; malumusque imprudentes sæpè perire, quàm remedij asperitatem exsorbere. Data ergo est medicina ægroto dulcissima, & morbis infestissima, nomen MARIAE: hoc masticemus, hoc frequenter ore & mente voluamus, experiemurque quòd sit medicina salutaris omnibus in Ecclesiâ renatis. Etiam in hoc infantibus est accommodatum hoc nomen, quòd adeò magnum sit, vt oculos, aures, animum pronũtiantis illud impleat. Ea est enim puerorum auiditas, vt etiam quantitate alimenta æstiment, velintque sibi oculos ambasque manus repleri. magnitudinem hanc infrà examinabimus. Iam ad praxim. Cùm renascentibus Sodalibus tam multipliciter salutare fuerit nomen B. MARIAE Virginis, crebraque inde ipsis acciderit illuminatio, poterunt illud aliquoties genua flectendo repetere, gratias agendo pro hoc ipso illuminationis nutritionisque spiritualis beneficio. Secundò, piũ erit candelas imagini Deiparæ ac nominis sanctissimi eâ ipsâ intentione accendere.

Medicina puerorum est nomen Mariæ.

Praxis virtutis ex hoc encomio.

CAPVT XXIX.

Nomen B. MARIAE est virtutis insigne.

STARE infestis aciebus in Martis hoc campo, quem mũdum vocant, hinc vitium, inde virtutem, atque adeò militiam esse vitam nostrã vniuersam, cum experiamur omnes, probari non debet: at quod affirmat Chrysologus, eos qui à virtute stant, pro insigni atque vexillo Mariæ nomen gyrare, non ita est notum, vt superuacaneum sit breui id discursu explicare. Pro quo discendum ex sacris paginis, vexilli eleuationem tria significare: nam apud Isaiam 62. v. 10. conuocationem populi designat. dicitur enim: *Præparate viam populo, planum fecite iter, eligite lapides, & eleuate signum ad populos; ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ.* apud Ieremiam verò 51. v. 27. ad indicendum bellum vsurpatur: *Leuate*, inquit, *signum in terrâ, clangite buccinâ in gentibus.* apud Isaiam iterum c. 5. v. 26. *Et eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ; & ecce festinus velociter veniet.* Tertiò denique adhibetur ad indicandum itineris ducem. Sic quando castra mouebant in deserto filij Israël, eleuabantur in

Vexilli eleuatio tria in Scripturâ significat.

singu-

singulis tribubus vexilla, & singuli iuxta proprium castrametabantur vexillum. Num. 2. v. 2. *Singuli per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum castrametabuntur filij Israël per gyrum tabernaculi fœderis.* Prima significatio quasi naturalis est: nam, sublato signo, etiam qui ignorant quodnam sit, aut ad quid eleuetur, concurrunt, vt discant quid sibi velit is qui illud sustulit: qui concursus eò est frequentior, quò vel maior est qui dat signum, vel ipsa vexilli signive forma est insolentior. Sustulit, affirmante Chrysologo, insigne suũ Virtus, Imperatrix omnium quas orbis vidit nobiliſſima: & sustulit non obscurum aliquod lacerumque hostili manu vexillum, sed nouum, & post multas victorias integrum, intactum, atque istar solis rutilum, insigne nominis MARIANI: quis non concurrat, quis non accedat examinaturus quid tanta Imperatrix signo tam magnifico cupiat indicatum. Sapientissimè profectò hoc adhibuit consilium virtus, vt nomen hoc tam magnificum extolleret, quo magnam mundi partem conuocaret, faceretque sui sequacem. Quàm deserta, quã solitaria incedebat antequam hoc cepisset cõsilij? vix vnus aut alter latus eius stipabat, dispersis toto orbe in viam suam mortalibus: at simulatque MARIAE nomen extulit, ostenditque in eâ, quæ nomine hoc significabatur, viuam spirantemque sui imaginem; concurrit orbis vniuersus, exploraturus quænam essetilla Imperatrix, quæ tam nobile vexillum erigeret.

Virtus sustulit vexillum nominis Mariæ, vt conuocet ad se homines.

Ad indicendum bellum valet præterea signi huius sublatio. Prædictum quidem erat diabolo & vitio: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum & semen illius*, Genes. 3. v. 13. Sed hæc vti erat solummodô verbalis declaratio belli; ita facilè ab hoste spernebatur, fiebatque vt ipse nullo vindictæ metu prædas ageret, & in alieno dominaretur: at simulatque, sublato vexillo hoc virtutis, quod est nomen MARIAE, vidit iam indictum esse bellum, serioque rem agi; illicò ipse fugit ad primum vexilli conspectum. *Non enim ita metuunt hostes visibiles*, inquit S. Bernardus, *quamlibet castrorum multitudinem copiosam, sicut aëreæ potestates* MARIAE *vocabulum; & pereunt sicut cera à facie ignis, vbicumque inuenerunt huius nominis crebram recordationem.* & S. Bouauentura ait in Psalt. *Ab inuocatione nominis tui trepidat spiritus malignus*: Videt namque serio sibi bellum indici, quandocumque hoc vexillum gyratur aut ostentatur. Quod vt clariùs constet, euentu vno atque altero, qui semper in bellis est arbiter, confirmabo. Ecce narrationem certâ totius Lusitaniæ traditione notissimam, & à rerum D. Dominici Ordinis Historiographo Ferdinando del Castillo memoriæ proditam 1. p. Histor. Gener. Ordinis Prædicator. lib. 2. cap. 72. vt ex eo refert Alfonsus Villegas Flor. Sanct. p. 5. Vitâ 173. *Boncela*. municipium Conimbricense est; ibi nobilibus parentibus natus quidam Ægidius. hic, vixdum adolescens, industriâ & fauore tres Canonicatus & Prioratum vnum adeptus, omni vitio diffluebat, non indoctus Humaniorum litterarum & Philosophiæ & Medicinæ: cui, quam sibi opportuniorem ad nequitiam rebatur, totum se dare, & Lutetiam eius addiscendæ causâ proficisci cùm cogitaret; iter aggressus, dæmonem obuium humanâ in specie habuit. Malus iste viæ comes, à noto sibi, sed ignotus, paulatim varia quærere: vt audiuit profectionis consilium; Quin tu, inquit, me potiùs audis? scientiam indicabo, quæ & adeptu facilis, & vsu præcipua ad dignitates voluptatesque; ipsius etiam, quam sitis, Medicinæ summa perfectio est. Necromantiam dico. Dixit, & persuasit: abducit Ægidium, & adducit in vastum specum prope Toletanam ciuitatem: ibi occurrêre læti & excepere venientem viri dæmonesque humanâ effigie. Itur in specum, exigitur non secreti tantum, sed & ligiæ fidei, siue homagij perpetui sacramentum. Volens adigitur, & schedulâ proprio consignatâ cruore promissum confirmat. Septennio illic tetris artibus & caliginosâ scientiâ imbuitur. Post Lutetiam profectus, miros breuî inter Hippocratis sectatores progressus facit, & Doctoratus est lauream adeptus. glisebant enormia magis magisque

Item, vt seriò bellum indicat diabolo.

gique peccata: ruebat de scelere in scelus; ambiguum erat, famâ eruditionis, an nequitiæ infamiâ maior. Sed, ô Dei bonitatem! vi, quem lenitate nequiuerat, statuit trahere. Ecce tibi equitem hoplomachum, lanceam vibrantem & intentantem misero, irato, vultu, minaci voce clamantem: *Vitam hanc moresq; desere, ad frugem conuertere.* Subitus Ægidium terror occupauit; & veloci motu cum terrore, institutum pristinum displicere desijt. Ad volutabrum luti reuerso, post triduum idem ille eques iam terribilior non solùm minatur, eadem verba repetens de mutando vitæ instituto; sed lanceam pectori infigit, & vulnus, etsi non graue, infligit. Fractus animo noster, *Dedo*, inquit, *me: faciam, Domine, quidquid iusseris.* Saulum diceres in terram deiectum. Statuit serio se totum Deo dicare, & quò intus impelli sesentiebat (*vrgente, sic opinor, Angelo custode, qui apparuerat*) religiosæ alicuius instituto Familiæ se addicere. Hoc animo Lusitaniam repetens, dum per Pallentiam iter habet, vbi tum Monachi Dominicani monasterium moliebantur, subit cupido cernendi operis. Videt viros sanctitate & eruditione claros, quosdam etiam viribus & ætate defectos, delicatè olim nutritos, calcem subigere, ligna dolare, lapides parare, & onera humeris portare, summâ lætitiâ & alacritate. Optat se illis iungere, petit instanter admitti, impetrat. Tirocinio defungitur, magnâ spe sanctitatis futuræ excitatâ: post aliquot annos missus Santarenum in Lusitaniam, ibi crescebat oratione & victoriâ sui. Vnus angebat scrupulus, quòd penes dæmonem hæreret schedula illa obscena & detestabilis. Igitur ardentius Reginæ cælorum se commendabat; mali huius remedium aliquod postulabat, non sine lacrymarum imbre, & continuo suspiriorum concentu. Quid neget misericordiæ Mater sic postulanti? die quadam cùm in sacello templi prolixiùs oraret, apparuit illi dæmon formidabili aspectu, deteriore vlulatu, conuitium facit, & præstitam fidem acceptaque beneficia petulanter exprobrat; tandem, post multa minaciter & proteruè & impotenter obiecta, *Faxo*, inquit, *huius te Monachismi & violentiæ quæ me tibi syngraphum hunc cogit restituere, nunquam satis pæniteat.* Simul abijcit eum ad pedes Ægidij, & videri desijt. Ægidius chartulam accipit, & lacerat minutim. Nec vanæ dæmonis minæ fuere: admirandis illum modis plus septennio posteà vexauit. Mirto vexationes alias. Assumebat Monachi cuiusdam, qui in eodem degebat Monasterio, similitudinem: & nihil non quod excogitari inter domesticos posset, molestiæ Ægidio inferebat. patiebatur hic; sed tandem dolens malitiam illam serpere, & Fratrem, vt putabat illum Deum sic semper offendere, rem defert Priori, & petit aliò mitti; causamque aperit accersito Fratre, Depre hensus calumniator, & insolens ab alijs, solitus ab Ægidio vinci, desiit victori negotium facessere. qui tandem clarus multis non virtutibus tantum raptibusque, sed & miraculis varijs, anno 1265. mundo denascitur, vt cælo nasceretur. sepultus Sanctareni, vt Sanctus colitur. En victum prostratumque hostem MARIAE inuocatione, quem iterum iuuat gloriosè debellatum cernere solâ huius signi ostentatione. Horatius Tursellinus Historiæ Lauretanæ scriptor, pari elegantiâ & fide rem gestam proponit: Galium porrò iuuenē Lauretanæ Virginis tutela seruauit, quem in præcipitem locum libido insana prouexerat: hic, vt erat proiectæ cupiditatis audaciæque, in vetitas se effuderat voluptates. Expugnato multarum matrum-familias pudore, immodico cuiusdam mulieris amore flagrabat: quâ cùm nec prece, nec pretio, nec vi doló ve potiri liceret, vltima experiri statuit. Igitur conciliatum magicis cantionibus dæmonem rogitat, vt se voti compotem faciat, ad omnia se descendere paratum ostendens, si eo, quod expeteret, frueretur. Diaboli ergo iussu à Christo deficit, seque totum illi dedit traditque: super hæc omnia, iurat conceptis ab illo verbis, & chirographo suam obstringit fidem. Vsque eò impuras mentes voluptatis amor excecat. Ceterum, ut potitus est

quod

quod cupierat, fecit, vt fit, fastidium copia; & cælesti luce obortâ, magnitudinem sceleris sui serâ æstimatione perpendit. Ergo posteaquam animum curis anxium pœnitentia subijt, ad veniæ spem erectus, cælestem opem spectare, Deum Deique Parentem implorare cœpit. Inrer hæc occurrit animo Virgo Lauretana, eiusque ædis Sacerdotes ampliſſimâ facinorum expiandorum auctoritate præditi. Protinus, Deo auctore ac duce, Lauretum petit; haud dubius quin inibi esset tantis malis remedium inuenturus. Nec sua illum frustrata spes: Lauretum vt venit, Sacerdotem idoneum nactus, re omni expositâ, consulit, ecqua sibi spes sit reliqua salutis. Ille primò sceleris atrocitate exterritus paulisper hæsit; deinde, immanitate facinoris demonstratâ, ita spem illi salutis ostendit, si precibus, ieiunijs, voluntariâque corporis vexatione Deum placare penitus insistat. Cùm ille nihil omnino pœnarum recusaret, promisit Sacerdos, si imperata feciſſet, se faciles aures ei daturũ, & tantum piaculum Deo propitio vtique expiaturum. In digressu hominem monet, vt per triduum inediâ, cilicio, flagris corpus afflictet, beatæ Virginis opem implorans; per eam à Deo veniam exposcat; se eodem triduo rem diuinam pro ipsius incolumitate facturum. Et vtrimque exstitit fides. Ita triduo extracto, Sacerdos optimum ratus est ante absolutionem chirographum à dæmone extorqueri, ne quid omnino iuris in illum haberet. Proinde hominem ab se dimittit monitum, vt augustissimum sacellum ingressus, precibus lacrymisque Deiparam vsque eò fatigaret, dum chirographum à diabolo extortum reciperet. Morem gerit ille, suæ salutis securitatisque auidus, haud dubiâ spe id se deprecatione Deiparæ Virginis impetrare posse. Ergo prostrato ante Virginem corpore, lacrymans obnixè eam precatur, vt, receepto illo nefario chirographo, saluti incolumitatique suæ consultum velit. ingenti miraculo compos voti efficitur. Versiculos illos ex animo iterabat:

Monstra te esse matrem;
Sumat per te preces,
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.

Talia precatus, subitò chirographum in manus suas delapsum conspicit. Itaque vix subimet ex inopinato gaudio credens, integrato fletu grates Virgini enixus agit. Inde sacello egressus, lætitiâ exultans ad Sacerdotem accurrit: receptum Deiparæ beneficio scriptum ostendit. id erat tot tantisque in Christum, atque in ipsum qui scripserat, diris & execrationibus refertum, vt facilè appareret, à sempiterno humani generis hoste dictatum. Verumtamen tantum vinculum omni diabolicâ fraude potentior vis diuina dissoluit: ita deuotum illud inferis caput, Deiparæ benignitate asseritur in libertatem filiorum Dei. Et hostis generi nostro infestissimus, vibrato nominis MARIANI vexillo, per piam eius inuocationem vincitur; quia tum serió ei bellum indicitur, quando illud gyratur.

Nec primi sumus nos homines, qui labarum hoc inferni potestatibus tam formidabile sustulimus; iam inde ante conditum genus nostrum Michaël Angelorum Princeps illud euentu felicissimo gyrauerat, terrueratque ac vicerat hostem Luciferum virtute & ostentatione huius vexilli. Si opponis, labaro eius verba hæc, *Quis sicut Deus*, inscripta fuisse, atque ab iis nomen sibi, tamquam à glorioſissimo victoriæ suæ instrumẽto, ipsum traxisse; respondeo, ijs ipsis verbis admirabiliter MARIAE nomen contineri. Qui enim petit docendi exprobrandique causâ, *Quis sicut Deus*? id verbis ijs significat & inculcat, de quo Lucifer dubitabat. Iam neminem posse Deo secundùm diuinitatem assimulari, clariùs per species infusas Lucifer sciebat quàm ipse Michaël: erat enim ipso naturali scientiâ perfectior. Sed nihil iuuat scientia, si mentem peruertat superbia: quæ Angelum istum sic excæcauit, vt, cùm facillimè colligere & scire posset, Deum etiam hominem & Filium Mariæ factum supra omnia esse adorandum, id facere noluerit, indignum suâ magnitudine ratus, se ad hominis pedes abiicere.

Quid enim (sic animum eius ventilabat superbia) quid Deo in mentem venit, ita deperire creaturam rationalium omnium viliſſimam, vt se ad humilitatem eius abiiciat? an non sunt tot Angelorum species, quarum infima pænè infinitis perfectionibus hominem exsuperat? si tanta est Deo libido sese creaturæ per hypostaticam vnionem insinuandi, quin harum alicui se coniungit, vt sine dedecore mihi liceat nobilitatem meam ad pedes eius abijcere? quem honorem ego iam statui statuoque homini nequaquam exhibere. Ita bellum Deo incarnato indixerat Lucifer; cùm statim in arenam descendit Michaël, eum qui oppugnabatur defensurus, vocemque vnà cum belli signo attolens clamabat, *Quis sicut Deus*, incarnatus scilicet & Filius MARIAE existens? nam hoc est de quo dubitabatur à superbo illo, qui, conspecto signo illo MARIAE nomen continente, non solùm locum in quo pugnabat deseruit, sed ad ipsas inferni latebras fugit, si fortè ibi tutus ab eius virtute posset delitescere. O nomen MARIAE verè signum efficaciſſimè bellum indicendi hostibus infernalibus, cùm numquam obliuiſci possunt se vi huius nominis pugnam eam perdidisse, in quâ de summâ rei vnico conflictu agebatur!

Tertiò, vt ducat reducatque milites dispersos.

Est tamen magis proprium erectioni vexilli, vt militibus ducem itineris significet. Vegetius lib. 2. de Re militari cap. 13. ait: *Antiqui, quia sciebant in acie commisso prælio celeriter ordines que acies que turbari, ne id posset accidere, cohortes in centurias diuiserunt, & singulis centurijs singula vexilla constituerunt: ita vt ex quâ cohorte, vel quotâ centuriâ esset, in illo vexillo litteris esset adscriptum; quod legentes vel intuentes milites in quouis tumultu, à contubernalibus suis aberrare non possent.* Hæc nominis MARIANI proprietas, quòd sit virtutis insigne, per cuius aspectum milites quomodocumque dispersi redire possint ad castra virtutis, ipsâ etiam etymologia exprimitur: & cum eo concordat quo stella maris dicitur, variatâ solummodò comparatione rem eamdem significante. Quod enim nautis tempestate iactatis est stella maris, hoc militibus incursu hostili dispersis est vexillum: vtrisque nimirum itineris dux, à quo in viam reducantur. Nec perditæ sunt res militibus quamdiu vexillum saluum, & ipsi sub vexillo colliguntur; vti nautis spes restat, quamdiu polum suum videre, ad eumque cursum dirigere possunt. Hîc porrò notandum, quod à peritioribus exercituum Ducibus seruari videmus: qui hortantes milites ad fortiter contra hostes dimicandum, ea proponunt quæ ab hostibus passuri sunt, si vexilla submiserint; illaque in primis, quorum vnà cum vexillo iacturam facturi sunt, opes, possessiones, filios, coniuges, parentes, propriam denique libertatem ac vitam: quæ omnia quasi in vnico contenta vexillo, in vexilli solius defensione conseruanda designant. Quæ facillimum est huic nominis MARIANI labaro applicare, ostendereque, illo amisso, rem simul & spem omnem periisse status melioris; cum illud sit vnica ratio spei nostræ, & res vnica quæ possit nos, omnibus desperatis, erigere. Imò ex Tito Liuio constat, Duces aliquando solere vexillum in medias hostium acies proiicere, vt excitarent militum animos ad recuperandum vexillum, cum quo sciebant omnia sibi perire. Nescio an ideò Deus nomen MARIAE hostibus fidei nostræ permiserit ore impuriſſimo blasphemandum, vt nostram excitaret pietatem, quâ vexillum istud & insigne virtutis ex mediâ eorum acie recuperaremus; idque vindicantes ab iniuriâ, glorioſiſſimè plantaremus ante ipsas hostium fores, propagantes nominis illius sanctiſſimi honorem eo ipso in loco quo anteà blasphemabatur. Vegetius lib. 2. de Re militari cap. 20. aliam narrat Romanorum consuetudinem: quòd nimirum haudquaquam militibus integra stipendia adnumerarent, sed partem dumtaxat; partem verò quæ supererat, apud proprium cuiusque vexillum sequestrarent, vt vexillum illud maiori robore defenderent, in quo sciebant cuique repositam esse mercedem virtutis. Nónne ita nobiscum agit Dominus, qui partem mercedis largitur in hac vitâ pro bonis operibus, alteram

Cur permittatur à Deo, vt quidam Mariæ nomen blaspement.

Sub nominis Mariani vexillo stipendia nostra sequestrantur.

alteram verò partem sub hoc virtutis insigni deponit soluendam, si quidem signa non deseramus, in altera vitâ? ad quam nemo est peruenturus, nisi qui steterit sub nominis MARIANI vexillo: nam omnis ab eâ auersus impossibile est vt saluus fiat. Et hæc quidem ita hactenus explicantur, restringendo nomen *insigne* ad particularem vexilli significationem: at si eam sumamus in suâ latitudine, maior etiam exsurget laus nominis MARIANI. Est enim *insigne*, vel crebriùs numero plurali *insignia*, nota quâ vestes, vexilla, vtensilia insigniuntur, vt ad quos pertineant dignoscuntur: atque hinc etiam pro ipsis illis vestibus ponitur quæ à Magnatibus adhibentur, vt sui ab alienis dignoscantur. hinc Virgilius. 2. Æneid.

Nomtn Mariæ est liurea (vt vocant) virtutis.

----Danaûmque insignia nobis
Aptemus.----

& Ouidius:

Este procul vittæ tenues, insigne pudoris.

Et virtutis insignia nominauit Cicero Appio scribens: *Insignia enim virtutis multi etiam sine virtute assecuti*: ponens *insignia virtutis* pro præmiis & ornamentis virtutis. Adhuc ergo duplex significatio esse potest sententiæ illius, quà nomen MARIANVM insigne virtutis dicitur. Primò, vt intelligatur esse signum quoddam & nota, quam virtus ipsa dat suis, tamquam indicium quòd ad se familiamq; suam pertineant. Secundò, quòd sit ornamentum aliquod, virtutis causâ iis qui eâ excellunt donatum; prout modò cruces, vellus aureum, ligulæ, & olim statuæ cæteraque virtutis signa & præmia dabantur viris insignioribus.

In vtrâque significatione maximè ad mancipia nostra MARIANA pertinet hæc sententia: nam in primis si nomen MARIANVM sit illud signum, quo virtutis domestici & contubernales distinguuntur ab alijs; sequitur, Sodales ad mancipatum nominis MARIANI admissos, virtutis familiam ingressos, iam ab omnibus haberi pro domesticis eius. quod eis non vulgaris exhortationis loco est ad sedulo virtutis munia obeunda: quoties enim se nominis MARIANI mancipia dicunt vel audiunt, toties admonentur, quòd ei debeant sedulam nauare operam, cuius insignia portant. Rursum, cùm idem nomen sit insigne virtutis, quale est vellus aureum, ligula, crux, statua, datum ad insigniendum eum qui virtute excellit: quantæ dignitatis erit, esse mancipium Deiparæ eiusque sanctissimi nominis, cùm nullum excogitari possit hoc nomine insigne splendidius, nec ordo vllus à Regibus institutus, qui sæculari honore possit aspirare ad hanc mancipiorum gloriam? ceteri enim gestant obscuram quamdam particularis alicuius virtutis vmbram; mancipia verò in hoc nomine habent virtutis ipsius integræ, &, quantum purus homo eius capax est, vndequaque perfectæ fulgentissimum insigne. Praxis quam occasione huius encomij obire possunt Sodales, est Primo, crebro nomen illud pronuntiare, tamquam si toties ostentato vexillo bellum diabolo indicerent. Secundo (quod piè quidam vsurparunt) illud tamquam sigillum litteris, vtensilibus, parietibusque inscribere, vt testentur dominum eorum esse virtutis domesticum, nec vllum desiderare cum vitiis commercium: ita Rex aliquis arcem occupans, omnia veteris domini insignia amouet, & eorum loco sua portis, turribus, ceterisque locis publicis affigit. Tertiò, frequenter se, pronuntiando MARIAE nomen, excitabunt ad virtutis studium. Quarto, omnibus suis titulis & insignibus præferent, esse & dici mancipium Deiparæ eiusque sanctissimi nominis.

Honorat suos virtus nomine Mariano.

Praxis virtutis ex hoc encomio.

CAPVT XXX.

MARIAE nomen est pudicitiæ decus.

PRAEFERIMVS vbique Chrysologi nomen hisce nominis MARIANI encomiis, ne quisquã fidem deneget ijs quæ certum est omnem intelligentiam superare. Magna asseruimus de Virginis dignitate & dominio, magna de virtutibus eius, quibus supra omnes Sanctos & Angelos probauimus exornatam; at maius quiddam breui oratione includit, quem dixi, Chrysologus, quando de nomine eius affirmat, quòd sit *pudicitiæ decus*. Virtutes decus esse non mortalium modò, sed etiam Angelorum, constat inter omnes; Dei verò soliùs illa incomprehensibilis laus est, quod ipse non tam decoretur virtutibus, quàm illis ipsis sit ornamento. Neque enim ideo Deus honorandus magnique faciendus, quod ipse iustitiâ, prudentiâ, fortitudine ceterisque immortalibus rationalium creaturarum ornamentis sit præditus; sed ideo magnifacimus has ipsas virtutes, quia cum intrinsecâ Dei bonitate, quæ prima honestas & laudabilitas est, aliquatenus consentiunt. Quod Hierarchicus Magister noster de Diuinis nominibus cap. 8. §. 1. de potentiâ iustitiâq; diuinâ acturus, sic proponit: *Quòd Deus quidem deificationis princeps supra omnem potentiam feratur, & omnem potentiam, quomodocumque est & excogitatur, exsuperet, non puto vllum ex iis qui in diuinis Scripturis alti sunt & educati, ignorare.* Mouet autem statim quæstionem, quam puto iam Lectorem cogitando præueniisse, dicens: *Quomodo igitur Theologi tamquam potentiam laudant, quæ extra omnem potentiã posita est? aut quomodo in cã nomẽ potentiæ accipiemus?* resoluitque quæstionem, vt ait Lessius lib. 1. de Perfectionibus diuinis c. 3. mirabili & plusquam humano modo loquendi, quo vtitur ad exprimendã suorum conceptuum sublimitatẽ. ait enim: *Dicimus igitur Deum esse potentiam, vt qui præhabet in se & supraquam habet omnem potentiam; & vt omnis potentiæ auctor, & vt omnia inflexibili & incircumscriptâ potentiâ producens, & vt auctor ipsius esse potentiæ, tam vniuersalis quàm cuiusque particularis: & vt infinitipotens non solùm omnem potentiam producendo, sed etiam supra omnem potentiam, & supra ipsam per se potentiam existendo.* Superiore capite similia de sapientiâ Dei affirmauerat; quam ideo, quod supra omnem sapientiam esset, audet familiari, vt fatetur, Hagiographis consuetudine, *priuationis contrario sensu* nominare *rationis expertem, & amentem atque fatuam sapientiam*; ne putemus, Deum sapientiâ exornari potiùs, quàm esse sapientiæ ipsius ornamentum. *Est enim*, inquit, cap. 7. §. 2. *causa supraquàm sapiens & omnia sciens, per se sapientiæ & totius sapientiæ vniuersalis & particularis effectrix.* Ex quibus verbis perceptâ illâ admirabili Dei laude, quam toto libro de Diuinis nominibus inculcat S. Dionysius, quod ipse non tam ornatus sit virtutibus, quàm virtutes ab eo ornentur (cùm hæ non sint nisi extrema quædam eius quod in Deo est resonantia) eo laudabiliores, quo clariùs perfectione suâ nobis quodammodo loquuntur id quod ipsis omnibus infinities perfectius in Deo latet; iam examinanda est illa admirabilis Chrysologi de MARIAE nomine sententiâ, quâ id non reformidat *pudicitiæ decus* appellare. Quò autem facilius intelligatur sublimitas huius laudis, notandum, virtutes trifariam diuidi posse. Quædam sublimiores atque diuiniores sunt, nullam vel naturæ vel culpæ imperfectionem præsupponentes: quales sunt sapientia, iustitia, ceteræque quas Deo sine vllâ dubitatione Theologi attribuunt; atque vti attributa Dei, ita etiam virtutes diuinæ vocari possent. Aliæ sunt creaturarum virtutes, quæ Deo nullâ ratione conuenire possunt, ex eo quòd naturæ quam-

Deus non ornatus virtutibus, sed eas ornat.

Virtutum aliæ Dei, aliæ creaturarum, aliæ peccatorum.

quâ fudam infirmitatem præsupponant quam perficiunt: tales sunt, obedientia quæ voluntatis, fides quæ intellectûs, castitas quæ corporis infirmitatem, necessariò præsupponunt. atque hæ dici possent creaturarum virtutes. Aliæ denique sunt & dici debent virtutes peccatorum, quòd præsupponant peccati fœditatem atque malitiam: talis est pœnitentia. Hoc prænotato, certum est postremis B. Mariam Virginem neque ornatam fuisse, neque vicissim ijs fuisse ornamento, cùm nullum habuerit vnquam cum peccato commercium. ac de primis illud quoque indubitatum, non ijs ornamento fuisse B. Mariam Virginem; quod Dei est propriùm: ad cuius perfectionem illæ exiguntur, eoque digniores, perfectiores, laudabiliores existunt, quò propiùs naturam eius diuinam imitantur. Fuit ergo ijs, quod alibi probauimus, supra angelicam atque humanam creaturam omnem exornata; existimandumque, eam non solùm collectione virtutum omnium singulas creaturarum superasse, ita vt verum sit dicere, nullam fuisse Maria sanctiorem; sed etiam singulis singulas, ita vt verum non sit, vllam exstitisse Mariâ vel iustiorem vel sapientiorem (loquor non de naturali vi intelligendi, sed de sapientiâ quæ virtus est) vel denique virtute aliquâ ex ijs quæ Deo conueniunt, & creaturis communicantur, præstantiorem. At de ijs quæ naturæ infirmitatem supponunt virtutibus quid dicemus? dixit iam ante nos Petrus Chrysologus, vt formidandum non sit sancti Patris vestigijs insistere: *Mariæ nomen*, inquit, *pudicitiæ decus*. De Maria primùm videamus, deinde de nomine. Iam distinximus, aliud esse, dicere, Mariam exornatam esse pudicitiâ aut castitate; aliud, castitatem vel pudicitiam à Maria exornari. tangitque res ista proximè statum Mariæ hierarchicum, quem ei, Deum inter creaturasque, particularem attribuimus. Quæ enim habet quoad officij sublimitatem, (quod est, esse Matrem Dei) & quoad dignitatem dominiumque quod inde resultat, statum quemdam medium inter creaturas alias & ipsum Deum; illam etiam conueniebat ita virtutum quarumdam existere ornamentum, vt nonnisi ab illa esset earum exemplar petendum, adeoque dici posset ornamentum potiùs virtutum istarũ, quàm ijsdem exornata. Non possunt hæ virtutes esse diuinæ illæ quæ Deo primùm & per se conueniunt, non etiam possunt esse eæ quæ peccatoribus sunt propriæ; restat ergo vt eæ assignentur, quæ neque Dei perfectionem, neque peccati infamiam supponunt: tales sunt fides, spes, humilitas, obedientia, castitas & pudicitia: has Deus exercere nequit, quia perfectissimus; & satis peccatori est gloriæ, si ijs vtcumque exornetur. Quodnam ergo habebimus perfectum earum exemplar ad cuius normam illæ exactæ eò plus merebuntur, quò propiùs accedant, id est, à quo splendorem suum omnem ac decus mutuentur? Non Angeli ad hoc sunt apti, nec spirituum quispiam: nam præterquam quòd in ijs reperit prauitatem, cùm corporis careant infirmitate; apti non erant vt omnes ità exprimerent & exornarent. Filius Dei homo factus (quod cum summâ eius reuerentiâ dictum sit) etiam non erat ad hoc aptissimus; non ob defectum aliquem virtutis, sed propter nimiam abundantiam maiestatis. licet enim virtutes creaturis proprias exerceret, eæ tamen ipsæ, cùm theandricæ essent, tantum mutuabant à sublimiori naturâ splendoris vt nimis humanos oculos perstringerent; & semper aliquid admistum haberent, quò non liceret vlli, qui non esset nisi creatura, aspirare. Prodeat ergo femina vna, constituaturque Deum inter & creaturas media, non solùm officio & dominio prælata omnibus; sed virtutum istarum quæ in Deum non cadunt, tam absolutum exemplar, vt non sit ad aliam normam earum exigenda perfectio, nec aliunde ijs quærendum ornamentum. Exemplo explicari potest quod etiamnum obscurum videtur, quid sit Mariam esse *pudicitiæ decus*. Constat, quantâ castitatis gloriâ, quantâ pudicitiæ laude prædita fuerit S. Agnes, tenera quidem virguncula, sed pudicitiæ seruandæ causâ omnibus blandientium promissis maior,

Maria virtutibus creaturarum fuit ornamentum.

Quid sit, Mariam esse pudicitiæ decus

omnibus tyrannorum tormenntis fortior. Magnum ei scripsit S. Ambrosius encomium: *Mirentur viri, non desperent paruuli; stupeant nuptæ, imitentur innuptæ: quæ non habuit quo ferrum reciperet, habuit quo ferrum vinceret: nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronari: magisterium virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis. Non sic ad thalamum nupta properaret, vt ad supplicij locum, læta successa, gradu festina virgo processit. Flere omnes, ipsa sine fletu: mirari plerique, quòd tam facilè vitæ sua prodiga, quam nondum hauserat, iam quasi perfuncta donaret. Quanto terrore egit carnifex vt timeretur, quantis blanditijs vt suaderet! quantorum vota vt sibi ad nuptias proueniret! At illa, Et hæc Sponsi iniuria est, inquit, exspectare placituram: qui me sibi prior elegit, accipiet. Quid percussor moraris? pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo. Habetis igitur in vna hostia duplex martyrium, pudoris & religionis: & virgo permansit, & martyrium obtinuit.* Magnum, inquam, & à magno Ecclesiæ Doctore virgini huic datum encomium: at si huic constanti virginitati, si isti pudicitiæ bis tinctæ, sanguine & pudore, maius conciliare decus cupias, si ornamentum splendidius accersere; verum pudicitiæ decus, maximam creatarum virtutum gloriam intuere: cum Maria Agnetem compara: huius innuptæ pudorem cum illius nuptæ pudicitiâ, huius fortissimam castitatem cum illius fecundâ virginitate compone: dic hanc esse quamdam illius vmbram, dic multum de illa luce participare; & non Agnetem tantùm, sed ipsam S. Agnetis pudicitiam maximè decoraueris. Iámne vis dicam, quid sit Mariam pudicitiæ decus esse? hoc est, nullam pudicitiam, nullam virginitatem, nullam castitatem tam gratam, tam puram, tam sanctam posse excogitari, quæ, comparata cum Maria, non plurimum lucis & splendoris ab eius maternâ virginitate accipiat? Eadem de fide, eadem de spe, humilitate, obedientiâ dici possent, si hîc esset ea probandi locus; vel potiùs, nisi iam essent satis in vnicâ pudicitiâ probata.

Quomodo nomen Mariæ sit pudicitiæ decus.

Sed quomodo hoc de nomine Mariano affirmari possit, quod iam certum est Virgini conuenire, breuiter probandum: non eâ tantùm ratione, quod initio diximus, nomen sæpè pro ipsâ personâ collocari, & ita de hoc omnia dici qui de persona affirmantur; sed vel ideò maximè, quòd semper nomen rem, tamquam vmbra corpus, sequitur. Vnde conficere possis, cùm res ipsa, hoc est virtus Mariæ, tanta sit, vt, respectu nostri, proportione suâ non secùs ac Deus lucem habitet inaccessibilem, nullusque eius perfectionem concipere possit; vmbram eius, hoc est nomen, esse lucidissimam: in diuinis enim istis & virgineis, quæ supra omnem captum nostrum sunt eleuata; vbi lux tenebræ sunt, vmbra tenebrarum solet esse lux splendidissima. vnde sequitur, nomen Mariæ, lucis istius nobis imperceptibilis vmbram, lucem esse, quæ virtutes nostras, & maximè pudicitiam & castitatem, illustret, atque adeò decus pudicitiæ vocari posse. Aliter possis nomen Mariæ pudicitiæ decus vocare, quòd sit Virginis illius, quæ iam non pudica, sed pudicitia dici debet, summum præconium. Quidquid enim de Virgine Deiparâ dixeris, quibuscumque dignitatum titulis eius magnitudinem deprædicaueris, quantumcumq; verbis honestis & compositis pudorem eius descripseris; nihil vmquam maius, nihil præstantius, nihil ornatius de ea dices, quàm si Mariam appellaueris. Ergo nomen hoc, quod est maximum Virginis Deiparæ encomium, erit etiam primum ipsius pudicitiæ decus.

Praxis virtutis ex hoc nominis Mariani encomio.

Ne ieiunum sine aliquo virtutis exercitio ab hoc titulo Lectorem dimittamus; poterit frequenti virtutum suarum cum Mariæ virtutibus comparatione excitare semetipsum ad æmulandum charismata eius meliora, & crebrò Virginem compellare Mariæ nomine, tamquam omnium laudum atque encomiorum compendio.

CAP.

CAPVT XXXI.

MARIÆ nomen indicium est castitatis.

SIGNORVM alia significant ad placitum, alia naturaliter; fieriqúe potest, vt vnum idemque signum aliud artificiosè, aliud ex natura rei significet: nam fumus naturaliter ignem significat; & possum instituere, vt fumus tamen artificialiter vel hostis præsentiam, vel subsidij aduentum, vel quidlibet aliud designet. De nomine sanctissimo B. Mariæ Virginis dicit Chrysologus, quòd sit *indicium castitatis*. Dubitari posset, naturalitérne an artificialiter sit eius indicium; videturque dici posse quòd naturaliter eam significet, præsuppositâ tamen artificiali nominis significatione, quam sub Libri huius initium statuimus fuisse prorsus arbitrariam: tam enim poterat Virgo ista quæ Deum genuit, quolibet alio nomine quàm Maria appellari; quamuis, præsuppositâ Hebraicæ atque Syriacæ linguæ institutione, negem, nomen vllum aptius fuisse; quo potuisset tantæ dignitatis persona indigetari. sed cùm omnia totius linguæ vocabula significarent ad arbitrium, dici non potest, naturalem fuisse in nomine hoc significationem. Verùm, assumpto semel Mariæ vocabulo, vt designetur ea Virgo quæ Deum genuit, iam dico, id esse naturaliter indicium castitatis. Cùm enim significet Dei Genitricem nomen Maria, eamque feminam quæ talibus fuit gratijs prædita, qualibus scimus Dominam nostram ac Virginem Deiparam excelluisse; necessariò castitatem indicat: quia nec tantis virtutibus eminere, nec Mater Dei existere potuit, quæ non esset quodammodò castior castitate. Cùm ergo Virgo Deipara, quanta quanta est, nil nisi puritas, nil nisi castitas sit; quidquid eam significat, simul castitatem designat, non quidem directè & primò per se, sed quasi per concomitantiam: ita hedera suspensa vinum quidem vendibile significat; at, quia hoc non potest esse nisi vase aliquo contineatur, suspensa hedera non tantùm ex instituto vinum significat, sed, positâ eâ institutione, etiam quasi naturaliter indicat vas aliquod quo vinum contineatur. atque ita, quàm impossibile erat Virginem Deiparam carere virginitate; tam naturale est, nomen eius indicium esse castitatis. Occurrunt hoc loco quæ nobis suppeditat antiquitas circa reuerentiam quorumdam nominum: ac in primis apud Athenienses lege cautum erat, cùm viri Athenæi vocarentur, ne feminæ, quod ex vsu istius linguæ sequebatur, Athenææ dicerentur, idque in reuerentiam Palladis, cui nomen erat Ἀθηνᾶ; ne scilicet gentile feminarum Atticarum nomen cum proprio Deæ sapientissimæ vocabulo incideret. Rursum, ijdem Athenienses tanto honore prosecuti sunt Harmodij & Aristogitonis, qui Hippiam interfecerant, nomina, vt lege item vetuerint ea seruis imponi; tamquam si sacra libertati, quam populo suo pepererunt, vocabula nefas esset seruili agnominatione contaminare. Seuerus fuit hac in parte Domitianus, qui Metium Pomposianum supplicio affecit, quòd Magonis & Hannibalis nomina seruis imposuisset; capitale crimen existimans, clarissimorum virorum nomina seruili contagio polluere. Vtinam vel hæc vigeret apud Christianos æquissima lex, ne feminarum aliqua sacratissimo Mariæ vocabulo appellaretur: vel si hoc durum videatur, propter multiplicem quæ vel ex nominis similitudine in cognomines Virgini redundat vtilitatem; vtinam saltem vel lege sancitum, vel consuetudine introductum esset, ne qua mulierc ularum quæ pudorem pudicitiamque leui pretio tam nefando scelere exponunt venalem, nomine hoc appellaretur, quod est castitatis indicium. Sunt quidam illustri loco nati, qui à virtute auitâ desciscentes, se vitijs & nequitiæ tradere constituunt, eâ in gentilitium nomen suum reuerentiâ, vt illud

Honor nominibus quibusdam habitus.

Mariæ nomen significat castitaté quasi naturaliter.

Votum nè qua meretrix vocetur Maria.

illud abijciant, aliudque ignotum sibi imponant, ne dedecori sint vitijs suis nomini tot maiorum suorum illustrato virtutibus. vtinam hæc mulierculis istis omnibus mens, quæ fortè Mariæ appellatæ vocabulo, pudorem suum prostituunt, ne saltem nomen hoc sanctissimum ac indicium castitatis tam fœdâ meretricis compellatione polluatur, resonetque per contemptum in prostibulo, quod nonnisi summâ veneratione pronuntiatur in cælo. De S. Stephano Hungariæ Rege, qui S. Gerardo hortatore totum Regnum suum dominio Virginis Deiparæ subiecit, memoriæ proditur, eum mandasse, ne quis sacratissimum Virginis Mariæ nomen sine summâ honoris ac reuerentiæ significatione pronuntiaret; proindeque, loco nominis proprij, iussit toto Regno, in honoris atque obsequij significationem, Virginem Deiparam, Amantissimam Dominam nostram compellari. qui mos isti nationi, & toti Germaniæ ac Belgis mansit familiarissimus; & inde ad Hispanos, Gallos, Italos defluxit, vt, omisso *Amantissimæ* epitheto, quod ijs linguis non tam congruè iungitur, absolutè *Dominam nostram* vocent Virginem Mariam. De venerandis & sanctitatis eximiæ Religiosis, Patre Alphonso de Orozco, & Patre Simone de Roxas, hoc Sodalitatis mancipiorum B. Mariæ Virginis in Hispania institutore, illo Religionis nostræ ornamento, tum alij, tum ipse narrare possum, quòd hoc vnicè habebant in votis, vt nomen illud ter venerandum Virginis Deiparæ eliminaretur è prostibulis; nec fas esset vllam vulgati pudoris mulierculam tam sancti nominis vmbrâ compellari. Iustum tantorum virorum desiderium, ne vocabulum; quod est indicium castitatis, fieret turpitudinis illicium; & ne virtutis insigne verteretur in vitij turpissimi trophæum, & decus pudicitiæ fieret impudentiæ velamentum. Recolenda sunt Euangelistæ sanctissimi verba, qui penicillo Virgineum Mariæ vultum ita expressérat, vt ipsa imago castitatem pudicitiamque loqueretur: is alteram eius imaginem verbis depicturus, adhuc memor, nullum magis in Deipara colorem excellere, quàm qui virginitatem adumbrat; non audet promere nomen tam sanctum, nisi virginitatis colore illustratum: *Missus est*, inquit, *Angelus Gabriel ad Virginem*. ac paulò post, interposità nimirum reuerentiæ causâ exiguâ morâ, resumit, mollissimeque nomen tantum depromit: *Et nomen*, inquit, *Virginis Maria*. Rudiùs agebat cum Angelo & sponso; quorum nomina, prout occurrebant, sine vllâ prodebat cærimoniâ: *Missus est*, inquit, *Angelus Gabriel*. & posteà: *desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph*. at non ita tractandum Virginis ipsius nomen: *Missus est*, inquit, *Angelus Gabriel ad Virginem*. Vide, vt sexûs, virtutis ac status excitet reuerentiam, ibique hæreat, cogitationi tacitæ relinquens, qualis esse debeat quæ antonomasticè Virgo vocetur; ac curiositatem excitans, vt, quæramus tantæ virtutis proprium vocabulum, Virginisque istius nomen inquiramus: *Et nomen*, inquit, *Virginis Maria*. Non audet prodere tantum nomen, nisi immediatè ei virginitatem adiungat; & erit tam perfrictæ frontis aliqua, quæ eodem vocabulo ita textum de se interpretet, vt verum sit dicere, Et nomen (horresco verba tam impia) meretricis Maria? Sed hæc omittamus, & notemus iterùm in S. Lucæ verbis istis, quàm propriè ipse expresserit quod hîc tractamus, scilicet, Mariæ nomen esse indicium castitatis. Quid enim significat, *Missus est Angelus ad Virginem*, nisi rationem præcipuam, cur missus sit Angelus, fuisse virginitatem tam absolutam, tam mundam, tam puram, vt dignum esset Angelo spectaculum? atque etiam in tam sancto & tam puro consortio emineret, & Virginis nomen per excellentiam mereretur etiam Angelicis spiritibus comparata. Truncus sit, qui ad tantam nouitatem non stupeat: certè sensu omni atque ingenio careat necesse est, qui tam certo atque infallibili præconio celebrari audiens castitatem tam insolitam, non stimuletur curiositate inquirendi, ecquodnam tantæ virtuti sit nomen; quo signo cognosci, quo argumento indagari, quo indicio deprehendi possit tantum virginitatis portentum. Ita profectò existimabat

Luc. 1. v. 26.

Angelus nomini Mariæ iungit vocabulum Virginis.

mabat Euangelista, summâ cum emphasi orationem suspendens, *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem*; ac mox exspectationi tam vehementer concitatæ satisfaciens, quando dicit: *Et nomen Virginis Maria*. ac si diceret: Sistite tantisper concitatam indagandi curiositatem, ego vobis proditurus sum certissimum castitatis indicium: signum ego tollam, quo conspecto, viâ certissimâ ducemini ad virginitatis miraculum prodigiumque pudoris. Audite: *Nomen Virginis Maria*. Hoc nomen est significatiuum tantæ virtutis: hoc nomen castitatem declarat, quâ non potest mundior in Angelicis mentibus reperiri: hoc nomen ipsam puritatem notat; quia illa quæ eo significatur, tota transiuit in castitatem. Neque enim ipsa si viueret castitas, tam potenter omnes in sui amorem traheret, quàm Virgo hæc omnes sese intuentes rapiebat in amorem virginitatis. Vtinam, rursum voueo, nusquam falleret hoc indicium, essetque semper vbi appellatio nominis, ibi etiam vmbra eius castitatis, haberemusque tot virgines, aut saltem secundùm statum suum castè viuentes, quot nominamus Marias! Deberi hanc nomini isti sacrosancto reuerentiam, exemplo suo docuit qui id tam piè virginitati apposuit B. Lucas Euangelista: nam cap. 7. agens de Magdalenâ peccatrice adhuc, nusquam eam vocat Mariam, ne pollueret tantum nomen isto peccatricis vocabulo; at cap. 8. v. 2. iam de conuersâ & septem spiritibus immundis expurgatâ agens, præcipuum nomen eius dicit esse Mariam: *Maria*, inquit, *quæ vocatur Magdalene*. Notemus hoc non modò ad nominis Mariani reuerentiam, sed etiam ad vitæ consuetudinem & praxim castitatis; vt in primis Sodales omnes nominis Mariæ, abstineamus omnem à corpore nostro immunditiem, in tanti vocabuli reuerentiam: deinde, si qua hoc nomine appellata, sui ac pudoris fuerit oblita; mancipij nominis Mariani erit, hanc libidinis seruam, si possit, restituere in libertatem mancipiorum Virginis & obsequium castitatis, conferendo ad dotem aut alijs medijs opportunis, prout cuique suggeret prudens & zelosa charitas, & pius erga dulcissimum nomen Mariæ affectus.

Praxis virtutis ex hoc encomio.

CAPVT XXXII.

Nomen MARIÆ est Dei sacrificium.

MIRABILE est hoc nominis Mariani encomium; sed mirum non est, multa de eo nomine dici admirabilia, quod Virginem, opus Dei maximè stupendum, significat. *Nomen*, inquit Chrysologus, *Mariæ est Dei sacrificium*. Felices nos, qui tam facilè reperire possumus victimam, quâ Numen æternum placemus, cùm pronuntiatione nominis Mariæ nihil sit facilius. Nihil opus est tauris vel arietibus, cùm animalibus omnibus præstantius sacrificium habeamus, Deoque gratius quod offerimus sine sanguine, pronuntiando mente deuotâ nomen Virginis. Sed antequam ex hoc titulo concitemus affectum, probatione & discursu quodam opus videtur ad instruendum intellectum, quòd duriùs hoc de sanctissimo nomine dici videatur, quòd sit Dei sacrificium; iterum de Virgine priùs agendum est, vt inde mollior ad nomen eius fiat transitus. De hac verò plus etiam dicit sanctus Methodius in Hypapant. vbi ait, *Tu verò omnis sacrificij pinguedo*. non tantùm sacrificium esse affirmat Virginem, sed sacrificij pinguedinem, medullam & adipem; idque non vnius alicuius, sed omnis sacrificij. Quod difficile non est intelligere, si cogitemus, quòd tam cruenti in monte semel oblati, quàm incruenti quod in altari offertur quotidie, verè adeps sit Maria: quia ex purissimis eius sanguinibus desumptum est quod vtrobique offertur; eius lacte nutritum est corpus quod immolatur. Rursum pinguedo dici po-

Maria omnis sacrificij pinguedo.

teſt vtriuſque ſacrificij, quia ipſa in eruento iſto ſuppeditabat miſericordiæ pinguedinem: addita Filio, vt cum eo ſacrificans, maternæ pietatis vnguento omnia tormenta iſta deliniret, ne inde in iram contra genus mortale exardeſceret, ac ſtatim omnes deperderet. & in altaris ſacrificio quotidie Filium admonet, dicens, *Vinum non habent*, ſuppeditatque veræ deuotionis pinguedinem. Sed hæc de Virgine ſatis clara; at de nomine, quòd ſit ſacrificium, quî poteſt intelligi? Ego id explicatum reperio in Eccleſiaſtico cap. 49. v. 1. vbi dicitur: *Memoria Ioſiæ in compoſitionem odoris facta opus pigmentarij.* Memoria propriè recordationem & commemorationem ſignificat: hæc non fit niſi vſurpato nomine, aut ponendo aliquid pro nomine. hinc capite Eccli. 39. v. 13. de ſapiente dicitur: *Non recedet memoria eius*, id eſt, recordatio & commemoratio eius. quod mox explicans, ſubiungit, *Et nomen eius requiretur à generatione in generationem.* adeò vt non incongruè hîc memoriam pro nomine, per quod innouatur memoria, & propagatur gloria, ſumere poſſimus. Et Syrus diſertè vertit *Nomen Ioſiæ ſicut thuribulum incenſi.* quod alij dicunt: *Memoria Ioſiæ vt compoſitio thymiamatis confecti opere pigmentarij.* Videiam, quàm non ſit abſimilis Chryſologi de nomine Virginis locutio, quâ id appellat *Dei ſacrificium*, ei, quâ Eccleſiaſticus nomen Ioſiæ vocat *thuribulum incenſi*, aut *compoſitionem thymiamatis.* Erat enim thymiama ſacrificium quoddam propitiatorium, compoſitum ex ſtacte, onyche, galbano & thure, quod adolebatur in altari (quod inde vocabatur thymiamatis) coram vel ante tabernaculum teſtimonij. Sicut enim anthropopathῶς Deus paſci voluit victimis, ita voluit & recreari odoribus, ijſque placari. Cùm enim iræ atque indignationis indicium ſit in naribus, vt Iob cap. 41. v. 11 indicatur, *De naribus eius procedit fumus*; volebat eas Deus ſymbolicè hoc ſuaui odore quaſi demulceri, vt placeretur. Si ergo memoria aut nomen Ioſiæ, vel vllius Sancti, ſit thuribulum incenſi, aut compoſitio thymiamatis, quòd eius commemoratione aut inuocatione Deus non ſecùs placetur, atque ſi percepiſſet incenſum aut ſacrificium in odorem ſuauitatis; quis dubitabit Mariæ nomen appellare Dei ſacrificium, cùm tantum non valeant omnium Sanctorum nomina, nec omnia legis antiquæ ſacrificia ad placandum Deum, quàm vnicum nomen Virginis? Non id dico ſolùm vnde foueri poſſet tenera Sodalium pietas, quòd, vti puerorum eſt oſtensâ aut nominatâ matre, placari etiam in maximis ſuis indignationibus; ita conſiderari poſſit Deus-homo, tamquam hanc retinens ab infantili ætate ſuâ erga Matrem reuerentiam, vt modò non ſecùs iras deponat, atque tum lacrymas abſtergebat audito Matris nomine: ſed hoc dico, quòd inſit vis quædam nomini huic maior, quàm ſacrificio thymiamatis ineſſe poſſit ad abolendum furorem diuinum, quantumcumque accenſum propter peccata hominum. Nam ſi thyamiama exhalabat quatuor præſtantiſſimorum aromatum inter ſe compoſitorum odorem; nomen hoc naribus diuinis aſpirat omnium virtutum (ac præcipuè mortificationis, quam ſtacte; caſtitatis, quam onyx; charitatis, quam galbanum; orationis, quam thus ſignificat) frangrantiam: quâ ille recreatus, ſtatim indignationis ſuæ obliuiſcitur, ac raptus in Matris ſuæ amorem, omnia ei concedit, quæ, mota nominis ſui inuocatione poſtulat peccatoribus. Thymiama ergo ex aromatibus componimus, quando in altari memoriæ noſtræ diuerſas Deiparæ virtutes piâ conſideratione contundentes, eaſdemque colligentes in vnum quod omnes ſignificat vocabulum, illud ipſum (piæ Mariæ nomen pronuntiando) tamquam thymiama confectum opere pigmentarij Deo offerimus. Quod ſi crebrò deuotâ mente iteremus, veluti altari thymiamatis aſſidentes, frequentibus cordis labiorumque veluti thuribili agitationibus, Deo incenſum ſacrificabimus. quod ille haud dubiè accipiet in odorem ſuauitatis, ſi puris manibus offerimus; fietque nobis quod ſequitur in Eccleſiaſtico de memoria Ioſiæ, *In omni ore quaſi mel indulcabitur*, id eſt, dulceſcet;

Ioan. 2. v. 3.

Nomen Ioſiæ compoſitio thymiamatis.

Nomen Mariæ thymiama perfectiſſimum.

Eccli. 49. v. 2.

dulcescet: replebit enim crebra nominis Mariani inuocatio animum sapidâ quadam pietate, producetque in eo non absimiles ijs quæ melli tribuuntur effectus. de quo Plinius lib. 22. cap. 24. *Mellis natura talis est, vt putrescere corpora non sinat, iucundo sapore atque non aspero, alia quàm salis natura.* Nota comparatam mellis & salis naturam: vtrumque præseruat à corruptione, vtrumque sacrificijs aptissimum, vtrumque condituris inseruit, sed alia tamen mellis quàm salis natura. Est enim sal sapore salubri quidem, sed aspero; mel verò dulci simul & salutari. An non vides duorum sanctissimorum nominum, Iesu & Mariæ comparationem? quorum illud quidem salubrius virtuteque præseruatiuâ ex se efficacius est, sed tamen asperius videtur; quòd in eo, quomodocumque id sumpseris, semper resonet aliquid propter diuinitatem iudicaturæ maiestatis: at Mariæ nomen, quantum quantum est, dulcedo est; mel est præseruans à corruptione, sed non mordens. Iesu nomen sal est ita necessarium ad sacrificia, vt nullum sit gratum aut legitimum, sine isto sale: Mariæ nomen mel est ita sacrificijs aptum, vt omnia magis placeant quibus adhibetur. Iesu nomen sal est; nihil sapit diuino palato quod non est hoc sale conditum: Mariæ nomen mel est; dulciora & gratiora facit omnia, quibus condiendis affunditur. Alibi ex D. Anselmo libr. de Excellentia Virgin. notauimus, quòd *Maria mitiora quodammodò & humaniora nobis præbuit exempla quàm Filius*: Ita hîc intellige, quòd Mariæ nomen suauiorem quàm nomen Filij quodammodò nobis præbeat saporem. De hoc dici semper potest: *Nomen tuum, & memoriale tuum in desiderio animæ*, Isaiæ cap. 26. v. 8. de isto verò etiam verè affirmatur eiusdem Isaiæ cap. 30. v. 27. *Ecce nomen Domini venit de longinquo, ardens furor eius, & grauis ad portandum.* & Psal. 110. v. 9. *Sanctum* quidem, inquit Dauid, sed *& terribile nomen eius. Comede, fili mi, mel, quia bonum est*, Prouerb. 24 v. 13. Num qui edunt illud adhuc esurient? qui alter est mellis effectus; quòd licet grato sapore auiditatem excitet plura comedendi. vnde monet Sapiens Prouerb. 25. v. 16. *Mel inueniſti, comede quod sufficit tibi.* De hoc autem dico: Mel inueniſti, comede quantum potes, quia nihil sufficit tibi. *O quàm magna multitudo dulcedinis* huius benedicti nominis tui, Virgo Maria, *quam abscondisti* diligentibus *te*! qui enim te non diligunt, non vident, quid possit sub rudi quinque litterarum cortice latêre dulcedinis; sed qui mel hoc degustarunt, vel virgulæ extremitatem ei intingentes, eorum aperiuntur oculi & illuminantur à melle, vt non tantùm gustent, sed etiam videant, quàm suaue sit nomen tuum: atque illis (quod mel comedentibus euenit) facilè amarescit omnis alius cibus, qui non est hoc melle conditus. *Psal.* 30. v. 20.

Nomen Mariæ mel est Iesu nomen sal.

Sed abduceret nos mellis dulcedo à sacrificio, ad quod tempus est redeamus, producamusque ex sanctæ Birgittæ Reuelationibus insignem Mariani nominis effectum, quo probetur id induisse naturam sacrificij. ait enim illa lib. 1. cap. 9. *Nullus est tam frigidus ab amore Dei, nisi sit damnatus; si inuocauerit hoc nomen hac intentione vt numquam reuerti velit ad opus solitum, quòd non discedat ab eo diabolus statim, & numquam amplius reuertatur ad eum, nisi resumpserit voluntatem peccandi mortaliter.* Quibus verbis indicatur, hoc sacrificium Mariani nominis non tantùm esse viuorum & exsistentium in gratia, sed etiam mortuorum & gementium sub onere peccatorum: imò, quemadmodum sacrificium Christi etiam pro nolentibus immolatur; ita Mariæ sacrosanctum nomen, etiam pro reluctantibus inuocatum, ijs prodest. Iam notanda res admirabilis, quæ Genes. 15. Abrahamo sacrificanti euenit. Sumpserat ipse vaccam triennem & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam, diuiseratque ea per medium, & vtrasque partes contra se altrinsecus posuerat. quid autem? descenderunt volucres super cadauera, & abigebat eas Abraham, atque in hoc opere vsque ad solis occasum perseuerauit. Vide etiam magni Patriarchæ

Sacrificiũ nominis Mariani etiam est mortuorum.

occupationem, & aduerte ſtupendam ſacrificantis cærimoniam. Totâ die abigit volucres, ne hoſtiam mutilent atque inficiant: hoſtia, quam nos immolare debemus Deo, eſt nomen Matris, quod iam oſtendi Dei eſſe ſacrificium. Diuiſum eſt illud per orbem vniuerſum, ad quatuor eius plagas extenſum: *ab ortu enim ſolis vſque ad occaſum magnum eſt nomen* eius *in Gentibus*; nos poſiti in medio, pactum inituri cum Deo, vt per interceſſionem Matris ſuæ, ac propter nominis eius reuerentiam, non auferat miſericordiam ſuam à nobis, neque vmquam nos deleat de libro quem ſcripſit. Quodnam autem ſacrificantium exercitium? idem quod Abrrhami erat volucres abigentis & victimam illæſam cuſtodientis. Aduolant enim ſæpè importunæ ſtriges infernalium hæreticorum, inuadunt harpyiæ obſcenæ volucres blaſphemorum, etiam bubones accedunt audacium cæcorum, qui ſubinde conantur victimam hanc carpere, & nominis Mariani integritatem delibare. Hic nos ſtemus, neque demus ſomnum oculis noſtris, quamdiu non occumbit ſol vitæ noſtræ; ſed abigamus volucres haſce manu, voce, calamo; toto, inquam, animi corporiſque niſu in defenſionem huius ſacrificij incumbamus: atque occumbente ſole, dum nos inuadet mortis horror magnus & tenebroſus, clibanus fumans & lampas ignis diuinarum conſolationum tranſibit ante nos: pangetque Dominus fœdus nobiſcum in illa die, ſi fortè peregrina debeat eſſe anima noſtra in terra non ſuâ, ſubiecta ſeruituti pœnarum, & afflicta in Purgatorio, quòd inde egredietur cum magnâ lætitiâ, poſſidebitque terram æternæ promiſſionis; ſi nimirum, quod Abraham fecit quantum in nobis eſt, intactum ſeruemus ſacrificium. Odio enim habet Dominus rapinam in holocauſto, ſiue factam à nobis, deſignando aliquid quod ſit contra honorem Mariani nominis (quod non cadit in mancipia Virginis;) ſiue culpâ noſtrâ permittendo, vt ab alijs aliquid ſimile perpetretur. Quæ prima eſt praxis, quam Sodales ex hoc nominis Mariani titulo colligent. Deinde poterunt pro loci opportunitate per repetitum genuflexionum exercitium, ad ſingulas genuflexiones pronuntiando nomen ſanctiſſimum Dominæ, diuinæ Maieſtati conſecrare virtutes ſingulas quas nomen hoc ſignificat: nihil enim de Maria dici poteſt, quod vnico Mariæ vocabulo non contineatur. Ad hoc ſeruient Litaniæ, quas alibi dedimus, in quibus ſemper Mariæ nomen repetitur, quod omnes qui ſubſequuntur tituli tantummodò ſint partiales quædam nominis ſacroſancti explicationes.

Abigendæ nobis ſunt volucres à nominis Mariani ſacrificio.

Malach. 1. v. 11.

Praxis virtutis ex hoc encomio.

CAPVT XXXIII.

Nomen MARIÆ eſt virtus hoſpitalitatis.

GRAMMATICI norunt, nomen eorum qui in re aliquâ ſupra omnes alios excelluere, tranſire in ſignificationem ipſius virtutis vel vitij quo fuerunt inſignes. ita pueri declamant,

Sint Mæcenantes, non deerunt, Flacce, Marones;

Mæcenatis & Maronis nomina pro Poëtis eorumque fautoribus vſurpantes, quòd hic carminis gloriâ, ille fauore erga Poëtas omnes ſuperarit: ſic Alexander, Scipio, Hannibal, Cæſar magna ſunt in bello vocabula, ſignificantque præſtantem Imperatoris virtutem, quâ iſti ita ſua honorarunt nomina, vt iam non tam ipſos quàm virtutem, quâ magis conſtare quàm præſtare videbantur, ſignificent. Huc reſpexiſſe videtur Chryſologus, quando inſigni ſane epitheto Virginis nomen appellauit *hoſpitalitatis virtutem*: quòd eâ ſcilicet ita inſigniter Virgo excelluerit, vt Maria iam non ſolùm ſit nomen eius proprium, ſed etiam tranſierit in appellatiuum, ſignificetque omnem

nem eam quæ virtute hac præstiterit; propterea quòd virtus illa perfectionem omnem, quam habere potest, in Virgine obtinuerit. Neque parua aut vulgaris laus est, quando aliquis ab hospitalitate celebratur: tanti enim virtutem hanc fecerunt etiam Ethnici, vt dignissimum summo deorum Ioui epithetum se tribuere arbitrarentur, dum eum ξένιον, hoc est hospitalem, vocabant. Hinc Latinus Poeta lib. 1. Æneid.

Iupiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur

& Orator Latinus Oratione pro Deiotaro, & lib. 3. de finibus, Iouis Hospitalis numen nihil celari posse, propterea que hospitibus fidem seruandam docet, ne Iouem Hospitalem inclament. & alio loco dicit: *Rectè etiam à Theophrasto est laudata hospitalitas: est enim (vt mihi quidem videtur) valdè decorum patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus: idque etiam Reipublicæ est ornamento, homines externos hoc liberalitatis genere in vrbe nostrâ non egere.* Mox ostendemus, ab hospitalitate B. Mariæ Virginis non tantum decus & ornamentum Reipublicæ nostræ, sed salutem & conseruationem pependisse. Sed Deum agnoscentium hospitalitas alijs est laudibus celebranda: quòd videamus, ingentes illas promissiones Abrahamo, patri credentium, ferè in hospitalitatis remunerationem factas fuisse; & in Scripturâ legamus, insignia hominibus à Deo præstita beneficia respectu huius virtutis. Nam Elias suscitauit filium mulieris, apud quam sustentabatur: Eliseus à Sunamitide susceptus, ei filium diuinitus impetrauit, eumdemque mortuum resuscitauit. Quæ fuerunt symbola eius quam mox commemorabo hospitalitatis. Nam peregrinus erat quondam Propheta magnus volens diuertere ad nos; sed in propria veniebat, & sui eum non recipiebant, nusquam ei erat locus in mundi huius diuersorio, transibat sæpissimè ex ordine visitans Patriarchas & Prophetas, an non esset aliquis tantâ hospitalitate qui mereretur hunc hospitem accipere: & diuertit quidem tantisper ad Abraham, donec ei benediceret; sed nihil in domo eius inuenit, propter quod moram diuturniorem apud ipsum faceret; quâ opus habebat, vt secundùm propositum suum operaretur salutem nostram in medio terræ. Eâdem ratione plurimos pertransiuit, quasi de itinere quosdam alloquens; sed apud neminem diutiùs est commoratus: donec apparuit Virgo MARIA, quæ tantâ humanitate totque precibus, ad commodissimum quod præpararat corporis sui hospitium, viatorem istum inuitauit, vt non posset nisi vim quodammodò faceret naturali suæ benignitati, non hospitari apud eam. Quod ita exprimit S. Bernardus Sermone de Assumptione B. MARIAE: *Mulier quædam excepit illum in domum suam. Felix mulier, quæ iam non exploratores Iericho, sed potiùs fortissimum exspoliatorem stulti illius, qui verè vt luna mutatur; non legatos Iesu filij Naue, sed ipsum magis suscipere meruit verum* IESVM *Filium Dei.* Quibus humanitatis delicijs celebrata fuerit susceptio tanti hospitis à Virgine tam eximiæ charitatis, ne cogitari quidem potest, nedum verbis explicari. *Quis* inquit rursum S. Bernardus Sermone 1. de eâdem festiuitate, *etiam si linguis hominum Angelorumq; loquatur, explicare queat, quemadmodum, superueniente Spiritu, obumbrante virtute Altissimi, càro factum sit Verbum Dei, per quod facta sunt omnia? & Dominus maiestatis, quem non capit vniuersitas creaturæ, intra virginea sese clauserit viscera factus homo?* Tantâ suscepit hospitem istum gratiâ, humanitate, benignitate, animi demissione, ceteriscque hospitalitatem comitantibus virtutibus MARIA, vt S. Bernardus non putet aptiorem dari posse mensuram ad exprimendam gloriam Virginis Deiparæ, quâ tempore Assumptionis suscepta est à Deo suoque Filio in cælis, quàm humanitatem hanc quâ illum excepit hospitio in terris. *Nec in terris,* inquit suprà, *locus dignior vteri virginalis templo, in quo Filium Dei* MARIA *suscepit; nec in cælis regali solio, in quo* MARIAM *hodie* MARIAE *Filius sublimauit.* Omnia in Dei Ecclesiâ ple-

Maria Christum accepit hospitio.

Beneficia diuinitus propter hospitalitatem accepta.

na sunt allusionibus ad hanc hospitis tanti susceptionem; ipsaque virtutem hospitalitatis non infimam esse MARIAE gloriam indicat, quando die Assumptionis Euangelium proponit, quo narratur, quomodo exercuerit Martha erga Seruatorem hospitalitatem. Insignis est S. Chrysologi Sermone 140. sententia: *Quantus sit Deus satis ignorat ille, qui huius Virginis admirabile nomen & mentem non stupet, animum non miratur. Pauet cælum, tremunt Angeli, creatura non sustinet, natura non sufficit; & vna puella sic Deum in sinu sui pectoris capit, recipit, oblectat hospitio, vt pacem terris, cælis gloriam, salutem perditis, vitam mortuis, terrenis cum cælestibus parentelam, ipsius Dei cum carne commercium, pro ipsâ domus exigat pensione.* Indicat Virginem accepisse & exegisse mercedem hospitij; sed hæc non est imminutio, sed augmentum tantæ virtutis: contraxerat enim tantam inter hospitales epulas cum diuino suo hospite familiaritatem, vt iam nosceret eum magis dando delectari, quàm ceterorum quisquam accipiendo; ideoque multa & magna instanter petijt, vt ille posset naturæ suæ largiter indulgere. quod admirabile fuit genus humanitatis, quo vsa est erga hospitem suum hæc mulier prudentissima. Est ergo nomen Virginis virtus hospitalitatis eo sensu, quòd Virgo ipsa eâ virtute super omnes omninò mortales excelluerit.

Est præterea hospitalitatis virtus nomen sanctissimum Virginis MARIAE, quòd omnia quæ ab hospite potentissimo atque humanissimo sperare possit viator, nomen hoc præstet omnibus ad patriam cælestem viam ingredientibus: nam vmbrâ eos recreare, primum est humanitatis officium, vt docuit Abraham optimus magister hospitalitatis Gen. 18. v. 4. qui Angelis dicit: *Requiescite sub arbore.* & v. 8. *Ipse stabat iuxta eos sub arbore.* MARIAM arborem esse foret dicendum, si genus vllum reperiretur arborum fructiferarum, cui non aptissimè comparetur; at vmbram eius esse nomen Philo testatur, dicens: *Nomen rem sicut vmbra corpus sequitur.* De hac umbrâ canere potest Sodalis nominis Mariæ: *Sub vmbrâ illius* quam *desideraueram sedi; & fructus eius dulcis gutturi meo.* miris enim modis sub vmbrâ hac reficietur, testante Idiotâ de Contempl. cap. 5. *Super omnia Sanctorum nomina,* MARIA, *tuum nomen reficit lassos.* Vbi notandum, refectionem esse ab ipsâ vmbrâ. Sicut enim quarumdam arborum vmbra insalubris est, caputque ac cetera membra fatigat: ita è contrario aliarum reficit recreatque salubri suo afflatu quiescentem in eâ. non quòd vmbra virtutem habeat quam non susceperit ab arbore; sed quòd, eo ipso quòd talis arboris sit vmbra, verè producat salutiferos illos effectus. Ita nomen B. Virginis nullam virtutem habet nisi à MARIA; ab ipsâ tamen verè habet, quòd reficiat lassos; non tantum defendendo à nimio solis calore, quod omni vmbræ est commune, sed infinitis alijs virtutibus, quas ab arbore ipsâ, cuius vmbra est, suscepit. Quâ ratione id fiat, etiam in naturalibus clariùs est videre. Si quis enim vitrum rubro aut alio colore infectum soli obijciat, vmbram faciet vitrum quæ ipso illo colore sit infecta, & visum vel recreabit, vel torquebit, non aliter quàm soleat ipse color qui in vitro existit illum afficere: eâdem ratione imaginari oportet vmbram hanc Virginis Deiparæ, quæ est nomen eius sacratissimum MARIA, infectam esse omnibus salutiferis qualitatibus quæ sunt in ipsâ Virgine, ac proinde hospites ad se diuertentes in vmbrâ ea solâ habere omnia hospitalitatis officia & obsequia; quorum non minimum est, cibo eos reficere. *An non toties confortaris, quoties recordaris?* interrogat S. Bernardus Ser. 15. in Cant. de IESV nomine. & pergens ait: *Quid aquè mentem cogitantis impinguat, quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, & vegetat mores bonos atque honestos, castas fouet affectiones?* vt probet, cibum esse nomen illud dulcissimum. Quæ omnia post IESVM huic nomini maximè sunt propria.

Aliud insuper officium hospiti exhibendum est, lauando & vngendo, tum lassitudinem membris omnibus detrahere, tum vel maximè pedes, qui itinerando fortè lassi sunt, reficere. Sanctus autem

Vmbra recreat hospites.

Cant. 2. v. 3.

Vmbra nominis Mariæ reficit lassos.

Quî possit vmbra reficere.

Nomen Mariæ est cibus.

Vngit nomen Mariæ.

autem Germanus De dormit. Virg. ait: *Simulaque tremore correptus fuerit Christianus, aut lapide pedem offenderit, præsidium tui nominis inuocatur.* & mox: *Neque tantum cæli hausiu animæ nostræ respirant, quantum nominis tui protectione confirmamur.*

Angelorum adducit consortium.

Rursus, officium hospitis est, cùm vario sermone & conuersatione, tum musicâ alijsque ad recreationem sensuum spectantibus oblectamentis hospitem reficere. D. MARIAE nomine lib. 1. Reuel. cap. 9. ait S. Birgitta: *Angeli boni, audito hoc nomine, statim appropinquant magis iustis, quibus dati sunt ad custodiam, & gaudent de profectu eorum.* Vide quales congerrones submittat hoc nomen, vt familiariter cum ijs hospites agant, & conuersatio eorum sit in cælis, aut saltem cum cælestibus. De alijs recreationibus S. Antonius de Paduâ Dominicâ 3. in Quadrag. dicit: *Nomen* MARIAE *iubilus in corde, mel in ore, melos in aure.* & de solatio ait rursum S. Birgitta suprà: *Illi, qui in Purgatorio sunt, supra modum gaudent nomine* MARIAE; *tamquam æger in lecto iacens, si audierit verbum solatij.*

Nomen Mariæ instruit hominem viatico.

Vltimum hospitalitatis officium est, abeuntem opiparo instruere viatico. Liberalitatem Neronis inter Admiranda sua ex Suetonio tradit Lipsius verè admirandam: Tiridatem regij sanguinis Romæ hospitaliter accepit; &, *quod vix credibile videatur* (verba Suetonij sunt) *octingenta nummorum millia diurna in eum erogauit, abeuntique super HS. millies cotulit.* hæsit autem nouem mensibus Romæ, aut in finibus Romanis. numera in dies singulos octingenta millia, id est, nostrâ monetâ, viginti millia Philippeorum, per nouem menses faciunt quinque milliones quadringenta millia. Iam in viaticum datum millies HS. hoc est, duo milliones & medius. Profusa sanè erga hospitem liberalitas eius Imperatoris; qui, vt Suetonius ait, diuitiarum & pecuniæ non alium fructum putabat, quàm profusionem. Ditior profectò est Romanis, licet stupendæ horum fuerint opes; & liberalior ijsdem, quamuis parem semper potentiæ ostentarint magnificentiam, Virgo Deipara: quæ omnibus pecunijs ditiore viatico instruit hospitem suum, quando ei concedit crebram nominis sui pronuntiationem quod viatoribus non tantùm in necessitatibus succurrit, vt pecunia, sed etiam periculis liberat, in quæ suos pecunia solet conijcere. *Sæpè quidem vidimus*, inquit S. Anselmus, *& audiuimus plurimos hominum in suis periculis recordari nominis* MARIAE, *& illicò omnis periculi malum euasisse.* Neque millionibus suis Tiridates fuit instructior, quàm seruus quilibet Mariæ nominis ipsius opulentiâ. Constat ergo, nihil exspectandum ab hospite humanissimo, quod non præstet nomen Mariæ, proindeque hospitalitatis virtutem à Chrysologo nuncupari.

Praxis virtutis ex hoc encomio.

Non deponam hunc nominis Mariani titulum, nisi etiam aliquot praxibus deuotionis ex eo petitis Sodales instruxere: quarum Prima erit, in omni itinere, inuocato crebriùs MARIAE nomine, ipsam viæ ducem, nomen verò ipsius peregrinationis solatium assumere. Secunda, propter nomen hoc virtuti hospitalitatis sedare, recipiendo & fouendo pauperes peregrinos: quâ virtute vix quidquam Deo Virginique acceptius. Tertia denique & præcipua, peregrinationem istam in terram tenebrosam & coopertam mortis caligine, quæ necessariò omnibus est suscipienda, instruere nominis huius viatico & solatio, pronuntiando in horâ mortis MARIAE suauissimum vocabulum. quod vt mihi cunctisque Sodalibus MARIANI nominis concedatur, obnixè Deum & Virginem precor per hanc ipsam nominis sui virtutem.

CAP.

CAPVT XXXIV.

MARIAE nomen est collegium sanctitatis.

QVID imus per virtutes singulas, quid gratias, quid beneficia, priuilegia, quæ vel continet in se, vel alijs confert vnicum MARIAE vocabulum, longo ordine recensemus? quid pudicitiæ decus, indicium castitatis, hospitalitatis virtutem illud esse probamus? cùm verbo dici possit, quod tandem subiungit toties laudatus nobis auctor *Nomen* MARIAE *esse totius collegium sanctitatis.*

Quid sit collegium

Quæ verba vt intelligantur, notandum Primò, collegium Latinè propriè significare congregationem, societatem, seu collectionem hominum artem eamdem mechanicam exercentium, ac priuilegijs quibusdam vtentium, vt diligentiùs in eâ Reipublicæ deseruiant. Quæ ratio distribuendorum artificum apud Romanos erat vetustissima, vt Florus apertè demonstrat: *A Seruio*, inquit, *Tullio Rege populus Romanus delatus in censum, digestus in classes, decurijs atque collegijs distributus.* Posteà tamen etiam sodalitates honestorum ciuium animi causâ institutæ, Collegia vocabantur. de quibus in lib. de Senectute ex personâ Catonis Cicero pronuntiat: *Sodalitates, paulò ante me Quæstorem, constitutæ sunt.* Quid ergo aliud significat, nomen MARIAE esse collegium sanctitatis, quàm eos qui insignem sanctitatem profitentur, aut aspirant ad propositam in Euangelio perfectionem Christianam, debere sub hoc nomine congregari, ac fieri nominis MARIANI Sodales? Quemadmodum enim qui fabrilem exercebant, ad fabrorum pertinebant collegium; qui argentariam, ad argentariorum; ita qui sanctitatem profitentur, pertinent ad nomen MARIAE, quod est sanctitatis collegium, sub quo congregati non aliam debent artem exercere quàm virtutem & sanctitatem; atque ita sumpta significatio vocis *collegium* explicat, cur mancipia Deiparæ sub titulo nominis MARIAE congregemus? Cùm enim mancipari Deiparæ, idem sit atque virtuti assequendæ quàm perfectissimâ atque securissimâ viâ incumbere, collegiumque eorum qui sanctitati studeant, Chrysologo teste, ànomine Mariano denominetur; erant necessariò mancipia à Mariæ vocabulo denominanda, vel potiùs isti collegio sanctitatis inscribenda.

Cur mancipia congregentur sub titulo nominis Mariæ.

Alia collegij significatio.

Notandum Secundò, collegium iam passim sumi pro seminario studiosorum ad scientiam contendentium: cùm enim passim ij colligantur in vnam aliquam domum, vbi sub vnius Præsidis curâ mutuo exemplo incitentur ad diligentiam & morum honestatem; vsus obtinuit, vt seminaria eiusmodi collegiâ vocentur. At si qui sanctitatis potiùs quàm scientiæ sunt auidi, si qui velint ad eam omni studio incumbere; ij neque domum inuenient commodiorem, neque seminarium pietati aptius quàm nomen beatæ Mariæ Virginis, quod est collegium sanctitatis.

Tertia significatio collegij.

Tertiò notandum, collegium formatum à *colligo*, sumi posse pro congregatione & collectione. atque ita S. Petrus Chrysologus, cùm varias virtutes affirmasset de nomine B. Mariæ Virginis, tandem concludendo dicit id esse collegium seu collectionem virtutum gratiarumque omnium, ac totius absolutæ sanctitatis: eo scilicet sensu quo sæpius alibi citatus B. Albertus Magnus dicebat: *Congregationem aquarum vocauit Deus Maria; locus autem gratiarum vocatur* Maria. Hinc bene S. Bonauentura in Psalt. *Beatus vir qui diligit nomen tuum,* MARIA *Virgo, gratia tua animam eius confortabit; tamquam aquarum fontibus irrigatum vber in eo fructum iustitiæ propagabis.* Qui enim collegium seu collectionem sanctitatis & gratiarum diligit, quid mirum si inde gratiis & sanctitate ditetur? Est enim gratia ita ple-

na

na Virgo, vt vel leuissimo motu, qui fit per nominis eius inuocationem, effundat de plenitudine suâ, & irriget eos qui diligunt & inuocant eam. Totam eam plenitudinem significat Maria. hinc Angelus eam salutans, omisso eius nomine, paraphrasticè id explicabat, dicens: *Aue gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.* quæ omnia explicant aliquâ ratione, quid significet Maria, hoc est collegium totius sanctitatis, gratiæ & benedictionis: quæ ita fusè Angelus explicabat captandæ beneuolentiæ causâ. sed cùm videret Virginem turbatam subito suo ingressu, vt eam confirmaret, omnia ista encomia in vnum verbum coniicit, vt eo præ timore titubantem animum confirmet, dicitque: *Ne timeas Maria*: existimans nomine isto, quod antè reuerentiæ causâ subticuerat, plus recreari Virginem, quam longissimis aliis encomiis; quòd omnia dicta & dicenda ab ipso vox vnica ista contineret, vtpote omnium laudum & virtutum eius collegium atque compendium. Quod expressit sanctus Methodius in Oratione de Hypap. dicens: *Tuum, Dei Genitrix, nomen diuinis benedictionibus & gratiis refertum est.*

Luc. 1. v. 28.

Ibid. v. 30.

CAPVT XXXV.

De triplici vi operandi quæ inest nominibus; & quid primâ secundâque præstet nomen Virginis.

MAximæ *quæstionis, & semper incertæ est*, inquit Plinius, *valeantnè aliquid verba & incantamenta carminum.* Cùm enim tam miros per incantationes produci cernerent effectus antiqui, nec satis illis esset de Dei & dæmonis cooperantis assistentiâ compertum; facilè in eam incidebant dubitationem, an verbis quibusdam occulta à naturâ vis inesset, quæ effectus illos admirabiles produceret. Et Poetæ nacti locum communem, quem verbis possent exornare, hîc populi augebant superstitionem, dum multis vbique incantationum vim inculcabant, tamquam si carmina sua inde aliquid acciperent venerabilitatis; vel quòd verbis in numerum coactis fierent vulgò incantationes; vel saltem quòd formulæ incantantium non secùs ac scripta ipsorum, carmina vocarentur. Nobis fide meliore imbutis iam dubitare non licet, quin potentia & efficacia mirabilis ad diuinissimos effectus sit verbis & formulis quibusdam, certâ in circumstantiâ pronuntiatis, diuinitus annexa: nàm constat, in Sacramentis quibusdam verba à CHRISTO instituta causare gratiam physicè, vel saltem moraliter: & Scripturæ Patrumque consensus est, ter venerandum IESV Saluatoris nostri nomen valere ad res patrandas etiam supra naturæ vires stupendas. Indicat hoc CHRISTVS ipse: *In nomine meo serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent*, &c. & Origenes lib. 3. contra Celsum: *Possumus*, inquit, *ostendere inenarrabilem numerum tam Græcorum quàm barbarorum Iesu nostro credentium: in his quidam, in signum acceptæ per fidem virtutis, mirificè sanant ægrotos, inuocato tantùm super eos vniuersorum Deo, & Iesu nomine, recitatâque super eos de rebus eius quapiam historiâ. Videmus enim ipsi multos sic liberatos à grauibus malis, alienatione mentis, insania, aliisq; innumeris, quibus numquam vel homines vel dæmones opem attulerunt.* Et S. Chrysostomus Homil. 8. in cap. 4. ad Rom. *Sunt enim, sunt, inquam, nobis incantationes spirituales ipsum nomen Domini* IESV CHRISTI, *tum ipsius crucis potentia. Huiusmodi incantatio non solùm draconem à speluncis abigit, atq; ita in ignem conijcit, sed & vulneribus quoque medetur. Hoc nomen & dæmonibus terri-*

Lib. 28. c. 2.

Verbis quibusdam vis inest diuinitus.

Marci 16. v. 18.

bile est, & perturbationibus & ægritudinibus salutare: hoc igitur ornemur ipsi, hoc tamquam muro nos muniamus. Sed illud etiamnum quærendum restat, quomodo vis ea insit verbis, & an nulla dici possit inesse naturaliter. Pro quo dici posse videtur, tripliciter operari nomina seu verba prolata à viuente: Primò naturaliter, vi quasi intrinsecâ; Secundò, ex imaginatione audientis; Tertiò, ex assistentiâ boni aut mali spiritus, operationem certam prolationi aliquorum verborum alligantis.

Voces & soni operantur vel naturaliter.

Naturaliter, inquam, videntur quid operari voces, & vi, vti dicebam, intrinsecâ, in quantum variè feriunt tympanum auditus, & inde per sympathiam alterant reliquum corpus. ita dormientem voce excitari, operatio vocis est naturalis; & voces quasdam recreare audientem, quasdam ei molestas esse, notarunt ij qui inde musicam non magis ad aurium quàm ad animi oblectamentum excogitarunt: in quo tantum potest vocis varia inflexio, imò sola tonorum modulatio fidibus aliisque instrumẽtis perfecta, vt & tristitiam adducere, & eam fugare; & ad choleram incitare, & ab eâ reducere hominem sese iactaret citharœdus apud Ericum II. cognomine Bonum, Daniæ Regem: quem Rex, vt narrat Saxo lib. 12. Daniæ, nouitate motus, specimen professionis edere iussit. Annuit ille: at, ne qua nocendi hominibus ansa daretur, iussit priùs omnis generis arma afferri, & certis in locis collocari custodes, qui cognito vesanorum strepitu irrumperent, ereptamque citharam capiti illiderent, ne & ipsi in rabiem agerentur, reliquos à mutuis verberibus arcerent. Primò quidem inusitatæ seueritatis concentum edidit, quo auditores in mœrorem stuporemque sunt versi: deinde adeò suauem & iucundam harmoniam, vt, mutato animo, gaudium etiam externis gestibus & motu totius corporis proderent: tandem verò acrioribus modulis concitati, vociferari & tumultuari cœperunt. Custodes irrumpunt, vt Regem cum aliis furentem contineant; sed ille, effractis atrij foribus, arrepto ense quatuor transfodit, & vix tandem puluinarium mole vndique congestorum obrutus, contineri potuit. Menti restitutus, Ierosolymam expiandorum homicidiorum causâ petens, Haraldo F. Regni procuratore relicto, in Cypro defunctus est, atque ibidem cum coniuge sepultus. Qui vocis & soni effectus vt totus est naturalis, ita voces maioribus & plenioribus constantes litteris aliter mouent audientem, quàm eæ quæ constant exilibus & pipientibus: rursum, quædam cum stridore aures radunt, quædam facilè & aperto sono illabuntur. Quæ omnia à Poetarum Principe accuratè obseruata, vt verba rebus quas describit, accommodaret, & animam vel ipso litterarum sono rei admoueret. Et Ouidius indicat voces quasdam ipso sono terrere, dum ait:

Nomina sunt ipso panè timenda sono.

Vel ex imaginatione audientis.

Altera vocum operatio fit per imaginationem audientis, naturaliter quidem, non tamen operante voce per ea quæ naturaliter ipsi intrinseca insunt, sed mediantibus artificialibus quibusdam & extrinsecis. Vnde, quæso, ad commemorationem rerum tristium deiicitur animus, nisi quòd voces istæ operentur tristitiam, propter imaginationem, quæ mediante significatione à vocibus istis ad tristitiam mouet hominem? Quòd hæc virtus non sit vocibus naturalis & intrinseca, constat ex eo quòd eas audiens, qui idioma quo dicuntur ignorat, non commouebitur, licet æquè molli sit animo, & æquè dicentem audiat, ceteraque omnia ponantur æqualia. quod in priori modo dici non potest. Si enim duo musicæ modulationem æquè percipiant, sintque eodem modo corpore atque animo affecti, eodem etiã modo cõmouebuntur. Fit etiam hæc secunda operatio ex vi memoratiuæ, licet non mediet significatio, aut eâ mediante maior, quàm soleat ex vi significationis fieri; si nimirum so-

nus

nus memoratiuam moueat ad recordationem alicuius rei lætæ vel terribilis. ita beſtiæ ad ſonos quoſdam variis affectibus concitantur: & canem videas, cui aures præciderís, ſonum quemdam campanâ aut inſtrumento muſico excitando, ſemper ad eumdem ſonum latrare. Et hiſtoriæ produnt, Narſetem Ducem, qui à Phocâ Imperatore fuit combuſtus, adeò formidabilem Perſis fuiſſe, vt pueros nominando Narſetem terrerent. Et Auſtriacæ matres filios ſuos terrere ſolent, nominando Mathiam quemdam Regem Hungariæ linguâ ſuâ, dicentes, *Mathiaske komt.* ita aliis alia nomina ſunt terrori, ex eo quòd iis auditis recordentur malorum acceptorum, vel certè quòd ſpeciei alicuius formidoloſæ, quam aliquando imaginati ſunt, ad eorum ſonum recordentur.

Vel per aſſiſtentiam ſpiritûs.

Tertius modus quo voces operantur, fit ex aſſiſtentiâ, vel Dei & Sanctorum in ſacroſanctis quibuſdam nominibus, vel dæmonis in ſuperſtitioſis incantatorum, ariolorum, aruſpicum, aliorumque id genus nequiſſimorum hominum formulis. An autem quæ Dei ordinatione, maximè in Sacramentis, rerum omnium præſtantiſſimam gratiam Dei cauſant, id phyſicè, an verò tantùm moraliter efficiant, Theologis curioſiùs in ſcholis diſputandum relinquo.

Quid nomen Deiparæ operetur primo modo:

Hîc ſufficit tres modos, quibus verba quid efficiunt, diſtinxiſſe, tamquam fundamentum potentiæ & efficaciæ nominis Mariæ. De quo diſputare nolo, an primo modo habeat quoſdam effectus ſingulares, & num ſit vox omnium poſt IESV vocabulum gratiſſima, & dictu auditúque iucundiſſima: nam vt hoc ſtatueretur, oporteret primò habere perſpectam genuinam eius pronuntiationem, prout fuit à Deo reuelata, quam ſine nouâ reuelatione ita præcisè habere non poſſumus; & licet haberemus, non poſſemus eam verbis vllis aut litteris poſteritati tradere, ex eo quòd in litterarum pronuntiatione impoſſibile ſit ſtatuere aliquid primum, in quo nationes omnes conueniant. Licet enim Mariæ vocabulum omnes iiſdem ſcriberent litteris, quod non fit; non tamen idcircò litteras illas eâdem vel ſuauitate, vel maieſtate, ceteriſque ad præciſam iſtam ſoni modulationem requiſitis, omnes pronuntiarent: nam A, verbi gratiâ, litteram hic craſſiùs, ille tenuiùs efferet, & ita de ceteris. Vnde fit, vt in hac parte nihil certi definiri poſſit: & res exigui eſt momenti, cùm ex duobus aliis capitibus tanta redundet in nomen Virginis efficacia, vt minuta hæc videatur eſſe diligentia, quâ ex litterarum ſono ei colligeretur auctoritas. Nõ nego tamen, quin ex ſuaui eius per muſicam modulatione excitari poſſit audientium pietas; optandumque, vt muſicorum hac in parte deſudet induſtria, ne qua vox ſuauiùs artificioſiuſque ſe auribus inſinuet, quàm hoc ſacratiſſimum Dominæ noſtræ nomen.

Quid efficiat ſecundo.

Pergo ad ſecundum modum quo voces operantur: qui in nobis eſſe poteſt plenus ſuauitatis, ſi crebrâ meditatione nobis Virginis clementiam, bonitatem, dulcedinem, pulchritudinem, caſtitatem, aliaſque blandiſſimas virtutes proponentes, habeamus phantaſiam & memoriam plenam ſuauiſſimis imaginibus, quæ prolato Virginis nomine facilè excitabuntur, ſi fuerint crebrâ, vt dixi, meditatione viuificatæ; animumque replebunt dulciſſimis iis affectibus, quibus ſeſe meditando eas virtutes exercuit. Atque ex hoc capite etiam alibi oſtendi, quare mancipiis B. MARIÆ Virginis obtingere ſoleat mors ſuauior: nihil enim efficacius erit contra præſentes triſtitias & timorem futurum, quàm crebrâ nominis Mariæ inuocatione renouata de bonitate & miſericordiâ Virginis meditatio. Quàm ſoliciti eſſe ſolent mortalium plerique, vt habeant contra incurſantes ſubinde dolores anodyna quædam medicamenta quæ malum leniant; tam ſtudioſè mancipia B. MARIÆ Virginis inſtruere debent memoriæ & phantaſiæ ſuæ apothecam pientiſſimis de Dominâ noſtrâ

ſtrâ contemplationibus, vt ſtatim, vel vnico dicto auditóve Mariæ nomine, eas poſſint citare ad leniendos animi dolores, & tollendos ipſos mortis terrores.

CAPVT XXXVI.

De vi ſupernaturali nominis Mariæ.

QVAM procul abſim ab eorum errore qui nominibus & incantationibus vim quãdam naturalem tribuunt, ad ſanitatem ceteroſque effectus ſupernaturales vel præternaturales producendos, ſatis credo conſtat ex Capite ſuperiore; vbi triplicem modum aſſignaui quo voces operantur: & vt magis conſtet, apertè hîc pronuntio, nulla vocabula naturalem vim vllam directam habere morbos ſanandi, ceteraſque noxas pellendi. ita ſtatuit Martinus del Rio Diſq. mag. lib. 1. cap. 4. qu. 3. Eſt contra Origenem lib. 1. & 5. contra Celſum, item contra magos cum ſuo Agrippâ & Paracelſo, & contra recentiores quoſdam Platoni nimiùm addictos: quãuis generaliùs ponat concluſionem del Rio, omittatque vocilam quam appoſui *directam*; quam deinde ita explicat. Dixi, nulla (negans de quouis verborum genere) ſiue ore prolata, ſiue ſcripto comprehenſa; ſiue ſola & incomplexa (vt vocant) ſiue incomplexa & in propoſitionem vel orationem aliquam verſu aut proſâ relata; ſiue ſignificatiua, ſiue nihil ſignificantia; ſiue Hebræa, ſiue alterius linguæ; ſiue dicta cum ſibilo aut afflatu, ſiue aliter quomodocumque, abſente vel præſente ægro: tot enim effugia nugarum & ſuperſtitionum ſuarum quæſiuit aliquorum contrà ſentientium vanitas, vt neceſſe ſit ſingula adferre, ne quis incautus vel nimiùm curioſus capiatur his dæmonum laqueis. Addidi tamen *directum vim*, quia indirectè verbis ſanitas aut morbus vel mors adferri poteſt alicui; quod ſuperiori Cap. indicaui. Si quis enim ad veternum inclinatus voce excitetur, erit ei vox illa ſalutaris: ſi quis è contrario longâ fatigatus vigiliâ, iam in ſomnum declinans lumina, voce item impediatur ne dormiat, morbi & mortis deinde cauſa potetit eſſe vox illa importuna. Non hîc auſam damus ſuperſtitioni eorum, qui voci magnos tribuunt effectus, & ita turpiſſimum ſuum cum dæmone commercium velant ſpecioſo facultatis naturalis, quæ vocibus inſit, palliolo; ſed potiùs ſincerè adferendo quid voces poſſint, naturalemque vim earum omnem quà patet latiſſimè explicando, vanitatem ſuperſtitioſorum & ſtoliditatem producimus, qui tam leui actiuitati tantos ſuperſtruunt effectus. Si enim, quod quidam faciunt, omnem prorſus actiuitatem vocibus negaremus; relinqueremus locum peſſimis hominibus, dum aliquâ effectuum, qui ex verbis procedunt, inſtantiâ noſtram infirmarent concluſionem, apud ſuos ſeſe iactandi, tamquam ſi fundamenta ſolida ſtruxiſſent ſuæ vanitati. Quod ergo auctor doctiſſimus iam citatus dicit, *Ore verò prolata verba vim tantùm habent contactu aërem feriendi, vt & animalium reliquorumq; inanimorum ſoni*; veriſſimum eſt. at id quod ſubinfert his verbis, *Sed ſonus tactum non magis valet immutare, quàm color auditum, vel dulcedo viſum, quia non ſunt ſenſuum eorum obiecta*; ex eo quod iam antè dixerat, explicandum eſt de ſono quà tali formaliter: nam ſi capias ſonum, prout naturaliter fieri debet, in materiâ aëris moti, non ſolùm poteſt, ſed neceſſariò debet ſenſum tactus immutare; nec contrarium euincunt exempla allata. Licet enim dulcedo viſum non immutet; immutat tamen etiam ſenſum tactus, prout naturaliter fit, ſcilicet per contactum rei dulcis ad organum ſaporis. hinc ſi organo læſo rem vehementer dulcem ingeras, quod dulcedine recreabis, tactu rei dulcis læſeris: ita in ſono videbis ægros, muſicâ per

Nulla vis ineſt verbis directè ſanitatem cauſandi;

Ineſt tamen cauſandi indirectè.

câ per se auditum titillante, propter indispositionem organi, magis fatigari quàm recreari. Ratio est, quòd sensus tactus sit sensus omnibus organis communis, & quasi subiectum ceterarum sensationum; qualiter quidam de quantitate philosophantur, quam non absurdè statuunt omnium accidentium commune subiectum. Hinc ergo patet, verba cum fragore, murmure, stridore, sibilo aut aliis modis prolata, quòd diuersimodè aërem moueant, ac consequenter alio atque alio modo tactum ægri vèl sani hominis, in quem aër motus incurrit, afficiant, posse diuersos quosdam effectus producere: sed hinc confirmare se nullâ ratione possunt magi, arioli, incantatores, & Cabalistę quarti ordinis (in tot enim genera vanitatis istius professores distinguit, ab iis qui tantùm nugantur, ad eos qui magiam profitentur, ascendendo, Martinus del Rio suprà:) numquam enim prodigia sua, quæ verbis tribuunt, ex hac verborum actiuitate stabilient, sed aliis prorsus nituntur falsissimis fundamentis.

Fundamenta quibus falsò verborum actiuitatem superstruũt magi.

Asserunt enim Primò, litteris & syllabis quamdam esse cum cælestibus corporibus & mentibus sympathiam. Secundò dicunt, verba illa maioris esse efficaciæ quæ orta sunt à linguâ digniore, & à sanctiore dignitate instituta, & quæ res sanctiores significant; vt nugatur Laurent. Ananias lib. 3. de Naturâ dæmon. fol. 99. Tertiò somniant, nomina propria radios quosdam esse rerum quas significant; & in ipsis nominibus quasi vitam quamdam latere. Quartò, vim complexorum verborum; hoc est propositionum & orationum, efficaciorem esse delirant. Primò, *quia veritas* (inquit Archimagus) *in ipsa propositione contenta hîc accedit: cuius veritatis vis maxima est, quando formula, seu carmen, virtutis ac operationis astri seu numinis quod comprecamur, continet commemorationem.* Secundò, quia qui integram orationis texturam promit, magis animo dictis intendit, quàm qui verbum vnum aut alterum: quare vis quoque vehementior imaginationis concurrit, & spiritus copiosior in rem incantatam transit. Quæ omnia Anticyris dignissima, nec à sani cerebri hominibus titiuilitio emptitanda, doctè refutantur à laudato iam sæpiùs auctore. Nos ergo, qui maiorem vim potentiamque, atque effectus etiam multò admirabiliores & certiores Mariæ sanctissimo vocabulo tribuimus, quàm tota ista superstitio tribuit suis incantationibus, aliud adferre debemus tantæ potentiæ principium, quam naturalem prorsus esse negamus. Fundamentum primum, in quo fundant vim omnem characterum, annulorum, sigillorum & imaginum sacrilegi magiæ studiosi; est Aphorismus quidam libri impij, qui Arbaghthel inscribitur, in septenâ 2. vbi traditur, quòd quando Deus nomina rebus vel personis imposuit, simul cum nominibus vires & officia quædam illis distribuit; & ita characteres & nomina constellata (hoc est, imagines sub certâ constellatione formatæ & nominatæ) habent vim non ratione figuræ vel pronuntiationis, sed ratione virtutis seu officij illius quod Deus ad tale nomen seu characterem ordinauit. quod mendacium est confictum à nebulonibus istis ad stabiliendam superstitionem vanissimam. Nomina quidem Deus in Scripturis imposuit Sanctis quibusdam mysterij significandi causâ, & officio quo functuri erant conuenientia, sed nominibus istis vim effectiuam nullam indidit; animantibus verò cunctis Adam nomina indidit, non Deus. Nos igitur, qui sacratissimo Mariæ nomini vim miram tribuimus ad operandum effectus stupendos, negamus eam à Deo tamquam naturæ auctore esse inditam; sed ab ipso reparatore generis humani, cuius causâ facta est Virgo Deipara, liberaliter & supernaturaliter esse concessam.

Differentia sententiæ nostræ & magorum.

Quid ergo inter sententiam nostram & illorum nugiuendulorum interest? illi vim naturalem verborum confingunt, vt impietatem celent;

lent; nos ſupernaturalem demonſtramus, vt augeamus pietatem: illi pactum, quod intercedit cum ſpiritualibus nequitiis, conantur abſcondere; nos fœdus nouum, quod Deus cum genere humano tempore redemptionis iniuit, per hanc ipſam nominis Mariani potentiam probamus: illi vim proferunt in ſpeciem hominibus ſalutarem, reuerà tamen inuentam in generis humani perniciem; nos poteſtatem prædicamus numquam damnoſam, ſed datam in ſalutem noſtram: illi naturæ nimium tribuendo, non tantùm malitiam ſuam velant, ſed etiam pietatem noſtram conantur eneruare; nos diuinam extollendo gratiam, tum pietatem augemus mancipiorum B. Virginis, tum ſuperſtitionem magorum refutamus.

Vnde conſtet nomini Mariæ diuinitus datam potentiam.

Sed age, qui negamus, ipſos demonſtrare poſſe Deum indidiſſe nominibus vim naturalem quam iactant, modò probemus, potenti noſtro vocabulo datam eſſe ſupernaturalem. quæ cùm facti ſit quæſtio, plurimùm in eâ valere debet auctoritas, maxime teſtium idoneorum; quales ſunt ſancti Patres: quorum iam ſæpiùs repetimus ſententias, nominatim Idiotæ cap. 5. lib. de Contempl. dicentis: *Mariæ nomen ſuper omnia Sanctorum nomina reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros*, &c. & S. Bonauenturæ, *nomen Mariæ omnipotens* vocitantis in Cantico poſt Pſalt. Deinde probatur experientiâ ipsâ, quâ conſtat ſtupendos edi quotidie ad inuocationem huius nominis effectus: nequeunt autem iſti, vt ex refutatione magorum & Cabaliſtarum conſtat, attribui naturæ; nequeunt, quemadmodum illorum prodigia, aſſcribi dæmoni: reſtat ergo, vt ad Dei potentiam & bonitatem referantur, gratuito concurſu ita Matris ſuę promouentis gloriam, & nomen per orbem vniuerſum propagantis. Tertiò, probatur argumentatione à ſimili deductâ ex ſacris Paginis; teſtantur enim illæ IESV nomen ad miracula patranda aptiſſimum. *In nomine meo dæmonia eijcient*, &c. idque tum in ſignum, quòd verè ſalus per eum facta eſt, cuius ſola inuocatio nominis tam eſt ſalutifera; tum ad gloriam ipſius Saluatoris, cuius ingens laus eſt, pollere nomine tam potenti. Quis ergo eorum qui fatentur, B. MARIAM Virginem aſſumptam fuiſſe ad cooperandam ſalutem noſtram, dubitabit, an nomen eius factum ſit poſt IESV nomen ſaluberrimum? Quis agnoſcens Filij Dei in Matre honorandâ ſtudium, exiſtimabit eam exſortem reliquiſſe maximæ iſtius gloriæ quæ prouenit à nominis potentiâ? Habet ergo nomen Mariæ admirabilem potentiam; & habet ex eo, quòd Deus conſtituerit ad eius inuocationem mirabiliter ad opera ſtupenda concurrere. Non diſputabo hîc curioſiùs, an fortè dederit, vel dare potuerit ipſi nomini vim effectus iſto effectiuè producendi, quemadmodum Sacramentis in ordine ad gratiam cauſandam dediſſe eum quidam exiſtimant; an tantùm conſtituerit ipſe gratuito concurſu eos efficere prolato nomine Virginis, ipſo non niſi moraliter, vel forte tantùm occaſionaliter, concurrente: cùm nihil interſit, ad ſtabiliendam pietatem noſtram, quomodo fiat; modò ſciamus, pium eſſe inuocare Virginem, idque Deo gratum, & nobis tam multipliciter vtile. Hoc tantummodò notandum, non aliter de Mariæ quàm de IESV nominis efficientiâ philoſophandum: licet enim differentia ſit in nominatis, quòd ille per ſe dare gratiam & ſalutem poſſit, hęc ab illo acceperit, quòd poſſit; in nominibus tamen quantum ad hoc non eſt differentia, cùm vtrumque creatura ſit, & acceperit omnem quam habet potentiam.

Marci 16. v. 17.

CA-

CAPVT XXXVII.

Vtrùm maiorem habeat efficaciam IESV nomen, an MARIÆ. Hîc potissimùm de potentiâ naturali.

SISTE iudicium & zelum, si quis ad tituli huius insolentiâ indignaris, tamquam si per Matris gloriam Filio conaremur facere iniuriam, donec quid hîc disputetur & quid resoluatur, intellexeris, & piè Filij in Matre potentiam laudaueris: nam quod petitur, an efficacius sit IESV nomen quàm Virginis, multifariàm dubitari potest. Primò enim capi possunt nomina secundùm se materialiter, abstrahendo à significatione, & quæri, vtrum potentius? Secundò, positâ etiam significatione, quam modò habent, interrogari rursum potest, vtrum sit efficacius & potentius secundùm se? Tertiò, institui potest comparatio, & peti, vtrum sit efficacius quantum ad nos? Hisce quæstionibus vbi distinctè responderimus, nemo, puto, indignabitur hanc à me quæstionem motam, ex quâ etiam possit intendi pietas erga Virginem, eorum qui animum habent ab eâ non abhorrentem.

Quod ad primam attinet, facilè est eam resoluere ex dictis. Cùm enim nomina omnia ex arbitrariâ litterarum & syllabarum connexione formentur, vanum est in iis effectuum prodigiosorum causam constituere, nisi, prout suprà dicebamus, quid efficiat soni ruditas aut suauitas. In hoc autem difficile est statuere, vtrum palmam alteri præripiat: tum quòd, vt suprà dixi, non sciamus ipsum illum sonum præcisè secundùm omnes pronuntiationis atomos quo nomina hæc sunt pronuntianda; tum quòd in sonis, non secùs ac in saporibus, aliis alia placeant, gratioraque videantur. Aduertere hoc est in tribus nationibus quæ Romanam linguam, quam cum Romano Imperio susceperant, iterùm cum eodem immutarunt: nam Hispani vocales a & o sonantiores, vt sibi gratiores, maximè adamarunt, hinc terminationes Latinorum in as, os, a & o retinuerunt; Itali verò exilioribus i & e maximè adhæserunt; Galli autem medium quid secuti, miscuerunt vocales omnes, & quam à Romanis accipere non poterant, quorum u crassè vt ou sonabat, pronuntiationem vocalis Græcæ ypsillon quintæ Latinorum vocali accommodarunt, sonatque illis modò u, vt Græcis olim ypsillon sonabat. Ex hac ergo parte, quòd difficile sit statuere, in quo cõsistat vocum excellentia, neutram harum vocum sanctissimarum alteri præferemus. Aliud est, quod in vocibus secundùm se sumptis, aut potiùs in litteris vocum spectatur: vnde vanissima nugones quidam captant omina, Scriptura verò subinde ingentia trahit mysteria; consistitque in reuocando ad calculum numeros eos qui à litteris nominis alicuius conficiuntur. Hinc omina captant nonnulli victoriæ, diuturnitatis vitę, & similium, eâ vanitate, vt, si quæratur, vter duorum coniugum diutiùs sit alterò victurus, statim nomina eorum ad rationes arithmeticas reuocent, pronuntientque vitam ei longiorem fore qui nomine suo plures computat numeros: eâdem ratione quæstionem resoluunt factam de victoriâ duorum Imperatorum fortè bello decernentium. Quâ in re cùm non minor appareat vanitas quàm stoliditas in cerebro iis fidem adhibentium; sunt qui vniuersè rident omnem circa numeros computandos diligentiam, quòd non obseruatio, sed intempestiua hominum curiositas talia fingat. Sunt tamen ex optimis Auctoribus qui mysteriis ca-

An potentia nominis colligenda ex numeris.

rere

rere non putant certos numeros rei cuidam aut personis applicatos: & agendo de iis quos nomen alicuius conficit, clarus est textus Apocal. 13. v. 18. *Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ; numerus enim hominis est; & numerus eius sexcenti sexaginta sex.* Vbi clarum est in primario prophetiæ huius sensu, numerum, quem efficiet nomen Antichristi, ingens prodere mysterium: cùm enim natus & nominatus fuerit, omnes ex hoc numero nomini ipsius respondente, illudque adæquãte, & ex aliis signis à S. Ioanne c. 12. & 13. & à Daniele cap. 7. & 11. & à Paulo 2. Thessal. 2. allatis colligent illum esse Antichristum. & ita numeri, quos efficit nomen alicuius, seruire possunt ad hominem indicandum. Simili modo Sibylla libr. 1. Oracul. prædixit nomen CHRISTI litteris suis expressurum numerum 888. hunc enim exprimit nomen IESVS: in Græco enim Ἰησοῦς ι notat 10, η 8, σ 200, ο 70, υ 400, & rursum ς ducenta: quæ simul iuncta faciunt 888. Ita quidam ex Rabbinis collegerunt nomen MARIÆ (quod cum mysterioso suo *Mitraton* idem esse contendunt) exprimere numerum 999. Quòd si hîc sistere velimus, nihil colligemus ex numeris ad statuendam vnius nominis præ altero excellentiam. Sed plura ex numeris colligenda videtur innuere Euangelista, dum ait, *Numerus enim hominis est.* tamquam si diceret: Attende ad numerum eius qui tantum se faciet, vt velit esse æqualis Deo: nihil in eo diuinitatis reperies: numerus enim ipsius numerus hominis est. De quo sic Petrus Bongus Tractat. de Mysteriis numerorum: Antichristus volet nominari Deus; erit tamen bestia, id est, creatura & homo: vnde ait Ioannes, *Numerus hominis est.* Numerus enim creaturæ & hominis est senarius, quia sexto die compleuit Deus rerum creationem, ac septimo die quieuit; hinc & septenarius est numerus Dei, senarius hominis. Porrò senarius hic non est simplex, sed triplex, scilicet 666. nam de primo, id est singulari, limite in secundum, id est decimum, transgressus, facit sexaginta; idemque in tertium, id est centesimum, traductus, facit sexcenta; qui simul positi faciunt 666. nimirum vt notetur triplex diaboli, qui Antichristo præsidebit, transgressio & præuaricatio æquè ac damnatio. Prima est, quando iudicatus in cælo sententiam damnationis accepit. Secunda, quando in serpente, per quem hominem deceperat, maledictione mulctatus est. Tertia, quando in Antichristo mundum seducens deturbabitur in tartarum; quando nimirum Dominus IESVS interficiet eum spiritu oris sui, & destruet illustratione aduentus sui. Si hac ratione de IESV nomine discurramus, inueniemus id esse nomen Dei, non hominis. Qui habet intellectum, computet numerum Saluatoris: numerus enim non hominis, sed Dei est; & numerus eius octingenti octoginta octo. Numerus enim octauus, numerus beatitudinis & perfectionis est: hanc solus habet, illam solus conferre potest Deus. Hinc Græcis in prouebium abiit, ἀπαντ' ὀκτώ, hoc est, *omnia octo.* Quò respiciebat Heliogabalus Imperator, quando, teste Lampridio, sæpiùs ad cœnam vocabat octo caluos, octo luscos, octo podagricos, octo surdos, octo raucos, octo insigniter nigros, octo valdè longos, octa obesos, octo nasutos; sed magis ille, qui octonarium nomine præferens, seruos suos misit, vt mancos & claudos compelleret intrare ad epulas quas præparauerat, vt compleatur numerus discumbentium, diuisus in octonarios, hoc est manipulos virorum perfectorum, sintque omnia octo, & ex triplicatâ numeri notâ 888. ad significandum triplex quod prædestinatis & Sanctis suis confert beneficium. nam in primo limite, seu in numero singulari, eos vocat, quemque nomine suo; inde ad decimum transiens, eos iustificat ipsique producunt opera iustitiæ, nec gratiam sinunt esse vacuam; tertiò denique transfert ad centesimum, eos glorificando, dandoque præmium

Nnmerus nominis Antichristi 666.

Numerus hominis IESV 888.

mium centuplum pro quocumque opere perfectionis. Quid hîc dicam de numero qui est in nomine B. MARIAE Virginis? an audebo hortari & dicere, Qui habet intellectum, computet numerum Virginis? numerus enim Deiparæ est; & numerus eius nongenti nonaginta nouem; quemadmodum suppono à Rabbinus examinatum. Numquid nonus dies nascentium olim solemnis habebatur, eratque lustricus? numquid similiter nonus dies morientium celebris erat? quia eo die defuncti cineres tumulabantur, sacraque peragebantur, quæ Nouendialia vocabant. quò alludit Horatius in Epod.

Numerus nominis Mariæ. 999.

Nouendiales dissipare pulueres.

vt sciamus, nouenarium ei sacrum esse, quæ filium mirabiliter pariendo, eumdemque constanter morti offerendo, salutem attulit mundo. Quid, quòd super omnes numeros est nouenarius, omnes inferiores continens, ita perfectus, vt vlteriùs ascendere non possis, nisi ad vnitatem conscendas; eamque sic componas, vt, cùm ei cifram adiunxeris, numerum habeas simplices omnes excedentem, quem tamen dicere nequeas ex numeris duobus compositum? Perfectissima vtique Hierarchici status MARIANI imago: illa enim sic creaturas omnes excedit, vt omnium constet perfectionibus, prout alibi probauimus, nec possis ab eâ adscendere, nisi ad vnitatem illam simpliciſſimam, quæ nullam admittit compositionem; habet tamen, secundum modum nostrum concipiendi, compositionem mirabilem ex omnibus perfectionibus imaginabilibus: quas cùm non esse creaturas sciamus, nec veram constituere compositionem, quasi cifram isti vnitati adiungimus; vt sic componentes, sine verâ compositione intelligamus isti vnitati adiunctum esse circulum infinitorum bonorum completione perfectum. An adiungo, ex terni numeri in se multiplicatione consurgere nouenarium? quòd Virgo Deipara composita sit ex omnibus perfectionibus quas Sanctissima Trinitas extra se effundere voluit, certatim ita concurrente Patre, Filio & Spiritu sancto, vt, cùm singuli contulerint sua beneficia, & ipsa omnibus singula referat accepta atque multiplicata, in eâ Triados videatur imago; cum Pater tantum ei contulerit, quantum reliquis creaturis omnibus tota Trinitas non dedit; atque idem de Filio, idem de Spiritu sancto dici possit. Iam si Angelorum chori sunt nouem, iustum est vt numerus eius quæ omnes Angelos tanto interuallo antecedit, sint nongenti nonaginta nouem, ex eo modo loquendi, quo CHRISTVS respondebat interroganti, an ignoscèret fratri suo peccanti vsque septies: *Non dico tibi, vsque septies, sed vsque septuagesies septies.* *Matth. 18. v. 22.*

Hi sunt numeri contenti in nomine IESV & MARIAE: quòd si inde velimus de efficaciâ nominis statuere, fortius & efficacius erit nomen MARIAE quàm IESV. Verùm cùm leuius hoc sit fundamentum, nec voces secundùm se sumptæ possint dirimere litem hanc mysteriosam, alia videamus.

CAPVT XXXVIII.

Resoluitur, vtrum nomen sit absolutè potentius, IESV an MARIAE.

ALTER modus quo intelligi potest quæstio proposita, est, vtrum nominum duorum sit fortius & efficacius, positâ significatione & significato, vnde vim totam trahit efficiendi effectus prodigiosos & supernaturales.

Vbi notandum, aliter intelligi, venerabilitatem inesse nomini alicui, aliter potestatem: nam venerabilitas ei inest hoc ipso quo nomen est proprium huius vel illius, secundum id quod est apud Arnobium lib. 5. Aduersus Gentes: *Quantum est in ipsis qui censentur iis nominibus, tantum esse par est in eorum appellationibus dignitatis.* adeoque

Distinguitur nominis venerabilitas & potestas.

fieri non potest, vt nomen Virginis Deiparæ sit venerabilius quàm nomen IESV; quia non potest ipsa esse sanctior meliorque Filio suo: potentia & efficacia præterea pendet à liberâ voluntate Dei, huic potiùs quàm illi nomini concursum suum gratuitum ad hanc illamve rem operandam addicentis.

Deus potuit efficere, vt nomen Mariæ esset potentius nomine IESV.

Vnde Primùm statuo, fieri potuisse vt nomen MARIAE foret efficacius quàm nomen IESV: potuit enim Deus instituere, vt ad inuocationem nominis MARIAE plurimi sequerentur effectus etiam infallibiliter, & nullos vel pauciores addicere inuocationi nominis Iesu. Nec enim patet, vnde neganda sit ea Deo potentia: & de facto infallibiles Sacramentorum effectus alligauit verbis quibusdam, non tam sanctis atque sunt hæc duo vocabula.

non cõstat tamen eum defeciſſe.

Statuo tamen Secundò, non constare, Deum plus efficaciæ dedisse nomini MARIAE quàm nomini IESV; sed probabilius dici, seruatam esse in eo dignitatis, excellentiæ potentiæque ipsorum significatorum proportionem. Vti enim nihil potest MARIA nisi per IESVM, ita probabiliter plus potest nomen IESV quàm nomen MARIAE; præsertim cùm habeamus testimonia Scripturæ de potentiâ nominis IESV admirabili, quæ tam aperta de nomine Matris ipsius non habemus. nam Marci 16. v. 17. dicitur: *In nomine meo dæmonia eiicient*, & verba, *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, indicant, CHRISTVM voluisse nomen suum hominibus innotescere per frequentes benignitatis suæ effectus præstitos ad inuocationem nominis sui IESV.

Ioan. 16. v. 23.

Nomen Mariæ probabiliter dici potest potentius nomine IESV. saltem quoad nos.

Tertiò tamen etiam non improbabiliter dicitur, MARIAE nomen, saltem quoad nos, efficacius esse quàm IESV nomen. Probatur Primò ex Scripturâ à simili. Ioannis enim 14. v. 12. dicitur: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet.* Si enim discipulis suis efficaciæ plus tribuit ad miracula patranda quàm ipse exercuit; cur negandum est, quòd nomini Genitricis suæ plus dederit eiusdem efficaciæ, quàm in nomine proprio ostendit? Probatur Secundò, testimonio & auctoritate S. Anselmi lib. de Excellentiâ Virgin. cap. 8. *Velocior est nonnumquam salus memorato nomine* MARIAE, *quàm inuocato nomine Domini* IESV *vnici Filij sui.* quo nihil dici potest clariùs. Probari etiam potest verbis S. Bonauenturæ in Cantico post Psalt. vbi ait de Virgine: *Omnipotens post Deum nomen eius.* Quæ si in rigore interpretari velimus, dicemus, eum post Deum, quoad potentiam, immediatè ponere nomen Virginis, non nomen Dei, quod non est Deus; tamquam si hoc vellet innuere, ipso Dei nomine esse potentius. Probatur Tertiò, ratione S. Anselmi suprà: CRISTVS *suo nomine vocatus si non statim exaudit, profectò id iustè facit; inuocato autem nomine Matris, etsi merita inuocantis non merentur vt exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt vt exaudiatur.* Quæ ratio congruentiam insignem adfert, cur videatur Deus plus efficaciæ dedisse nomini MARIAE quàm nomini IESV: quòd scilicet ipse iudex inuocatus, licet inclinet ad misericordiam, magnumque ad hoc pondus addat inuocatio nominis dulcissimi; quia tamen Iudex est, non aliter quàm per nomen suum inuocatus etiam retinet seueritatem: at si Matris inuocatio accedat, si nomine isto interpelletur cui gaudet ipse plurimum tribuere, & ratio dictat nequid neget, licet aliàs nulla sint merita petentis, statim concedit; ne confundat faciem Matris suæ, quod propter Iudicis quam sustinet personam nominis sui inuocationi non concessisset. Itaque conclusio hæc satis est certa, si de effectibus potentiæ agatur; at absolutè de potentiâ statuere, quibusdam duriùs videtur. Sed fortasse tantùm videtur. Quid enim aliud est potentia ista nominis supernaturalis, quàm concursus Dei expeditus & paratus, vt ratione nominis, vel potiùs ad inuocationem nominis alicuius, quædam hominibus salutaria efficiat? quem concursum si decreuerit sepiùs & promptiùs, & etiam ad maiora, præstare inuocato nomine MARIAE quàm

IESV;

IESV; iam dicendum erit, MARIAE nomen in actu secundo nomine IESV esse potentius: non quòd MARIA, aut nomen eius, vt sæpiùs inculco, quidpiam possit sine IESV; sed quòd fortassis operatio nominis MARIANI ab inuocatione nominis IESV non dependeat.

Verius tamen videtur, nomen IESV esse potentius.

Notandum tamen, verosimilius dici, de facto absolutè potentius esse & efficacius nomen IESV quàm nomen MARIAE; idque tum ob rationem, tum propter auctoritatem Patrum expressè id statuentium. Nam Idiota disertè c. 5. de Contempl. *Non est*, ait, *in vllo alio nomine post nomen superbenedicti Filij tui tam potens adiutorium; nec vllum aliud nomen datum sub cælo hominibus post dulce nomen* IESV, *ex quo tanta salus hominibus refundatur.* Et ratio est, quòd Deus videatur ideò dedisse potentiam istis duobus sanctissimis nominibus, vt homines doceret ea colere & venerari: vnde sequitur, verosimiliter ei dedisse maiorem, quod magis erat colendum: quod sine dubio est nomen IESV.

Petes, quid ergo D. Anselmi testimonio & ipsi experientiæ faciemus, docentibus quòd velocior nonnumquam sit salus memorato nomine MARIAE, quàm inuocato nomine Domini IESV vnici filij sui?

Inuocatâ Mariâ semper inuocatur IESVS; non contrà.

Respondeo Primò: Licet salus sit velocior ad explicitam inuocationem MARIAE quàm IESV; quòd tamen MARIA numquam inuocetur, quin simul censeatur inuocari IESVS; non contrà. Cùm enim verum sit, & nos credamus, IESVM per se dare posse quod petimus, dum eum inuocamus, nullâ factâ mentione alterius; sistit præcisè actio nostra in inuocatione IESV: at cùm MARIAM inuocamus, quam scimus & credimus nihil posse nisi per IESVM; eam inuocando, simul implicitè IESV nomen inuocamus, quamuis explicitè eius non faciamus mentionem. Inuocare enim MARIAM ex fide quâ dixi, nihil est aliud quàm petere, vt pro nobis apud IESVM benedictum Filium suum intercedat, vt salutem impetremus quam petimus: hoc autem est etiam IESVM saltem implicitè inuocare. Cum hoc autem optimè concordat D. Anselmi sententia, quod velocior sit salus inuocato nomine MARIAE quàm IESV. Inuocato enim IESV nomine, solum Iudicem per viscera misericordiæ ipsius, quæ est super omnia opera eius, obsecramus ne sæuiat: inuocato Mariæ nomine, præterea aduocatam adducimus gratiosissimam ut parcat, imò veluti machinam potentissimam adhibemus, quæ cor eius ad misericordiam inflectat, omnemque tollat peccati nostri & seueritatis suæ recordationem. Quid ergo dicimus, cùm statuimus potentius Mariæ nomen quantum ad nos, quàm ipsum IESV vocabulum? id quod Philosophi dicunt, qui lunam affirmant potentiùs influere in terram & hæc inferiora, quàm solem. Quòd enim luna vicinior sit, nullusque influxus solaris ad nos perueniat, nisi lunæ radijs susciptatur, attemperetur que rebus inferioribus; videtur ipsa fortiùs in nos influere, quamuis etiam lumen suum, cum omni virtute quam habet, ipsa debeat soli acceptam. Aues scire quid sit, Omnia opera Domini potestas & misericordia? potestatem suo nomine, misericordiam nomine Matris suæ exercet: hinc velocior salus inuocato Matris nomine.

Varia quasi concilia instituit Rex ille supremus, vti terreni variorum munerum varia collegia: hæc belli munera & munia distribuunt, illa togatas dignitates: alia iustitiam administrant, alia domum ipsam Regiam: nec iustitiam petiturus, ad œconomos Regis se confert; neque officium in palatio prætensurus, ad iudices criminales. Nullâ re nos æquè indigemus atque misericordiâ, propter innumeras generis nostri miserias. Misericordiæ autem officina & clementiæ concilium est nomen Mariæ: quid mirum si huc frequentiora eant mortalium vota, quòd hinc crebriores exeant benignitatis diuinæ effectus? Potentiæ maiestatisque misericordia attemperatæ concilium est IESV nomen: salutarem se quidem hîc etiam præbet Deus, qui vbique bonus est; & salutis ideò assumpsit vocabulum, vt liberiùs accedamus. Sed ne-

Nomen Mariæ est misericordiæ concilium.

scio quâ ratione imbecillitati nostræ & attritis imbre lacrymarum luminibus officiat splendor maiestatis, vt non possimus rectà solium illud intueri; ideoque libentiùs ad Mariam deflectamus, vbi nihil nisi bonitas, nihil nisi misericordia inuenitur. Diximus ex S. Aselmo alibi de virtutibus Marianis, quod MARIA *mitiora quodammodò & humaniora nobis præbuit exempla quàm Filius.* Ita pro conclusione hac dici potest, quòd Mariæ nomen mitiora & humaniora, imò frequentiora & velociora, præbeat argumenta pietatis & misericordiæ quàm nomen Filij: non quòd Matris nomen si sanctius aut absolutè potentius quàm Filij; sed quòd Deus alligasse videatur operationum suarum compendium & cumulum inuocationi Mariæ potiùs quàm IESV.

Lib. de Excell. Virg.

CAPVT XXXIX.

Quos præcipuè effectus habeat nomen IESV.

NOTATVM à multis insigne Principis Poëtarum artificium, qui Æneam suum commendaturus, ita in Turni laudes assurgit, & tam accuratè vires, animos, arma eius describit, atque si hæc fuissent Æneidos suæ materia: eo scilicet consilio, vt semper post Turni descriptionem omni cogitatione maiorem, mox inferatur Æneas tantò maior Turno, quantum ipse cogitationem hominum communem superauerat. Si enim

Æneid. 12.

--Veluti montis saxum de vertice præceps
Cùm ruit auulsum vento (seu turbidus imber
Proluit, aut annis solutit sublapsa vetustas)
Fertur in abruptum magno mons improbus actu,
Exultaque solo, siluas, armenta virosq;
Inuoluens secum: disiecta per agmina Turnus
Sic vrbis ruit ad muros -----

Sequitur statim Æneas:

-----Horrendumq; intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx,
aut ipse, coruscis
Cùm fremit ilicibus, quantus, gaudetque niuali
Vertice se attollens pater Appenninus ad auras.

crescitque ex comparatione prioris, descriptio alterius. Duo potentiora quàm Turni atque Æneæ nomina inter se composuimus, palmamque saltem quoad nos Mariæ vocabulo tribuimus: vt ergo dignè admirari possimus effectuum eius varietatem & excellentiam, priùs adferre est animus quæ Scriptura & Patres de IESV nomine adduxerunt. quæ collecta pleraque habes in Catenâ sexagintaquinque SS. Patrum in S. Lucam, luce & latinitate donatâ à Balthasare Corderio.

Nomen Iesu dæmones pellit.

Nam in primis dæmones pellit IESV nomen. Marci 19. v. 17. *In nomine meo dæmonia eijcient.* quod factum Act. 16. v. 18. vbi Paulus dicit spiritui: *Præcipio tibi in nomine* IESV CHRISTI *exire ab eâ.* Hinc Origines lib. 1. contra Celsum: *Non incantationibus pollere videntur (vt aiebat Celsus) Christiani, sed nomine* IESV *cum commemoratione eius factorum.* & mox: *Tanta certè vis nomini* IESV *inest contra dæmones; vt nonnumquam etiam à malis nominatum sit efficax.* quod docens IESVS, dicebat: *Multi dicent mihi in illâ die: Domine, nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus?* Nomen igitur IESV lymphatos sanat, dæmones exigit, morbisque præsentaneum adfert auxilium. Vide plura similia apud eumdem Origenem lib. 4. 5. 6 & 7. contra Celsum. Succinit Arnobius lib. 1. contra gentes: IESV *nomen auditum fugat noxios spiritus, imponit silentium vatibus, haruspices inconsultos reddit, arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore nominis, sed maioris licentiâ potestatis.* Et discipulus tanti viri, non inferior magistro, Lactantius lib. 4. c. 9. *Sicut* CHRISTVS *cùm inter homines ageret, vniuersos dæmones verbo fugabat*

Matth. 7. v. 22.

gabat, & hominum mentes emotas & malis incursibus furiatas in sensus pristinos reponebat, ita nunc sectatores eius, eosdem spiritus inquinatos, de hominibus & nomine Magistri sui & signo Passionis excludunt.

Sanat morbos:

Valet Secundò nomen Iesu ad corporis infirmitates sanandas, & ad patranda quæuis miracula. Marci 16. v. 17. *In nomine meo serpentes tollent: & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & benè habebunt.* quod factum Actor. 3. v. 6. vbi S. Petrus claudum à natiuitate in hoc nomine in pedes erigit, dicens: *In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Vnde S. Bernardinus Senensis Tom. 4. Serm. 41. comparat hoc benedictum nomen Iesu electuario ordinato contra omnem infirmitatem.

Valet contra tentationes:

Præterea est firmissimum contra tentationes præsidium nomen Iesu. Prouerb. 18. v. 10. *Turris fortissima nomen Domini.* Audi S. Gregorium Nazianzenum Epistolâ ad Nemesium de eo testantem: *Ipse qui Christo nomen dedi, augustum illud nomen vix plerumque pronuntiaui, cùm statim dæmon non sine stridore longissimè se proripuit, Dei immortalis vim ac potentiam clamans.* S. Chrysostomus Homil. de laude Dei ait: *Hoc Iesu nomen tum inferis, tum morbis & vitijs terrori est.* & Hom. 8. in cap. 4. ad Rom. *Hoc nomen & dæmonibus terribile est, & perturbationibus & ægritudinibus salutare: hoc ornemur ipsi, hoc tamquam muro nos muniamus.* Mirabile est quod narrat Cæsarius lib. 12. cap. 38. dicens, eum qui in horribilem illam specum, quæ S. Patricij Purgatorium dicta est, descendebat, ab Antistite loci moneri solitum his ferè verbis: *Videbis hac nocte insultus dæmonum & pœnas horribiles: sed non poterunt te lædere, si nomen Iesu semper habueris in ore: quòd si dæmonibus blandientibus siue terrentibus consenseris, & Iesum inuocare neglexeris, peribis.*

Præstat animi puritatem & serenitatem.

Quartò, ad omnem animi puritatem ac spiritualem consolationem consequendam plurimùm huius sanctissimi suauissimique nominis inuocatio conducit. Notanda verba Origenis lib. 2. contra Celsum: *Nomen Iesu inserit miram quamdam mansuetudinem, morumq; honestatem, humanitatem, bonitatem, placiditatem, omnibus qui non propter vitæ curas humanásve alias necessitates fucatè, sed ex animo amplectuntur prædicationem Dei Christiq; atque futuri iudicij.*

Denique salutis atque omnis boni causa, fons & origo est mortalibus nomen IESV deuotè id inuocantibus. *Et*, sicut scriptum est Act. 4. v. 12. *non est in alio aliquo salus: nec enim aliud nomen est sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos saluos fieri.* Legendus est S. Bernardus Serm. 15. in Cant. vbi lucem, cibum, medicinam esse probat nomen Iesu; mirosque eius prodit effectus solitâ suauitate. vbi inter cetera: *Tristatur aliquis nostrûm? veniat in cor Iesus, & inde saliat in os; & ecce ad exortum nominis lumen, nubilum omne diffugit, redit serenum. Labitur quis in crimen, curris insuper ad laqueum mortis desperando? nónne, si inuocet nomen vitæ, confestim respirabit ad vitam? Cui aliquando stetit ante faciem salutaris nominis duritia, vt asbolet, cordis, ignauia torpor, rancor animi, languor acedia? Cui in periculis palpitanti & trepidanti inuocatum virtutis nomen, non statim fiduciam præstitit, depulit metum? Cui, quæso, in dubijs æstuanti & fluctuanti, non subitò ad inuocationem clari nominis emicuit certitudo? Cui in aduersis diffidenti, iamiamq; deficienti, si nomen adiutoris sonuit, defuit fortitudo?* Describendi plura crescit auiditas, quòd nihil dici possit suauius aut melius. mox ergo pergit: *Nihil ita iræ impetum cohibet, superbiæ tumorem sedat, sanat liuoris vulnus, restringit luxuria fluxum, extinguit libidinis flammam, sitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem.* & pòst: *Hoc tibi electuarium habes, ô anima mea, reconditum in vasculo vocabuli huius quod est* IESVS *salutiferum certè, quodq; nulli vmquã pesti tuæ inueniatur inefficax: semper tibi in sinu sit, semper in manu, quo tui omnes in Iesum & sensus dirigantur & actus. Denique & inuitaris i Pone me, inquit, signaculum in corde tuo, signaculum in brachio tuo.* Ita prælibasse sufficiat

quæ producuntur de Iesu nomine: cui comparari, quantum ad efficaciam nominis Virginis, eximiæ laudationis est genus. Possunt autem pænè omnia quæ de sanctissimo Iesu vocabulo traduntur, paucis immutatis, de Maria dici, vti patebit ea consideranti: & si dictis Capite superiore inhæreamus; maiores etiam laudes potentiamque quoad nos efficaciorem tribuemus Mariæ. itaque intelligemus, omnia quæ de potentiâ nominis Iesu dicuntur, sic dicta esse de Mariæ nomine, vt etiam dicenda restent quæ ijs non contineantur. Quæ omnia recensere, quòd non solùm longum, sed etiam impossibile foret; eamdem insistemus viam, quam in adferendis nominis huius encomijs secuti sumus. Vt enim ibi vnius sententiæ ex Petro Chrysologo petitæ interpretationi acquieuimus; ita hîc Idiotæ verbis explicatis contenti erimus. is autem cap. 5. de Contempl. Mariæ ait: *Mariæ nomen super omnia Sanctorum nomina reficit lassos, sanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, recreat fessos, vngit agonistas, & iugum diaboli extrudit.*

CAPVT XL.

MARIÆ nomen reficit lassos.

HANC nominis Mariani laudem suprà tetigimus, quando id Hospitalitatis virtutem esse ex S. Petro Chrysologo demonstrauimus: hîc tamen proprius est eam tractandi locus, orandaque per nomen suum dulcissimum Virgo, vt nos, per longi Operis huius laborem pænè defatigatos, ante omnes sentire faciat istam nominis sui virtutem, vt non deficiamus in via, sed vegeti valenteque Libri huius finem faciamus, nullum facturi laudibus eius, in quibus sic vitam speramus finire, vt eas totâ æternitate continuemus. Aspira votis hisce auram suauissimam nominis tui, Virgo Maria, quæ in primis apta est ad reficiendum lassum viatorē.

Nomen Mariæ est aura tenuis:

Auram enim tenuem esse nomen Mariæ, vel ex 3. Reg. cap. 19. v. 11. poteris discere, vbi inuenies Prophetam de via fessum stantem in monte coram Domino: *Et ecce spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras ante Dominum*; sed *non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: nō in commotione Dominus, & post commotionem ignis*; sed *non in igne Dominus, & post ignem sibulus auræ tenuis*, in qua erat Dominus, refectusque aurâ istâ Elias perrexit ad vngendos Reges & Prophetam, & ad patranda opera mirabilia. Numquid Prophetæ ad instar, quem tæderet vitæ suæ? Stabat natura nostra in monte Sina, vbi acceperat testamentum in seruitutem generans, exspectabatque donec transiret Dominus; *& ecce spiritus grandis & fortis subuertens montes, & conterens petras*: ille scilicet qui in veteri lege non sine tonitruo & fulgure omnia latè terrore sui concutiebat, hic adducebat commotionem & ignem: sed neque in spiritu, neque in commotione aut igne Dominus. quid ergo? post illa *sibilus auræ tenuis*, hoc est, nomen Mariæ Virginis. quam fortè perceperat Eliphaz Iob cap. 4. v. 16. vbi dicit: *Vocem quasi auræ lenis audiui.* Certè sibilus auræ tenuis optimè dicitur nomen Mariæ: siquidem ipsa aura lenis propter refrigerium quod præbet omnibus inuocantibus se, & propter Isaiæ prophetiam cap. 19. v. 1. *Ecce Dominus ascendit super nubem leuem, & ingredietur Ægyptum.* Quis autem auræ istius sibilus, nisi nomen est Mariæ? Speculari enim sic licet: Sicuti creaturæ, teste Doctore Hierarchico, sunt quasi extrema resonantia ipsius esse diuini; ita nomina rerum, quæ diximus initio huius Libri constituere rem ipsam in esse quodam intentionali, secundùm illud esse sunt extremæ quædam resonantiæ rerum physicarum. resonantia ergo, seu sibilus auræ illius, quæ est Deipara, erit nomen B. Mariæ Virginis. In hoc autem sibilo Dominus, testante Archangelo, qui loco nomi-

nis

nis ipsius ponit *Dominus tecum*, vt alibi diximus; &, teste sancto Petro Damiano, *init Deus consilium de redemptione hominum, statim de thesauro diuinitatis nomen Mariæ euoluitur. Qui* Psal. 134. v. 7. *producit ventos de thesauris suis*, non poterat ex ijs pretiosiorem & salubriorem educere, quàm sibilum istum auræ tenuis, quem ijs inclusum fuisse dicit sanctus Doctor. qui pergens, ait: *Ac per ipsam, cum ipsâ, & in ipsâ hoc faciendum decernitur.* ac si diceret: Et in sibilo auræ tenuis, vel in nomine Mariæ, Dominus. Quænam posset aura magis recreans, magis lassitudinem & sudorem detergens, magisque grata viatoribus afflari, quàm nominis istius suauissimi aura lenis, iucundo sibilo, quo Maria pronuntiatur, auribus insusurrans gratiam, & Deum ipsum, quem secum vehit, animæ instillans?

Hæc aura Domini furorem stitit in paradiso.

Quantum auræ huic refrigeranti debeat genus nostrum, leges in Genesi sub ipsa mundi initia: si lecta discusseris, inuenies ibi Deum furore accensum in genus humanum propter præuaricationem protoplastorum, commodùm incidere in auram hanc tenuem, ad quam deambulabat veniens Genes. 3. v. 8. ad Adamum. texus ait: *Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem.* Nota τὸ *post meridiem.* Illud enim, inquit Irenæus, significabat, quòd Christus ad mundi vesperam venturus esset ad redimendum Adam, eiusque posteros. Nota, inquam, Deum tunc in ipso mundi ortu & manè deambulasse ad auram post meridiem; siue quæ spiratura erat post meridiem, hoc est, explicante Irenæo, sub mundi vesperam, quando Christus erat venturus. Quænam autem hæc aura, nisi ea, de quâ loquimur, nominis Mariani? de quâ scilicet Petrus Damianus dicebat: *Init Deus consilium de redemptione* Serm. de Annuntiatione. *hominum* (hoc faciebat in ista deambulatione, secundùm Prophetam, qui dicit: *Cùm iratus fueris, misericordiæ re-* Habac. 3. v. 2. *cordaberis*) *statim de thesauro diuinitatis nomen Mariæ euoluitur.* ac si diceret: Statim spirare cœpit aura suauissima nominis istius, quo ita refrigeratus est calor furoris concepti, vt puniendo parceret, & castigando misereretur, suggerens peccati remedium, quod præualet omnibus innocentiæ priuilegijs. Mirabiliter huc faciunt verba Isaiæ cap. 57. v. 15. *Quia hæc dicit Excelsus & sublimis habitans æternitatem* (vt scias eum manè posse deambulare ad auram quæ spiratura est post meridiem: æternitati enim omnia præsentia) *& sanctum nomen eius in excelso; & in sancto habitans, & cum contrito & humili spiritu,* illius scilicet quæ tantâ humilitate dicebat, *Ecce ancilla Domini,* quâ eum iam testatus erat Angelus particulari ratione esse Dominum, *vt* (quod sequitur in Isaia) *viuificet spiritum humilium, & viuificet cor contritorum.* Verba Domini tam magnificè in Virgine existentis descripta sequuntur: *Non enim in sempiternum litigabo, neque vsque ad finem irascar.* Cur autem non durabit furor vsque in finem? *quia spiritus à facie meâ egredietur, & flatus ego faciam.* Nam flatus iste & aura, ad quam post meridiem deambulabat Deus Adamo aduentans, ab ipsomet Deo excitabatur: ipse enim primus nomen Mariæ pronuntiauit, spirauitque auram istam salutarem, educens eam de thesauris suis, vt furor suus ab eâ temperaretur; vtque Adamus dum ea spirat, antequam vindicans accedat Dominus, possit latebras quærere; sub quibus non tantùm delitescat fugiens, sed etiam securiùs quiescat, agatque cum iudice suo causam suam in corde contrito & spiritu humili, quando ille refrigeratus eâdem aurâ deponit omnem vindictæ feruorem. O quisquis calore nimio æstuas cupiditatum inordinatarum, easque sequens per inuia & auia lassatus es in via iniquitatis; huc, quæso, huc gradum flecte, refrigerare tantisper ad auram hanc nominis Mariæ, sentiesque, non minùs auram hanc valere ad restinguendam cupiditatem sceleris in te, quàm valuit ad refrigerandum vindictæ feruorem in Deo. *Quomodo cordis nostrum vitalis signum operationis habet respirationem,* inquit S. Germanus de zonâ Deiparæ: *ita etiam sanctum nomen tuum, ô Virgo, quod in ore* seruo-

tum

rum tuorum versatur assiduè in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ & auxilij non solum est signum, sed ea etiam procurat & conciliat. Vbi non tantùm indicatur vtilem esse hanc auræ nominis Mariani refrigerationem, sed etiam necessariam.

Pergo ad alia defatigatorum solatia & remedia: quorum non minimum est vmbra, solatium præbens valdè ei simile quod aura præstabat; nisi quòd hæc non tantùm à calore, sed etiam à lumine nimio recreet peregrinantem. Est enim duplex lumen molestum nobis nimietate suâ, quamuis vtrumque ad vitam & viam nostram necessarium: alterum solis, alterum ignis. solis, inquam, illius qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: & ignis, qui ad reficiendam languidam naturam in rebus inferioribus accenditur, & fulgore suo allicit etiam longè positos, vt accedant & foueantur calore eius. Vmbram vtrique obijcit nomen Mariæ Virginis: nam sol ille tanto tamque damnoso fulgore rutilabat, antequam Mariæ nomen audiretur in terra, vt iam filij Israël, qui soli adhuc eum intuebantur, etiam declinarent oculos, nec ampliùs auderent ad eum suspicere; petentes à Moyse, vt ipse negotia eorum tractaret cum Deo; quòd non tantùm excæcationem, sed etiam mortem timerent ab eius aspectu & colloquio. Rerum autem inferiorum fulgor ita veteres omnes allexerat, vt in eo, tamquam in vera solis luce, exultarent, obliti Creatoris sui; quem intueri non poterant propter lucem quam habitabat inaccessibilem. Vtrique autem commodam fecit vmbram nomen Mariæ, per quod Deus accessit ad nos obumbratus carnis nostræ nebulâ; & exstinctus est nimius terrenorum splendor, quando à Saluatore vmbrâ istâ tecto, & Virgine Spiritu sancto obumbratâ, didicimus cælestia: quorum comparatione tenebræ iam & vmbra est, quidquid in terris ante splendebat tanto fulgore. Ponat ergo viator nomen hoc Virginis Mariæ ante oculos suos, vt per illud recipiat vtriusque luminis temperatos radios, vt considerare possit conditionem rerum terrestrium, ne nimiâ luce præditæ esse videantur; itaque recreabitur non tantùm æstus voluntatis ab aura, sed etiam debilitas intellectus ab vmbra nominis Mariani. Plura de vmbra vide suprà.

Vmbra est nomen Mariæ:

Ne diutiùs peregrinum detineamus, antequam ei cibi & potus præbeamus refectionem, hanc item petere potest & debet ex Mariano nomine: simile enim etiam in hoc est Mariæ nomen Filij sui nomini, de quo Doctor mellifluus Serm. 15, in Cant. *An non toties confortaris, quoties recordaris? quid aquè mentem cogitantis impinguat? quid ita exercitatos reparat sensus, virtutes roborat, vegetat bonos mores atque honestos, castas fouet affectiones?* Et conditura est cibi omnis quem anima manducat, teste eodem S. Bernardo: *Aridus*, inquit, *est omnino animæ cibus, si non oleo isto infunditur; insipidus est, si non hoc sale conditur. Si scribas, non sapit mihi, nisi legero ibi* IESVM, addo & MARIAM: *si disputes aut conferas, non sapit mihi, nisi sonuerit ibi* IESVS & MARIA. Quomodo ergo sapiet peregrinanti animæ & defatigatæ vllà refectio, si non apponatur ferculum hoc omnium delicatissimum & maximè confortans, quod conficitur ex quinque Grammatices elementis & significat sanctissimæ Trinitatis delicias Virginem Deiparam? Hoc de cibo. De potu verò tantumdem dici potest, aut etiam multò amplius. Nam si meliora sunt vbera Deiparæ vino, amphora, quâ vinum hoc plerumque ad nos defertur, est nomen Mariæ; ad cuius deuotam inuocationem replemur consolatione & confortatione eâ quæ potest à potu tam pretioso exspectari.

Cibus & potus est

Vltimum quod lasso suppeditatur ad reficiendum, est lotio pedum & vnctio. Si lauari vis herbâ odoriferâ, hospitali lymphæ miscendum est nomen Mariæ. ipsa namque dicit: *Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis.* Si vis vngi; oleum effusum est nomen Mariæ. Hinc eam quæ sumpsit sibi officium vngendi Saluatorem, Mariam oportebat appellari, vt plus vngeret & foueret tantæ

Item lotio & vnctio

Cant. 1. & 11.

appella-

appellationis ſuauitate, quàm pretioſis quæ coëmerat aromatibus. Quàm recreet laſſos vnctio nominis Mariæ, credo, confitebitur, qui didicerit etiam mortuos ſuſcitari ab vmbrâ iſtius vnctionis. Diſcere verò poterit à Petro Chryſologo Serm. 64. qui reſuſcitationem Lazari tribuit vmbræ nominis Mariani: *ſine Maria*, inquit, *nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari: veniat cum Marthâ Maria, veniat materni nominis baiula*. Simile eſt quod Iuſtinus Martyr quæſt. 45. dicit de Ieſu nomine: *Ieſus*, inquit, *Nauę filius cùm pro iure ſuo ſoli & lunæ imperaturus eſſet, Ieſus nominatus eſt, dum hoc nomen à creatâ naturâ præcepti obedientiâ recreatur.* Vmbra nominis Ieſu ſolem ſiſtit & lunam, vmbra nominis Mariæ mortem fugat & reparat vitam. Quis non laſſitudini ſuæ adhibeat hanc vnctionem, cuius valorem & virtutem nemo apertiùs teſtatus eſt quàm ipſe Mariæ Filius pendens in cruce, ſaturatus opprobrijs, & fatigatus vſque ad mortem tot tantiſque tormentis, quando Matrem alloquens dicebat: *Mulier, ecce filius tuus.* Verba quæ hactenus in ſtuporem dederunt orbem terrarum, non ſatis capientem quid tandem cauſæ fuerit, cur Filius tam tenero in Matrem affectu, & à Matre viciſſim ſupra omnia adamatus, in iſto mortis articulo, in iſto tam luctuoſo deceſſu, quando homines colligere ſolent quidquid habent, & quidquid talis rerum ſtatus ſuggerere poteſt affectus, vt chariſſimis ſuis valedicant; tam ſiccè atque ieiunè Matrem alloquatur, dicens, *Mulier, ecce filius tuus.* Non requiro longam orationem conſolatoriam, quam nec tempus admittebat, nec perſonæ requirebat ſapientia: poterat enim breuibus verbis fortiſſimos ſenſus innectere, quibus Matrem fuiſſet potenter conſolatus. Matrem dixiſſet? non videtur vllus tantus dolor, qui ſtare potuiſſet ad recordationem diuinæ maternitatis: & ſic auxiſſet potiùs dolorem, quòd ſe non poterat matrem recordari, niſi ſimul cogitaret, cuius & quanti filij eſſet mater, quem ſcilicet iam per tam diros cruciatus perderet. Cur non vocabat proprio nomine Mariam, dicens, *Maria, ecce Filius tuus?* quâ oratione nihil concipi poteſt ſignificantius aut ſuauius: Maria namque dicit omnia quæ in tali articulo potuiſſet vel ipſe Dei Filius excogitare. Quid dicemus? neglexiſſe Matris conſolationem Filium, aut parum verbis ſuis, attendiſſe Deum? quorum vtrumque ſacrilegium eſt dicere, & impium cogitare. Quid ergo? myſterium, vt mihi quidem videtur, latet, non ita paſſim annotatum. Certum eſt, Filium Dei, vt perfectiſſimum Patri ſuo offerret holocauſtum, omnem prorſus excluſiſſe conſolationem quæ poſſit alicunde morituro ſuppeditari, diuinitatem ſuam adhibet non in mortis conſolationem, ſed in augmentum tormentorum, quando eius potentiâ ſupra naturæ vires ſuſtentat vitam vt diutiùs patiatur. Patrem iam omiſiſſe cuncta patris officia teſtatur, dicens: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* & quando offerebant illi vinum myrrhatum in mortis ſolatium, noluit bibere; omnem excludens confortationem, nec volens amaritudinem paſſionis ſuæ vllâ temperari diuini aut humani ſolatij dulcedine. Quid autem? vtrumque affatim ſuppeditaturum erat ſanctiſſimum ac ſuauiſſimum Mariæ nomen, ſi illud ore ſuo ſacroſancto pronuntiaſſet moriturus Mariæ Filius: ergo ſtatuit ſibi ſolatio iſto & confortatione abſtinendum, ne qui ſolatia omnia reiecerat, ſummum admitteret. Habebat in ore aceti & fellis amaritudinem, nolebat eam fugare nominis Mariani dulcedine, quod merum mel eſt in omni ore id cum reuerentiâ pronuntiante: perſonabant aures irriſionibus & horrendis in Deum blaſphemijs; nolebat autem, quam inde tormentis omnibus grauiorem percipiebat moleſtiam, interrumpere harmoniâ Mariani nominis; quòd melos eſt in auribus, vel ipſis Angelorum canticis ſuauius. Cor occupatum erat ingenti iſtâ & inconceptibili ex Patris derelictione triſtitiâ, vt omittam, qui veniebat ex hominum perditione, dolorem, & ex ſuorum fugâ matriſque triſtitiâ ſenſum acerbiſſimum: nolebat fugare hanc

Cur Mariæ nomen ſubticuerit Ieſus in cruce.

Ioan. 19. v. 25.

Matth. 27. v. 46.

tempestatem, æstumque istum sedare nominis Mariani recordatione, quod iubilus est in corde illud cum deuotione recogitante. Sciebat hoc nomen esse virtutis insigne: sciebat, quòd super omnia Sanctorum nomina lassos reficeret, fessos recrearet, quòd omni vnctione fortiùs & suauiùs defatigationis molestias detergeret: quid ergo mirum si illo abstinuerit, quando omni solatio sibi interdixit? Probauit ergo nobis, Mariæ nomen lassos reficere, fessosque recreare, ipse Mariæ Filius; ab eius pronuntiatione, tamquam summo solatio, se in morte abstinens, vt nobis illibatam relinqueret eam suauitatem & confortationem, quam speramus in defatigatione istâ vltimâ, quando lassa natura deficiet, ex Mariæ ingeminatione percipere.

CAPVT XLI.

MARIÆ nomen sanat languidos.

Quid sit languor:

ERE coincidit hic cum superiore nominis Mariani effectus; nisi quòd languor sit potiùs morbus animi deficientis & de vigore suo remittentis, lassitudo verò & defatigatio corporis. Cicero lib. 1. de Officijs: *Nihil autem magis cauendum est senectuti, quàm ne languori se desidiæq; dedat.* Quâ sententiâ indicatur, languorem significare istam animi lassitudinem, quâ se ab operationibus, non secùs ac fessus viator ab itinere, reuocat. Grauissimus sanè ac periculosissimus morbus in isto itinere, vbi non progredi, est regredi. Ijs qui amœnâ viâ libero campo iter faciunt, cessare licet, & lassitudinem quiete reparare; at ijs qui mare ingressi aduerso vento & fluctu contendunt ad portum, ob defatigationem quiescere non licet, cùm periculum sit, ne exiguo spatio longiùs retrò agantur quàm omni tempore processerunt: ijs ergo non quiescendum in lassitudine, sed remedia adhibenda ne defatigentur, vel vt defatigati statim respirent. Aduerso flumine & vento nauigamus quotquot ad salutis portum contendimus: oblectantur enim passiones innatæ, tamquam fluctus contrarij; & venti tentationum insurgunt, aliò prorsus quàm ad portum propellentes. itaque cessare non licet fatigatis, nec animus languori dedendus, ne celeriùs retrò agamur in perniciem, quàm anteà profecimus in salutem. Quapropter quærendum aduersus languorem remedium, vt possimus incessanter operari; hoc autem suggerit Idiota, dicens quòd Mariæ nomen sanet languidos. Docet Aristoteles 10. Ethic. 4. sine delectatione vitam hanc transigi non posse; & voluptatem esse quæ opus perficiat, quatenus robur quoddam vireisque suppeditat agenti. Vnde experimento sentimus, in actionibus ijs, in quibus voluptatem aliquam percipimus, fortissimos ac maximè promptos nos esse; & è contrario, in quibus nullam capimus delectationem, languere, & in ipsomet operis principio deficere, animoque destitui. Sanat ergo languidos in operationibus virtutum, qui earum exercitio voluptatis illinit suauitatem, vt sine defatigatione cum animi promptitudine procedant. Hoc autem proprium est nominis Mariani: hoc enim, præterquam quòd animum perpetuò foueat istâ, quam repræsentat, imagine iucundissimâ Virginis Deiparæ, plenæ clementiâ, bonitate & misericordiâ; præterquam quòd excitet exemplo diligentis istius feminæ, quam describit Sapiens Prouerb. 31. vim quamdam habet reficientem & excitantem, qualis vino & aromatibus inesse solet ad reficiendum languentes; imò saporem quemdam aspergit operationibus, quæ crebrâ eius pronuntiatione & recordatione condiuntur, vt iam non magis fatigent opera cum recordatione nominis istius perfecta, quàm cibi optimo sapore conditi. atque iste primus est verborum istorum sensus; quòd Mariæ nomen sanet languidos.

Cum Maria tollit aspergendo pedibus voluptatem.

Alter eò est melior, quò ex altioribus petitur principijs, & à meliore traditur dicendi magistro. nam Spiritus sanctus aliter capere videtur languoris

Languor est animi deliquium ex amore.

vocabu-

vocabulum, dum sponsam facit 2. Cantic. v. 5. exclamantem: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Quæ verba suggerent insigne Mariani nominis encomium, explicabuntque quâ virtute languidos sanet. Languor hic animi deliquium significat. Euenit namque sponsæ isti quod puellis amantibus sæpiùs solet accidere, vt præ amore ob illius quem depereunt absentiam, & corporis languorem & animi patiantur deliquium. Alibi orat socias, vt sponso denuntient hanc ægritudinem sese opprimentem: *Adiuro vos filiæ Ierusalem si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo.* In loco autem superiùs citato ipsa suum indicat morbum, & remedia deposcit: *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* Quid ergo dicit, qui ait nomen Mariæ sanare languidos? comparat illud floribus & malis, ceterisque remedijs quæ languori solent adhiberi; vt sunt vina & vnguenta quæ Septuaginta & Hebræi recensent.

Cant. 5. v. 8.

Mariæ nomen pomis & aromatibus simile.

Languor hic contingere potest ex duplici amore, vel potiùs ex duplicis rei amatæ absentiâ. Recenter conuersi, quorum cor agglutinatum fuit rebus perituris, cùm sese vi quadam ab ijs abstrahunt, sæpè incidunt in tam vehementem præ nimio relictorum desiderio languorem, vt ægrè possis motum vllum vitalem in spiritualibus operationibus animaduertere, hærentes velintne ad antiqua reuerti, an inceptum iter perficere. Excogitari non potest huic morbo præsentius vllum remedium crebrâ nominis Mariani inuocatione, quod succo deuotionis, & consolationis cælestis vino, pleniſſimè reficere solet animam ita languescentem; eique spem perfectionis, tamquam vernantem in flore fructum, ostendere. Nec enim Virgo obliuiscitur veteris suæ solicitudinis, quâ in nuptijs dicebat: *Vinum non habent.*

Languor malus vergens ad mortem:

Alius languor est vergens non ad infirmitatem aut mortem, sed ad robur & vitam. de quo Apostolus: *Cùm infirmor, tunc potens sum*, 2. Cor. 12. v. 10. quando anima languens amore diuino animi patitur deliquium, abstrahiturque non tantùm à rebus terrenis, sed etiam à semetipsâ; sui non tantùm negligens, sed oblita sibique quasi mortua, vt tota viuat amori suo. Et enim proprium est amori, vt vires & animam ipsam abstrahat ab amante; quo fit, vt in ijs quæ ad ipsum spectant atque ad proprium commodum, infirmus sit qui amat, ac maximè deficiens. Ita languidos sanat viuificum Mariæ nomen, fulciens eos malis, & stipans floribus, offerens eis fructum suum, qui est flos campi, & veluti malus inter ligna siluarum. Impossibile enim est tanti nominis colere maiestatem, quin simul occurrat is, à quo omnis gloria & honos isti nomini, Christus scilicet Iesus Mariæ Filius: cuius dum rapiuntur amore, mutatur languor in vigorem; dum sibi mortui viuunt in amato, tantâque pollent in rebus eius fortitudine, vt, quando opus est, ruant in medias acies & flammas, nihilque sit adeò difficile, quod non libenter amore dilecti subeant. Vitalem hanc mortem, & vegetum languorem, explicat Apostolus ad Colos. 3. v. 3. *Mortui enim estis*, vobis scilicet, *& vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.* Quos mortuos dicit, ijs statim vitam tribuit non sibi viuentem, sed cum Christo & in Christo amato absconditam. O si moriatur anima nostra morte istorum, & langueat isto deliquio, vt Mariæ nomen eam sanet, suggeratque illi poma amoris, & flores vegetæ charitatis! langueat sensualitas, vt vigeat charitas: moriatur caro, vt spiritus viuificetur. *Stipate me malis*, hoc est Iesu & Mariæ nomine, quorum fragrantiâ & virtute sustenter, dum hoc amore langueo.

Languor optimus tendens ad vitam.

CAPVT XLII.

MARIÆ nomen illuminat cæcos.

ASTRO polari & Lunæ soliq; comparauimus Mariæ nomen, ipsâ etymologiâ id efflagitante, & Ecclesiastico confirmãte, qui ait cap. 26. v. 21. *Sicut sol oriens mundo in altissimis Dei; sic mulieris bonæ species in ornamentum domus eius.* Si enim mulieris bonæ tanta est gratia, vt non secùs familiam atque sol mundum illustret; ea certè, cuius mundus vniuersus familia est, nomine sancto suo plus quàm sol eum illuminat. Sed infra dignitatem tanti nominis videtur, id luci corporibusque luminosis, quamuis cælestibus, comparare: altiùs assurgendum est, vt quid eo dignum attentemus. Et iam viam monstrauit Idiota, breuiter efficaciteréque, & summâ cum energiâ verborum, dicens quòd *nomen Mariæ illuminet cæcos.* Adfer mihi iam omnium lychnorum flammas, omnium gemmarum faces, iunge astrorum lumina, Planetarum splendorem, & solis lunæque æternum ignem, omniaque cum Mariæ nomine compone: meræ tenebræ, caligo mera sunt. Auge eorum splendorem in septuplum, adijce quantam imaginari vel concipere potes lucem: nondum splendent in nominis huius præsentiâ. Quid enim? cùm lucem luce, splendorem splendore intenderis; non efficies, vt is qui luminibus caret, eum percipiat. ad discutiendas tenebras valent ista lumina, non ad illuminandam cæcitatem: nominis autem Mariani vix vlla laus est, quòd tenebras omnes discutiat, quòd nihil sit tam altâ obsessum caligine, quod non illustret: parum est quòd præbeat videntibus lumen, cùm cæcis præstet videndi facultatem. Hanc efficaciam sanctissimi nominis quo nomine appellem, non inuenio. Id per quod vita sustentatur, alimentum; per quod langueſcens reparatur, medicamentum vocamus: quod autem mortuos viuificet, quia non est, nomine omni caret. Eâ prorsus ratione scimus lumen dici id quod tenebras pellit, quodque videndi facultate pollentibus præbet vsum videndi: at nomen Mariæ, quod cæcos illuminat, quomodo vocabimus? Illuminatricem anteà nuncupauimus: sed aliud est, illuminare; aliud, cæcitatem tollere; imò, quod amplius est, cæcos ipsamque cæcitatem illuminare. Ita enim intelligo admirabilem nominis Mariani claritatem, vt non sit laus eius quemadmodum luminum ceterorum, quòd alia luminosa obscuret, sed quòd ipsam cæcitatem illustret; non tam discutiat tenebras, quàm efficiat vt ipsæ tenebræ lux fiant. Præuidebat hoc Dauid 2. Reg. 22. v. 29. *Quia tu lucerna mea, Domine, & tu Domine illuminabis tenebras meas.* Rursumque Psalmo 138. v. 11. expressè explicat hoc paradoxum, dicens: *Forsitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis; quia tenebræ non obscurabuntur à te, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Mirantur omnes lucem eam, coram quâ ipsa nox est illuminatio; sed erat illius qui *posuit tenebras latibulum*, Psalm. 17. v. 12. & qui colligit tantum splendoris à tenebris, quantum maiestatis à luce. *Solemne est Theologis*, inquit Dionysius lib. de Diuinis nominibus cap. 7. §. 4. *vt in Deo ea quæ sunt priuationis contrario sensu dicant: sic lucem splendidissimam Scripturæ vocant inaspectabilem; & qui multa laudum insignia nominaq; habet, dicunt ineffabilem & innominabilem.* ponens in eo maximam diuinæ excellentiæ laudem, quòd ita supra omnia quæ sunt existat, vt etiam contrariorum appellationibus, & simul negatione atque affirmatione eiusdem possit celebrari. Nihil inter creata similius Deo Virgine Deiparâ; cuius laudes ita cum diuinis comparamus, vt, licet earum magnitudinem pænè infinities intellectum omnem creatum superare dicamus, tamen maiore interuallo infra Deum quàm

Alia lumina illustrant videntes:

Imò facit, vt tenebræ lux fiant.

Mariæ nomen illuminat cæcos:

quàm supra nos esse fateamur. Igitur non æquandi intentione, sed studio debitè exaltandi Marianum nomen, etiam hunc contrariorum conflictum sine repugnantia in eo esse cum Idiotâ doctissimo affirmamus. Cùm Idiotâ, inquàm: nam qui dicit, quòd nomen Virginis illuminet cæcos, eam dicit lumen & lucem, vtpote quæ illuminet; & rursum, quòd supra lumen omne sit, negat eam lucem esse, dum dicit, eam non illuminare videntes, sed cæcos. Hæc enim facultas luminis naturam superat, nec intelligi potest quomodo ad eam possit vllâ ratione aspirare. Hunc modum explicandi res captum nostrum superantes alibi vocat Dionysius *vim quamdam superexcellentis negationis:* nam, vt dicit libro de Diuinis nominibus cap 7. §. 2. *amentia & insensilitas per excessum, non per defectum, Deo tribuuntur; sicut etiam rationis carentiam ei qui supra rationem est attribuimus, & imperfectionem supraquam perfecto & præperfecto, & caliginem quæ tactum visumque fugiat, luci inaccessæ accommodamus, secundùm quod excellit lucem spectabilem.* Ita dico, vim illuminandi nominis MARIANI, cùm cæcitatem illustret; lucem non esse: non per defectum, sed per excessum. est enim facultas, cui neque mens nostra conceptum, neque loquendi vsus potest vocem accommodare. Stupori & admirationi, si vspiam, hic locus est, explicandis rebus tam admirabilibus non est.

Nescio tamen an quid lucis adferre possit intelligendæ tantæ claritati Sodomitarum cæcitas, seu, ἀοφασία, vt Septuaginta dicunt: dum enim Angeli Lot introduxissent in domum, *eos qui foris erant, percussérunt cæcitate à minimo vsque ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent.* Si omnino cæci fuissent, ait S. P. N. Augustinus, non ostium Lot, sed duces qui eos domum reducerent, quæsiuissent. Vides ergo, quàm eos cæca libido, diuinâ punitione superueniente, excæcauerit, vt lux ipsa eis tenebræ fieret, ac videntes mirarentur, quâ ratione non viderent quod quærerent. Si ergo malis lux fiat tenebræ, quare per Virginei nominis splendorem tenebræ ac cæcitas ipsa lux fieri non possent? Quamquam facilè suppetit modus explicandi, quomodo illis facultas hæc videndi, licet viderent, erepta sit. altioris est considerationis, quàm vt ad eius intellectum nostra imbecillitas aspirare possit, antequàm, præcedente experientiâ, verè cum Prophetâ canere poterimus: *Nox illuminatio mea in deliciis meis, & nox sicut dies illuminabitur: sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* *Psal. 138. v. 11.*

Illud breuiter dicendum, maiorem nominis MARIANI potentiam esse in bonum, quàm vitiorum in malum. Si ergo hæc effecerint, vt videntes cæci essent; cur illud non efficiet, vt cæci videant? Nec tantùm facultatis illius quæ MARIANO nomini inest, hîc proditur excellentia, sed etiam effectus quem in nobis efficit præstantia: nam & hic contrarietate quadam explicatur, vt sciamus, eum captum omnem superare. Si enim cæcos MARIA illuminat, statuendum, nomine hoc illustrante, cæcos videre: qui sanè præstantior effectus est, quàm si cæcis oculi darentur, quibus naturaliter cernerent. tam enim potenter & eminenter illuminantur à nomine isto, vt cæci videant, hoc est, licet nihil pænè facultatis in illis sit aptæ ad videndum, tamen vi tantæ illustrationis cernant, magis operante ipso quod infunditur lumine, quàm illorum aliquâ facultate. Est igitur lumen nominis MARIANI supra omne aliud creatum lumen, tamquam primus post Dei nomen fons radiorum & effusio luminis, inundans omnem mentem supra mundanam & circummundanam, & mundanam & ex plenitudine quam à Deo habet illuminans, & totas eius facultates intelligendi renouans, itaque illustrans, vt miretur non tantum cæcitatem suam se iam videre, sed hanc ipsam in videndi facultatem conuersam esse, videatque diuina multa & cælestia: nec tamen sciat, quâ facultate videat, nisi quod lumen hoc à nomine MARIANO sentiat ipsam cæcitatem suam illuminare. Vtinam contingat nobis ita venerari nomen hoc sanctissimum, vt oriatur admirabile lu-

Per nomen MARIAE cæci fiunt videntes.

Sodomitæ videntes cæci. *Genes. 19. v. 11.*

men eius in cordibus noſtris! nam cæcos nos eſſe, negare non poſſumus in tam multiplici rerum ignoratione. Si enim videremus, quantâ dignitate, ſplendore, pulchritudine prædita ſint cæleſtia, qui fieri poſſet, vt volutaremur in ſordibus terrenorum? ſic cerneremus ſpiritus præſtantiam, quomodo amaremus carnis vilitatem? ſi diuinorum perciperemus claritatem, quomodo tenebris hiſce mundanis inhæreremus? Certè ceci ſumus, & duces cæcorum: rogemus Dominam noſtram, vt per admirabile lumen nominis ſui ita conuertat cæcitatem noſtram in lucem; quemadmodum nequitia facit, vt lux ipſa nobis tenebræ facta ſit.

CAPVT XLIII.

MARIAE nomen penetrat duros.

TERTIVS effectus nominis MARIANI ab Idiotâ proditur, quòd penetret duros. Stupendus trium ſyllabarum effectus. Neſcio an alludat ad eos, qui, arte diabolicâ, neſcio quorum ſuperſtitioſorum nominum vi ita obarmant & indurant quoſdam, vt certis telorum generibus ſint impenetrabiles; quos eâdem arte nouis ſuperſtitionibus alij penetrant, redduntque irritâ priorem incantationem. Illud conſtat, peſſimam incantationem eam eſſe, quâ vel caro vel diabolus ita paulatim viliſſimis illecebris obdurat quoſdam, vt omnibus Eccleſiæ ſalutaribus armis, omnibus diuini amoris telis, imò ipſis diuinæ vindictæ tormentis ſint impenetrabiles, quæ faſcinatio diabolica nullâ aliâ incantatione facilius ſoluitur, quàm pronuntiatione nominis Mariæ: quod proinde benè dicitur penetrare duros, cùm nihil ſit durius homine in peccatis ſuis obdurato. Exemplum huius rei clarum eſt in Theophilo, quo nemo poterat eſſe magis obduratus in ſcelere: vtpote qui ſchedulam proprio ſanguine exaratam rradiderat diabolo, quâ Deo & CHRISTO nuntium remitteret, ac principi tenebrarum adhæreret; quem tamen conſtat mirâ iſtâ omnibuſque notâ ratione per Virginem eſſe conuerſum. Sed age, diligentiùs ſcrutemur qui ſint prætereà duri illi, quos penetrare dicitur Virginis nomen: nemo eos accuratiùs quàm mellifluus Doctor deſcribit lib. 1. de Conſideratione ad Eugenium: *Quid*, ait, *eſt cor durum? Solum eſt cor durum, quod ſemetipſum non exhorret, quia nec ſentit: ipſum eſt, quod nec compunctione ſcinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, minis non cedit, flagellis induratur: ingratum eſt ad benè faciendum, ad conſilia infidum, ad iudicia ſæuum, inuerecundum ad turpia, impauidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad diuina: præteritorum obliuiſcens, præſentium negligens, futura non prouidens: ipſum eſt, cui præteritorum, præter ſolas iniurias, nihil omnino non præterit, præſentium nihil non perit, futurorum nulla, niſi fortè ad vlciſcendum, proſpectio ſeu præparatio eſt. &, vt in breui cuncta horribilis mali mala complectar, ipſum eſt quod nec Deum timet, nec hominem reueretur.* De iis qui tali corde ſunt prædito loquimur, quando nomen MARIAE duros penetrare affirmamus. hi ſunt de quibus ad Ezechielem Dominus: *Filij durâ facie & indomabili corde ſunt, ad quos ego mitto te*, Ezech. 2. v. 4. Sed ad hoſce frontis æreæ, vt eos vocat Iſaias cap. 48. v. 4. mittit Dominus Ezechielem, hoc eſt, *fortem Dei*, vt malleum malleo tundat, & fortis in fortem impingat, itaque tandem frangatur durities eorum. Ideò capite ſequenti Dominus ad eumdem Prophetam: *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum: vt adamantem & ſilicem dedi faciem tuam:* vt ſcilicet ſe ſiliceis iſtis, vt eos vocat Seneca, & lapideis, vt ſæpiùs Scriptura, maiori duritiâ opponeret, & etiamnum ita faciendum eſſe cenſet S. Bernardus lib. 3. de Conſideratione ad Eugenium cap. 3.

Quid ſit durities cordis.

Duris duros opponit Deus.

Ezech. 3. v. 8.

cap. 3. vbi ait: *Si durâ fronte sunt, durato & tu è contrà tuam: nihil tam durum quod duriori non cedat.* Ita agendum, si quando requirat zelus Dei aut salus infirmorum, qui aliàs scandalizantur à præfractis ac proteruis istis: & Deus ita se solet ipsis opponere, facitque duros illos contra duriorem stimulum calcitrare; sed, heu! cum eorum plerumque pernicie & interitu. Quantò optandum magis inuenire remedium suaue & forte, quod eos non frangat, sed penetret, suauiterque instillet ac insinuet se eorum duritiæ, eamque tandem emolliat, quale est nomen MARIAE. Ad rem accommodatam sententiam adfert Abbas Pastor in Vitis Patrum lib. 6. libello 18. nu. 16. dicens: *Natura aquæ mollis est, lapidis autem dura est. Et si vas aquæ plenum pendeat supra lapidem, ex quo assiduè stillans gutta cadat in lapidem, perforat eum: ita & sermo diuinus lenis est, cor autem nostrum durum; audiens ergo homo frequenter diuinum sermonem, aperitur cor eius ad timendum Deum.* Suauem ille vim præbet duritiam lapidis penetrantem, stillam aquæ iugiter illabentem. At meministine, in etymologiis nominis MARIANI dicere nos, etiam quosdam stillam maris interpretari MARIAM? quam, licet à malo auctore profectam, etymologiam non prorsus reiicimus, sed melius applicamus: nam & hic docet, quomodo vi suaui duros penetret nomen Virginis: ipsa enim stilla est maris, magni illius maris, quod diuinum sermonem vocat Pastor Abbas; sed talis stilla, quæ pænè maris vniuersi virtutem contineat. Verbum enim hoc totius Scripturæ quoddam est compendium. Stillet ergo efficacissima hæc gutta maris crebrâ pronuntiatione supra cor durum, & videbis, quòd paulatim id penetrabit, prorsusque emolliet. Oleum item effusum est nomen MARIAE. Oleum vim habet penetrandi fortissimam & suauissimam: quid mirum ergo quòd MARIA duritiem cordis vincat, si ei assiduè deuotâ pronuntiatione infunditur?

Mariæ nomen instar aquæ stillantis penetrat.

Magni æstimandus est hic effectus nominis MARIANI ab omnibus, quòd nemo ferè sit, cui non sit aliquid emolliendum. Paulatim enim solet cor nostrum non tantum ex prauâ consuetudine, sed etiam sæpè ex bonâ obdurescere, & sensum rerum diuinarum vel perdere, vel non ita viuaciter sentire: quapropter sæpiùs est inungendum hoc oleo mollificante & penetrante, ne fortè paulatim lapidescat: nam *cor durum habebit malè in nouissimo*, Eccli. 3. v. 27. id est, quamuis non videatur sibi malè habere, quia in suis cupiditatibus, proteruiâ & duritie sibi complacet, firmiterque conquiescit, ac videtur sibi inexpugnabile, quia nemo audet illud tangere, eò quòd quisque desperet illud se posse frangere: *in nouissimo* tamen, hoc est in morte, malè habebit, quando franget & disperdet illud Deus. Vel, cum melioribus loquendo, quales mancipia B. MARIAE Virginis esse supponuntur, cor durum, quod paulatim duritiem aliquam insensibiliter contrahit, vel ex consuetudine flaccidè audiendi meditandique verbum diuinum, vel ex passione aliquâ insensibiliter suppurante; quamuis iam per incuriam non aduertat neque sentiat duritiem; in nouissimo tamen, cùm creuerit malum, malè habebit, acerrimisque excruciabitur doloribus, antequam vicerit eam duritiem. Simile est induritiâ calculi, qui in corpore humano, maximè in vesicâ, vt Medici tradunt, crescit, multoque tempore circumfertur ab ægro sine vehementi vllo aut notabili doloris sensu; at postea sæuissimis exercet miserum cruciatibus, & tandem mortem adfert: qui si sub initium perceptus fuisset, facili potuisset remedio emolliri. Adhibeamus ergo cordi nostro sæpiùs vnctionem nominis Mariani, ne fortè aliqua ibi concrescat durities; quandoquidem id vi præsentissimâ pollet molliendi ac penetrandi.

Omnes habent aliquam cordis duritiem.

CAP.

CAPVT XLIV.

MARIAE nomen vngit agoniſtas.

DEI ac IESV nomina compendio incluſa eſſe venerabili Mariæ nomini, ſuprà oſtendimus; reſtabat nomen alterum, ſeu potiùs cognomen Chriſtus, quod Deo incarnato eſt impoſitum, propter multiplicem vnctionem quâ vnxit eum Deus præconſortibus ſuis. Hoc etiam contineri Mariæ nomine, vltrò indicat ſapiens Idiota noſter, dicens quòd nomen Mariæ vngit agoniſtas; adeò vt iam non ſecùs de hoc quàm de IESV nomine cantare liceat, *Oleum effuſum nomen tuum.* quâ laude multiplex indicatur effectus ſanctiſſimi nominis. Niſi enim plurima efficeret oleum, non fabularentur Poëtæ, Mineruam eius inuentricem laudem Neptuno præripuiſſe, quòd ipſa rem vtiliorem mortalibus excogitaſſet, quàm ſit equi productio. Nota autem, ciuitatem florentiſſimam, totius antiquæ ſapientiæ domicilium, omneſque ciues & aduenas ſapientiæ ſtudioſos, propter olei inuentionem Mineruæ dicatos fuiſſe: nequid ab opinione hominum alienum dixiſſe aut feciſſe videamur, ſi affirmemus, tot Sodalitates, & præcipuè mancipiorum. ideò ſub turelâ Virginis congregatas, quòd ſit oleum nomen eius. Indicat hoc apertè Salomon: *Oleum*, inquit, *effuſum nomen tuum; ideò adoleſcentulæ dilexerunt te nimis.* Quænam iſtæ adoleſcentulæ, niſi animæ fideles, quæ, exuto veteri homine, optimo Deiparæ ſeruiendi propoſito ſunt innouatæ; ideò nouellæ per gratiam, non vetulæ per culpam; non ſenio veterum conſuetudinum ſteriles, ſed notu propoſitis fecundæ; non incuruatæ per amorem nimium rerum viliſſimarum in terram, ſed deſiderio cæleſtium erectæ in altum? Hæ omnes adoleſcentulæ nimis, hoc eſt ſupra modum, valdè, vehementer, dilexerunt Virginem, congregatæ ad eius mancipatum: quia oleum effuſum eſt nomen eius. Tradit olei effectus ac nomini dulciſſimo IESV applicat S. Bernardus in Cant. Serm. 15. item de Paſſione Domini Serm. 43. Applicat autem eos nomini Deiparæ Richardus à ſancto Laurentio, auctor non tam ſtyli elegantiâ quàm materiæ denſitate ac bonitate commendabilis, lib. 1. de Laudib. B. Mariæ Virginis c. 2. quæ non ita obuia breuiter attingenda olei proprietates tradit his ad faciliorem recordationem verſibus.

Eſt oleum viride, calidum, præpingue, ſuaue, Proprietates olei.
Et penetratiuum, nitidum, recreans, & amarum,
Paſcit & impinguat, illuminat & medicinat,
Roborat, emollit, extinguit & ampliat ignem,
Confert picturis, ſeruat rubigine ferrum.

Ecce apertum in laudes nominis MARIANI campum, ſi cui per eum diſcurrere lubeat; ego iam ad metam Libri deductus, breui gyro circumferar cum ipſo auctore, ſingula tantùm attingens vocabula. *Viride* eſt nomen Mariæ: quia *memoria eius in generatione ſæculorum*, ſicut ipſa dicit Eccli. 24, v. 28. In virore enim perſeuerantia & diuturnitas deſignatur: deuota etiam inuocatio & recordatio nominis huius ducit ad virorem gratiæ in præſenti, & ad virorem cæleſtium in futuro. *Calidum* ab effectu: quia deuota nominatio eius mirabiliter accendit ad amorem, prout norunt qui experti: vnde dicit Eckebertus Abbas ad MARIAM (habentur hæc apud Bernard. deprec. ad MARIAM Virginem) *O magna, ô pia, ô multum amabilis* MARIA: *tu nec nominari quidem potes, quin accendas; nec cogitari, quin recrees affectus diligentium te: tu numquam ſine dulcedine diuinitus tibi inſitâ piæ memoriæ portas ingrederis.* Et hæc eſt olei proprietas, quòd igni infuſum ipſum feruentio-

Mariæ nomen eſt oleum effuſum, *Cant. 1. v. 2.*

Ibid.

Eſt viride.

Calidum.

rem

Pingue, rem reddit. *Prapingue:* quia subministrat deuotionis & gratiæ pinguedinem amatori suo; vt ei dicere possit illud Psalm. 22. v. 5. *Impinguasti in oleo* gratiæ & deuotionis *caput meum*, id est, mentem meam. *Suaue* per benignitatem: sicut nomen IESV mel in ore, in aure melos, in corde iubilus; sic & nomen Mariæ. & etiam amplius, si dicere audeamus. (verba sunt Richardi) IESVS enim quasi superbum nomen est & nimium potens; nostros humilius nomen affectus decet. vnde si in IESV nomine aut Deitatis aut sexus virilis austeritatem aliquis vereatur, recurrat ad Mariam, in qua nihil horum suspectum est: Maria enim nomen muliebre est, mansuetudinem præferens & commendans. S. Bernardus: *Percurre totam Euangelij seriem, & si quid increpatorium, si quid durum, si quid vel modicum habens indignationis inueneris in Maria, de cetero suspectam habeas, & accedere verearis*, &c. Quòd si sexum verearis, pro eo quòd & sibi & aliis sæpè fuit in ruinam; virgo est: ita virgo est, ita virginitatem amans, vt nemo alius vitam. *Et penetratiuum:* mirabiliter enim virtus huius nominis Mariæ emollit & penetrat duritiem cordis humani, vt diximus. & Prouerb. 20. v. 27. dicitur: *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.* Dicamus & nos: Lucerna Dominæ, id est Mariæ, quę illuminatrix & Domina interpretatur, *spiraculum hominis*, quia peccator per eam respirat in spe venię & gratiæ: *quæ inuestigat*, id est inuestigare facit, *omnia secreta ventris*, id est abscondita cordis. Sed nota, quòd oleum non penetrat humida, scilicet per carnalem concupiscentiam, sed desiccata per abstinentiam & pœnitentiam. Si vis ergo hoc oleo penetrari, necesse tibi est primitus desiccari. De vi penetrandi plura suprà. *Nitidum.* Psal. 103. v. 15. *Vt exhilaret faciem in oleo.* & Plautus de comptâ:

Suaue,

Penetratiuum,

Nitidum,

Peruide, vt tota floret, vt oleum pulchrè nitet:

Nam id rebus omnibus nitorem & lucem addit.

& Prouerb. 5. v. 3. *Nitidius oleo guttur eius. Recreans:* quomodo recreet fessos iam dictum. *Et amarum*, donec fuerit igne decoctum: quia Mariæ nomen amaras reddit mundanas delicias, & amaritudines præsentes dulces reddit igne charitatis. Oleum nominis Mariæ *pascit & impinguat.* Probat hoc S. Bernardus Serm. 15. in Cant. de IESV nomine. Quæ omnia huic possunt accommodari: *Quoties enim recordamur, toties roboramur. Illuminat:* hoc suprà explicatum. Hîc verò notandum, quòd S. Lucas cap. 1. non dicat, *Missus est Angelus Gabriel ad Virginem, cui nomen Maria*, sicut dixerat de aliis; sed tamquam diutius exspectatum, nomen tandem protulit cum pondere, dicens: *Et nomen Virginis* MARIA. etiam ideo, vt ostenderet hoc nomen habere multum eruditionis & gratiæ, atque ideo altiùs memoriæ esse commendand. & diligentiùs inuestigandum. Alium illuminandi modum, qui oleo inest, adfert Richardus, dicens, sicut dicit Hieronymus: *Quando nautæ ob tempestatem aliquam mari se immergunt, oleum deferunt in ore, & illud emittunt; & fit pellucidus fundus aquæ*: sic etiam deuota inuocatio nominis huius, scilicet Mariæ, & doctrina & gratia eius retum labentium intima faciunt manifesta. *Et medicinat.* Eccle. 7. v. 2. *Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa.* Si enim vulnus oleo perungatur, oleum non permittit cicatricem obduci, donec sanies sit educta; nec Mariæ benignitas in amatoribus suis conscientiam pacificari, donec per confessionem putredo vitij sit ejecta. Maria siquidem illud oleum misericordiæ est, quod verus Samaritanus CHRISTVS infudit vulneribus sauciati generis humani, per prævaricationem primæ matris de Ierusalem in Iericho descendentis. *Roborat*: hoc mox dicemus. Quomodo *emolliat*, iam diximus. *Extinguit & ampliat ignem*: extinguit in lapide, accendit in ligno. Nam proprietas olei est, extinguere ignem Græcum, & lapidem ignitum. Quòd si lapideus fue-

Amarum;

Pascit, impinguat.

Illuminat,

Facit mentionem.

Extinguit & ampliat ignem;

ris,& conuersus fis ad Mariam, extinguet in te ignem concupiscentiæ; si verò ligneus es, & tractabilis iam ardere inceperis meliore flammâ, succendet in te ignem amoris diuini, si nominis eius misericordiam toto corde inuocaueris. *Confert picturis.* Sine oleo pictura caduca, fluxa, nec viuè referens suum exemplar: talis est sine Mariæ oleo vita Christiana, quæ in imitatione CHRISTI consistit. Ad extremum, *Seruat à rubigine ferrum*; & nomen Mariæ vitam nostram a spirituali torpore. Hæc facit vnctio nominis Mariani. Quę licet omnia ex vsu athletæ spiritualis, huius tamen loci videtur maximè, quærere, Quid agonistæ seu certanti tantum conferat crebra inunctio, vt, licet viguerit luxus vnguentorum pænè ad insaniam, tamen propriè hæserit magistro athletarum nomen Aliptę; quòd, vt Cicero indicat Epistolâ ad Lentulum, virium colorisque rationem haberet, crebrò scilicet corpora inungendo. Quod ergo dicit Idiota, *Nomen Virginis vngit agonistas*, significat, vel quòd Aliptę subit officium pro athletis spiritualibus; vel quòd sit materia quâ Aliptes suos inungit, robur & colorem iis conseruans & augens, vt aduersarios suos hoc terreant, illo vincant. Oleum enim, vt aiunt, ossa & neruos indurat, & medullas confirmat. Toto corpore pugiles olim inungebantur; quia toto corpore pugnaturi, membris omnibus volebant confirmari. Non est in corpore nostro membrum, non est in animâ facultas, non est in bonis externis recula, quam non oppugnet, vel quâ saltem non impugnet aduersarius: omnibus igitur oleum hoc affricemus, omnia signemus nomina Mariano; vt omnia roborentur & confirmentur aduersus hostem tam infestum, aut certè (qui alter erat inunctionis finis) oleo hoc lubricata, facilè elabantur & effluant è manibus eius. Pessimè comparata ea est lucta, quâ oleo delibutus cum eo qui vnctus non est congreditur. Atqui tale erat nostrum cùm antiquo serpente certamen, nisi suppeteret nominis Mariani oleum: ipse enim naturâ suâ lubricus facilius elabitur, quàm si foret inunctus: & nos asperi & corporei, imò tot crinibus hirsuti, quot rerum terrenarum cogitationibus impediti; facilè teneremur, nisi lubricitate olei huius elaberemur.

Picturis confert.

Cur athletis in vsu oleum.

CAPVT XLV.

Mariæ nomen extrudit iugum diaboli.

SI cui sub initium durius videbatur mancipij vocabulum, si graues catenæ, molestæ compedes seruitij nominis Mariani; is postquam non piâ minùs quàm patienti diligentiâ nostris intenderit discutsibus, tandem reflectat ad glorioſam hanc ſtatus abiecti peripatiam, quam Idiora breuiter proponit, affirmans nomen B. Virginis MARIÆ *extrudere iugum diaboli.* Euge, euge quisquis es nominis huius Sodalis, quisquis Mariæ te profiteris mancipium, euge & plaude tibi tantâ nominis Mariani virtute, quòd te per sui mancipatum asseret in plenam animi libertatem. Quod summum dicitur & est fidelis seruitij præmium, vel ipso Redemptore nostro id affirmante apud Ioannem cap. 8. vers. 31. & 32. *Si vos*, inquit, *manseritis in sermone meo, verè discipuli mei eritis; & cognoscetis veritatem, & veritas liberabit vos.* Quæ verba S. P. N. Augustinus Serm. 47. de Verbis Domini interpretatur, dicens: *Quid ergo in verbo Dei manere, nisi nullis tentatinibus cedere?* quod idem est ac si diceret: Quid est in verbo Dei manere, nisi omnia Dei præcepta obseruare, ei cunctas animi corporisque facultates mancipare, ac ipsi soli seruire? Præmium autē tam fidelis mancipatûs adiungitur manumissio liberalissima: *Veritas*, inquit,

inquit, *liberabit vos.* Quod de manumissione ac libertate quæ seruitio opponitur, esse intelligendum, sic explicat S.P.N. suprà: *In consuetudine*, inquit, *Latinæ linguæ liberari duobus modis dicitur; & maximè in eo consueuimus audire hoc verbum, vt quicumque liberatur, intelligatur, periculum euadere, molestiis carere: liberari autem propriè dicitur liberum fieri: quomodo saluari, saluum fieri; sanari, sanum fieri; sic liberari, liberum fieri. Ideo dixi, Si non delectet veritas, delectet libertas. hoc in Græcâ linguâ euidentiùs sonat, nec potest aliter intelligi. Et vt noueritis, quia aliter intelligi non potest, loquente Domino, responderunt Iudæi: Nos nemini seruiuimus vmquam, quomodo tu dicis, Veritas liberabit vos?* Ioan. 8. v. 33. Ferociebat libertate suâ antiqua Synagoga, neque seruituti vlli suos cupiebat mancipari; ideo nec ipsa nec omnes cærimoniæ eius poterant liberare quemquam: erat enim ipsa in seruirutem generans filios suos, seruientes vmbris multiplicium onerosarum & prægrauium cærimoniarum, idque timore pœnarum, ac spe bonorum terrenorum, abundantiæ videlicet frumenti, vini & olei. At Maria felicitatem suam omnem & gloriam in ancillę mancipijque reponit officiis, apertè professa, se esse ancillam Domini, filiosque suos, quos generat in libertatem perfectam, docet mancipatum Filij & Matris; ideoque non tantùm ipsa, sed etiam nomen ipsius, conterit & extrudit iugum diaboli, quod impositum erat ceruicibus nostris: docetque suos non tam formidine pœnæ aut prę̨miorum exspectatione (quod seruile est) quàm ex vero sincereque amore non qualem qualem operam impendere, sed totos sese mancipare & consecrare seruituti isti, in quâ solâ reperitur libertas perfecta. Vt verò dicere liceat, Mancipatus hic nominis Mariani liberabit vos; vel, quod Idiota dicebat, *Nomen Mariæ extrudit iugum diaboli*; non dubium mihi est, quin paradoxum etiamnum quibusdam videatur, quòd dicamus, libertatem filiorum Synagogæ, vel Christianorum nimis liberorum, esse iugum seruitutis; at mancipatum nominis Mariani extrudere iugum diaboli, nosque asserere in veram libertatem. Proinde adducenda est iis ex Synagogâ ipsâ figura, quæ paulatim disponat intellectum, vt cum veritate legis nouæ congruat, Libertatem & dominatum per benedictionem primogenituræ certatim filiis ambiebant parentes pij Isaac & Rebecca: hæc pro Iacobo erat solicita; ille pro suo laborabat Esau. Vide autem quàm contrariis eos ad libertatem miserint itineribus. Isaac exercitium dat Esau ingenuum, nobile ac plenum regiis deliciis: *Cùm venatu aliquid apprehenderis*, inquit, *fac mihi inde pulmentum vt comedam, & benedicat tibi anima mea.* Genes. 27. v. 3. at Rebecca, diuino vtique instructa spiritu, maiusque insinuans mysterium, quod Iacobo suo imperat seruile est: *Pergens*, inquit, *ad gregem, affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo; quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi.* Ibid. v. 9. Ad diuiniora significanda mysteria ambire vult seruilia munera candidatum libertatis. Notus est & decantatus toties ille Pharisæus, qui Lucæ 7. Iesv adornat conuiuium: nec obscura est illa mulier, cuius nomen, quà audietur Euangelium, Christvs promittit extendendum. Vide quàm diuersis officiis ambiant veram libertatem, quam hæc consequitur, illo nihil singulare quod constet impetrante. Pharisæus tenax dignitatis herilis, à seruis præparatum exhibet conuiuium: Magdalena verò dignitatis suæ negligens, quod seruile erat assumit, pedes Domini lauans atque inungens. *Meritò ergo*, inquit S. Paulinus Epistolâ 4. *prælata Pharisæo, licet pascenti* Christvm, *quæ, Iudæo exultante, ieiuna, non cibi, sed salutis auida seruiebat.* Tantum nimirum prævalet affectatæ libertati humilis mancipatus, vt peccatrix seruiens præferatur Pharisæo inuitanti: vt mirari omnes desinant, mancipatum B. Mariæ Virginis esse viam solidæ libertatis, præsertim cùm nomen ipsius polleat singulari quadam virtute conterendi & extrudendi iugum diaboli: quod

ſolum eſt ſignum & onus veriſſimæ & viliſſimæ ſeruitutis. Non diſputo, an fabulentur, an rem compertam & comprobatam referant Auctores iſti, qui ſcribunt, picam, ſi nidum eius arctiſſimè funibus occluſeris, allaturam herbam quamdam, quâ admotâ vincula diſſiliant, eâque deinde quęlibet clauſtra poſſe reſerari: ſolummodò dico, quàm optanda foret herba iſta iis, qui arctiſſimis compedibus illigati, vel duram ſeruiunt apud Turcas ſeruitutem, vel capitis rei attinentur in carcere; tam iucundum nobis eſſe debere nomen Mariæ, quod vim habet iugum ferreum diaboli ceruicibus noſtris impreſſum extrudendi. *Computreſcet*, inquit Iſaias cap. 10. v. 27. *iugum à facie olei.* Oleum effuſum eſt nomen Mariæ. Solet autem oleum oliuarum ferrum & iugum ferreũ penetrare, mollire, exterere & cõſumerere; vnde fabri ferrarij teſtantur, ab oleo arma corrumpi, ideoque cùm ea poliunt, oleo oliuarum abſtinent. Et Pierius hieroglyphic. 54. *Fabri*, inquit, *qui ferrum lenteſcere atque mollire volunt, candefactum id oleo intingere conſueuerunt.* Candefaciamus ergo iugum ferreum diaboli, quod nimis iam diu geſtamus, feruore charitatis erga Deum & Virginem, eique tum oleum nominis Mariæ affundamus; & putreſcet iugum à facie olei. Felices, quibus pro hoc iugo impoſitæ ſunt compedes & catenæ mancipatus Mariani, quæ non onerant, ſed honorant captiuos ſuos; nec aliam indicant ſeruitutem, quàm quæ cauſa & effectrix eſt veræ libertatis, eius ſcilicet quam hîc in amore & charitate perfectâ incipiunt per gratiam, & deinde æternùm continuaturi ſunt per gloriam, quando CHRISTVS ipſe & Virgo Deipara, quibus hîc ſeruierunt, tranſeuntes miniſtrabunt ipſis recumbentibus.

CAPVT XLVI.

Nomen Mariæ reſuſcitat mortuos.

PRÆDICIT decimo tertio capite v. 15. Oſee: *Adducet vrentem ventum Dominus de deſerto aſcendentem, & ſiccabit venas eius*, inferni ſcilicet & mortis, de quibus anteà locutus fuerat. Quæ verba explicans Gillebertus in Cant. Serm. 15. ait: *Bonum deſertum eſt aluus virginalis. Talis erat beatæ illius & ſpecialis virginitatis vterus, quem nullius impudici motûs affectionis immunda tentauit læſio. Caro ipſius ſicut terra deſerta, & inuia, & inaquoſa, in quâ Chriſtus apparuit.* & paulò pòſt: *Vis audire qualem hæc terra deſerta dedit fructum? Oſee te docet, qui dicit: Adducet Dominus ventum de deſerto vrentem, & deſiccabit venas mortis.* Quis alius mortis deſiccauit venas niſi CHRISTVS IESVS, quem nobis intemerati ventris deſertum effudit? Et eſt communis loci iſtius interpretatio: nam S. Hieronymus, Haymo, Hugo, Rupertus, Lyranus, Vatablus, Arias, Ribera, & alij, putant, non typicè tantùm, ſed ad litteram de CHRISTO agere hoc capite Oſeam. Nihilominùs, bonâ iſtorum Auctorum veniâ, & non malâ, vt ſpero, Lectoris gratiâ, ventùm hunc vrentem nomini Mariano accommodabo, qui aſcendit de deſerto, vt alij etiam interpretantur, Virgine Deiparâ; ab eâque, cùm non eſſet niſi aura ſonans, & vox leuiter pertranſiens, vim omnem ſumpſit exurendi & deſiccandi venas mortis, in perniciem noſtram nimiâ fecunditate ſcaturientes. ſumpſit autem vim tantam, vt non ſolùm ventus ipſe, ſed vel ſonus eius, hoc eſt, non tantùm nomen Mariæ, ſed vel vmbra nominis, mortem fuget, omniaque mala per venas eius peſtiferas in nos deriuata deſiccet. Teſtem habemus S. Petrum Chryſo-

Chrysologum, &, si attendere velimus, ipsam Dei Ecclesiam. Hęc enim cùm in oratione, quâ Mariæ Magdalenæ inuocat patrocinium, sine dubitatione pronuntiat eius precibus Lazarum à morte reuocatum fuisse; cùm tamen Scriptura nullam Magdalenæ orationem, sed Marthæ preces sorore absente describat; numquid asseuerare videtur, plus effecisse solo suo nomine Mariam, quam Martha tot precibus petierat? efficacissimæque otationis adinstar fuisse in Maria solam istius appellationem nominis, quo referebat nomen illud Dei Genitricis, quod tamquam ventus vrens mortem fugat, omnesque eius venas desiccat? Certè Chrysologus, attendens ad rei gestæ modum & ordinem qui Ioan. 11. describitur, quòd scilicet ad Marthæ preces promittebatur quidem resuscitatio fratris, sed ad Mariæ præsentiam re ipsâ adimplebatur, effectum eum refert ad nominis Mariani efficaciam: Sermone enim 64. inquit: *Sine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari: veniat cum Marthâ Maria, veniat materni nominis baiula.* Quantæ potentiæ erit Marię nomen positum pro Virgine Deiparâ, si sola eius vmbra in peccatrice couersâ potuit resuscitare mortuum quatriduanum! quàm certò Maria inuocata fugabit mortem, si solus nominis eius sonus, licet aliud significans, reddit vitam! Similem notat in vmbrâ nominis IESVS potentiam Iustinus Martyr quæst. 45. vbi ait: *Iesus Naue filius cùm pro iure suo soli & lunæ imperaturus esset, Iesus nominatus est, dum hoc nomen à creatâ naturâ præcepti obedientiâ honoratur.* Quàm tenuis sit vmbra, nominis IESVS aut Mariæ vocabulum, idem alteri loco proprij nominis assignatum intelligitur ex vi significandi nominum propriorum: ex quâ constat, ęquiuocationem, quæ reperitur inter duo nomina propria eiusdem soni, diuersis personis accommodata, esse tantam, vt nequeat vlla intercedere analogia, quæ inter nomina vniuersalia facilè reperitur. Ratio enim per nomen proprium significata, non potest vllâ ratione esse eadem cum ratione quam aliud nomen proprium significat; quamuis occasio, cur nomen proprium vni detur eiusdem soni, cum eo quod alteri datum est, sæpè possit esse vel eadem, vel hæc illius causa. Mirare ergo potentiam nominis Mariani, quod non tantùm per le dat vitam, sed etiam per vmbram sui tenuissimam resuscitat mortuos. Vide quàm potenter conuersum sit nomen Heuę, quæ dicebatur mater viuentium, in nomen Mariæ; quę non tantùm est mater viuentium, sed cuius vel vmbra nominis est vita mortuorum. Duplicem mortem hereditare miseriâ accepimus ab Heuâ. de quâ S. Bernardus in deprecatione ad Virginem MARIAM: *Vides hanc tunicam pelliceam quæ nos circumdedit? tunica Heuæ parentis nostræ est, quam ad nos olim misera illa transmisit, & superuestiuit carnem filiorum suorum sicut diploide confusione suâ: de manu quippe ipsius duplicis mali semen terra nostra susceptit, & concepit, & peperit nobis spinas & tribulos iniquitatis in animâ, calamitates in corpore, ac per hoc mortem vtrobique.* Hæc sunt primę matris nostræ infelicia insignia; pro quibus mancipia & Sodales nostri accipiunt trabeam honoris & insignia vitæ. Viuificum nomen vel vmbra mortem fugat corporeâm; & ipsum deuote inuocatum desiccat venas omnes mortis, hoc est, passiones inordinatas, ex quibus fluit vtraque mors, corporis & animæ.

Epilogus ad Virginis Mariæ mancipatui addictos.

Absoluto tandē Opere de Nomine MARIÆ tempus est, vt rursum me ad eos conuertam, quorum præcipuè causâ susceptus fuit hic scribendi labos; eos, inquam, quos tam benignis oculis respexit diuina bonitas, vt scientiam daret quâ cognoscerent, vt voluntatem quâ profiterentur se esse Deiparæ mancipia: quibus denuò gratulor tantâ dignitatē, quâ sola ita supra ceterorum mortalium sortem euehuntur, vt vix altitudinem tantam irretortis oculis intueri possint qui simili mancipatu non sunt initiati. Qui enim ignorant humilita-

militatis abyssum, numquam capient veræ magnitudinis sublimitatem: illam autem nemo perfectè cognouit, qui numquam cum Virgine Deiparâ in illam profunditatem descendit, cui immersa Angelo respondebat, *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* nec quisquam eorum est qui descenderunt, qui non statim viderit ex eo, quod Deo præstare debet, obsequio Virginis Deiparæ resultare mancipatum; vtpote quæ fuerit ita à rerum omnium Conditore exaltata, vt videatur simili ferè ratione infinitati ipsius immersa, quâ nos nihileitati nostræ inhæremus. Hoc est, quemadmodum nos miseriam nostram; contemplantes, licet res aliqua dici possit omne quod in nobis reperimus; quidquid tamen id est, res adeò parua atque exigua est, vt licet sit aliquid, tamen, propter exilitatem suam, pænè vocari possit nihil. ita dignitatem Virginis Deiparæ speculantes, licet omnia quæ in ea reperiemus finita sint, propter limitatam creaturæ capacitatem; sunt tamen singula ita magna, & ita vicina diuinitati, vt cùm Mater Dei exstiterit, pænè infinitum dici possit, quidquid in ea veneramur. Ex qua notitia resultat illa gratissima cælo, vtilissima nobis exercitatio, quâ conamur nos coram tantâ ac infinitati tam vicinâ maiestate demissiùs semper atque demissiùs humiliare, & quærere etiam, quis gradus inter mancipia sit abiectissimus; vt eo perfectiùs maiestatem istam exaltemus, quæ se humiliando ad ancillarum vilitatem, facultatem nobis attulit per gratiam Filij sui aspirandi ad gloriam filiorum Dei.

Luc. 1. v. 38.

FINIS.



INDEX

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ,
QVI
IN HOC OPERE VT PLVRIMVM
EXPLICANTVR, AVT ELVCIDANTVR.

GENESIS.

CAP. I. IN principio creauit Deus cælum & terram. 172.
Terra autem erat inanis & vacua. 232.
Spiritus Dei ferebatur super aquas. 123.
Fiat lux. 398.
Et vidit Deus lucem quod esset bona. 397.
Factum est vespere & mane dies vnus. 369.
Eiat firmamentum in medio aquarum, 21.
Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, 16.127.128.
Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & vniuersis animantibus quæ mouentur super terram, &c. 25.
II. Non est bonum hominem esse solum, 22.
Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius, 364.
III. Cùm audissent vocem Domini Dei deambulantis in paradiso ad auram post meridiem, 463.
Inimicitias ponam inter te & mulierem: ipsa conteret caput tuum, 9.
Multiplicabo ærumnas tuas & conceptus tuos, in dolore paries filios, 73.
IV. Egrediamur foras, 26.
Consurrexit Cain aduersùs fratrem suum Abel, & interfecit eum, 23.
Genuit Adam filium ad imaginem & similitudinem suam, & vocauit nomen eius Seth, 18.
VII. Venit portans ramum oliuæ virentibus foliis in ore suo, 81.
IX. Cùm obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, 302.
XV. Generatione autem quartâ reuertentur huc, 190.
XX. Abimelech verò non tetigerat eam. 274.
Ideo custodiui te ne peccares in me, 84.
XXI. Eijce ancillam & filium eius, 77.
Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem eius, 255.
XXII. Vnde vsque hodie dicitur, In monte Dominus videbit, 277.
XXIV. Erat enim puella decora nimis, virgoq; pulcherrima, & incognita viro, 140.
XXVII. Cùm venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum vt comedam, & benedicat tibi anima mea, 475.
Pergens ad gregem, adfer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo: quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi. ibid.
XXIX. Erat venusta facie & decora aspectu, 140.
XXXII. Ecce vir luctabatur cum Iacob, 120.
Dimitte me, iam enim aurora ascendit, 214.301.
XLIX. Salutare tuum expectabo Domine, 248. 289.
L. En morior; in sepulchro quod fodi mihi in terra Chanaan sepelies me, 307.

EXODVS.

CAP. III. Solue calceamenta de pedibus tuis, 87.
IV. Obsecro Domine, mitte quem missurus es, 248.
XIV. Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Ægyptiorum, per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorum, 120.
XXXI. Ecce vocaui ex nomine Bezeleel, filium Huri &c. dediq; ei socium Ooliab, filium Achisamech, de tribu Dan &c. Omnia quæ præcepi tibi, facient, 23.
XXXIII. Non videbit me homo, & viuet, 61.

LEVITICVS.

CAP. X. Ignem alienum ne inferas &c. 115.

NVMERI.

CAP. X. Canetis tubis super holocaustis, 146.
XXI. Dicitur in libro bellorum Domini: Sicut fecit in mari Rubro, sic faciet Dominus in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati sunt &c. 8. 9.

DEVTE-

INDEX

DEVTERONOMIVM.

CAP. VII. *Non quia numero vincebatis omnes gentes, elegit vos Dominus,* 125.

IOSVE.

CAP. X. *Sol ne moueatur contra Gabaon, & tu luna contra vallem Aialon,* 61.

I. REGVM.

CAP. II. *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles,* 81.

XV. *Pro eo ergo quod abiecisti sermonem Domini, proiecit te Dominus ne sis Rex,* 39.

II. REGVM.

CAP. VI. & VII. *Quis ego sum, Domine Deus? Et quæ domus mea, quia adduxisti me hucusq;? Sed & hoc parum visum est in conspectu tuo Domine Deus, nisi loqueretu etiam de domo serui tui in longinquum: ista est enim lex Adam, Domine Deus,* 263.

XIII. *Exosam eam habuit odio magno nimis, ita vt maius esset odium quo oderat eam, amore quo anteà dilexerat,* 335.

III. REGVM.

CAP. I. *Si enim alteri dederis, erimus ego & filius meus peccatores,* 36.

VI. *Domus autem cùm ædificaretur, de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est: & malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo cùm ædificaretur,* 162.

II. PARALIPOMENON.

CAP. III. *Strauit quoque pauimentum templi pretiosissimo marmore decore multo,* 162.

IVDITH.

CAP. VIII. *Considerabant faciem eius, & erat stupor in oculis eorum, quoniam eius pulchritudinem mirabantur nimis,* 140.

XIII. *Benedicta tu filia à Domino Deo excelso, præ omnibus mulieribus super terram,* 216.

ESTHER.

CAP. I. *Pulchra valde, & incredibili pulchritudine, gratiosa omnium oculis, & amabilis videbatur,* 140.

V. *Solus Mardochæus non flectebat genua, nec adorabat eum,* 236.

Cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto, quamdiu videro Mardochæum &c. ibid.

VIII. *Tunc omnis ciuitas exultauit, atque lætata est. Iudæis autem nona lux oriri visa est, gaudium, honor, & tripudium,* 2.

X. *Parua fons qui creuit in fluuium, & in lucem solemq; conuersus est, & in aquas plurimas redundauit, Esther est quam Rex accepit in vxorem, & voluit esse Reginam,* 122.

XV. *Non propter te facta est hæc lex, sed propter omnes &c.* 86.

IOB.

CAP. I. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ, nudus reuertar illuc.* 175.

II. *Locuta es quasi vna ex stultis mulieribus,* 325.

III. *Pereat dies in quâ natus sum; & nox, in quâ dictum est, conceptus est homo. Dies ille vertatur in tenebras, non requirat eum Deus desuper, nec illustretur lumine, obscurent eum tenebræ & vmbra mortis, occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Noctem illam tenebrosus turbo possideat. Sit nox illa solitaria,* 1.

IV. *Cæli non sunt mundi in conspectu eius, & in Angelis suis reperit prauitatem.* 35.

IX. *Non est qui vtrumque valeat arguere, & ponere manum suam in ambobus.* 173.

X. *Manus tuæ fecerunt me & plasmauerunt me &c.* 210. 211.

XVII. *Putredini dixi, pater meus es: mater mea & soror mea vermibus,* 353.

XXI. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* 207.

Tenent tympanum & cytharam, & gaudent ad sonitum organi. ibid.

XVIII. *Si subitò apparuerit aurora, arbitrantur vmbram mortis.* 301.

XXVI. *Gigantes gemunt sub aquis,* 208.

XXIX. *Nec est similis ei in legislatoribus.* 81.

XXXI. *Per singulos gradus pronuntiabo illum,* 144.

XXXVIII. *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat quasi de vulvâ procedens.* 121.

Circumdedi illud terminis meis. 122.

Indica mihi, si nosti, in terris in quâ viâ habitet lux? 187.

LIBER PSALMORVM.

PSAL. I. *Beatus vir, qui non abijt in consilio impiorum, & in via peccatorum non stetit, & in cathedra pestilentiæ non sedit.* 75.

II. *Ego autem constitutus sum Rex.* 81.

IV. *Filij hominum, vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?* 231.

X. *Desiderium pauperum exaudiuit Dominus.* 221.

XIII. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt.* 61.

XV. *Et in templo eius omnes dicent gloriam.* 165.

XVI. *Sal-*

XVI. *Satiabor cum apparuerit gloria tua,* 241.
XVII. *Inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius. Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius,* 164.
Qui perfecit pedes meos quasi ceruorum, & super excelsa statuens me, 205.
XVIII. *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam,* 257. 368.
XXI. *Clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mihi,* 227.
Tu es qui extraxisti me de ventre, spes mea ab vberibus matris meæ; in te proiectus sum ex vtero, 281.
XXII. *Misericordia eius præueniet me,* 83.
XXVIII. *Vox Domini super aquas,* 204.
Vox Domini virtute, ibid.
Vox Domini in magnificentia, ibid. 206.
Vox Domini confringentis cedros, 205, a. 207.
Vox Domini intercidentis flammam ignis, ibid.
Vox Domini concutientis desertum Cades, 205. b.
Vox Domini præparantis ceruos, ibid.
XXIX. *Ego dixi in abundantiâ meâ: Non mouebor in æternum,* 417.
XXX. *O quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te,* 443.
XXXV. *Apud te est fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen,* 398.
XXXVI. *Vidi impium superexaltatum, & eleuatum sicut Cedros Libani. Transiui, & ecce non erat: quæsiui eum, & non est inuentus locus eius,* 207.
XXXII. *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus graue grauatæ sunt super me,* 208.
XXXVIII. *Et nunc quæ est expectatio mea? nonnè Dominus? & substantia mea apud te est,* 225.
XXXIX. *In capite libri scriptum est de me, vt facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam medio in cordis mei,* 354.
Deus meus ne tardaueris, 248.
XLIV. *Astitit regina à dexteris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate,* 271.
XLV. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem,* 248. 311.
XLVII. *Fundatur exultatione vniuersæ terræ mons Sion.* 243.
L. *Ecce in iniquitatibus conceptus sum, & in peccatis concepit me mater mea,* 22.
LI. *Ego autem sicut oliua fructifera in domo Dei, speraui in misericordia Dei in æternum; & expectabo nomen tuum, quoniam bonum est in conspectu sanctorum tuorum,* 245.
LIV. *Quis mihi dabit pennas sicut columbæ? & volabo, & requiescam,* 240.
LVI. *Exurge gloria mea, exurge psalterium & cithara,* 118.
LVIII. *Emitte manum tuam de alto, eripe me, & libera me de aquis multis,* 83.
LXI. *Duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia,* 172. 395. b.
LXII. *Sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea,* 328.
Quoniam melior est misericordia tua super vitas, 67.
LXIV. *Te decet hymnus Deus in Sion,* 374.
LXVII. *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri,* 160.
Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, 49.
LXVIII. *Opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me,* 33.
LXXII. *Deiecisti eos dum alleuarentur,* 237.
Velut somnium surgentium Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges, 132.
LXXV. *Illuminans mirabiliter à montibus æternis,* 53.
LXXIX. *Deus exercituum reuertere de cælo, & visita vineam istam, & habitationem quam plantauit dextera tua,* 283.
LXXX. *Exultate Deo adiutori nostro, iubilate Deo Iacob. Sumite psalmum, & date tympanum; psalterium iucundum cum cithara. Buccinate in Neomenia tuba, in insigni die solemnitatis vestræ,* 92.
LXXXIV. *Verumtamen propè timentes eum salutare ipsius, vt inhabitet gloria in terra nostra. Misericordia & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt,* 116 213.
LXXXVI. *Fundamenta eius in montibus sanctis.* 45.
Gloriosa dicta sunt de te ciuitas Dei, 184.
Dominus narrabit in scripturis populorum, 56.
Sicut lætantium omnium habitatio est in te, 28.
LXXXVIII. *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me,* 203.
XC. *Ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum,* 83.
XCI. *Rectus Dominus Deus noster, & non est iniquitas in eo,* 16.
XCIII. *Si dicebam, motus est pes meus, misericordia tua Domine adiuuabat me,* 83.
XCIX. *Quoniam ipse fecit nos, & non ipsi nos,* 79.
CII. *Lætetur cor quærentium Dominum,* 140.
CIX. *In splendoribus sanctorum ex vtero ante luciferum genui te,* 20. 107.
Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech, 81.
CXV. *Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ,* 31.
CXVIII. *Concupiuit anima mea desiderare,* 227.
Viam mandatorum tuorum cucurri. 201.
CXXIX. *Sperauit anima mea in Domino, à custodia matutina vsque ad noctem,* 246.
Apud Dominum misericordia, & copiosa apud eum redemptio; & ipse redimet Israel ex omnibus iniquitatibus eius, 84.
CXXXI. *Surge Domine in requiem tuam tu & arca sanctificationis tuæ,* 286.

CXXXIV. *Qui producis ventos de thesauris tuis,* 463.
Simulachra gentium argentum & aurum, 231.
CXXXVIII. *Nox illuminatio mea in deliciis meis, & nox sicut dies illuminabitur; sicut tenebræ eius, ita & lumen eius,* 469.
Et vide si via iniquitatis in me est, & deduc me in via æternâ, 68.
CXL. *Cadent in retiaculo eius peccatores singulariter sum ego donec transeam,* 10. 23 207.
CXLIII. *Sub tegumento manus suæ protexit me,* 83.
CXLVI. *Quoniam ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt,* 70
CXLVII. *Velociter currit sermo eius,* 201.

PROVERBIA.

CAP. VI. *Si spoponderis pro amico tuo, defixisti manum tuam apud extraneos,* 173.
VIII. *Possedit me in initio viarum suarum. Ante omnes abyssos ego concepta eram,* 56.
Quando præparabat cælos aderam, quando certâ lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum &c. cum eo eram cuncta componens, 32. 112.
X. *Argentum electum lingua iusti,* 42.
Expectatio iustorum lætitia, 240.
XVI. *Melior est qui dominatur animo suo, expugnatore vrbium,* 205.
XVIII. *Turris fortissima nomen Domini, ad ipsum currit iustus, & exaltabitur,* 29.
Iustus primus in lite suâ; venit amicus eius, & inuestigabit eam, 73.

CANTICVM CANTICORVM.

CAP. I. *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te,* 472.
Nolite me considerare quod fusca sim, quia decoloravit me sol, 186.
Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum, 275.
Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suauitatis, 14. 464.
Ecce tu pulcher es dilecte mi, & decorus; lectulus noster floridus, ligna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina, 291.
II. *Ego sum flos campi, & lilium conuallium,* 6.
Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias, 7. 85. 141.
Sub vmbra illius quem desideraueram, sedi; & fructus eius dulcis gutturi meo, 356. 446.
Surge amica mea, sponsa mea, & veni: columba mea in foraminibus petræ, in cauernâ maceriæ, ostende mihi faciem tuam; facies enim tua decora, 85.
III. *Tenui illum, nec dimittam,* 243.
Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi? 153.
Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit, 86.
IV. *Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex eâ,* 29.
Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, 272. 329.
Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, 260.
Veni, coronaberis de cubilibus leonum, de montibus pardorum, 25.
Hortus conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus, 191. 340.
V. *Adiuro vos filiæ Ierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo,* 467.
Manus meæ tornatiles stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrhâ probatissimâ, 421.
Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas, 123.
VI. *Auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt.* 111.
Vna est columba mea perfecta mea; vna est matris suæ, electa genitrici suæ, 44. 76.
Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens? 23. 117.
Reuertere, reuertere Sulamitis, reuertere, reuertere vt intueamur te, 152.
VII. *Quid videbis in Sulamite, nisi choros castrorum?* 152. 166.
Quàm pulchri sunt gressus tui in calceamentis, filia principis! 123. 152. 154. 158.
VIII. *Quæ est ista quæ ascendit deliciis affluens &c.* 17. 184. 214.
Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. 85.
Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum. 264.
Dura sicut infernus æmulatio, 304.
Quid faciemus sorori nostræ, in die quando alloquenda est? 40.
Si ostium est, compingamus illud tabulis cedrinis, 43.
Ego murus, & vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens, 44.
Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloq; ceruorum, 22.

SAPIENTIA.

CAP. I. *Quoniam in maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* 60.
II. *Non sit pratum, per quod non transeat luxuria nostra,* 79.
Vbicunque relinquamus signa læsiæ, quoniam hæc

hæc est pars nostra, & sors nostra, 207.
Inuidiâ diaboli mors intrauit in orbem terrarum, 12.
VI. *Præoccupat qui se concupiscunt, vt se illis prior ostendat,* 202.
VII. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia,* ibid.
XI. *Iusti autem quasi virens folium germinabunt,* 131.

ECCLESIASTICVS.

CAP. II. *Beata terra, cuius Rex nobilis est,* 81.
III. *Gloria hominis ex honore parentum, & dedecus filij pater sine honore,* 16. 33.
Quanto magnus es, humilia te in omnibus; & coram Deo inuenies gratiam, 411.
VI. *Non te extollas in cogitationibus animæ tuæ, velut taurus, ne fortè elidatur virtus tua per stultitiam, & folia tua comedat, & fructus tuos perdat, & relinquaris velut lignum aridum in eremo,* 130.
XIII: *Vestigium cordis boni, & faciem bonam difficilè & cum labore inuenies,* 139.
XIV. *Omnis caro sicut fœnum arescet, & sicut folium fructificans in arbore viridi, alia generantur, & alia deijciuntur: sic generatio carnis & sanguinis, alia finitur, & alia nascitur,* 131.
XXIV. *Ego ex ore Altissimi prodiui, primogenita ante omnem creaturam.* 126.
Gyrum cæli circuiui sola, 25.
Ab initio & ante sæcula creata sum, 180.
Et vsque ad futurum sæculum non desinam. 25.
In habitatione sancta coram ipso ministraui, 420.
In ciuitate sanctificatâ similiter requieui. 72. 306.
Quasi palma exaltata sum in Cades, 28.
Quasi platanus exaltata sum. 305.
Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris. 421.
Ego quasi vitis fructificaui suauitatem odoris, 129. 338.
Flores mei, fructus honoris & honestatis. 193.
Memoria mea in generationes sæculorum, 21.
Rigabo hortum meum plantationum, & inebriabo prati mei fructum; 191.
XXV. *Non est malitia super malitiam mulieris.* 216.
XXXIII. *Quare dies diem superat?* 1.
XL *Omnia quæ terræ sunt, in terram conuertentur,* 61.
LI. *Confitebor tibi, Domine Rex, & collaudabo te Deum Saluatorem meum, quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti me à rugientibus præparatis ad escam, & de manibus quærentium animam meam, & de portis tribulationum quæ circumdederunt me,* 50.

ISAIAS.

CAP. II. *Et erit præparatus mons in vertice montium,* 55.
Thesaurorum eius non est finis. 38.
VII. *Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà.* 174.
Ecce virgo concipiet &c. 167.
VIII. *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, & scribe in eo stylo hominis, Velociter spolia detrahe, citò prædare. Et accessi ad Prophetissam, & concepit, & peperit filium. Et dixit Dominus ad me: Voca nomen eius Accelera spolia detrahere, festina prædari.* 6. a. 101.
IX. *Habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis.* 2. 119.
X. *Consummationem & abbreuiationem faciet Dominus in medio terræ.* 100.
XI. *Egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet.* 132. 193. 258.
XXI. *Angustia possedit me, & conturbatus sum,* 297.
XXVI. *Vrbs fortitudinis nostræ Sion, Saluator ponetur in eâ murus & antemurale,* 46.
XXVII. *Meditata est in spiritu suo duro per diem æstus,* 304.
XXIX. *Ciuitas solis vocabitur vna,* 185.
XXX. *Expectat Dominus vt misereatur vestri,* 251.
Exaltabitur parcens vobis, 39.
Erit lux lunæ sicut lux solis &c. 186.
XXXIV. *Et omnis militia cælorum defluet sicut folium de vineâ & de ficu,* 131.
XXXVII. *Complicabuntur sicut liber cæli,* 108.
XL. *Appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera.* 110.
Mensus enim pugillo est aquas, ibid.
XLI. *Dabit in solitudine cedrum, & spinam, & myrtum, & lignum oliuæ; ponet in deserto abietem, vlmum, & buxum simul: vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligant pariter, quia manus Domini fecit hoc, & sanctus Israël creauit illud.* 93.
XLV. *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes!* *Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum; aperiatur terra, & germinet Saluatorem.* 247.
XLIX. *Dedi te in lucem Gentium.* 398.
His omnibus velut ornamento vestieris. 8.
LIII. *Ascendet quasi virgultum, & quasi radix de terrâ sitienti.* 23.
LIV. *Fundabo te in Sapphyris.* 162.
LX. *Propter Sion non tacebo, & propter Ierusalem non quiescam, donec egrediatur vt splendor iustus eius, & Saluator eius vt lampas accendatur,* 258.
LXI. *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo; quia induit me vestimentis salutis, & indumento iustitiæ circumdedit me,* 288.
LXIV. *Omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas,* 231.

IEREMIAS.

Cap. III. *Fornicata es cum amatoribus multis,* 34.

XII. *Tradidi dilectum in manus inimici,* 292.

XVII. *Erit quasi lignum quod transplantatur super aquas, quod ad humorem mittit radices suas; & non timebit cùm venerit æstus, & erit folium eius viride, &c.* 131.

XXXI. *Vidi, & somnus dulcis factus est mihi,* 297.

XXXII. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & ædificabitur ciuitas Domino à turre Hananeel vsque ad portam anguli,* 183.

XXXIII. *Nisi pactum meum esset, diem ac noctem, leges cæli & terræ non posuissem,* 112.

EZECHIEL.

Cap. I. *Animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis,* 201.

III. *Ecce dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum: vt adamantem & silicem dedi faciem tuam,* 470.

VI. *Eras nuda & confusione plena, & tempus tuum tempus amantium. & expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam, & iurau tibi, & ingressus sum pactum tecum,* 37.

XVIII. *Filius non portabit iniquitatem patris,* 59.

XXVIII. *Tu signaculum similitudinis,* 16.

XLIV. *Porta hæc clausa erit,* 43.

XLVII. *Fructus enim eius in cibum, & folia eius ad medicinam,* 130.

XLVIII. *Nomen ciuitatis Dominus,* 187.

DANIEL.

Cap. XII. *Saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro vitæ,* 94.

Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsque ad tempus statutum, 52.

Clausi sunt, signati, sermones vsque ad prædefinitum tempus, 56.

XIII. *Nunquam auditus est sermo eiusmodi de Susanna,* 195.

OSEAS.

Cap. II. *Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius,* 205.

MICHÆAS.

Cap. VII. *Optimus in eis est quasi spina de sepe,* 7.

HABACVC.

Cap. III. *Audiui auditum tuum, & timui.* 170. *Domine opus tuum, in medio annorum &c,* 172. b. 173. a.

Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis, 463.

Inclinati sunt colles mundi, ab itineribus æternitatis eius, 10.

Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo. Deus Dominus fortitudo mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum, & super excelsa deducet me victor in psalmis canentem, 289.

AGGÆVS.

Cap. II. *Quia hæc dicit Dominus Deus exercituũ: Adhuc vnũ modicum est, & egõ commouebo cælum, & terram, & mare, & aridam; & mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus istius nouissimæ, plusquam primæ: & in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum,* 257.

Et veniet desideratus cunctis gentibus. 284.

ZACHARIAS.

Cap. II. *Ego ero murus ignis in circuitu.* 25. 46.

IX. *Circumbabo domum tuam ex his, qui militant mihi,* 43.

Circumdabo domum tuam, quia nunc vidi oculis meis. 121.

MALACHIAS.

Cap. I. *Ab ortu solis vsque ad occasum, magnum est nomen eius in Gentibus.* 444.

Cap. III. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* 176. 177. 178.

MATTHÆVS.

Cap. I. *Liber generationis &c.* 4. 13. 101.

II. *Accipe puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptum.* 77.

IV. *Populus qui sedebat in tenebris,* 119.

V. *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt,* 401.

VI. *Considerate lilia agri quomodo crescunt, non laborant, neque nent. dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua cooperatus est sicut vnum ex istis,* 7.

VII. *Multi dicent mihi in illa die: Domine, nonnè in nomine tuo dæmonia eiecimus?* 460.

VIII. *Quid timidi estis, modicæ fidei?* 197.

XI. *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista,* 27.

Iugum enim meum suaue est &c. 208.

XII. *Generatio mala & adultera,* 34.

Ecce mater tua & fratres tui foris stant quærentes te, 75.

XIII. Præ gaudio illius vadit, & vendit omnia quæ possidet, 240.
XVII. Filius meus es tu, in quo mihi benè complacui, 182.
XVIII. Non dico tibi, vsque septies, sed vsque septuagies septies, 457.
XXI. Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicunque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est, 303.
XXVII. Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? 465.
Monumenta mortuorum aperta sunt, 308.
Centurio autem, & qui cum eo erant custodientes Iesum: viso terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iste. 265.

MARCVS.

CAP. XVI. In nomine meo dæmonia eijcient, serpentes tollent; & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super ægros manus imponent &c. 449. 454. 458.

LVCAS.

CAP. I. Vxor tua pariet tibi filium, 44.
Missus est Angelus Gabriel à Deo ad virginem, &c. 178. 190, 440.
Aue gratiâ plena, Dominus tecum, 417. 449.
Turbata est in sermone eius, 178. b. 194, 197.
Ne timeas Maria; 449. 196.
Inuenisti gratiam apud Deum, 84.
Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? 87, 195.
Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi, 23. 182, 187. 189. 191.
Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum; 478.
Discessit ab illâ Angelus. Et exurgens Maria abijt in montana cum festinatione, 87. 199, 200. 208. b.
Exclamauit voce magnâ, 215.
Benedicta tu inter mulieres, 3. 81. 216.
Benedictus fructus ventris tui, 216. 217.
Ex quo facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo, 26. 88, 205.
Beata quæ credidisti, quoniam perficientur in te, quæ dicta sunt tibi à Domino, 408.
Magnificat anima mea Dominum &c. 218. 219.
Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes, quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius, 301. 49. 104.
Fecit potentiam in brachio suo: deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles, 175. 176.
II. Maria autem conseruabat omnia verba hæc in corde suo, 5.
Nunc dimittis seruum tuum in pace, quia viderunt oculi mei salutare tuum, 279. 289.
Erat subditus illis, 28. 75.
VII. Non fuit Propheta maior Ioanne Baptistâ, 27.
X. Intrauit Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam, Martha nomine, excepit illum in domum suam, 306.
Domine, non est tibi curæ quod soror mea reliquit me solam ministrare? 325.
XI. Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti, 74. 347. 349.
Nemo lucernam accendit, & ponit eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt, 409.
XV. Cecidit super collum eius. Dixit autem seruis suis: Citò proferte stolam primam, & induite illum, 36.
Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt, 25. 61.
XIX. Zachæe, festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere, 201.
XXIV, Sedete in ciuitate quoadusque induamini virtute ex alto, 37.

IOANNES.

CAP. I. Quod enim factum est, in ipso vita erat, 95.
Verbum caro factum est, & habitauit in nobis, 106.
Deum nemo vidit vnquam, 61.
Ego vos baptizo in aquâ. Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis; ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne, 26.
Qui post me venit, antè me factus est, 127.
II. Vinum non habent, 442.
VIII. Nos nemini seruiuimus vnquam, quomodo tu dicis: Veritas liberabit vos? 475.
X. Omnes qui venerunt ad me, fures sunt, 61.
Ego veni, vt vitam habeant, & abundantiùs habeant, 26. 85.
Quem Pater sanctificauit, & misit in mundum, 19.
XVI. Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis, 458.
Vsque modò non petestis quicquam: petite, & accipietis, 239.
XIX. Mulier, ecce filius tuus, 465.
Ecce mater tua. Et ex illa horâ accepit eam in sua, 401.
Postea sciens Iesus, quia omnia consummata sunt &c. 314.
XXI. Sunt autem & alia multa, quæ fecit Iesus: quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros, 5.

ACTA APOSTOLORVM.

CAP. III. In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula, 404.
VII. Domine, ne statuas illis hoc peccatum, 88.

AD ROMANOS.

CAP. I. *Qui factus est ei ex semine Dauid secundùm carnem,* 44.

Inuisibilia enim ipsius, à creatura mundi per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus & diuinitas, 96.

Tradidit eos Deus in desideria cordis eorum, 233.

II. *An diuitias bonitatis eius contemnis?* 38.

V. *Per peccatum mors, & ita mors in omnes homines pertransiit,* 293.

VIII. *Misit Deus Filium suum in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatum in carne, vt iustificatio legis impleretur in nobis,* 189.

Quod si filij & hæredes; hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi, 353.

Ingemiscit & parturit omnis creatura vsque adhuc. Vanitati enim creatura subiecta est non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe, 144.328.

Ipsi primitias spiritûs habentes, 27

Postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. 87.

Quos præscinit & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, 17.

Quia quos prædestinauit, hos vocauit, hos iustificauit, hos magnificauit, 90.

Qui etiam proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? 284.

X. *Quicunque inuocauerit nomen Domini, saluus erit,* 29.

XI. *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ, Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius,* 95.

Quis nouit sensum Domini? aut quis consiliarius eius fuit? 52.

XII. *Spe gaudentes,* 240.

XIII. *Induimini Dominum Iesum Christum.* 37.

I. AD CORINTHIOS

CAP. I. *In omnibus diuites facti estis in illo, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia,* 83.

Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus, 342.

IV. *Spectaculum facti sumus Deo, Angelis, & hominibus,* 68.

XV. *Secundus homo de cælo cælestis,* 323.

Sicut portauimus imaginem terreni portemus & imaginem cælestis, 17.

Omnes quidem resurgemus, 61.

II. AD CORINTHIOS.

CAP. I. *Pater misericordiarum,* 83.

III. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid de nobis quasi de nobis, sed omnis sufficientia nostra ex Deo est,* 53.

Qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, 59.

AD GALATAS.

CAP. IV. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere,* 19.

VI. *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto,* 188.

AD EPHESIOS.

CAP. I. *Qui elegit nos in ipso antè mundi constitutionem, vt essemus sancti,* 95.

II. *Vt ostenderet in sæculis superuenientibus abundantes diuitias gratiæ suæ,* 38.

V. *Semetipsum tradidit pro eâ, vt sibi exhiberet ipse gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, sed vt sit sancta & immaculata.* 80.

Qui vxorem suam diligit, seipsum diligit: nemo enim vnquàm carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fouet eam, sicut Christus Ecclesiam, 341.

Quia membra sumus corporis eius, de carne eius & de ossibus eius. Sacramentum hoc magnum est, ibid.

AD PHILIPPENSES.

CAP. II. *Omnes quæ sua sunt quærunt,* 61.

III. *Quæ retrò sunt obliuiscens, ad interiora me extendens, ad destinatum persequor brauium,* 313.

IV. *Nouit enim Dominus qui sunt eius,* 95.

AD COLOSSENSES.

CAP. I. *Qui est imago Dei inuisibilis.* 17.

II. *Qui est caput omnis principatus & potestatis, & in quo inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter,* 105.

Exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palàm triumphans illos in semetipso, 10.

I. AD THESSALONICENSES.

CAP. V. *Ab omni specie mala abstinete vos,* 264.

II. AD TIMOTHEVM.

CAP. I. *Moneo te, vt resuscites gratiam Dei, quæ est in te,* 85.

III. *Cognouit Dominus qui sunt eius,* 107.

AD TITVM.

CAP. III. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei,* 104.

AD HEBRÆOS.

CAP. I. *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ eius,* 257.

Sedet à dextris maiestatis in excelsis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentiùs præ illis nomen hæreditauit. Cui vnquam Angelorum dixit, Filius meus es tu? 314.

II. *Videmus Iesum propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum, vt gratiâ Dei pro hominibus gustaret mortem,* 297.

VII. *Translato sacerdotio, necesse est vt legis translatio fiat,* 271.

Talis enim decebat vt nobis esset Pontifex, sanctus innocens impollutus, segregatus à peccatoribus, excelsior cælis factus, 34.

IX. *Et ideo noui testamenti mediator est, vt morte intercedente, in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priore testamento, &c.* 10.

XI. *Sine fide autem impossibile est placere Deo,* 87.

Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus, in solitudinibus errantes, in montibus & speluncis, & in cauernis terræ, 159.

EPISTOLA IACOBI.

CAP. III. *Concupiscentia inflammat rotam nativitatis nostræ, inflammata à gehennâ,* 12.

EPISTOLA I. PETRI.

CAP. I. *In quem desiderant Angeli prospicere,* 241.

EPISTOLA II. PETRI.

CAP. II. *Ciuitates in cinerem redigens, euersione damnasti; exemplum eorum, qui impiè acturi sunt, ponens,* 266.

EPISTOLA I. IOANNIS.

CAP. II. *Omne enim quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ,* 207. 229.

III. *Videte qualem charitatem dedit nobis Pater, vt filij Dei nominemur, & simus,* 353.

APOCALYPSIS.

CAP. III. *Suadeo tibi emere à me aurum ignitum & probatum, vt vestimentis albis induaris, & non appareat confusio nuditatis tuæ,* 37.

VI. *Cælum recessit sicut liber inuolutus,* 108

XII. *Signum magnum apparuit in cælo. mulier amicta Sole,* 124. 159. 344. 397.

In vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur vt pariat, 249.

Draco stabat antè mulierem, vt deuoraret filium eius, 20. 30.

Adiuuit terra mulierem, 25.

XXI. *Vidi ciuitatem sanctam Ierusalem, nouam descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo,* 28. 185.

XXII. *Vide ne feceris, conseruus enim tuus sum,* 255.

INDEX

INDEX
RERVM PRÆCIPVARVM,

Quæ in præsenti Opere, tam in Horizonte Mariano, quam Tractatu de Mariæ Nomine continentur.

A.

ABEL.

ABEL cur primus inter homines mortuus, 196.
Locus in quo occisus, incultus ac sterilis cur, 26.*a.b.*
Alienum à moribus suis nomen obtinuit, 367.*a.*

ABSALON.

Mundi seducentis typus, 207.

ADAMVS.

Adami in omnia hominibus inferiora dominium, fundatum in originali innocentia, 25.*a.*
Adami creationi cæteras creaturas Deus præmisit, & cur. 142.
Cùm per Adami peccatum mors in mundum intrauerit, cur non primus ipse mortuus 296.*a.*
Nominis *Adam* acrostichon 369.*b.*
Adamus callebat idioma suum, antequam rebus nomina imponeret, 362.*a.*
Cur Adamus diei nocti, terræ, mari & firmamento nomina non imposuit, 366.
Quantâ cum maiestate animantibus nomina imposuerit, 363. cur speciebus tantum, & non singulis individuis? 364.*b.*

AMAN.

Exemplo suo probat, Mundi bona ipsâ possessione fastidium sui ac vilitatem gignere, 236.

AMNON.

Eius in sororem amor, ac deinde odium, 234.235.
Idem exemplo suo probat quod suprà *Aman.*

AMOR.

Amor maximè sollicitus ad tegendam ignominiam amati, 36.*b.* 37.*a.b.*
Amor Diuæ Virginis à primo Conceptionis instanti, 146.
Amoris signum pro alio mori, aut ipsi commori, 194.*b.*, 195.*a.*
Amoris vi obiit Deipara, 298.
Amor Christi erga Deiparam, 316. 317.
Amor sui, recto iudicio officit, 72.*a.b.*
Amor terrenus quàm facile in odium vertatur, quamquè hoc magnum, 235.*a.*
Amoris signum est, dare alicui nomen proprium. 364.*b.*
Languor Amoris diuini refocillatur nomine Mariæ, 467.

ANGELVS, ANGELI.

Angelus perfectissimum est naturæ opus, 69.
Perfectiùs refert Dei imaginem quàm homo, 16.6.
Ab homine superatur gratiæ dignitate, 69. 70. 71.
Angeli apostatæ humanitati à Christo assumendæ inuident, 69.*b.*, 70.*a.*
Eidem se subiicere detrectant, atque à Michaele impugnantur, 433.*b.*, 434.*a.*
Angeli celebrant in cælo Festum Conceptionis Deiparæ, 55.*a.*
eorum gaudium in Christi incarnatione. 119.
à Deo mittuntur ad honorandam eiusdem natiuitatem, 2.*b.*
MARIA regina Angelorum, 27.28.
Angelis comparantur Virgines, 255.*b.*
Locus Malachiæ 3. *Ecce ego mittam Angelum meum* &c. primò de Ioanne Baptistâ exponitur, 176.*b.* 177.
Deinde litteraliter de Angelo annuntiante Incarnationis mysterium, 178.
V. *Annuntiatio.*

ANIMA.

Animæ tranquillitas necessaria, vt in eam Deus aut eius dona recipiantur, 197.*a,b.*
Animæ, quæ Verbum diuinum concepit, appetitus quales, 200,*b.*
Animam visitat Deus per inspirationes, 203, *b.*
Inspirationibus & iussis diuinis celeriter obsequendum, 201.*a,b.*
Septuplex Dei interior visitatio, 204,205.
Anima volendo fit omnia, 232.
Anima Deiparæ viuebat in Christo, 282.
Animæ purificatio per confessionem Sacramentalem sæpe iteranda, 283.
Animæ Christum hospitio excipientis præmium, 307,*b.*
Animæ languor. V. *Languor.*
Animi humani centrum esse non possunt diuitiæ aliaque mundi bona, V. *Bona.*

ANNVNTIATIO.

Legatio Serpentis ad Euam, confertur cum legatione Angeli ad Mariam. 188.*b.*
Angelus ad Virginem missus cur Solis splendorem assumpserit, 188.*a.*
eius in annuntiatione stupor, ac iustæ stuporis causæ, 160. 170.*a.*
omnes circa Virginem reverentiæ apices obseruat, 186.*a.*
cur ab Euangelista signanter dicatur missus *ad Virginem*, 188.*a.*440.*a.b.*
Maria turbatur ob subitaneum Messiæ ad se ingressum, 178.*b.*
item ex Angeli conspectu sub habitu virili, 194. 195.*a.*
hunc timorem cur fugare studuerit Angelus, 196,*b.*197.
cur in hunc finem *Mariam* nominet, 197,*b.*449.
Incarnationis mysterium cur Virgini *annuntiatum* antè quàm fieret, 196,*a.*
idem cur Ioseph indicatum non nisi postquam factum, 67,*a.*
Maria oblatam Dei maternitatem cur non è vestigio acceptauerit? 195.*b.* 186,*b.*
recusasset esse mater Dei, si putasset se cõceptam in peccato Originali, 35.*b.*
quomodo Spiritu S. obumbrata, 182.183.
V. *Incarnatio. Humilitas. Spiritus Sanctus.*

APOSTOLI

Cur iussi sedere in Hierusalem, donec induerentur virtute ex alto, 37.*b.*
Apostolorum lamentatio in morte Deiparæ, 299.

APPETITVS.

Appetitus grauidarum vehementes vnde, 200, *a.*
Mariæ Christum vtero gestantis appetitus, 200.*b.*
Vilissimæ fiunt res malè appetitæ à vilitate possidentis, 235. V. *Desiderium.*

AQVA.

Ex aquâ, incubante illis Spiritu Sancto, conditas esse Stellas, 123,*a.*
Aqua hæc fuit Symbolum Deiparæ, 123.*b.*
Omni aquæ comparatur *Maria*, 219.271.

ARBOR.

Mons Sion arboribus consitus, 244, *b.*
Arbores Deiparæ virtutes varias designantes, 245.
Rectè *arbores* vocari Genealogias, 131.

ASCENSIO CHRISTI.

Per Ascensionem quomodo Christus *segregatus à peccatoribus*, 35.
Ascensionis Christi cum Assumptione Diaparæ collatio, 290.*a.*

ASSVMPTIO DEIPARÆ.

Cur *Assumptio* dicatur hoc festum, 290,*a.*
Difficile est de B. Virgine ac maxime de hac festiuitate dicere, 287.
Euangelistarum de Assumptione silentium in Scriptura præfiguratum, 286. eius ratio probabilis allata, 290.*b.*
Quomodo & quo morbo Virgo obierit, 297, 298. V. *Mors.*
Apostolorum in morte Virginis lamentatio, 299.
Cur nobis in illa dolendum: cur rursus gaudendum, 300.301,302.
Sepultura Virginis ac funeris pompa, 303.
De Assumptione Deiparæ satis scribit Euangelista, si hodierni Euangelij verba rectè expendantur. 305.*b.*
Gloriæ Virginis magnitudo æstimata ex hospitalitate qua Christum excepit, 306. 307. V. *Gloria.*
Cur Maria cum Filio non fuerit assumpta, 308, *b.*
Assumptionis pompa, Christi Ascensioni prælata, 309.
Triumphus Virginis ascendentis in cælos describitur, 320.
Locus Deiparæ in cælo assignatus, 322,*a.*
Quid emolumenti ex Virginis Assumptione ad nos deueniat, 323.

ASTRVM POLARE.

Astrum polare *Stella maris* dicitur quibusdam, 413, *a.*
Eius tres proprietates in *Mariâ* reperiuntur, *ibid.* item quarta, quæ est viam ostendere, *Ibid.*
Maria tanquam Astrum polare detegit polum clementiæ, 415, *b.*
Sub hoc polo directè viuunt Sodales qui se Mariæ cultui manciparunt, *Ibid.*

AVDITVS.

Auditum Dei quomodo se audisse affirmet Propheta, 170.
Auditionis & Incarnationis comparatio, 171.

AVRA.

Aura tenuis est nomen Mariæ, 462, *b.*
Hæc aura stitit Domini furorem in paradiso, 463, *a. b.*

AVRORA.

Auroræ descriptio & cum Mariâ comparatio, 117, *b.* 118, 119. 301.
Aurorâ exortâ saluatur Israel, Mariâ orbis vniuersus, 120, 121.

B.

BABILON

Quæ de Babylone vanè, de *Mariâ* verè dicuntur, 184, *b.*

BEATI, BEATITVDO.

Desiderium & gaudium simul sunt in Beatis, 241.
Beatitudini cælesti comparatur beatitudo vteri Virginei, 349. 350.
Beatifica visio an & quoties in hac vitâ Deiparæ concessa, 519.
Deiparę in cælo locus, & glorię magnitudo. V. *Assumptio. Gloria.*
Beata quomodo prædicetur in Euangelio Deipara. V. *Maternitas. Obedientia. Vterus.*

BENEFICENTIA.

Beneficentia, præcipua Laudis materia, 141, *b.*
Mariæ in benefaciendo celeritas, 202.
Dei beneficentia & benignitas quàm magna, 39, *a.* 251.
Maximus diuinorum beneficiorum fructus, quòd ea Deo possimus reddere, 272, *a.*
Reginæ nomen Mariam admonet beneficentiæ & liberalitatis, 300, *b.*
Beneficentia, animi generosi nota: eaque Magnatibus commendata, 301. *a.*
Beneficium auget raritas, 375, *a.*

BONA.

Bona huius mundi possessa vilescunt, 224 *b.*
Cenerum desideriorum nostrorum esse non possunt, 229, sunt nihil, 239.
Adeo non satiant, vt etiam fastidium sui possidentibus adferant, 224. probatur id exemplo Amnonis, 224. 225: item exemplo Amani, 236. item aliis exemplis, 237.
Bona huius mundi desiderantes comparati cum Lupo cernario & Hydropicis, *Ibid.* item damnatis apud inferos, 238.
Similes illis fiunt, qui cupiunt ea, 231, 232.
eorum spes cruciat animum, 240, *a.*
eorum possessio gaudio caret, 242, *a.*
V. *Mundus. Desiderium.*
Bona vera nec dari possunt ab hominibus, nec auferri. 242. *b.*

C.

CÆCVS, CÆCITAS.

Aliud est illuminare, aliud cæcitatem tollere, 568, *a, b.*
Sodomitæ videntes cæci, 469. *a.*
Cæcitatis remedium à *Mariæ* nomine, *Ibid.*

CÆLVM.

Cælum cum Libro comparatum, 108. *b.* ex eo præcipue Deum addiscere possumus, 108, 109.
Cælum vnde dictum, 351. *b.*
Cælum est Virgo Deipara, 159, *b.*
Vter Deiparæ cælestem continet Beatitudinem, 351. *a.* magis cælum est, quàm cælum Empyrium, *Ibid.*
Deipara, vt cælum, incorruptibilis, 351, *b.*
Cælorum harmonia Deiparæ applicata, 351, *a.*

CAIN.

Locus in quo fratrem occidit, cur incultus & sterilis, 26. *a, b.*
Cain & Abel contrariis nominibus ab Euâ appellati, 367, *a.*

CALCEAMENTA.

Ad Deum accessuri ponere iubentur calceamenta,

ceamenta, exceptâ D. Virgine, 87.*a*.
Maria quomodo Lunâ calceata, 124.*a*, 125.*a*.
Maria ſola non habuit calceamenta terræ ſordibus inquinata, 154. *a*.
Mariæ calceamenta à Sponſo laudata, 123. *b*. 158.
Calceamenta ſunt conſilia & præcepta Euangelica, 144, *b*.

CANTICVM.

Canticum Mariæ ſiue *Magnificat*, tangit fines omnibus Canticis propoſitos, 219.
Idem complectitur præcipua Dei attributa, 218, *b*.
Canticum Virginũ ſequentium Agnũ, 212. *b*.

CARO.

Carni & ſpiritus in Mariâ cõcordia, 288, *a*.
Carnis & ſpiritus in nobis pugna, 350 *b*.
Caro B. Virginis & Chriſti eſt eadem, 291, *b*.
Martyres meritò oderunt carnem ſuam, Chriſtus eam dilexit, 292. *a*.
Vide: Corpus.

CASTITAS.

Caſtitas maiori laude digna, ſi iuncta pulchritudini, 140. *b*,
Mariæ aſpectus mouebat ad caſtimonium, *ibid.*
eius ſollicitudo in conſeruanda corporis ac mentis puritate, 67. *b* 167.
Caſtitas ſemper armata eſſe debet, 166. *b*, 167.
Cuſtodia & ſolitudo caſtitati ſeruandæ aptiſſima, *ibid.*
Caſtitatis Mariæ & eboris comparatio, 168.
Caſtitas, Hortus concluſus, 191. *a*, *b*.
Caſtitas Deiparæ eſt ordinis altioris quàm aliarum creaturarum, 338. *a*.
Mariæ nomen ſignificat caſtitatem quaſi naturaliter, 439. *a*.
idem eſt Pudicitiæ decus, 436. *a*. *b*.
V. *Virginitas. Maternitas Dei.*

CENTRVM.

Motus rerum creatarum ad ſuum centrum, 229.
eo vehementior quo propius ab eo abſunt, 249. *a*.
Centri proprietates, 230. *a*.
Bona huius mundi non poſſunt eſſe centrum hominis, quia eum conſeruare non poſſunt, *ibid.*
deinde, quia non dant ſolidam in ſe quietem 233.

CHRISTVS.

Chriſtus, Dei imago perfectiſſima, 17. *b*.
Chriſti ſimilitudo ſiue figura ſeruat Ioſuam in deſerto, & Hebræos in Ægypto, 16. *a*. *b*.
Chriſtus quomodo à Patre ſanctificatus dicatur, 19. *a*, analogia inter Chriſti & Mariæ conceptionem, 19. 20.
quàm ſtudioſè ſe ſegregauerit à peccatoribus, & quomodo? 34. *a*, 35. *a*.
Apoſtolus ſuos non permittit Heroſolymâ diſcedere ante aduentum ſpiritus Sancti, illorum auertendæ ignominiæ, 37. *b*.
Chriſtus diues & opulentus, 38. *b*.
præcipuè incarnatus ad tollendum peccatum originale, 41. *a*.
à matre ſuâ redemptionem incepit· *ibid.*
de Cruce non deſcendit, ne matrem negare videretur, 69. *b*.
Conceptionis Chriſti æternæ, & eius quæ in tempore facta eſt, comparatio, 107. *b*.
Chriſtus cur *cæleſtis* dictus, 159. *b*.
Chriſtus mediator inter Deum & hominem, 173. *b*.
Chriſtus terribilior Diabolo in aſſumptâ humanitate, quâ in ſua diuinitate, 181. *a*.
Chriſtus præcipuè eſt Humilitatis filius. 192. 193.
Chriſtus fructus ventris Mariæ, odore, colore, ſapore præſtans, 217.
Generatio Chriſti temporanea cum æternâ comparatur, 257,
Chriſtus cur peccatoris formam in Circumciſione aſſumpſit, 262.
Chriſti diuinitas à Diabolo primum in cruce agnita, 265. *a*.
Chriſtus cum totus eſſet Dei, per Mariam emptus factus eſt noſter, 281. atque hinc *Filius hominis* dictus, 282. *a*.
Chriſti mortem & reſurrectionem confirmauit mors Deiparæ, 295.
Chriſtis ſummus amor erga Deiparam, ex eius in Cruce verbis elicitur, 316. 317.
Inter Chriſtum & nos eadem intercedit identitas, quę inter maritum & vxorem, 341. *b*.
De carne Chriſti morientis nata eſt Eccleſia, 342.
Chriſtus Diabolum in carnis noſtræ infirmitate deuicit. *ibid.*
Chriſtus factus eſt ciuis Romanus per nomen MARIÆ, 381. *b*.
Chriſtus, flos roſarum, 193. *b*.
Vide *Ieſus. Incarnatio, Redemptio. Paſsio.*

CIRCVMCISIO.

Cur Chriſtus Circumciſionis legem, ad quam non tenebatur adimplere voluit; duæ rationes allatæ, 262.
Humilitas Chriſti in circumciſione, collata cum Humilitate Mariæ in purificatione, 275.

COLLEGIVM,

Collegium quid ſit, ac triplex eius ſignificatio. 448.

Nomen Mariæ collegiũ Sanctitatis quomodo dicatur à Petro Chrysol. 428.*a*.448.

CONCEPTIO IMMACVLATA DEIPARÆ.

Conceptio immaculata MARIÆ Virginis probatur ex peccati Originalis fœditate, 11.12.
ex eo quòd immunis fuerit à peccato veniali, 13.*a*.61.*a*.89.*a.b*.
ex recitatâ in Euangelio genelogiâ Christi, 13 *b* 46.
ex Dei iustitiâ, 15.*a*.
ex Dei Sapientiâ, *ibid*.
ex eo quòd Virgo fuerit perfectissima Dei imago, 16.129.*a*.
ex Psalmo LXXVII. 19.
ex perfectione Vniuersi, 20.
ex Virginis in creaturas omnes dominio, 25.*a.b*.
ex eius cooperatione in redemptionem generis humani, 25.*b*.
ex eius in Angelos imperio, 27.28.
ex eo quòd Aduocata sit generis humani, 28.29.30.
ex infamiâ quæ aliàs redundaret in Christum eius filium, 30.*b*.38.60.*a*.
ex ignominia quæ redundaret in Deum vniuersi conditorem, 31 *b*.32.
ex curâ quam Christus habuit vt se segregaret à peccatoribus, 33.*b*.34.*a*.35.*a.b*.
ex Virginitate corporis Mariani, 34.*a.b*.
ex ignominiâ ipsius Deiparæ comparentis in orbe terrarum, & filij erga illam amore, 36.*b*.37.39.
ex eo quod Virgo maternitatem Dei sibi ab Angelo annuntiatâ acceptauerit, 35.*b*.
ex eo quòd aula erat in quâ habiraret æterna Dei Sapientia, 60.*b*.
ex eo quòd Palatium fuerit à totâ SS. Trinitate ædificatum cum propugnaculis, 40 41.
ex eo quòd Ostium fuerit compactum tabulis cedrinis & vni SS. Trinitati patens, 43 44.
ex nouen versiculis Psalmi LXXXVI. 48 49 50.
ex verbis Deiparæ Eccli, XXIV 72 73.
ex triplici Christi testimonio, 74.
ex ipsius Deiparæ vitâ, 67.68.
ex eo quòd natura humana præcedat Angelicam gratiæ dignitate, 69,71.
ex potestate Legislatoris dispensandi in sua Lege, 61.
ex auctoritate Ecclesiæ celebrantis Festum Conceptionis, & approbantis eius officium, 51.52.
ex auctoritate Apostolorum, 55.*b* 73.*a*.
ex auctoritate Doctorum Ecclesiæ: S. Augustini, 57.*b*. S. Dominici, *ibid*. S. Thomæ Aquinatis, 58.
ex communi Ecclesiæ consentu, 62,*b*. & quanti hic sit faciendus? 90.*a.b*.
ex rationibus Theologicis, 59.60.61.
Conceptionem immaculatã oppugnantium argumenta soluuntur, 61.*a.b*, 82,84,86.
Variæ rationes ob quas Deipara non comprehenditur propositionibus generalibus omnes peccato inuoluentibus, 86.*b*.87.
Conceptio immaculata fuit opus totius SS. Trinitatis, 40.49.50.
Primis decem sæculis nemo è Patribus illi contradixit, 42.
Regum Hispaniæ antiqua erga illam pietas, 41.*b*.
Conceptionis Mariæ cum conceptione Christi analogia, 19.20.
Sententia de immaculatâ Virginis Conceptione comparata inuentioni Terræ nouæ, 47. quamuis ab Ecclesiâ nondum definita sit, certissimam tamen esse, 52. eam ab Ecclesiâ definiri posse, probatur, 88.89.90. Sententia opposita, absurda videtur Sultani filio, 66.*a*.
Cur mysterium immaculatæ conceptionis Deus tam diu celauerit, 43.*b*, 52.
Conceptio immaculata puritatem Ecclesiæ defendit, 80.*b*, eiusdem nobilitatem illustrat, 81.*a*. redemptionem à Christo factam confirmat, 81.*b*.
Conceptio immaculata aufert ignominiam creaturis per hominis peccatum illatam, 79.*a*.
Conceptio immaculata non impedit quin Maria dicatur à Christo redempta, 82.*b*, 83.*a*,
Conceptio Virginis immaculata expressa per varias figuras in S. Scripturâ, 56.*b*, 57.*a*.
per *Librum grandem* Isaiæ, 6.*a*.
per Lilium, 7.*a,b*.
per ceruam, 22.*b*.
per BEZELEEL & Ooliab ædificantes aream, 23.*a*.
per ingressum Esther ad Assuerũ, 23.*b*.
per tertium murum ciuitatis Hierusalem. 45.*b*.
per loci sacri immunitatem, 50.*b*.

CONCEPTIONIS FESTVM.

Quantâ lætitiâ celebrandum, 1.2.
Omnia alia Deiparæ Festa nobilitat atque illustrat, 3.*a*.
Iustitutionis huius Festi historia, 63.*a*.
Festum hoc quomodo ad Anglos peruenerit? 64 quomodo in Hispaniam, 65.
Probat B. Virginem immunem fuisse à peccato originali. 51.

CONFESSIO.

Confessio Sacramentalis, purificatio animæ sæpius

sæpius iteranda, 283.284.

CONSANGVINITAS.

Maioris consangninitatis esse cum Christo, obedire verbo Dei, quàm eum corporaliter párere, 69.*b*,352.353.

CONTEMPLATIO.

Actionis & Contemplationis in Deiparâ conspiratio, 313.330.
Contemplatiuæ & Actiuæ vitæ de præeminentiâ certamen, 324.325,326. Christi iudicis super eo sententia, 327.
Deipara in actionibus mentis à corpore inpendens, 313. V. *Ecstasis*.

CORPVS.

Corruptio est quasi pugatorium corporum post mortem, 289.*a*.
Corpus Deiparæ quàm bene constitutum ac perfectum, 289.*a*.
Corpus Mariæ incorruptibile, vnde, 288. 307.*b*.
Corporis Mariani incorruptio variè probata, 291.*a*,*b*,350.*b*.
Corpus Deiparæ non erat *animale*, adeoque nec in terrâ seminandum, 292.
eius resurrectio accelerata, 304.*b*.
Deipara in operationibus mentis à corpore independens, 313.
Multis opus est vt corpori satisfiat, vt animo, paucis, 327.*b*.
An præsentes Virtutes corpori seruientes iis quę cõsistũt in Animę facultatibus, 328.*b*.

CREATVRÆ, & CREATOR.

Creaturæ omnes libenter seruiebant homini ante peccatum, 78.*a*, 144.*a*
erant scala, per quam homo adscenderet ad inuisibilem Dei substantiam contemplandam, 79.*b*,144.
eam homo inuertit, vt facilius ad inferna descenderet, *ibid.*
Creaturarum ignominia ex hominis peccato, 78.79.143.
eam abstulit immaculata Virginis conceptio, 79.*a*,80.*a*,144.
Creaturæ sunt liber, vnde Deũ addiscimus, 96.108.*b*.
huic libro studeant triplicis generis Discipuli, 97.*b*.
Dei per sex creationis dies varia occupatio, 172,*b*. 173.
Mundus quasi ludendo à Deo factus, *Maria* seriò operando, 109. V. *Deus*.
Maria idealiter concurrit ad rerum omnium productionem, 128.*b*.
eadem est perfectio vniuersi, 138.
eius in creaturas omnes dominium, 25.*a*.
ei creaturæ omnes seruiunt, 25.*b*.

CREDERE.

Turpior est incredulitas credulitate nimiâ, 332. Vide : *Fides*.

D.

DESIDERIVM.

DEsiderium solis conuenit pauperibus, 222.*a*.
Desideria sunt naturale nostrum peculium, 225.
Hominum stoliditas malè expendentium sua desideria, 226.227.*b*.
Desiderandi artem discere cupiebat Dauid 227.*a*.
Desiderium motus est, ideo tendit ad centrum : quod esse non possunt bona huius mundi, 229.233.
Similes fiunt rebus concupitis, qui mundi bona desiderant, 231.*b*.
Terrena desiderantes comparati Lupo cernario & Hydropicis, 237.*b*. item damnatis in Inferno, 238.
Desideria terrenorum cruciant, cælestium delectant, 240.
Desiderium & gaudium simul sunt in Beatis, 241.
Patrum antiquorum desideria, 247.
Desideria Mariæ Virginis omnium perfectissima, & qualia ea fuerint, 222. 239. 246.247.248.249.250.

DEVS.

Etymologia vocis *Deus*, 390.*b*.
Dei imago in homine, Angelis, Deipara. V. *Imago*.
Deus se variis modis creaturis communicat, 20.*b*.
soli Deiparæ, se communicauit per stabilem iustitiam Originalem, 21.
Dei Iustitia & Sapientia in immaculatâ Virginis conceptione, 17.a.*b*.
Dei benignitas quanta præ benignitate hominum, 39.*a*.251.
beneficiis se vinci non patitur, 306.307.
Deum quomodo magnificemus, 17.*b*
Deus multa mysteria celat vsque ad prædefinita à se tempora. Id nubis exemplo explicatur, 42 *a*,*b*,43.*a*.
Deus eligens quempiam ad statum sublimiorem, etiam confert gratias & media huic dignitati conuenientia, 59.*b*.
Deo proximiores & velut cognationis gradu viciniores sunt, qui plus gratiæ obtinent, 69.*b*.353.
Deus quomodo ex creaturis cognosci possit, 98.*a*.
multa de Deo ex creaturis cognosci possunt, sed non omnia, 99.*a*.

Mundus ludendo à Deo factus, Maria seriò operando, 109. *b*.
Deus Vrginem formans comparatur figulo, 110, *b*.
item fabro ferrario, 111. *a*.
item pictori excellentissimo, 111. *b*.
Deo seruire maius est, quã Deũ parere, 150.
Deitas comparata telæ pretiosæ. 38. *a*.
Dei præcipua attributa expressa in Cantico Deiparæ, 218.
Dei intellectus est Liber vitæ, 95. 107.
De Deo aut Deiparâ nihil temerè affirmandum, 425. *b*.
Deus cælum: cuius duo poli, Misericordia & Iustitia, 417.
Deus non ornatur Virtutibus, sed eas ornat, 436.
Quis vt Deus? tessera militiæ Angelicæ, eiusque explicatio, 433. *b*.
Cur Deum pluribus nominibus nominemus, 389. *a*.
Dei imperium duobus continetur, Potentia & Misericordia, 395. *b*.
Domini nomẽ, proprium Dei: in priori testamento maximè vsur patum, 304, *a*. 305. *b*.
Deus montium cur dictus Deus Hebræorum, 302. *a*.
Varij diuinę prouidentiæ thesauri, 375. *b*. 376. *a*.
Hebraicus populus Deo præcipuè acceptus cur, 125. *b*.
Vide: *Incarnatio. Trinitas. Creaturæ.*

DEI IVSSA siue PRÆCEPTA.

Dei iussa celeriter exequenda sunt, 201. *a*.
Dei præcepta grauia non sunt, 208. *a*.
V. *Verbum Dei. Seruire.*

DIABOLVS.

Gemina de Diabolo victoria per Iesum & Mariam, 10 *b*.
Diabolum Iesus & Maria quomodo in conceptione euaserint, 20. *b*.
Diabolus magis exhorruit Deum in assumpta humanitate, quàm in sua diuinitate, 181. *a*.
stratagemate à Deipara delusus, 265. *a*.
Christi Diuinitatem primùm perfectè cognouit in Cruce, *ibid*.
Nomine Marię fugatur ac vincitur, 431. 432.
Primum eius peccatum Superbia, à Michaele debellata, 433. *b*.
Diaboli iugum ferreum à ceruicibus nostris extrudit Mariæ nomen.
Hominis cum Diabolo pugna qualis, 474, *a*.

DIES.

Dies cur alius alium superet? 1. *a*, *b*.
Dies quò homo conditus, idem cum eo quo Christus incarnatus, 173, *a*.
Dies Natalis, quo nomina recenter natis imponuntur, 365. *a*.
Dies est *Maria*: eiusque Manè, Meridies ac Vespera, 368, *b*.
Triplex dies ortus in Maria, 185, *a*.

DIVITIÆ.

Diuitię quid? cur animus iis non expleatur, 224, 234.
Diuitię mundi possessę vilescunt; contrà, diuitiæ spirituales, *ibid*. 234. V. *Bona. Mundus.*
Quomodo B. Virgo ditissima fuerit rerum temporaliũ, ac cælestiũ egentissima, 222.
Diuitiæ Templi Salomonis, 162, 163. 164.

DOLOR.

Doloris gladius quomodo pertransierit animam Deiparæ, 182.
cum non refugit Virgo vt nos redimamur, 280, *b*.
Deiparæ in dolore constantia, 279.
Deiparæ dolor sub cruce, Christi dolorum maximus, 316, *b*.
Dolor Apostolorum in morte Deiparæ, 299, *b*.

DOMINVS, DOMINIVM.

Quid significent hæc voces, *Dominus* IESVS, 294. *a*.
Domini nomen Deus in priori Testamento cur toties vsurparit, 395 *b*.
Mariæ in creaturas dominium, 25, *a*. *b*.
Mariæ in res omnes dominium vtile, 394. *b*.
Etymologia nominis Mariæ, quà *Dominam* significat, 393.
Generalia rebus nomina imponere, Philosophorum est; particularia, Dominorum, 363, *a*. *b*. 368, *a*.
Maria tota erat Dei, 372 *b*. 373. *a*.

DVRITIES CORDIS.

Quid sit cordis durities, 470, *b*.
Duris duros opponit Deus, *ibid*.
Durities cordis quomodo emolliatur, 471, *a*. *b*.
Durities ferri oleo mollitur, 476, *a*.

E.

ECCLESIA.

Ecclesiæ auctoritas quanta, 51.
Ecclesiæ non omnia fidei mysteria simul reuelata, 52, 53. *b*.
Ecclesia prudenter abstinet à definiendis quibusdam veritatibus, quæ vel hęresibus augmentum vel paruulis scandalum præberent, 43.
Ecclesia à dextris Christi consistit, Angelis læuam claudentibus, 71. *b*.

Ecclesiæ puritas in immaculatâ Virginis conceptione defenditur, 80.*b*, item eiusdem nobilitas, 81.*a*.
Ecclesia columba commorans in foraminibus Petræ, 85,*b*.
Quidnam requiratur vt proposita aliqua controuersa ab Ecclesiâ definiri possit, 88.*b*, 89,*a*.
quantum ea in re momenti habeat, communis fidelium consensus, 90.*a*,*b*. huic non obstare aliquorum contra sentientium opinionem, 90.*b*.
Ecclesiæ Militantis & Triumphantis certamen de præeminentiâ, 329.
De carne Christi morientis nata est Ecclesia, 342,*a*.

ECSTASIS

Supponit in subiecto infirmiratem, 199,*b*.
Eam non est passa Deipara in Filij Dei incarnatione, licet omnibus gaudiis perfusa, 199.*a*, 200,*a*.

ESSE INTENTIONALE.

Esse rerum intentionale quid, & quotuplex, 360, 361.*b*.
Per illud creatura rationalis maximam perfectionem assequitur, *Ibid.*

ESTHER.

Esther Mariæ Symbolum, 23.*b*, 122,*a*.
Sicut Estheri obtulit Assuerus, ita Deus Mariæ dedit dimidiam partem regni sui, 395.*b*.

ETYMOLOGIA.

In congruâ ratione etymologicâ consistit magna nominum elegantia, 388,*b*.
Etymologia nominis *Mariani* alludit ad omnes Deiparæ laudes, *Ibid.*
Etymologiæ variæ nominis *Mariæ*. 389.*a*,*b*.

EVA.

Legatio Serpentis ad Euam comparata cum legatione Angeli ad *Mariam*, 188, *b*.
Euæ & Deiparæ comparatio, 289.*a*, 217.*b*.
Maria melius quàm Eua dicitur *mater viuentium*, 477.
Euæ grauis error in nominibus imponendis, 367,*a*.
Euæ & S. Annæ collatio, *Ibid. b*.

EVCHARISTIA.

Humilitatis exercitatio accedentibus ad Eucharistiæ Sacramentum, 211.*b*, 212.
Eucharistiam sumentibus *Mariæ* est clibanus, 347.*b*, 348,*a*.
item Nauis institoris, 348,*a*.
item Mensa, *Ibid.*
item Crater tornatilis, 349.*a*.

EXPECTATIONIS FESTVM.

Occasio institutæ huius Festiuitatis, 220.
Celebrat internas Mariæ cogitationes, piaque mentis desideria, 246.*b*
præfiguratum per Patrum antiquorum desideria, *Ibid.*
Desideria Mariæ non erant terrena, vtpote rerum temporalium diuissimæ, 222. 239,*b*.
Desiderium Mariæ vehemens primo conceptionis instante, 248.
Post Filij Dei incarnationem maiora Virginis desideria, atque inexplicabilia, 249. 250.

F.

FIDES.

IN Fide prima omnino & excellentissima fuit Deipara, 87,*b*.
V. *Credere.*

FIDVCIA.

Fiducia peccatori oritur ex eo quod Deipara Christum nobis redemit, 282.
Fiducia ex eo quòd matrem in cælo habemus, 300,*a*.
deinde Reginam, 302.*b*.
tum naturâ ac gratiâ supernaturali pientissimam, 301 *b*, 302.303,*a*.
Fiducia resurrectionis nostræ per Deiparæ mortem confirmata, 195.

FILIVS.

Iniquissimum est patrem aut matrem egere, cuius filius sit in facultatibus, 38.*b*.
Filij eadem est relatio ad matrem quæ ad patrem: & eadem atque indiuidua vtriusque gloria, 33.*b*, 60.*a*.
Christus cur dictus *Filius hominis*, 282.*a*.
Filij ad parentem relatio qualis, 353.

FILIVS PRODIGVS.

Filij prodigi, & primogeniti qui apud patrem mansit, parabola exposita, 25.*a*,*b*.
Filij prodigi nuditas primùm à Patre tegitur, 36.*b*, 37,*a*.

FLOS.

Maria flos Sanctorum, 6.*b*,7,*a*.
Vt Lilium florum princeps, ita *Maria* creaturarum, 7.*b*,8.*a*.
Christus flos rosarum, 193.*b*.

FOLIA.

Ex foliis multiplicem contra vitia medicinam componit Scriptura sacra, 130.*b*.
item varia sanitatis oblectamenta, 231.

FRVCTVS.

Christus fructus odore, sapore, colore, vigore præstantissimus, 217,*a*.
Christus simul flos & fructus, 193.*b*.
Fructûs Mariæ & eius quem Adamo porrexit Eua, comparatio, 717,*b*.

G.

GABRIEL ANGELVS.

FAcies eius sicut Sol, 188.*a*.
Eiùs in Annuntiatione stupor, V. *Annuntiatio, Angelus.*

GAVDIVM.

Spes rerum terrenarum cruciat, cælestium delectat, 240.*a*.
Desiderium cælestium cum gaudio confunditur, *Ibid.*
Desiderium & gaudium simul sunt in Beatis, 241.
Gaudij mensura esse debet beneficij accepti magnitudo, 199.*a*,*b*.
Gaudium Angelorum & Deiparæ in Christi Incarnatione quantum, ac quale, *ibid.*
Gaudium Cimmeriorum Sole ad eos accedente, 92.*a*, 212.
Gaudium in domo Zachariæ ad Deiparæ Visitantis aduentum. 212.

GENEALOGIA.

Genealogiam suam maxime illustrat Maria, 14.
Genealogia Mariæ in tres classes diuisa, 46. in eâ Iudices & seniores significant immunitatem eius à peccato mortali, *Ibid.*
reges, à veniali, *Ibid.*
pontifices, ab origi-nali, 46.*b*.
Genealogiæ seriem rectè *arborem* dici, 131. V. *Nobilitas.*

GENERATIO.

Quatuor generationis species, 190.*b*.
Generatio Christi temporanea cum æternâ comparatur, 257,*a*.
Generatio Christi passiua & actiua: vtraq; inenerrabilis, 242.*b*.

GLORIA.

Gloriæ, quam Deipara in cælo assecuta est, magnitudo æstimata ex Dei generosa liberalitate, 306.307.308.309.310.
eadem exigitur ad mensuram meritorum Deiparæ, 311.312,314.
eadem gloriæ magnitudo triplici ratione probata. 315. *& sequ.*
SS. Patrum de Virginis gloriâ testimonia. 318.
Gloria mundi. V. *Mundus.*
Gloria multis noxia, niui æstiuæ comparata. 346.*b*.

GRATIA.

Gratiæ diuisio in celestem & terrestrem, 27.*b*.
Gratia est vestimentum animæ, 37.*b*.
Gratiæ & Naturæ certamen in Virginis Deiparæ conceptione, 44.*a*.
In Angelis se ostentat Natura, in homine gratia, 69.*b*.
Triplex gratia expressa per tres muros Hierusalem, 45.*b*.
Gratiæ diuisio in præseruantem & subsequentem: illa per dextram, hæc per sinistram expressa, 83.*b*,
Toti Ecclesiæ nulla gratia defuit, *Ibid.*
Gratiarum abundantia in Mariâ, 122.*a*, 123.*a*,126.248,311.
Progressus B. Mariæ Virginis in gratia & meritis, 312.313.
Hinc expensa eius merita, quæ supputationem omnem superant, 314. V. *Sanctitas.*

GRATITVDO.

Gratitudinis erga Deum exemplum à Dauide petitum, 262.*a*.
Gratitudo Christi in remuneranda hospitalitate sibi exhibitâ. 306.307.

H.

HEBRÆI.

HEbraicus populus Deo prę reliquis acceptus Propter Mariam, 125.*b*.126.
Hebraicorum Nominum etymologia multum

tum conferret ad Scripturæ S. intelligentiam, si quis eam probè nesset. 391.

HÆRETICI

Quinam asserant laudes, quas Deiparæ tribuit mulier Euangelica, à Christo refutatas, ijque refutati, 149, *a. b.*
Multæ Hæreses confossæ per vnam Elisabethæ, matris Baptistæ, vocem, 216 *b.*
Hęretici qui Virginitatem Marię oppugnarunt, 220. eadem asserta in concilio Tolerano, *ibid.*
Hæretici negantes Christi mortem & resurrectionem, per Deiparæ mortem refutati, 295, *a.*

HIERVSALEM.

Hierusalem triplici muro circumdata, significat triplicem Virginis gratiam & præseruationem à peccato, 45.
Hierusalem fundata in tribus montibus Sion, Arca, Moria: eorumque nomina explicata & SS. Ttinitati accommodata, 49.
Hierusalem & Deipara conferuntur, 185. *b.*

HISPANIA.

Hispaniæ Regum antiqua pietas ergà immaculatam Virginis conceptionem, 41. *b.*
Festum conceptionis quomodo in Hispaniam peruenerit, 65. *b.*
Hispaniæ debetur inuentio noui mundi. 47.

HISTORIA.

Historiæ vtilitas, 103. *b.*
Virgo Deipara est historia magnalium Dei, *ibid.*
Vtilius est legere Mariam, quam alias historias, 105, *a.*

HOMO ET HVMANA NATVRA.

Homo factus ad imaginem Dei, 16. *b.* 255, *a.*
quo iustior, hoc magis illam refert, 17. *b.*
Ad quam Dei imaginem homo factus sit, 127.
Homo megalocosmus, siue, magnus mundus, 69. *a.*
Homo præcedit Angelum non naturâ sed gratiâ, 69, *b.* 70, *a.*
hinc Angelorum inuidia, *ibid.*
Humanæ naturæ dignitas ex persona Christi, & Deiparâ, 71.
Hominis dominatui omnis creatura subiicitur, 142, *a b.*
V. *Creatura.*

HORTVS.

Hortus conclusus *Mariæ*, 191, *a. b.*
Eadem hortus plantationum, *ibid.*
Variæ arbores horti *Mariani*, 244, 245.

HOSPITALITAS.

Hospitalitatis laus, 445, *a.*
Beneficia diuinitus propter hospitalitatem accepta, *ibid.*
Hospitis benigni conditiones applicatę Nomini *Mariæ*, 446, 447.
Maria Christum accepit hospitio, 445, *b.*
Christi cum Deiparâ in rependenda hospitalite contentio, 306.
Christi hospitio excepti pręmium, corporis immortalitas, 307.

HVMILITAS.

Humilitas à Deo exaltatur, 131, *b.* 132.
Christus Dominus præcipuè humilitatis filius, 193, *b.*
In virtutum pro attrahendo ad se Dei Filio certamine vincit humilitas, 192. 193, *a.*
Humilitas Mariæ expressa per Iudith sandalia, *ibid.*
item per virgam de radice Iesse prodeuntem, 132. 193.
Humilitas est Mariæ locus vmbrosus ad quietem, 274, *a.*
Humilitas Mariæ non minùs apparet in eius Purificatione, quàm Annuntiatione, *ibid.*
Humilitas ad seruilia se dimittens, veram libertatem assequitur. 475.
Humilitas in titulis, signum salutis aduenientis, 209. *b.* 210.
Mariæ humilitas expressa per mare, 417. *a.*

HYPOCRITÆ.

Hypocritę qui, eorumque descriptio, 133. *a. b.*

I.

IDIOMA.

NVllo idiomate loquerentur homines educati procul ad hominum consortio: nisi eo, quod forte paulatim inter se formarent, 361. *b.* 362. *a.*
Adamus callebat suum idioma, ante quàm rebus nomina imponeret. *ibid.*

IESVS.

Vestimenta *Iesu*, quibus in Assumptione induta fuit Deipara, 239. *a.*
Propter *Iesu* nomen Iosue in terram promissionis peruenit, 16. *a.*
Deus in priori Testamento *Domini* nomen assumpsit, in Nouo *Iesus* appellari voluit, cur, 395. *b.* 396, *a.*
Nomen *Iesu* lux est, 403, *a.*
dæmones pellit, 460.
sanat morbos &c. 461, *a. b.*
Nominis *Iesu* & *Mariæ* comparatio, quoad numerum in iis contentum, 456. *a. b.* 457, *a.*
quoad potentiam, 457. *b*, 458. 459.
Nomen *Mariæ* mel est, *Iesu* nomen sal, 442.
Simeonis cum puero *Iesu*, pueriquè cum Simeone colloquium, 278. *b*,
Vide: *Nomen. Christus.*

IMAGO siue SIMILITVDO.

Imago siue similitudo perfectiùs exprimitur signaculo, quàm penicillo, 16. *b.*
Imago Dei quomodo in Angelis, hominibus, Deiparâ reperiantur, 16. 17.
Imago siue similitudo Dei habet vim præseruatiuam à peccato, 18.
Imaginis & similitudinis distinctio, 127. *b.*
Imago hominum ad nihilum redigenda, quid sit in Scripturâ Sacrâ, 127.
Imago Solis siue Parelion, quomodo fiat, 407.
Deo quam simillima fieri studebat Maria, quod & assecuta est, 186. 187.
Dei similitudo necessaria ciuitatem cælestem intrare volentibus, 188. *a.*
Imago Dei sunt Virgines, 255. *a.*
Imago Deiparæ optima est nomen *Mariæ*, 386. 387.

INCARNATIO.

Incarnationis mysterium Angelum illud annuntiantem stupore oppleuit, 169. 170.
item Prophetam illud sub metaphora considerantem, 170.
Incarnationis & auditionis comparatio, 171, *a.*
Multa mysteria ad Incarnationem Dei sequentia, 171. *b.*
Incarnationem dici antonomasticè, *Opus Dei.* in quo Misericordiæ & Potentiæ specimen exhibuit, 172.
Incarnationis mysterio fundata est terra, 172. *b.* 173.
eadem opus Misericordiæ, *ibid.*
Patrum vota ad incarnationem Dei terminata, non ad Passionem, 173.
Incarnatio signum diuinæ potentiæ, 174. *b.*
Duo potentiæ diuinæ effectus in incarnatione: primus, quòd Deus descendendo ascendit; secundus quod Deipara per eam quodammodo supra Deum ascendit, 175. 176.
Deus in incarnatione fecit ex mendacio veritatem, ex peccato virtutem, ex ignominiâ gloriam, 188. *b.*
Spiritus in incarnationis mysterio primum vocatur *Sanctus*, 189. *q.*
Deus in assumptâ humanitate terribilior Diabolo, quam in suâ diuinitate, 181. *a.*
Incarnationis mysterium eodem die peractum, quo homo creatus est, 173. *a.*
B. Virgo aptissima terra super quam fundaretur incarnationis mysterium, 244.
Humanitati à Deo assumendæ se subiicere recusat Lucifer, 69, *b.* 70, *a.* 433, *b.*

INSPIRATIO.

Inspirationibus diuinis celeriter obsequendum, 201.
Inspiratio genus est diuinæ Visitationis, 203, *b.*
Sine interna De inspiratione reliquæ inutiles sunt, 204. *a.*
Septuplex Dei interior visitatio, 204, 205.

INTELLECTVS.

Intellectûs etymologia, ac functiones, 325.
Intellectûs cum Voluntate de præeminentia certamen, 325. eius pro se contra Voluntatem oratio, 326.
Intellectus Dei est Liber vitæ, 107, 95, *b.*
Intellectu nihil perfectum concipere possumus nisi per modum concreti, 384.
Intellectus quomodo intelligendo fit omnia, 360, *a.*

INVENTIO.

Primi rerum inuentores maximè merentur laudem vel vituperium, 157. *a. b.*

S. IOANNES EVANGELISTA

Maxima diuinitatis arcana ex Deiparâ didicit, 5. *a.*
Cur in fine Euângelij breuitatem excusat? 5, *b.*
Eius Virginitas ab Angelis agnita, 255. *b.*
Cur nullibi mentionem facit Assumptionis Deiparæ, 285, 286.

Quia

Quia Deiparæ fidelis, multa diuinitatis arcana ei credita, 401.*a.*

S. IOANNES BAPTISTA.

Ioannis baptismus collatus cum baptismo Christi, 26.*a.*
Ioannes quomodo maior inter natos mulierum, 27.*a.b.*
Præseruatus videtur à peccato veniali, 84.*a.*
Angelus à Deo præmissus Incarnationi, 177,*a.*
Cur Prophetis omnibus maior, *ibid.*
Vt saluatorem præcedat, seipsum præcedit, 213,*a.*
Eius in vtero exultatio virtutum omnium perfectionem indicat, 205.*b.*
Ioannis in vtero matris sanctificatio per vocem visitantis Deiparæ, 216.*a.*
Eadem explicata per verba Iob capite decimo, 210,*b.*211.
S. Ioannes erat vox magna & clamans, 215,*a.*

S. IOSEPHVS.

Cur Christi incarnatio Iosepho non fuerit indicata antequam fieret, vt Mariæ; sed postquam facta est, 67,*a.*

IOSIAS.

Iosiæ nomen compositio thymiamatis, 442.*a.b.*

IOSVE.

Cur ei datum peruenire in terram promissionis, 16,*a.*

IRIS, siue ARCVS CÆLESTIS.

Quid sit, & quomodo fiat, 405,*a.*406.*a.*
Varia eius encomia, *ibid.*
Mariæ nomen est arcus cæli, 404.*b.*

IVSTITIA.

Iustitiæ diuinæ seueritas tempore legis antiquæ, 115,*a.*
Iustitiæ comes Veritas, Misericordiæ pax, 116,*a.*
Cur in Psalmo dicatur Misericordia obuiasse Veritati, non Iustitiæ? *ibid.*

L.

LACRYMÆ.

Lacrymas primùm in conuersione peccatoris producit Deus, 204.*a.b.*

LANGVOR.

Languor quid sit, 466.
eum tollit nomen Mariæ, *ibid.*
Languor amoris, *ibid.*
Languor malus tendens ad mortem, 467.
Languor bonus tendens ad vitam, *ibid.*

LAVS.

Laudis fons est beneficentia in alios, 141.*b.*
Ad laudem quid conferat Nobilitas, 136,*a.*
Laus nobilitatis, 135.*a.*
Laudes Dei magnâ voce dicendæ, 215.*b.*

LEGATVS.

Legatus fidelis cum niue æstiuâ comparatus, 346.
Legatio serpentis ad Euam comparatur cum legatione Angeli ad Mariam, 188.*b.*

LEX.

Varij tituli ob quos aliquis non censeatur teneri lege communi, 86.*b.*87,*a.*
Legislator in lege sua dispensare potest, 61.
Hinc responsum argumentis oppugnantium immaculatam Conceptionem, *ibid.*
Quinam legem odio habeant, 270.*b.*
Cur Christus & Deipara, hæc Purificationis, ille circumcisionis, legi obediuerunt ad quam non tenebantur, 262.
V. *Purificatio.*

LEX VETVS.

Lex Vetus erat lex Veritatis & Iustitiæ; lex noua Pacis & Misericordiæ. Sese mutuò amplectuntur in Visitatione Deiparæ, 214,*a.b.*
Iustitiæ diuinæ seueritas tempore legis antiquæ, 115.*a.*
Legem antiquam in Purificatione Deiparâ honorauit, proque eâ fideiussit, 271.272.
In lege veteri Deus assumpsit *Domini* nomen, in nouâ *Saluatoris*, 395,*b.*396,*a.*

LIBER ET LIBRI.

Litterarum inuentio, & librorum vtilitas, 94,*a.b.*
Liber vitæ, est liber prædestinatorum, 95.*a.*
Liber idearum diuinarum, siue Verbum, in quo omnia viuunt, 95.*b.*107.*a.*
Liber creaturarum, vnde Deum addiscimus, 96.*a,b,*98. huic studeant triplicis ge-

neris discipuli, 97. peccatores, vti pueri, delectantur pulchrioribus huius libri characteribus, rerum securi, 98. *a.*

Libri S. Scripturę supra omnes alios laudati, 99, *a.b.* 100.

Christus est liber idealis omnium virtutum, 100, *b.*

Liber dicitur non absurdè Virgo Deipara, 101, *a.*

Liber grandis Isaiæ est Virgo Maria. 101, *b.* ex eodem deducta immaculata Virginis Conceptio, 6. *a.*

Librorum materia sunt vel historiæ, vel doctrinæ, vel catalogi: quæ omnia Deiparæ conueniunt, 103.

Libri & mundi cœlestis comparatio, 108. *b.*

Libri mundi & Mariæ inter se similitudo, *ibid.*

LILIVM.

Lilium inter flores principatum tenet, 7. *b.*

Lilium conuallium quale, 6. *b.*

imago immaculatæ conceptionis, 6. 7. 8.

Lilia columnis in modum coronæ à Salomone appositа quid significent. 255. *a.*

LVNA.

Luna etiam decrescens perficitur, 411. *a. b.*

Idem Mariæ conuenit, *ibid.*

Lunæ & Deiparæ varia comparatio, 412. *b.* 186, *a.*

LVX.

Soluitur ænigma Iob quærentis, vbi habitet lux, 187. *b.*

Lux prima rerum in mundi creatione; *Maria*, in mundi redemptione, 397. *b.* 398. *a.*

Lux creata est extrema resonantia increatæ, 399.

Lux est quid mèdium inter corpora & spiritus, *ibid.*

innoxiè penetrat etiam durissima, *ibid.*

momento amplissimè dilatatur, *ibid.*

calorem habet omnia fouentem, 340. *a.*

à sordidis non inficitur, *ibid.*

definiri non potest, *ibid.*

est sui communicatiua, *ibid.*

viciniora prius magisque illuminat. Quæ omnia Virgini Deiparę applicantur, *ibid.*

An lux in spiritualibus propriè dicatur, 401. *b.*

Lucis diffusio partum Virginis adumbrat, 402.

Lux vtrumque illustrat hemisphærium, *Maria* vtramque Ecclesiam, *ibid.*

Alię lucis proprietates Virgini applicatæ, *ibid.*

Mariæ nomen prout *illuminatam* & *illuminatricem* significat, exponitur, 396. 397. 398. 428, *a.*

M.

MAGNIFICARE.

DEus quomodo in nobis magnificetur, 17, *b.*

Virgo Deipara quomodo Deum magnificet, 104 *a.* 164, *a.*

Cantici *Magnificat* prestantia & interpretatio, 212. *b.* 218. 219.

MAGNVS ET MAGNA.

Ioannes Bapt. quomodo maior inter natos mulierum, 27. *a. b.*

Magnitudo Deiparæ expensa, 158. *b.* 159, *a.* 417, *b.*

Magna & diuturna tardè proueniunt, 376. *b.*

Mariæ magnitudinem admirari parum est, nisi eam imitemur, 152.

MARE.

Mari comparatur *Maria.* 311. 212, 368, *a.*

Eiusdem Natiuitas comparata cum ortu maris, 121. *b.*

Maria est mare nunquam redundans per superbiam, 417. *a.*

Eadem est mare inexhaustum beneficiorum, 417, *b.*

Cur Virgo *mare amarum* dicatur, 418. *a.*

Mare amarum est glorioſum Deiparæ nomen, *ibid.*

MARIA VIRGO.

Maria est primogenita Redemptoris, 84. & *seq.* 398, *a.*

primus & solus homo, 73. *b.*

prouidentiæ diuinæ filia, 76. *a*, 77.

perfectissimum Dei opus in reliquis creaturis adumbratum, 32. 33. expressum per Templum Salomonis, 161, *a.* 165. *a.*

perfectio vniuersi, 138. *a.*

In *Mariæ* productione quantum sibi Deus complacuerit, 33. *a.*

Dei creatoris & Mariæ certamen, 137.

Maria idealiter concurrit ad rerum omnium productionem, 128. *b.*

Omnia propter *Mariam* facta sunt, 112. *a.*

Mundus quasi per ludum à Deo factus, *Maria*

ria seriò operando, 109,*b*.
Mariæ in gratiâ & virtutibus à primo conceptionis instante incrementum, 122, 123. *b*.
Gratiarum in Maria abundantia, & meritorum magnitudo. V. *Gratia*.
Mariæ magnitudo, 158,*a*.159,*b*.417,*b*.
eam solus Deus noscebat, 373.
eius quasi infinitudo per lineam ambientem explicata,137.
Mariæ in omnia creata Dominium,25.
illi creaturæ omnes famulantur, *ibid*. V. *Dominium*.
Maria causa est cur homines præcellant Angelos gratiæ dignitate,71,*b*.
item amoris Dei erga populum Hebraicum, 125.*b*.
Maria prima in fide, in aliis virtutibus secunda, in munere Aduocatæ tertia, quarta in sanctitate, 87,*b*.
perfectissima Dei imago, 16,17. 187.
Dei circumferentia, 138,*b*.
speculum Dei procantis naturam humanam, 182,*a*.
opus Domini, 165.
creaturarum ptinceps,7.*b*,
filia Principis,154,156.
ciuitas Dei gloriosissima. 103,*b*.
ciuitas Solis, 186.
Templum SS. Trinitas, 161,*a.b*.
arx Dei fortissima, 180,*b*. 181.
palatium à SS. Trinitate constructum, 40. 41.
ciuitas sancta, 28,*a*.
abacus Dei pretiosissimus, 283,*a*.
ostium compactum tabulis cedrinis, atque vni Deo patens, 43,44.
Maria Angelorum regina, 27,28.
mater credentium, 87,*b*.
mater sanctæ spei, 243.
signum magnum in cælo, 124,*b*. 125,*b*. 159,*a*.397,*a*.
omnis sacrificij pinguedo, 441.
virtutum decus & ornamentum, 437.
miraculorum summum, ac miraculorum officina,344.345.
Maria Liber, in quo scriptum Verbum patris 4,*b*.5,*a*.
Liber grandis, 6,101, 102.
Liber *Flos Sanctorum* inscribendus,6,8.
Liber bellorum Domini, 8,*b*.
Liber noui Testamenti,10.
Liber Historialis magnalium Dei, 103.
Liber doctrinalis omnium præstantissimus,105,*b*.
Liber vitæ, 107.
Catalogus Sanctorum,106,*b*.
Idea vitæ Christi,114,*a*.
Scripturæ Sacræ breuiarium,113,*a*.
mysteriorum omnium ac scientiarum compendium, 373,*b*. 374,*a*.
Liber nouus, inducto veterum debitorum nostrorum chirographo,115,*a.b*.
Liber mundialis,108,*b*.
Maria Aurora,14,*a*.118.119,120.121, 243.*b*.301.
firmamentum,21,*b*.368.
cælum, 159,349,*b*.350.*& seq*.
Terrà,368,244.
mare, V. *Mare*.
Dies,358,*b*.
Nox,369,*a*.
Sol,407.397,*a*.
Luna,186,*a*,397,*a*.428.*a*.411.412,*b*.
Lux, 397, 401.
Stella maris, 410, 411. V. *Stella*.
astrum polare, 413,*a.b*,415,*b*.
hortus conclusus,191,*a*.
cur *vitis* dicatur, non *hedera*. 129.*b*.
virga de radice,132,*a.b*.
arca Testamenti,23,*a*. 198,286.
cerua matutina, 22,*b*. 290.*a*.
lilium conuallium,6,*b*.
lilium inter spinas,7,*a*.*b*.141.*a*.
myrrha, 421, 242.
Maria comparata cum Esther ad Assuerum ingrediente, 23,*b*.
cum eâdem, 122. *b*.
cum Iudith, 124,*a*.
cum Ruth, 316.*a*.
cum turri Dauidicâ,29,*a*.30.
cum Hierusalem triplici muro circumdatâ,45.*b*.
cum eâdem in tribus montibus fundatâ, 49.
cum eâdem, 185.*b*.
cum Niniue ciuitate, 185,*a*.
cum monte Sion,244,
cum citharâ Dauidicâ, 209,*b*.
cum omni aquâ,419.
Quæ de Babylone vanè, ea de Virgine verè dicuntur, 184,*b*.
Maria mater nostra,341.342.
ditissima ac liberalissima,300,*a.b*.301.
vena misericordię, 302.*a*
Deo misericordiæ fomes, *ibid*.
cæli fenestra,*ibid*.
pluuia omnibus opportuna, 419.*b*.
aduocata generis humani, & quàm potens,28.29,87,*b*.
semper in auxilium nostrum parata, 415.
eius inuocatio quam salutaris, V. *Mariæ nomen*.
eius in benefaciendo celeritas, 202.
benefaciendo nunquam exhauritur,417.*b*.
corredemptrix generis humani, V. *Redemptio*.
mater & nutrix fidelium, 428,429.*a*.*b*.
eius in manibus salus nostra, 371.*a*.

Mariæ generis nobilitas, V. *Genealogia. Nobilit.*
corpus, V. *corpus.*
pulchritudo, V. *Pulchritudo.*
veſtimenta, 289, *a.* 7. *b.* 37, *b.*
calceamenta, V. *Calceamenta.*
Mariæ mores ac vita à teneris vnguiculis, 148, 160, *b.* 165. *b.* 166.
omni modo ſtudebat Deo eſſe quàm ſimillima, 186, *b.* 187.
Marthæ & Mariæ officia coniunxit, 300, 313.
eius ſollicitudo in conſeruandâ corporis ac mentis puritate, 67. *b.*
eius immunitas ab omni peccato. V. *Conceptio.*
viſio beatifica in hâc vita, 519.
virtutis ſtudium, 723, *b.* V. *Virtus.*
humilitas. V. *Humilitas.*
obedientia, V. *obedientia.*
deſideria, qualia? V. *Expectatio.*
reuerentia erga Templum, 265. *b.*
reuerentia Legis antiquæ, 270. *b.*
Chriſtum imitandi ſtudium, 262, *a. b.* 294. *b.*
Maria dux & caput Virginum, 156. 157.
maluiſſet perdere maternitatem Dei, quam virginitatem, 186, *b.* 221.
non minùs mente Virgo quàm corpore, 246. *a.*
in *Mariâ* iuncta Virginitati fœcunditas, variis figuris præſignata, 256. 257.
eius Virginitas aſſerta contra Tertullianum, 244. V. *Virginitas.*
Maria benedicta inter mulieres, 216.
cur eâdem voce ab Angelo & Eliſabethâ prædicetur, 215. *b.*
omnium habuit mulierum ſtatum, 216.
Inter Chriſtum & Mariam quædam intercedit identitas, 60. 291, *b.*
Maria an mortua, & quo morbi ac mortis genere, 297, 298. V. *Mors.*
Locus Deiparæ in cælo aſſignatus, V. *Aſſumptio.*
Vide præterea *Natiuitas. Annuntiatio. Incarnatio. Viſitatio. Purificatio. Maternitas Dei. Nix. &c.*

MARIÆ NOMEN.

Nomen Deiparæ Deũm impoſuiſſe probatur, 372. *& ſeq.*
à totâ SS. Trinitate impoſitum. 367, *b.*
quis ei cultus debeatur, 385, *b.*
Mariæ Nomen, optima eius imago, 386. 387.
omnibus eius reliquiis venerabilius, 386.
ab Iſaiâ prædictum, 378. *u.*
à Sibillis prophetatum, 379. *b.*
Argonautis indicatum, 379. *a.*
Virgilij carminibus comprehenſum, 377. *b.*
cur Patribus antiquis non reuelatum, 371. *b.* 372.
quomodo poſt eius natiuitatem ad gentes delatum, 360. *& ſequ.*
Mariæ nomen comprehendit omnes alios eius titulos, 385.
eius etymologia alludit ad omnes Deiparæ laudes, 388,
eius variæ radices, 389.
omnes continet Deiparæ titulos, 423.
æquiualet longiſſimis Litaniis, *ibid.*
continet Dei & IESV nomina, 390. 391.
quem numerum contineat, 457. *a,*
Mariæ nomen ſignificat *Deus ex genere meo,* 391. *b.* 389. *b.*
item *Domina,* 393. *& ſequ.*
item *Illuminata* & *Illuminatrix.* 389. 397.
item *Stella maris,* 389. 408. *& ſequ,*
item *Mare amarum,* 489. 416.
item *Pluuia.* 419.
item *Myrrha maris,* 389. 420.
Mariæ nomen eſt tapes variis depictus myſteriis, 376.
eſt arcus cæli, 404.
eſt ſpeculum, 406.
eſt parelion, 407. *a.*
Mariæ nomen eſt Prophetiæ germanum, 426.
totius Scripturæ compendium, *ibid.*
ſignum prognoſticum, 427.
aura tenuis, 462. *b.* 463.
Vmbra, 446. 464. *a.*
cibus & potus, *b.* 464. *b.*
item vnctio & lotio, *ibid.*
medicina puerorum, 430. *a.*
oleum effuſum, 472.
thymiama perfectiſſimum, 442. *b.*
mel, 443. *a,*
virtutis inſigne, 431. *& ſequ.*
pudicitiæ decus, 436 *& ſequ.*
indicium caſtitatis, 439.
Dei ſacrificium, 441. *& ſequ.*
virtus hoſpitalitatis, 444. *& ſequ.*
collegium ſanctitatis, 448.
lux & lumen, 403. *& ſequ.*
miſericordiæ concilium, 459. *b.*
Mariæ nomen à SS. Patribus celebratum, 423. 424.
eſt renaſcentibus ſalutare, 427.
reficit laſſos, 462.
ſanat languidos, 466.
illuminat cæcos, 469.
imo facit vt tenebræ lux fiant, *ibid.*
inſtar aquę ſtillantis penetrat duros, 470.
vngit agoniſtas, 472.
reſuſcitat mortuos, 476.
extrudit iugum Diaboli.
Mariæ nomen quid efficere poſſit naturaliter, 451, *a. b.*

Vis eius supernaturalis, 454.
Vt nomen *Mariæ* potentius esset nomine IESV, Deus efficere potuit, 458.
id tamen eum fecisse non constat, *ibid.*
Nomen *Mariæ* probabiliter dici potest potentius nomine Iesu, saltem quoad nos, *ibid.*
verius tamen videtur nomen IESV esse potentius, 459.
Inuocata *Mariâ* semper inuocatur IESVS, non contra, 459.*a.*
Propagatio nominis *Mariæ* sequitur ad propagationem nominis IESV, 381,*a.*
Mariæ nomen sine vtilitate tractari nequit, 382.
eius cognitionem parit fidelis Deiparæ famulatus, 393.*b.*394.*b.*
Nomen *Mariæ* relatum in tabulas censûs Romani, 381.
Cur *Mariæ* nomen Auctor celebrandum sumpserit 356,*a*
Votum ne qua mulier infamis appelletur *Mariæ* nomine, 439.*b.*440.
V. *Nomen.*

MARTHA.

Marthæ & Mariæ sororum nomine designantur corpus & anima, siue caro & spiritus, 288.
item intellectus & voluntas, siue Actio & contemplatio: eorumque coram Christo iudice de præeminentia certamen 323.325.326.
Aliud certamen inter corpus & Animam sub Marthæ ac Mariæ nomine, 327.
Item aliud sub iisdem nominibus inter Ecclesiam militantem & Triumphantem, 329.
Virgo Deipara Marthæ & Mariæ officia coniunxit. 313.*a.* 330.
Marthæ & Mariæ mentio quid faciat ad explicandam Deiparæ in Assumptione gloriam 306.
Marthæ & Mariæ hospitalitas quomodo à Christo præmiata, 307.*b.*
Marthæ precibus, sed ad Mariæ præsentiam resuscitatur Lazarus, 477.*a.*

MARTYRES.

Martyres merito oderunt carnem suam, Christus eam dilexit, 292,*a.*

MATER.

Filij eadem est relatio ad matrem quæ ad patrem, & eadem vtriusque gloria, 33.*b.* 60,*a.*
Matris nomine quæ bona nobis largiri possit Deipara, 300,*a.*
Mariæ titulus quo *Mater misericordiæ* dicitur, explicatus, 301.*b.* 302.*a.*
Quomodo B. Virgo verè sit mater nostra, 341.342.
V. *Nutrix.*

MATERNITAS DEI.

Maternitatem Dei necessario videtur comitari gratia, 352.*b.*
eius in *Mariâ* dignitas & authoritas, 138, *a.*
Maternitatis & Virginitatis in *Mariâ* concordia, 256.
eius variæ figuræ, 257.*b.*
indicata per niuis candorem & frigus, 338, 339.
Maternitatem Dei recusasset Maria, si fuisset infecta peccato Originali, 35,*b.*
eandem perdere maluisset, quàm Virginitatem, 186,*b.*
Maternitas Dei postponitur voluntati obedienti verbo Dei, 69, *b.* 353.
V. *Obedientia. Verbum Dei.*

MATHVSALEM.

An mortuus ante diluuium, & quando? 39, *b.*

MEL.

Mellis & Salis comparatio, 443,*a.*

MERITVM.

Progressus Deiparæ in gratia & meritis, à primo conceptionis instante, 122. 312, 315.
Merita Virginis insupputabilia, 314.
Mortem Deiparæ diu Deus distulit, vt plus mereri posset, 317.

MIRACVLVM.

Quid sit Miraculum, 333.*a.*
Quatuor Miraculorum gradus, 333.*b.*
Magnum Dei opus, & magnum miraculum distinguuntur, 334.*a.*
Miraculum, occasio Festi B. Mariæ ad Niues, 334.*b.*
Miracula quibus honoratum à Deo templum S. Maria Maioris Romæ, 335,356.
Virgo Maria miraculum, ac miraculorum officina, 342.343.

MISERICORDIA.

Misericordiæ & Veritatis obuiatio, 116.
Quomodo iustitiam diuinam placarit per *Mariam. ibid.*

Pax

Pax misericordiæ comes, 116.
Maria est Deo fomes misericordiæ, 302.
Maria, misericordiæ vena, *ibid.*
V, *Mater. Nutrix.*

MONS.

Montis nomine in scriptura intelligitur Ecclesia, 50. *b.*
item Angeli & Apostoli, 54. *b.*
item Theologia, 59. *a.*
Montes sancti sunt Duo Testamenta, 56, *a.*
Montes in quibus fundata Hierusalem, exprimunt tres personas SS. Trinitatis, 49.
Montium Deus, dictus Deus Iudæorum, 302, *a.*

MORS.

Mors pœna peccati, 293.
Deipara vti libera à debito peccati Originalis, ita & à debito morsendi, *ibid.* vnde nonnulli eam mortuam fuisse negarunt, non rectè, 294, *a.*
Quatuor causæ cur mortua Deipara:
Prima, vt Filio iuo assimilaretur, 294. *b.*
Secunda, vt eius mortem probaret, 295. *a.*
Tertia, vt eius resurrectionem confirmaret, atque inde in nobis resurgendi spem, 295.
Quarta, vt mortem exarmaret, sublatâ quam nobis exprobrabat ignominiâ, 196.
Cur primus inter homines mortuus Abel, *ibid.*
Mors Christi & Deiparæ inter se collatæ, 297, *b.*
Deiparæ mortem cur tamdiu post suam mortem Christus distulerit, 317.
Mariæ nomen resuscitat mortuos, 476, 477.

MORTIFICATIO.

Myrrha mortificationis symbolum, 421, *a. b.*
Mortificatio spontanea, optima, *ibid.*
Mori sibi, quid sit, 255. *b.*

MVLIER.

Muliebris sexûs infirmitas & vituperium, 254, *b.*
Pro sexu femineo apologia, 325.
B. Virgo omnium habuit mulierum statum, 116. *a.*
Mulieris Euangelicæ Christum laudantis virtus intrepida, 151. *b.* quænam fuerit? 146.
Mulieris Euangelicæ Christum laudantis verba explicata, 249, 250, 343, *a.* 347.

MVNDVS.

Mundus ludendo à Deo factus, Maria seriò operando, 109.
Omnia propter Mariam facta sunt, 112. *Vide* CREATVRÆ.
Mundus hic carcer est, 119. *b.*
Mundi gloria caduca, 131.
Mundi vox, septemplici Dei voci opposita, 206.
Absalon, figura mundi, 207, *b.*
Bona huius mundi vana sunt, & fugacia, 131.
ideo neminem conseruare possunt, 230, *b.*
similes iis fiunt, qui cupiunt ea, 231, 232.
V. *Bona.*
Mundus fluctuat instar nauigij in mari *Mariano*, 416, *a.*
Exitus mundi à Deo, initium verò est à Virgine, 417, *a.*

MYRRHA.

Myrrha gemma, 420, *b.*
Myrrha arbustum, 421.
Ex myrrhæ amaritudine oritur eius fragrantia, *ibid.*
Myrrha maris rectè dicitur Deipara, 389, 422.
Myrrhæ virtutes medicæ eidem applicantur, 422. *b.*

N.

NATIVITAS DEIPARÆ.

IN Natiuitate Deiparæ gaudendum singulis cuiuscumque statûs, 92. & communiter omnibus, 93. imò mundo inamato, *ibid.* 141, *b.* 144 *a.*
Natiuitas Deiparæ comparata cum Aurorâ, 117, *b.*
Ægræ mortalitatis ad hanc Auroram anhelatio, 118. 119,
Aurorâ exortâ saluatur Israel, Mariâ orbis vniuersus, 120, 121. *a.*
Natiuitas Deiparæ comparata cum ortu Maris, 121. *b.*
Maria in exortu suo à sponso laudata, 123. *b.*
Maria in Natiuitate suâ *Signum magnum*, 124. *b.*
V. *Maria. Genealogia. Nobilitas.*

NIX.

Historia Festi B. Mariæ ad Niues. 334.
Quid indicet nix quæ huic Festo occasionem

nem præbuit, 337,*a*. 343,*b*.
Candor & frigus niuis, Deiparæ Virginitatem adumbrant, 337,*b*.
Frigus in niue causa fecunditatis, vt castitas in Deiparâ, 338.
Conciliantur duo loca S. Scripturę de niue æstiuâ, 346.

NOBILITAS.

Nobilitas & gloria mundi caduca, 131, *a*. 132. *b*.
Contra nobilitatem dicta, 134.
Nobilitatis laus, & ad nobiles exhortatio, 135.
Nobilitas, quid ad laudem conferat, 136, *a*.
Marię Virginis eximia nobilitas, 136, *b*.
Nobilitas Marię expressa per Signum magnum Apocalypseos, 124 125. *a*.
Maria antecessores suos nobilitat, non nobilitatur ab ipsis, 126. *b*. 129, *b*.
V. *Genealogia*.

NOMEN.

Nominis varia significata, 356. 357.
eius etymologia ac definitio, 360, *a*.
Nomina nulla sunt rebus agnata aut connaturalia, 361.
alia sunt Communia, alia Propria, 362. *b*.
communia fabricare, est Philosophorum; propria, Dominorum, 363.
nomen imponere, etiam amoris signum est, 364. *b*.
in quo spectetur prudentia imponentis alicui nomen propium, 362. *b*.
Adamus quomodo rebus omnibus nomina imposuit, 362. *a*.
quantâ id cum maiestate fecerit, 363. *b*.
cur speciebus tantum & non singulis indiuiduis nomina dederit, 364. *b*.
cur Mari, Terræ, diei, nocti & firmamento nomina non imposuit, 367. *b*.
Nomina quando apud Romanos infantibus imposita, 365, *b*.
quando apud Græcos. *ibid*.
quando apud Hebræos, 366, *a*.
Cuius sit infanti nomen dare, Patris an matris, 367.
Mariæ nomen imponere, Deo conueniebat, 373 *& seq*.
quinque virorum nomina ante natiuitem reuelata, 374.
duo nominum thesauri apud Deum, 376, *a*.
Nomina propria significant rem prout est absolutè. 383, *a*.
nunquam significant id à quo deriuantur, *ibid*.
distinctio nominum propriorum & antonomasticorum. 383. *b*.
aliud est significare quidpiam, aliud in memoriam reducere, 384.
quænam præter significationem spectentur in nominibus, 388.
nominum possessiuorum significatio triplex, 228. *b*.
Honor nominibus quibusdam habitus, 439.
Triplex vis operandi in nominibus, 449, *& seq*. V. *Verba*.
An potentia nominis colligatur ex numeris, 455, *b*.
Distinguitur nominis venerabilitas & potestas. 457.
Nominis acquirendi cupiditas omnibus innata, 855.
V. IESVS. *Mariæ nomen*.

NVBES.

Cur nubes dicatur Deipara, 419, *b*.
Cur Deus in nube habitare dicatur, 369. *a*.

NVMERVS.

An ex numeris potentia nominis colligenda, 455, *b*.
Numerus nominis Antichristi, 456. *a*.
Numerus nominis Iesu, *ibid*.
Numerus nominis Mariæ, 457.
Numerus nominis Adam, 369, *b*.

NVTRIX, NVTRIRE.

Mater & nutrix fidelium *Maria*, 428.
Dei vbera sunt vbera Deiparæ, *ibid*.
Quos Christus parit, dat Virgini nutriendos, 429,
Quomodo in Deipara natum lac misericordiæ quo nutrit renatos, *ibid*.

O.

OBEDIENTIA.

OBedientiæ celeritatem docet Maria in Visitatione, 200, 201.
Obedientia Abrahami in immolando filio, 252.
Mariæ cæca obedientia, 276. *a*. planè incomparabilis, 276. *b*.
Obedire Dei verbo maius est quàm Deum parere, V. *Maternitas*.

OBLATIO.

Oblatio sui ipsius Deo gratissima, 154. *b*.

Obiatio Virginis in Templo perfectum erat holocaustum, 155.
Oblatio Iesu in die Purificationis cum Sacrificio collata, 252.
Deiparæ Filium offerentis descriptio, 278, *a.*
Diuina beneficia quo fructu in illum referantur, 273, *a.*
Primogenita cur sibi offerri voluerit Deus, 284.
V. *Sacrificium.*

OLEVM.

Oleum effusum est nomen *Mariæ*, 472.
Oleum ex viride, calidum, pingue, suaue, penetratiuum, nitidum, amarum: Pascit, impinguat, illuminat: medicinam facit, ignem extinguit & ampliat, picturis confert, 472. *& seq.*
Olei proprietates Deiparæ Virgini applicantur. *ibid.*
Oleo ferrum lentescit ac mollitur: & *Mariæ* nomine soluitur ferreum Diaboli iugum, 476.
Oleo vnguntur Athletæ, *Mariæ* nomine Christiani, 474. *a*

ORIGINALE PECCATVM.

Per illud homines cæteri spinæ sunt: Maria lilium inter spinas, 7. *a.*
Ab eo solùm immunes Christus, & Maria, 9. *b.* 10. *a.* 19.
Originalis peccati descriptio, 11. *a. b.* 12. *a. b.* ex eius fœditate probatur immaculata Virginis Conceptio, *ibid.*
Originalis peccati remõstratio apud Deum valet ad misericordiam impetrandam actualibus, 22. *a. b.*
Originale peccatum, caput est serpentis à Mariâ contritum, 24. *a.*
Priuauit hominem Dominio in creaturas inferiores, 25. *a.*
fuit præcipua causa Incarnationis, 41. *a.*
Originalis peccati effectus, 12. 60. *b.* 288. *a.* 291. 293.

P.

PASSIO CHRISTI.

CReaturę omnes Christo morienti commori optabant, 294, *b.* 295.
Christus in Passione primùm à Diabolo agnitus, 265. *a.*
Maximus Christi in Passione dolor, videre matrem dolentem, 316. *b.* 317.
Cur Mariæ nomen Christus in Cruce subticuerit, 465, *a. b.*
Passioni Christi pretium accessit ex eo quòd ciuis esset Romanus, 382. *a.*

PAVPERTAS.

Carentia rerum non est paupertas, 224. *a.*
Paupertas, quid? *ibid.*
Desiderium est proprietas conueniens solis pauperibus, 222. *a.*
adeoque naturale hominis peculium, 225, *b.*
Virgo Deipara ditissima fuit rerum temporalium, at cælestium egentissima, 222.
Quomodo spiritualis paupertas ab alterâ quæ est rerum temporalium distinguatur, 223.

PECCATOR.

Peccatoris vilitas, 12. *a.*
Christi studium vt se segregaret à peccatoribus. V. *Christus.*
Peccator creaturis per quas tamquam scalam adscendere debebat ad Deum, in suam damnationem abutitur, 79. *b.*
eius imperium creaturæ dedignantur, 78.
creaturarum contra peccatorem conspiratio, 143. *a.*
Infame etat creaturis peccatori seruire, 143. *b.* 144.
Peccatori ipsa grauis est impietas, 208. *b.*
Peccator non agnoscitur à Deo, 275, *b.*
Peccatori fiducia oritur ex eo quod Christum Deipara quinque siclis redemerit, 282.
Peccatoris habitum cur Christus in circumcisione assumpserit, 262.

PECCATVM.

Peccati Venialis & Originalis collatio, ad probandam conceptionem immaculatam, 13. *a.*
Peccatum expressum per draconem, 20. *b.*
per serpentem, cuius caput Maria contriuit, 24. *a.*
Peccatum quantum exhorruerit Maria. 67.
Peccata lapidantium magis sensit S. Stephanus, quam sua vulnera, 68. *b.*
Peccando subscribimus pœnis peccato debitis. Hinc chirographum decreti quod erat contrarium nobis: quomodo illud in Mariâ deletum, 115. 116.

PETITIO.

Petitio matris filiorum Zebedæi, 238. *b.*

Qui terrena à Deo petũt nihil petunt, 239.*a*.
V. *Desiderium*.

PICTVRA.

In lineâ ambiente præcipua picturæ ars consistit, 137, *b*.
Totam vniuersi huius picturam terminat Maria, 138.
Pictura nec B. Virginem, nec eius nomen benè exprimit, 387.

PLVVIA.

Pluuiæ vtilitas. 419.
Maria pluuia omnibus opportuna. *ibid.*
Pluuiâ Spiritûs S. fœcundatur, hortus Marianus, 191, *b*.

POENITENTIA.

Pœnitentiæ dilatio, reprobationis signum, 209.
Peccatoris conuersio per varias Dei voces explicata, 204. 205.
Omnes virtutes in Mariâ coniunctæ, sine vsu pœnitentiæ, 162, *b*.
V. *Confessio*.

PRÆSENTATIO DEIPARÆ.

Opinionis de Præsentatione Virginis in templo antiquitas, 147, *a*.
Festi Præsentationis institutio, 147. *b*.
Circumstantiæ in Præsentationis historiâ notatu dignæ. *ibid.*
Marię vita & exercitia in Templo, 148. 160, *b*. 165. *b*. 166.
Quibus verbis eam sponsus eius Christus venientem exceperit, 153, *a*.
Mariæ ascensus ad templum descriptus, 153, *b*.
Quibus affectibus Virgo se in Præsentatione exornauerit, 154 *b*.
Oblatio Virginis perfectum erat holocaustum, 155.
B. Virgo ad Templum iuit, quia eius magnitudinem mundus non capiebat, 158, *b*. deinde ad Virginitatis suæ perfectam custodiam, 167.
Templi gloria omnis ad Mariam (templum priore perfectius) vltro accedit, 160, *b*. 161.
Templi Salomonis dedicatio collata cum Præsentatione Virginis, 164, *b*.

PRIMOGENITA.

Primogenita cur sibi offerri voluerit Deus, 284.
Maria primogenita Redemptoris, 84. 398.

PROVIDENTIA.

Prouidentiæ diuinæ non officit permissio defectuum vel vitiorum, 76, *b*. ex ea tamen rectè infertur immunitas Virginis à peccato, 77.

PVGNA.

Pugna Michaelis Archangeli cum Lucifero, 433. *b*.
Pugnandum contra Diabolum sub Mariani nominis vexillo. 431. 434.
Hominis cum Diabolo pugna, atque ad victoriam obtinendam instructio, 474. *a*.
V, *Diabolus*.

PVLCHRITVDO.

Pulchritudo est bonum exiguum & periculosum, 139. *a*.
citò fugit, 139, *b*.
eadem fortissimos debellat, *ibid.*
Pulchritudinis laus, *ibid.*
Virgo Deipara fuit omnium pulcherrima, 140, *a*.
Eius pulchritudo mouebat ad castimoniam 146.

PVRGATORIVM.

Vti animarum, ita & corporum quoddam esse purgatorium post mortem, 288. *a*.

PVRIFICATIO DEIPARÆ.

Maria à legibus Purificationis faciendæ ipsis earum verbis excipitur, 253. *b*. item verbis sponsi in canticis, 260.
Lex Virgini erat obseruatu impossibilis, 259.
Cessat in Virgine ratio legis, *ibid.*
Rationes quibus à Purificatione videatur deterrenda Deipara, 261, *b*. 274, *a*. 275. *a*.
Rationes ob quas nihilominus Purificationis legem adimplere voluit:
Prima, vt Filij exemplum imitaretur qui legem quâ non tenebatur adimpleuit, vt eam leuiorem faceret, 262.
Secunda, vt sub peccatricis habitu se iustitiæ diuinæ obiiceret, Christi item exemplo, *ibid.*
Tertia, propter ædificationem proximi, 264. *a*.
Quarta, vt Diabolum falleret, & Christi natiuitatem celaret, 264, *b*,
Quinta, vt Templum honoraret, 265, *b*. 269, *b*.
Sexta, vt magni se facere Legem, quamuis deficientem, ostenderet, 270. *b*.

Septima, ad exercitium virtutum, præcipuè Humilitas & Obedientiæ, 273. *& seq.*
Purificatio, est Templi festum, 265. *b.*
Deipara purificatione suâ restituit Templo quintuplicē quâ carebat gloriam, 296. *b.*
Per eandem, honorauit legem antiquam pro eâquè fideiussit, 271, 272.
Virginis iter ad Templum, deliciis plenum, 277. *a.*
Simeonis & Annæ laus. 277.
Deiparæ filium offerentis descripto, 278.
Simeonis cum puero Iesu, pueriq́ue cum Simeone, colloquium, *ibid.*
Deiparæ ad Simeonis vocem dolor, in eoq́ue constantia, 279. *b.*
Quid sit, Animam Virginis pertransisse gladium, 282. eum Virgo non refugit, vt nos redimamur, 280. *b.*
Maria Christum, qui totus erat Dei, quinque siclis redimendo fecit nostrum, 281, *a. b.*
Purificatio animæ Christianæ, ad eamq́ue adhortatio, 283, 284.

Q.

QVIES.

ANimæ quies necessaria, vt in eam Deus aut eius dona recipiantur, 197, *a, b.*
Quiescunt omnia in suo centro, 230.
Centrum hominis esse non possunt bona huius mundi, quia in iis quiescere nemo potest, 233. 234.

R.

REDEMPTIO HVMANA.

MAria cooperatrix redemptionis humanæ, 26. *a.* 428. *a.* eius rei figura, 377. *b.*
Eius immaculata conceptio certificat redemptionem à Christo factam, 81. *b.*
Redemptionis genus est præseruatio à malo, 82. *b.*
Maria quomodo per Christum redempta, 83, *a.*
Non erit copiosa redemptio, si Deipara non sit præseruata à peccato, *ibid.*
Mariæ redemptionem præ reliquis in passione sua Christus intendit, 84. *b* 85. *a. b.*
Redemptio Virginis variè designata in Scripturis, 85, *b.* 86. *a.*
Maria gladium doloris à Simeone prædictum non refugit, vt nos redimamur, 280, *b.*

REGINA.

Maria Regina Angelorum, 27. 28.
Reginæ nomen Mariam admonet liberalitatis, 300, *b.*

RESVRRECTIO.

Christi resurrectio confirmata per mortem Deiparæ. 295, *a. b.*
Deiparæ resurrectio accelerata. 304. *b.*
Virginitatis cum viuificatione cognatio, *ibid.*
Resurrectio mortuorum in morte Christi, hospitalitati ascripta, 307, *b.* 308.

S.

SACRIFICIVM.

MAriæ in templo oblatio, perfectum holocaustum, 155 *a, b.*
Mariæ omnis sacrificij pinguedo, 441. *b.*
Thymiama, quale sacrificium, 442.
Sacrificium nominis Mariani etiam mortuis prodest, 443. *b.*
ab eo abigendæ importunæ volucres, *ibid.* 444.

SANCTI & SANCTITAS.

Commemoratio Sanctorum est Deo oblatio thymiamatis, 442. *a.*
Mariæ, Flos Sanctorum, 6. 7. 8.
eadem catalogus Sanctorum, 106.
eius Sanctitas incipit, vbi aliorum consummatur, 54. *b.*
eius nomen est collegium Sanctitatis, 448.
Christus quomodo à Patre *Sanctificatus* dicatur, 19.
Sanctificatio Ioannis in vtero matris, 210. *a. b.*

SCRIPTVRA S.

S. Scriptura supra omnes alios libros laudata, 99 *a.* 112. *b.*
quædam tacendo manifestat, 371, *a. b.*
Quibus & quando ea sapere incipiat, 305. *b.*
Virgo Deipara eadem suppeditat quæ Scriptura Sacra, 113.

SERVIRE DEO.

Deo seruire maius est, quàm Deum parere, 69, *b.* 150.
Deo seruiendum à puero, Deiparæ exemplo, 152.
Deo seruire, magnificentiæ opus. 205, *a.*
In Dei seuitio perseuerandum, exemplo Enoch. 204, *b.*
Deo seruire quàm non graue, 208, 209.
Serui Dei nomen omni studio ambiendum, 396 *a.*
Seruitus Dei dat veram libertatem, 474, 475, *a.*

SETH.

Cur hic solus ex Adæ filiis dicatur genitus ad imaginem & similitudinem Patris? 16.*b.*

SIGNIFICARE.

Aliud est significare quidpiam, aliud in memoriam reducere, 384.
V. *Nomen.*

SIGNVM MILITARE.

Signum nominis Mariani, V. *Vexillum.*

SIMILITVDO.

Similitudinis & imaginis distinctio, 127.*b.*
Similes fiunt rebus terrenis, qui cupiunt eas, 231. 232.
V. *Imago.*

SODALITAS B. MARIÆ.

Sodalitas quid sit, & cur *collegium* vocata, 448.
Sodalium *Liurea* sine insigne, est Mariæ nomen, 435.
idem eorum vexillum 430,*a.* & *seq.*
Per Mariæ mancipatum peruenitur ad cognitionem nominis eiusdem, 393.
per eundem vera libertas obtinetur, 474. & *seq.*
Sodales Deiparæ directè viuunt sub polo Clementiæ diuinæ, 415.*b.*

SOL.

Solis Eclypsis in morte Christi explicata. 79.*a.* 295.*a.*
Maria Sol est, 397. 407.
ciuitas Solis 185.*b.* 186. & *seq.*
Solis imago in aëre, siue *Parelion* quomodo fiat, ac Mariæ nomen referat, 407.

SPECVLVM.

Maria speculum Dei procantis naturam humanam, 182.*a.*
Speculo comparatur nomen Mariæ, 106, *a. b.*

SPES.

Spes rerum terrenarum cruciat, cælestium delectat, 240.*a.* V. *Desiderium.*
Maria mater sanctæ spei, 243.
Spes resurrectionis & misericordiæ diuinæ. V. *Fiducia.*

SPIRITVS S.

Quomodo in B. Virgine ferebatur super aquas, 123.
quomodo in animâ fideli, 204.*b.*
Spiritus in incarnationis mysterio primùm vocatur *Sanctus*, 189.*b.*
Quomodo Virginem obumbrauerit, 182. 183. 191.*b.* 298.*b.*

SPIRITVALES DIVITIÆ.

Spirituales diuitiæ possessæ sui æstimationem augent, contrà quàm diuitiæ mundanæ, 225.
Virgo Deipara quomodo ditissima rerum temporalium, at spiritualium egentissima, 222. V. *Desiderium.*
Quomodo spiritualis paupertas, ab alterâ quæ est rerum temporalium distinguatur, 223.

STELLA.

Stellarum materia incorruptibilis, 408.
forma rotunda. *ibid.*
magitudo mira, *ibid.*
situs altissimus, 409.
motus circularis, *ibid.*
effectus stupendi, *ibid.*
Stellarum proprietates Virgini accommodatæ, *ibid.*
Stella maris quibusdam est Luna, 412,*a.*
aliis Lucifer, 412. *b.*
aliis astrum polare, 413.
Maria est Stella maris, *ibid.*
cur Stellæ comparetur? 414.
crebro inuocanda, *ibid.*

T.

TEMPLVM.

QVantus Templo debeatur honor, 266,*a.*
Inuectiua in eos qui irreuerenter se gerunt in Templo, 266, 267, 268.*a.*
Mos fabulandi in Templo, immentis vindictæ signum, 268.*b.*
Vt Templum honoraret, Purificari voluit Virgo Deipara, 265,*b.* 269.*b.*
Templo quintuplicem quà carebat gloriam Virgo restituit, 269.*b.*

TEMPLVM SALOMONIS.

Templi Hierosolymitani gloria ex eo quòd factum ad ideam à Deo Salomoni monstratam, 161, *a.*

Dauidis in Templum liberalitas ſtupenda, 161, *b.*
Diuitiæ Templi Salomonici & Mariani comparatæ, 162.
Lapides Templi coagmentati ſine mallei ictu, ſignificant omnes virtutes ſine pœnitentiæ vſu conueniſſe in Mariam, *ibid.*
Templi diuiſio in Atrium, Sancta, & Sancta Sanctorum, Mariæ applicata, 163.
Suppellex Templi pretioſiſſima expoſita, ac Mariæ diuitiis poſtpoſita, 163.164.
Dedicatio Templi comparata cum Præſentatione & Annuntiatione, 164, *b.*
Templi Hieroſolymitani & Mariani idem finis, nempe Dei gloria, 165. *a.*
Templi Hieroſolymitani & Mariæ comparatio, 180, 181, *b.* 182. *b.*

TERRA

Quomodo dici poſſit fundata in die ante Sabbathum, 172, *b.* 173. *a.*
Terra Symbolum Deiparæ, 368. *a.*
Terræ nouæ inuentio, 47.
Per terram incedens Maria, ſola ex omnibus eius ſordibus non fuit inquinata, 154. *a.*
Cur Deus creauerit terram inanem & vacuam, 232, *a.*
Terrena omnia, nihil, 339.
eorum ſpes cruciat, 240, *a.*
poſſeſſio gaudio caret, 242. V. *Bona. Mundus.*
Terra ædificio fundando apta, qualis, 244. *a.*

TIMOR.

Timor eſt Prudentiæ famulus domeſticus, 194, *a.*
Bona malè fiunt, niſi præcat timor, 194. *b.*
Timor Virginitatis fideliſſimus cuſtos, *ibid.*

SS. TRINITAS.

Tres perſonæ SS. Trinitatis expreſſæ per tres montes Sion, Acra & Moria, in quibus fundata erat ciuitas Hieruſalem, 49.
Maria apud Iſaiam trium in Trinitate perſonarum beneficia in ſe agnoſcit, 288, *b.* 289. *a.*
item apud Abacuc Prophetam, 289, *b.*
In operibus ad extrà, idem effectus interdum nunc huic nunc illi Perſonæ à Scripturâ tribuitur, 177, *b.*

TVRRIS.

Turri Dauidicæ comparatur Deipara, 29, *a.* *b.* 30. *a.*

V.

VBERA.

DEus non habet alia vbera, quàm vbera Deiparæ, 428, *b.* 429, *a.*

VERBA.

Verbis nulla vis ineſt directè ſanitatem cauſandi, 452.
ineſt tamen cauſandi indirectè, *ibid.*
Verbis quibuſdam ineſt vis diuinitùs, 449.
Vide: *Vox.*

VERBVM DEI.

Obedire verbo Dei maius eſt ac melius quàm matrem eſſe Dei, 353, 151, *a.*
eſt genus quoddam maternitatis, 353.
Verbo Dei in nobis iidem tribuuntur effectus, qui Filio Dei, 354.

VERITAS.

Veritas iuſtitiæ comes, 116, *a.*
Veritatis & Miſericordiæ obuiatio, *ibid.*

VEXILLVM.

Vexilli eleuatio tria in Scriptura S. ſignificat, 430. *b.*
Virtus extulit vexillum Nominis *Mariani*, vt conuocet ad ſe homines, 431.
vt bellum indicat Diabolo, *ibid.*
vt reducat milites diſperſos, 434, *a.*
Sub vexillo nominis *Mariani* ſtipendia noſtra ſequeſtrantur, *ibid.* b.

VIRGINITAS.

Virginitas antiquis Patribus cur minùs amata. 156.
Maria Virginum Dux, vexillifera, primipila &c. 156. 157 158.
Virgines agunt choros caſtrorum, quorum mentio in Canticis, 166. *b.*
Cuſtodia & ſolitudo Virginibus commendata Mariæ exemplo, 167, 191, *a. b.*
Virginitatis laus, 190, *b.*
Virginitas laudum omnium compendium, 191, *a.*
Timor, Virginitatis cuſtos optimus, 104.
Virginitas eſt ſupra ſexûs muliebris infirmitates, 254 *b.*
dat imperium coronam, 255.
eius robur & potentia, *ibid.*
Virgo Angelis par. 255, *b.*
eſt Chriſti ſponſa, 256.

Dei imago, 255.*a*.
Virginitatis cum viuificatione cognatio, 304,*b*.
Virginitas indicata per niuis candorem & frigus,337,*b*.
Vide:*Castitas*.Maternitas Dei.

VIRTVS.

Virtutum certamen pro attrahendo ad se Dei filio. 192.193.
Virtutes Deiparæ per varias arbores explicatæ,244.245.
Omnes virtutes in vnâ Mariâ coniunctæ sine vsu pœnitentiæ,162.*b*.
Virtutis studium in Maria quàm magnum, 273,*b*.
Vtrum præstent virtutes corpori seruientes, iis quæ consistunt in animæ facultatibus, 328. *b*.
Nomen Mariæ quomodo dicatur Virtutis insigne,430.*& seq*.

VISIO BEATIFICA.

An, & quoties Virgo Deipara fuerit in hac vitâ recreata visione Beatifica, 519.

VISITATIO DEIPARÆ.

Maria cur visitatura Elisabetham abiit cum festinatione?87.*b*.88.*a* 300. 202.*b*.
Nemo visitatur à Sanctis sine fructu, 198.
Duplex visitatio quâ Deus homines visitat, 303.
Triplex Dei visitatio in bonum,203,*q*.
Septuplex Dei interior visitatio, 204.205.
Visitatio Deiparæ fuit in Ioanne causa sanctificationis, 209 210.
Chorearum apparatus in domo Zachariæ ob S.Ioannis liberationem à peccato,212, *b*.313,*a*.
Vt saluatorem præcedat Ioannes, seipsum præcedit, 313,*a*.
Per Visitationem Deiparæ Iustitia & Pax, siue Vetus & Noua Lex conciliatę sunt, 214.
Elisabethæ Mariam prædicantis verba exposita,215.216.217. eisdem plurimæ hæreses refutantur,216.*b*.217.

VITA.

Vita humana scenæ siue Theatro comparata,252.*a*.
item mari,410.*a*.
Vita hominum triplex , Naturæ, Gratiæ, & Famæ,365.
Vitæ consuetudo firmissimum argumentum in accusatione vel defensione forensi, 24. *b*.
Macula vnica sufficit ad totam vitam inficiendam,194.*a*.

VITA ACTIVA ET COMTEMPLATIVA.

Vitæ Actiuę & Contemplatiuæ in Deiparâ conspiratio,313.
Actiuæ & Contemplatiuę de excellentiâ certamen coram Christo 324.*a*.325.*b*.
Actiuæ contra Contemplationem , sub nominibus voluntatis & intellectûs, oratio, 326.
Contemplatiuæ ad Actiuam responsio, *ibid*.
Christi Iudicis in hac controuersiâ sententia,327.

VMBRA.

Vmbræ officium quot modis Deiparæ exhibuerit Spiritus S. 182.183. 191.*b*.298. *b*.
Vmbræ Templi Salomonis & Virginis comparatio,*ibid*.
Vmbra nobis est nomen Mariæ,446.

VOLVNTAS.

Voluntas volendo fit omnia, 332. V. *Desiderium*.
Voluntatis natura descripta 325.
Eiusdem certamen cum intellectu de præeminentia,*ibid*.
Eiusdem oratio contra intellectum,326.

VOX.

Voces & soni operantur vel naturaliter,450. *a*.
vel ex imaginatione audientis,*ibid*.
vel per assistentiam spiritûs,451.*a*.
Quid nomen *Mariæ* operetur primo & secundo modo,*ibid.a.b*.
Quid nomen Mariæ operetur vi supernaturali, 454.
Fundamenta quibus magi falsò superstruũt verborum actiuitatem naturalem, 453.*a*.
Differentia sententię nostræ & magorum, *ibid.b*.

VOX DEI.

Vox Dei animam alloquentis septuplex.
Vox Domini super aquas, 204. *a*.
Vox Domini in virtute, 204.*b*.
Vox Domini in magnificentia,*ibid*. 205.*a*.
Vox Domini confringens cedros,205,*a*.
Vox Domini intercidentis flammam ignis, *ibid*.
Vox præparantis ceruos,*ibid*.
Vox Mundi opposita septemplici voci Domini, 206.207.

VTERVS DEIPARÆ.

Vterus Virginis Deo erat locus deliciarum, 196. *b.*
Cur in Euangelio laudetur? 340. 347.
Vterus Virginis aceruo tritici comparatus, 343. *a.* est Clibanus panis cælestis. 348. nauis institoris, *ibid.* mensa, *ibid.* crater tornatilis, 349. *a.*
Beatitudo vteri Virginei comparatur cum beatitudine cæli, 349. *b.* 350. *& seq.*

Z.

ZACHARIAS.

ZAcharias Baptistæ pater, B. Virginem in templum præsentatam excepit, 148. *a.*
Vide; *Visitatio.*

FINIS

Frater

BAPTIO

mętis de los

Rios

Horizontal

35

2.995